Ex Libris
Tscharnerianis
Planaterræ
Curiæ Rhætorum.

Oc. 27.
1.

HISTORIA
REFORMATIONIS
ECCLESIARUM RAETICARUM,

EX

GENUINIS FONTIBUS ET ADHUC MAXIMAM PARTEM
NUMQUAM IMPRESSIS SINE PARTIUM STUDIO
DEDUCTA,

UT

EXSTANS SYMBOLA AD SYNTAGMA HIST. REFORM. HELVETIAE
QUEAT CENSERI,

NUNC PRIMUM IN LUCEM EDITA

A

PETRO DOMINICO ROSIO DE PORTA,
JESU CHRISTI IN ECCL. SCAMFF. MINISTRO, ET VENER. COLLOQUII SUP.
OENGADINAE CANCELLARIO.

TOMUS PRIMUS.

CURIAE RAETORUM,
IMPENSIS SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE,
MDCCLXXI.

KOEN. BIBL.
DER
UNIVERS.
HALLE.

ALMAE MATRI

ECCLESIAE JESU CHRISTI

VOCATIS SANCTIS

VENERANDIS, AMPLISS. AC MAGNIFICIS

COMMUNITATIBUS

IN EXC. TRIUM RAETIAE FOEDERUM REP.

RELIGIONEM

AD SS. EVANGELIUM REFORMATAM,

FIDEM SEMEL SANCTIS TRADITAM

CORDE TENENTIBUS,

ORE PROFITENTIBUS,

OPERE DEFENDENTIBUS,

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS

BEATAE REFORMATIONIS

HISTORIAM

IN DEVOTAE MENTIS MONUMENTUM,

QUA DECET ANIMI OBSERVANTIA,

D. D. D.

PETRUS DOMINICUS ROSIUS DE PORTA.

VENERANDAE, AMPLISSIMAE, MAGNIFICAE COMMUNITATES!

Si quod est Beneficium, ob quod NOS, LIBERIQUE NOSTRI, DEO OPT. MAX. aeternum devincti sumus, Beata certe est Doctrinae ac cultus REFORMATIO, ab Majoribus Nostris felicibus Auspiciis in Ecclesias introducta, perque varios casus, difficillimaque discrimina Rerum ad hunc usque diem fortiter defensa ac conservata.

Abs illa habemus, quod Oracula coelestia in Ecclesiis, Scholisque Nostris, missis Hominum traditionibus, assumentisque,

que, resonent, sic ut habitet inter Nos Divinum verbum cum summa abundantia.

Illi, crassissimae ignorantiae, quae cimmeriarum instar tenebrarum coelum nostrum obtegebant, depulsionem debemus.

Illi, Jura Dominii perplura, ad Politiae ornamentum juxta ac commodum spectantia, ab aliis olim usurpata, accepta ferimus.

Tanti Boni cognoscentes Praestantiam, ejus Nobiscum participes, fratres nostri per Germaniam Protestantes, publica gratiarum instituta Actione, alterum jam seculare celebraverunt JUBILAEUM: Eorumque laudibus etiam Helveticae Ecclesiae Reformatae, quibuscum arctum Nobis intercedit vinculum, suas solemniter concinuerunt.

Sed Nos hactenus altum siluimus, quemadmodum et Patres Nostri.

Inique

Inique tamen ageret, qui ob id neglectum Pietatis officium ingrati nos crimine accuſaret. Majores quoque Noſtri non minora, quam illi, pro illius cuſtodia ſubiverunt pericula.

Quod ad Me, admittere nolens, ut admiranda, quae erga Nos DOMINUS praeſtitit, diutius oblivione ſepulta jacerent, altiori eorum indagationi paullo ſtudioſius incubui: inventa rariora Leipſana in commentarios conjeci; ex quibus in ordinem redactis nati ſunt ECCLESIAE noſtrae in RAETIA Annales, quos, coelo clementer annuente, in commune bonum publici juris facio.

Et hanc Beatae REFORMATIONIS HISTORIAM, VOBIS, AMPLISSIMAE ET MAGNIFICAE COMMUNITATES, Veneranda, Alma PATRIA et ECCLESIA EVANGELICA, ſacros eſſe volo, ut obſervantiam, amoremque in Vos meum coram orbe toto teſtatum reddam. Nihil heic reperire eſt, quod VESTRUM non ſit, et Veſtrûm in uſum

concinnatum. Solum, Perſonae, Doctrina, Acta ipſa, Premia, Poenaeque, ut ſe exceperunt, omnia Veſtra ſunt: Veſter et Auctor ad Veſtra promovenda commoda promtus. Aequum ergo etiam eſt, ut redeat ad Dominum, quod fuit ante ſuum. Columnas JEHOVA vos voluit eſſe, firmamentaque veritatis. A VESTRO proin officio alienum non eſt, ex Nobis cognoſcere, quales anteactis temporibus fuerint, quaeve geſſerint, ſuſtinuerintque, qui ipſam hanc, quam VOS nunc, Perſonam ſuſtinuerunt, Religionis cuſtodes ac vindices integerrimi, ſola ſuperſtitione demta, Proavis ſimiles, quos ob virtutem Romana Sedes DEFENSORUM FIDEI titulo et elogio decoravit.

Pergite igitur Populi Magnanimi ECCLESIAE pretioſo CHRISTI Sanguine partae, totque procellis jactatae Nutricii eſſe et Nutrices. Cuſtodiatur a VOBIS fides Pura, Primaeva, Apoſtolica, Publicus denique Divini Numinis cultus integer et inlibatus. Docentibus ſuus conſtet Honos et Pretium: ſint doctrina ſani, moribus graves, candidi, diligentes, inculpati, et

et ubique Pietatis viva Exemplaria. Clero Dei, Ecclesiaeque jura sua sarta tectaque in omne aevum durent: Opes autem ejus per injuriam temporis, sacrilegam audaciam, avaritiam, supinamve negligentiam adtritae, dissipatae, ac profanos in usus translatae, postliminio reducantur, finique, cui destinatae sunt, servire jubeantur.

DEUM toto pectore veneror, ut VOS in fide sanctis semel tradita magis magisque confirmet, et ab omni Maligni insultu salvos protegat, efficiatque ne quid contra Ecclesiam possint Portae inferorum. Is

Protegat, conservet, convertat, destruat, sanet,
Primores, Populum, Hostes, Rixas, vulnera Nostra.

Vota finio Divinis Psaltae verbis: *Propter DOMUM JEHOVAE DEI Nostri Bonum procuretur TIBI. Expeto Pacem Jeruschalvimorum. Tranquilli sint Amantes Tui. Propter Fratres meos et Amicos eloquor nunc: PAX sit in Te: Pax in Propugnaculis*

culis Tuis, Felicitas in Palatiis TUIS. Amen! Ita sincero Pectore vovet

VENERANDORUM, AMPLISSIMORUM,

MAGNIFICENTISSIMORUM

NOMINUM VESTRORUM

SCAMFII,

Anno Orbis Redemti
CIↃ IↃ CC LXX.
d. XII. Kal. Febr.

Cultor mancupio totus JESU CHRISTI in ECCLESIA VESTRA administer.

PETRUS DOMINICUS ROSIUS DE PORTA.



PRAEFATIO.

LECTORI BENEVOLO SALUTEM!



Quantumvis Inclytae HELVETIORUM Gentis Acta ab olim praeclara sane fuerint, et a pluribus omnium fere Seculorum, ad invictiſs. JUL. CAESAREM usque, Scriptoribus ex merito quidem celebrentur: mihi tamen cuncta illa attentius paullo perluſtranti, ad Gentis gloriam, univerſa tantum contuliſſe non videntur, quantum ea quae poſt JESU CHRISTI Salvatoris dulciſſimi nativitatem, Seculo decimo ſexto, et aliquot annis ante,

Semi-Seculi fere intervallo, ab illis tum in re civili, tum sacra, susce-pta ac peracta sunt. Id enim temporis dum agitur spatium, Helvetii terrorem ac gloriam armorum late per Italiam circumtulerunt, Monar-chis EUROPAE potentissimis formidandos se praebuerunt, terrasque haud paucas ditioni suae adjecerunt, quae avitae virtutis spolia Posteri non minori contentione tenent adhuc tuenturque. Studio abstineo a prolixiore articulataque factorum enumeratione, ne dicta haec nostra abs nimio in vicinam ac confoederatam Gentem amore provenire credan-tur: ut tamen asserta debita non sint destituta fide, unum loco omnium, quae excitare possem, loqui sinam, magnum inter litteratos Nomen M. NICOL. HIERON. GUNDLINGIUM, quem nimia in Helvetios animi aequitate propensioneve peccasse, nemo extraneus adseruerit. Is praeter alia multa hunc in modum, „HELVETII, inquit, post felicissi-„ me confectum cum CAROLO AUDACE Burgundionum Duce bellum, „ (id est gestum Ao. 1477.) tantam gloriam indepti sunt, ut laudibus „ fuerint omnium celebrati. Non quasi Helvetii Austriacos subege-„ rint, qui eo adhuc aevo tanta potentia, quanta nostro, formidabiles „ non erant, sed quia Burgundum Monarcharum ejus aetatis potentissi-„ mum debellarunt. Unde factum quod post cladem illam maximi „ Regum, Caesar ab una, et Galliarum Rex ab altera parte Helvetio-„ rum ambiverint amicitiam; ea de causa etiam evenit, quod extraneo-„ rum Rebus implicati fuerint, sequemet immiscuerint Helvetii. Par-„ tam illi libertatem adversus MAXIMILIANUM Caesarem victrici-„ bus armis gloriose propugnarunt; bellis vero Mediolanensibus orbi „ toti ob fortiter gesta tantopere inclaruerunt, ut continuo LUDOVI-„ CUS

„ CUS XI. Galliarum Rex eorum amicitiam ſtuduerit ſibi conciliare.
„ Is ſingulariter hoc facto commotus fuiſſe dicitur intelligens relatum,
„ quem in modum Helvetii mille quingenti auſi ſint exercitum Gallo-
„ rum ſexmillibus conſtantem adgredi, tantaque pertinacia pugnaverint,
„ ut demum poſt quatuor mille et quingentos Gallos trucidatos, abs nu-
„ merioſiore multo ac praevalente tandem exercitu ad unum omnes fue-
„ rint confoſſi. Victricibus Helvetiorum armis etiam CAROLUS
„ VIII. Rex in Expeditione Neapolitana uſus eſt; in qua nec Gallicum
„ nomen veriti eſſe comperti ſunt. Nam A. 1501. cum Galli recuſa-
„ rent promiſſa eis ſtipendia exſolvere, tantam eis cladem Helvetii mi-
„ lites intulerunt, ut neceſſe habuerit Dux TREMOVILLIUS, non
„ exſpectato Regis conſenſu, pacem petere, et articulos aliquot ad eorum
„ votum inire. Nullo ea aetate proelio Helvetii diſceſſerunt inferio-
„ res, niſi uno ad Marinianum illo. Sed licet in eo ſuperiores fue-
„ rint Galli, libenter tamen Helvetiis pecunias dederunt, ut hi ab exer-
„ cendis inimicitiis deſiſtant. Poſt Caroli mortem FRANCISCUS I.
„ Haereditarium cum Helvetis foedus ambivit. Cujus petitioni iſti
„ annuere quidem noluerunt: caeterum tanta obſervantia Gallum colue-
„ re, ut debinc omni tempore abſtinuerint adverſus illum agere hoſtili-
„ ter. Id ipſum et LUDOVICUS XIV. Seculo adhuc ſuperiore
„ petiit. Sed nec hujus vota implere e re ſua exiſtimarunt. „ Hacte-
nus Guntlingius. *)

*) Im Diſcurs von den vornehmſten Staaten Europae. Tom. II. Cap. VII.

Aſt gloriae virtutis bellicae mihi longe anteferenda videtur cura pro Religionis ad Chriſti exemplum ac mandatum reſtauratione et conſervatione, quum haec nobilem plane et ad divina natum deceat. Hanc vero Helveticae gentis major pars ita ſuam eſſe voluit, ut illi opes ac vitam, imo et quod ea carius ipſam corporum libertatem poſtpoſuerit. Ex Seculi certe XVI. Hiſtoria edocemur, ſtatim ac in Helvetia et Germania affulſit purioris Doctrinae lux, illico paſſim per Helvetiam intenſo amore correptos fuiſſe omnes ad ſacra illa cognoſcenda, eodem tempore etiam Viros donis ad docendum neceſſariis inſtructiſſimos, pariter et Moecenates, Heroas, ad coetum fidelium in dies creſcentem defendendum imperterritos, adfuiſſe, quorum improbo labore effectum, ut confeſſio Religionis Reformatae tandem libertatem alicubi etiam primas obtinuerit. Edocemur, quem in modum a piis Magiſtratibus Scholae fundatae, conſuetudines perniciosae in cultu ac Regimine abolitae, omniaque ad priſcae Eccleſiae formam reducta ac redacta ſint. Edocemur tandem, quot et quanta pericula ſubiverint, quot calamitates, bella, caedes experti ſint, quot abs Romanae fidei aſſeclis odia ac perſecutiones ſuſtinuerint ſalutis ſuae ac poſterorum avidiſſimi Majores, ut tantum ſibi ac ſuis bonum perenne redderent. Quae omnia quando accuratius conſidero, me totum in ſtuporem rapiunt, ut aſſerere nil dubitem nullam plane Hiſtoriae Periodum, Divinae Providentiae vias ſapientiae, miſericordiae, ac juſtitiae pleniſſimas, conſiliorum humanorum viciſſitudines, in tanta copia ac vividius exhibere, quam intra temporis intervallum haud ita longum ſola beatae, nec unquam ſine exſultatione in mentem revocandae Reformationis Periodus. Et quum ea Helvetiorum

rum qua animos, qua calamos, qua arma exercuerit; ea autem occasione bonae artes sedem inter illos obtinuerint, passim vero virtus eluxerit, clarum fit, ab illa temporis periodo Helveticae Gentis gloriam cum maxime auctam ac conspicuam redditam esse.

Neminem ego Rerum Helveticarum ita credo expertem, qui vel solo audito nomine ignoret nostris temporibus communi illo Helvetiorum axiomate, etiam RAETIAE inalpinae populos includi, ac intelligi debere, cum ex quo tempore Helvetiorum foederatorum nomen orbi innotuit, Raetiae quoque Gens, illis foedere juncta, in partem tum discriminum tum laudum venerit. Cupienti tamen plenius super his edoceri satisfaciet illustris SPRECHERUS Nostras, Palladis libris IV. V. et VI. integris, in quibus bella communia ac foedera singulatim enumerantur. Quota autem, quantave, ob Restaurationem sacrorum, et media per quae illa tandem invaluit, Raeticae etiam Genti debeatur pars, non perinde est clarum atque confectum. Ob Regiminis formam, quae apud Helvetiae civitates viguit, vigetque, florentiores sunt res ipsorum, prae nostris: apud illos postquam Res Ecclesiae semel fuere constitutae, Ministeriis quisque suis ita defunctus est, ut e honore suo ac officio esse sciebat. Et quia etiam premia dantur bene merentibus, clarorum Virorum inopiam felices eae Reformatae civitates non senserunt. Passim visuntur Athenaea, Academiae, apud quas litteratis suus labor ac honos; stipendiorum etiam sacris, ac elegantibus litteris incumbentibus amplitudo statuta ingenia excitat, et ad majora audenda impellit. Hinc scriptorum

in

in illa gente, ex quavis arte ac scientia excultissimorum numerus, et ut Historicos tantum qui Patrias res enarrarunt delibem, MUNSTERI VADIANI, GUILLIMANNI, TSCHUDII, SIMLERI, STUMFII, STETLERI, HOTTINGERI, ISELII, LEONES, *cum plerisque aliis. Contra plane in Raetia nostra. Heic enim rerum administratio omnium a plebe dependet, cujus numerus potior non nisi quae ante nasum sunt, aut lucrum adferunt, sapit, quicquid de reliquo agatur; litteras politiores, cum omni gloria et commodis quae ex illis subsequuntur, quasi rejicienda contemnit; nullum earum professoribus premium, nullum meritum, laudem nullam tribuit; sic ut qui litteras ament, et excolant, ex generoso quopiam animi impetu id agant, sepositio omni alio fine, et absque ullo ad eas calcari. Et his tamen non obstantibus, reperti et apud Nos qui generosi ediderunt pectoris documenta; reperti etiam, qui scientiarum culturam, ac amorem quibusvis aliis praetulerunt, licet illorum labores ac memoria fere cum ipsis intereat, nec sit qui eam ab interitu vindicet; sic ut de Nostris dici queat, quod Horatius olim:*

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi; sed omnes illacrymabiles
Urgentur; ignotique longa
Nocte, carent quia Vate sacro.

Laudes, ut huic Articulo aliquamdiu immorer, hac de causa singulares meretur HVLDRICVS CAMPELLVS, *Susiensis Oengadinus, Refor-*

formatorum Raetiae unus, qui diligentia stupenda Raetiae nostrae situm, Gentis indolem, statuta, actaque ab Raetis, a primis Gentis incunabulis ad ipsius usque aetatem, annum puta 1580. (quo vivere desiisse colligo) tribus Voluminibus sat spissis descripsit. Molimen tanto magis celebrandum, quod ante ipsum, ex Nostris, id saxum volutarit nemo; quod doctrina ac Reformatio Ecclesiarum ejus quoque animum occuparit; et quod impedimenta, quae materiam ad opus Raetiae Historicum contexendum colligenti se offerunt, de quibus brevi mentionem faciemus, multo plura, et magis insuperabilia exstiterint, ac nunc satis superque sunt. In Campelliano Opere comportata visuntur, quae prisci Auctores, vel levibus saltem verbis de Raetia meminerunt, omnia denique quae eodem seculo MVNSTERVS, VADIANVS, TSCHVDIVS, ac STVMFIVS Commentariis suis Rer. Helvet. de ea inseruerant; id quod ipsemet lubens ubique locorum fatetur. Prior operis ipsius pars capitibus quinquaginta constat, et in describendis Raetiae Oppidis, ac Pagis, familiis clarioribus; in enarrandis quarumvis Jurisdictionum statutis seu Criminalibus, seu Civilibus occupatur: ac TOPOGRAPHIAE vulgo titulum audit. Altera Pars duplici Volumine absolvitur. Prius Gentis Raeticae Historiam a prima Alpium occupatione, usque ad BELLVM SVEVICVM Anno 1499. cum MAXIMILIANO CAESARE gestum, exclusive Capitibus XL. sat prolixis, exsequitur. Nec in eo fere alia, quam quae in supradictis Helvetiorum Historicis habentur. Et meo quidem judicio paucis foliis potuisset ac debuisset illa absolvere; sed memorabiliora singulorum seculorum gesta, filo narrationis, licet ad Raetos nil spectantia, inserere ille voluit. Posteriore Hi-

ſtoriae Volumine Rectorum res a dicto anno 1400. *usque ad* 1580. *deſcribuntur, et eſt Volumen reliquis duobus non modo mole gravius ac ſpiſſius, ſed et multo potius aeſtimandum, quod in eo enarrentur Res, de quibus ipſi certitudo ſumma; idque ſumma fide, ac diligentia. Certe quotquot poſt ipſum Raetiae res ſcripſerunt, omnes CAMPELLI vitula ararunt. Equidem Campellus cum de Operis ſui pretio perſuaſus eſſet, illud limandum JOSIAE SIMLERO ac BVLLINGERO Tigurum transmiſerat, ac poſtquam inde remiſſum eſſet, triplis Trium Foederum Comitiis A.* 1577. *praeſentavit cognoſcendum, a quibus et adprobatione dignum habitum eſt: ſed quum a fortuna neceſſarii ſumtus non adeſſent in Editionem impendendi; nec reperiretur Typographus, qui eam in ſe ſuſciperet, illud intra parietes cum pulvere colluctans delituit; donec ſolertiores harum Rerum indagatores illud perquirentes, tandem protractum uſibus ſuis ſervire juſſerint.*

Poſſet CAMPELLO ad latus collocari JOANNES PONTISELLA Senatorii Curiae ordinis Vir, Gymnaſiique ibidem Rector, niſi laboris difficultate abſterritus conſilium provide coeptum abjeciſſet. Et ſane potuiſſet is accuratiorem, ſuisque numeris abſolutam Hiſtoriam conſcribere, cum res ab ipſo CAMPELLO comportatas ad manus haberet, ſtilo autem ac judicio inprimis valeret, adque id ſuſcipiendum cum primis a BVLLINGERO, SIMLEROque animaretur, juvareturque. Adſint quae hanc in rem ad illum praeſcripſit adamantinus ille BVLLINGERVS; quae cum integerrimi in Gentem noſtram animi, ipſiusque induſtriae

inde-

indefessae documentum indubium sint, et scripturo Historiam regulas utilissimas tradant, eas licet prolixiores heic exstare volo. Sic vero ille:

„ *S. Si litteras, quas ad D. Campellum dedi, adhuc retines, volo*
„ *eas aperias et legas, nam quaedam habent, quae ad Raeticam Histo-*
„ *riam contexendam pertinent; aut meo nomine, si ita videtur, ab eo*
„ *repete, ut tu quoque illas legas. Profecto si sciviſſem Te in hoc*
„ *argumento verſari, fortaſſis aliter ſcripſiſſem. Hortatus enim ſum*
„ *ipſum ad perficiendum reliquam ſui operis partem, hoc eſt, ut* Perie-
„ geſei *ſeu* Regionis deſcriptioni Hiſtoriam *ſubjungat; ſicut SIMLE-*
„ *RVS noſter in ſua Valeſia fecit. Adieci, mihi et aliis utile videri,*
„ *ut ſimplicitati et brevitati ſtudeat, non minutiſſima quaeque et lectori*
„ *inutilia perſequatur. Quae de familiis ſcribis, etiam ego ad illum*
„ *ſcripſi. Comparatio in familiis eſt valde odioſa. Ex veteribus*
„ *Inſtrumentis et Diplomatis familiarum, uti STVMFFIVS fecit, ve-*
„ *tuſtas poteſt aſſignari. Item ex publicis Tabulis Monaſteriorum, in*
„ *fine enim plerumque adduntur Teſtes; veluti cum dicitur:* Cum
„ haec gererentur, praeſentes fuerunt Salicei, Prevoſtii, &c. *In In-*
„ *ſtrumentis etiam diligenter obſervandum eſt, quomodo loca ſingula*
„ *nominentur, montes, pagi, regiones; ut cum dicis: Praegalliam olim*
„ Vallem Breuniam *dictam. Si tu ex Inſtrumentis ſcriptis regionem*
„ *illam, vel Praegalliam vel Breuniam Vallem dictam oſtendas, quae*
„ *hodie* Bergell *vocatur, gratum erit; pleraque enim hujusmodi nomina*
„ *finguntur a Recentioribus. Epiſcopatus habent ſuos Indices, in qui-*

„ *bus*

„ bus reditus annui consignantur; item singuli pagi, ex quibus vetera
„ quoque nomina peti possint. Pulcrum autem erit Authores adjicere.
„ Quod si tu, qui stilo et judicio vales, in animo habes, totam Vestrae
„ Gentis Historiam complecti, fortassis praestaret D. Campellum reli-
„ quam partem sui Operis tibi committere: posses enim in tuo libro
„ honorificam ejus facere mentionem, et publice profiteri ipsius labores
„ tibi non parum in confectione illius libri profuisse. Vel quid si
„ uterque suae Patriae res illustrare contendat? Quae sint res Histori-
„ cae vel Materiae non est, quod tibi in Livii, et aliorum Historiis
„ versato in mentem revocem. De Materia vero colligenda, in quo
„ major est difficultas, haec tantum dicam. Vtile esset Chronica alia
„ quoque a Nobilibus Viris congerere. Illa illi non gravate Tibi
„ concitabunt, ut eo ipsorum origines celebrentur: sua quoque privile-
„ gia Tibi ostendent. Vide quaenam sint monumenta Vetustatis apud
„ Vos, Numismata effossa, sepulcra, Inscriptiones, Tropaea. Ex libris
„ vitae, ut vocant, Jahrzeit-Büchern, Urbaren, Rödlen, Privilegiis
„ Communitatum et Monasteriorum multa peti possunt. In Monaste-
„ riis multi servantur libri, qui huc pertinent; Sacella hinc inde cer-
„ tis de causis interdum exstruuntur, vel quod ibi commissa sit aliqua
„ Pugna, vel mirabile quid acciderit. Eruuntur ex terra Tela, In-
„ strumenta vetera, quorum vel in bello, vel in cultibus idololatrius
„ usus fuit, quae ostendunt ibi gestum aliquod praelium, vel Templum
„ aliquod fuisse. Quaedam consuetudines et Ritus Gentium &c. vo-
„ cant in memoriam res praeteritas. Veteres Cantilenae, Rumores,
„ huc pertinent. Sed non dubito, quin diligenter tumet perpenderis,

„ quo-

„ quomodo Materia Historiae vestrae Gentis colligenda sit. Ex vici-
„ nis, aliisque multa possunt cognosci, et antiquariis &c. In singulis
„ Pagis sunt homines, qui ex litteris, vel Instrumentis publicis quae-
„ dam possunt suggerrere, item quae memorabilia illis in locis accide-
„ rint, referre &c. Regii Oratoris *) opera Tibi quoque utilis
„ esse ad Historiae absolutionem poterit, cui omnes Nobiles concitant,
„ quaecunque voluerit. GESNERVS in sua Bibliotheca dicit, Rae-
„ torum Gentis gesta et Nobilitatem ALBERTVM BELFORTEN-
„ SEM descripsisse, sed librum non exstare; item D. STVPANVM
„ de Raetis libros aliquos conscripsisse. **) Scripsit SIMONETTA
„ librum magnum de Ducibus Mediolani, sed an aliquid de Raetis
„ habeat, ignoro. Alii quoque Italici scriptores, forte libris suis
„ quaedam inseruerunt de vestra Gente. De GVICCIARINO et
„ JOVIO certum est. Plures apud Vos sunt Docti et Nobiles Viri,
„ qui Tuos conatus plurimum juvare possunt. Ad has nundinas VR-
„ STISII Chronicon Germ. prodibit de Rebus Basilienssium, in quo
„ varia et hactenus in aliis non lecta in lucem proferet. Multos enim
„ libros evolvit, ut suam Historiam ornaret, si gratum Tibi erit, mo-
„ nebo eum, ut si quid habeat, ad Te mittat. Mihi enim magna
„ cum illo intercedit familiaritas. STVMFIVS multa habet, dicis,
„ at non omnia. Vtile erit, si alicubi erret, errorem modeste indi-
„ care. Vidi TSCVDII quoque Rhetiam, multum a priore diver-

 „ sam;

*) Pomponius Bellieureus Regis Galliar. Legatus eo tempore Haldenstenii residebat.

**) Intellige NICOLAUM Stupanum Pontrasinensem, Basileae Philos. et Medic. Professorem.

„ *sam; quam ab haeredibus ejus Orator Regis Tibi posset impetrare.*
„ *Est liber prorsus novus. Quod SIMLERVS de Davosiis scribit,*
„ *habet ex aliis. Hoc volo ego ex ejus Sententia annotare. Inde*
„ *hoc videbatur illi verisimile, id quod scribit, eo quod illi Germanice*
„ *loquantur, et eadem, qua Valesii, phrasi utantur, cum vicini omnes*
„ *fere Rhetice loquantur. Privilegium PREVOSTORVM de quo*
„ *scribis, vidi superiore Anno apud D. FVNCCIVM, *) qui meum*
„ *de illo judicium petebat, cum quoque pictura separata erat, (habue-*
„ *ram apud me apographum) jubebam mitteret ad me, ut conferre pos-*
„ *sem cum eo, et postea videre, quam accurate rationi temporum sin-*
„ *gula congruerent. Sed non misit: interea nullam ejus amplius*
„ *mentionem fecit. Ego affirmare non possum a quo, vel ob quam*
„ *causam ad illum missum fuisset. De GVGELBERGIA familia,*
„ *quae scribit, ex ipso. **) Viro bono habuit; nam scripsit ad*
„ *Funcium, ut in nostris Historiis illa ipsa inquiramus. Sed nihil*
„ *prorsus habuimus de illis: quae tamen omnia nihilominus libro D.*
„ *CAMPELLI ex illius suggestione fuerunt inserta. ***) Quid*
„ *faciendum videatur, ne alias familias offendat, etiam ipsum monui.*
„ *Multa sunt apud NOS omnibus compertissima, quae alii stupent.*
„ *De victus ratione, vestitu, Legibus, et consuetudinibus legati nostri,*
„ *qui*

*) Illud Nos exhibemus Lib. I.

**) Exolevit *Viri Boni* nomen, ob atramenti albedinem, et litterarum plicaturam, nec habemus unde illud conjectura assequamur.

***) Visitur Topogr. Cap. XXXI.

„ qui superioribus annis ****) ad vos missi fuerunt, mira referebant,
„ quale illud est, quod Mulieres in Sylvis ligna caederent, secarent,
„ cum apud Nos Virorum hic labor sit. Sed et Suevi mirantur
„ Elvetios vaccas mulgere &c. Davosii, ut Nobilis Rhetus mihi retulit,
„ tenebantur Principem, si ad eos veniat, excipere lauto convivio, hoc
„ est, piscibus ac carnibus instructo, sed absque pane et vino. Unde
„ colligitur, quinam tum temporis mores illorum fuerint. Gratissi-
„ mum fuit, quod Tu illa, quae Montium accolis nota sunt, aliis vero,
„ qui in planis regionibus rara et mira videntur, colligere scribis.
„ Utinam illam partem omnibus aliis praemitteres. Praecipua certe
„ erit Tuae scriptionis pars. Quae enim frequentius occurrunt in
„ Rhetia, quam illa de quibus scribis? Peregrinis saepe dico, multa
„ et magna in montibus esse miracula: quin hoc ipsum magnum est,
„ quod montes in eam incredibilem altitudinem assurgant. Haec Tui
„ operis Pars ad illustranda multa scripturae loca esset proficua. SIM-
„ LERVS multa in suo de Alpibus commentario praestitit. Non
„ pauca Ego illi suggessi: Sed non dubito, quin a Te omnia possent in
„ alpibus nato dilucidius explicari. Quae in genere dici possunt de
„ Alpibus omnia videtur SIMLERVS complexus, tamen fortassis quae-
„ dam possent emendari et explicari, de nomine, altitudine, itineribus, et
„ dimissione Alpium &c. Fac brevi hoc caput de Montibus absolvas,
„ in quo habebis de fontibus etiam calidis, lacubus in summitate mon-
„ tium, et an pisces in aliquibus reperiantur, sicut audivi de quibus-

„ dam

****) Nempe 1571. in causa Jo. Planta Domini Raetiens. et 1574. de quibus suis locis.

„ *dam in Abbatiscellarum Regione: de catarractis aut torrentibus, quae*
„ *praecipitanter ex altissimis montibus; de torrente illo, qui circa*
„ *meridiem non pleno alveo fluit, cujus Campellus meminit:* a) *quam ele-*
„ *gans esset illa Historia, et lectu jucunda. Graeci haec omnia mire*
„ *illustrassent. Huc pertinent* Spelucae, *de quibus multa miranda*
„ *saepe audivi praedicari, item angustiae viarum, fauces, quodque iti-*
„ *nera ferro aperienda sunt vel excidenda. De labinis, ut vocatis,*
„ *vel molibus nivium, qui a nullo Veterum recte videntur descriptae*
„ *(an apud Homerum aliqua sit descriptio non memini) Tu potes ha-*
„ *bere aliquid rectius, quam SIMLERVS. Cum moventur nives,*
„ *tonitru dicuntur referre, ad longissimum spatium moveri vel decur-*
„ *rere; facile etiam tympano moventur. Saepe audivi, illos qui*
„ *nivibus obruuntur aliquamdiu vivere, omnia audire, quae a praete-*
„ *reuntibus et ipsos effodere volentibus dicuntur, sed se movere non*
„ *posse. Aliquot Exempla recensere (ex Glaronensi quaedam audivi)*
„ *quam esset lectori gratum et acceptum. De profundis hiatibus gla-*
„ *ciei etiam aliquid referre, praeter illa quae Stumpfius habet, Te ve-*
„ *lim. Plinius dicit glaciem servari et remedii loco esse; item in*
„ *vasa vinaria conjici. An simile quid hodie apud vos et Italos fiat*
„ *expeterem scire; item an in crystallos duresçat; de via aperienda*
„ *hicce quotidie, et quomodo hoc fiat: de clitellariis equis, de periculo-*
„ *sis itineribus alpinis: quomodo se instruere, parare debeant, qui iter*
„ *facere volunt per nives, ne lassati sedeant, statim enim rigent: quo-*

„ *modo*

a) Topogr. Cap. XXVIII. ubi de Remussio.

„ *modo circulos adhibeant, et quales sint, (uff Rysften gan) in altissimis*
„ *nivibus, oculos muniant perspicillis; et si quae sunt hujus generis.* „

„ *Sunt quaedam Alpibus peculiaria, hoc est, quaedam in Alpibus*
„ *erescunt et alibi non sunt, quaedam montanae arbores, ornus, larix,*
„ *taxus etc. sunt* frutices, herbae, aranites, narcissi, *ut audio, in monti-*
„ *bus nascuntur. De* lunariis *peculiarem libellum scripsit noster Ges-*
„ *nerus, de* Aconito *Wolphius in Epistolis Gesneri agit. Ex Ges-*
„ *neri libello de lunariis quaedam etiam possunt excerpi. Simlerus*
„ *folio* 132. *b. de Alpibus, ex Strabone, equos agrestes et tauros inve-*
„ *niri dicit ad staturam cervi. De quonam animali loquatur Alpino*
„ *non exprimit: Tuum erit hoc indicare. Quod scribis de* Ibice,
„ Capricorno, *jucundum erit. De* Lupo cervario, *de* cornibus Ibi-
„ cis, *an cervorum instar ea abjiciant, quod non puto, quam magna*
„ *nascantur. Vidi maximum in arce Haldenstein, quod Pater Tuus,*
„ *p. m. mihi monstravit: quomodo capiantur. De petris arenosis*
„ *quae lambunt, subza appellant. De* Mure Alpino *scribit Stumpfius*
„ *comperta, sed quaedam addi possunt. Item quae apud Veteres,*
„ *Plinium, et alios leguntur, possunt corrigi, aut etiam addi, an vera*
„ *sint illa et comperta, an fabulosa, quae apud illos leguntur. Si*
„ *nude referantur ex illis Auctoribus Plinio et Aeliano, lector dubitat,*
„ *num vera aut falsa referant. De domesticis animalibus posset*
„ *etiam dici, ut quod* caprae, vaccae, equi, *magna et incredibili copia*
„ *in illis montibus alantur: quomodo educantur in pascua, quomodo re-*
„ *deant in stabula etc. De re Pastoritia: An quae de Ursis referuntur*

„ a *Veteribus omnia ſint vera; item an ut* Mures Alpini dormiant &c.
„ *Mirum eſt quod Bernae urſi, ut Nobis quidam nuper affirmabat, pa-*
„ *riunt menſe Decembri. Stumffius dixit* Phaſianos *reperiri in Alpi-*
„ *bus. Geſnerus negat. Sed Stumffius non de illis loquitur qui circa*
„ *Phaſidem in magna ſunt copia: ſed de alio genere, von Bergfaſanen.*
„ *Velim Te in Tuo ſcripto haec annotare. Uterque nam recte ſcri-*
„ *bit.* Lepores *albi, aliis regionibus, ſicut et* cervi, *ſunt admirationi.*
„ *An vero certo anni tempore, quaedam animalia apud Vos* alba *ſint,*
„ *poſtea* candorem mutent, *ut lepores, item, an* Urſi albi *reperiantur,*
„ *curioſi ſcire cupient. De* Serpentibus *mira audivi ex Pagicis no-*
„ *ſtris, qui interdum in locis apricis conſpiciantur a Venatoribus: Sed*
„ *neſcio an inter fabulas referre debeam. Hoc enim hominum genus*
„ *libere mentitur. Es ſeynd Weydſprüch. Non obliviſci hujus de-*
„ *bes, quod* Scorpiones *nulli ſunt verſus Nos, verſus Italiam plures.*
„ *De* Inſectis *quoque utile erit referre, ut quae de* tineis nivalibus *quo-*
„ *modo vulgus eas nominat &c. Etiam hoc mirantur multi, quod*
„ *in Petris inciſae ſint* habitationes vel cellae Vinariae, *ut memini me*
„ *alicubi apud* Lambinum *legere. Tempeſtatum quoque* Prognoſtica
„ *ex montibus haberi, annotandum erit. Paene praeterieram hoc jam,*
„ *ad Miranda Alpina hoc erit omnino referendum, quod mihi ſummae*
„ *admirationi erat, cum apud vos eſſem, das es gen Daſos im Summer*
„ *ein Meyl oder zwo, wyter iſt dann im Winter. Interim Pagus*
„ *ille non* Monſtenii, *ſed ſiniſtro conſiſtit latere. Haec demirantur*
„ *multi. Paullo pluribus annotavi, ut Te exſuſcitarem, ut mihi ali-*
„ *quando in his, aliis in aliis ſatisfacias. Si venerint ad Te per-*

„ *egrini*

„ *egrini Viri docti, qui Alpes peragraverunt, poterunt Tibi multa in*
„ *memoriam revocare, quae illi mirantur, Vos vero minime, cum quo-*
„ *tidie oculis noſtris obverſentur. De ſpectro Ecco, quum acceperis*
„ *aliquid certe, fac me certiorem. Dn. n. Vicarius non deſinet mihi*
„ *moleſtus eſſe, donec acceperit. Puto Te de ſpectro Abbatiſcellano*
„ *audiviſſe, quod poſt obitum Epiſcopi Vercellenſis coepit in domo ſacri-*
„ *fici vicini eſſe moleſtum, poſtea in Curiam venit, et Tympanum pul-*
„ *ſando omnes turbavit.* „ *Vale mi Pontiſella.* *)

Poſt Campellum ſcribendis RAETIAE rebus animum feliciter ad-
plicuit JOANNES GULERUS Davoſianus, animi Vir ad praeclara
nati, qui aetatem triverat in Studiis, erat multa rerum cognitione in-
ſtructus, ſtili quoque valebat nitore. Is Anno 1585. peſtem Davoſii
graſſantem fugiens, dum SCAMFII (uxoris Patria) ac ZUZII inte-
grum commoratur annum, in CAMPELLI non diu ante defuncti libros
derelictos, Patrono deſtitutus, incidens, illis legendis ſedulam navavit

operam,

*) Interiit folium, in quo ſcriptae Epiſtolae ſignatur tempus: Sed adſunt in ipſis litteris indicia, ex quibus propemodum definiri poteſt. URSTISII Epocha Anno prodiit 1577. Integrum vero Hiſt. Baſil. opus, Anno abinde demum terminatio; adeoque poſt BULLINGERI, qui d. 15. Sept. 1575. Deo animum reddiderat, obitum. Sunt Nobis ad manus Campelli litterae ad Joſiam Simlerum d. 7. Sept. 1575. exaratae, in quibus illum de fine Scriptioni libri ſui Primi impoſita, illum certum reddit, ſubjungitque: *dubium ſe adhuc haerere, num etiam ad Hiſtoriam ſcribendam arripiat calamum, an vero minus*, Ex his colligitur id dubii a Campello jam ante ſcriptas has litteras ad Simlerum, (Bulliugeri generum) fuiſſe perſcriptum. Conficitur hinc etiam, litteras Bullingeri ad Pontiſellam, ſuperius exſcriptas, abs Beato Viro, non multo ante obitum ipſius tempore, exaratas eſſe potuiſſe.

operam, et pleniorem ex eis Rerum Raeticarum hausit notitiam. **) *Impensae operae argumentum esse vel unum potest Volumen, formae maximae, quo Campelli libros, secundum omnia Capita, resectis tantum modo digressionibus, ac partibus Historiae ad Raetiam non pertinentibus, stilo in castigatiorem numerum redacto, interjectis subinde suis, ut occurrebant, adnotatis, contraxit, manuque propria descripsit: cujusmodi, Campelliani abs Gulero exasciati operis apographon apud Illustris Viri D. Praetoris ac Foed. Cath. olim Praesidis ANTONII a SALICE p. m. filios, exstans, a Gaud. FASCIATO Soliense Ao. 1736. nitidissime exa-*

**) Sprech. in vita Guleri pag. 13. 14. 21. 32. *Herr Obrist Guler hat A. 1583. sich mit der Adelichen, Ehr und viel tugendreichen Jungfrawen Barbara, Herrn GEORG PARIN und Fraw Catharina Grassin von Zutz Ober-Engadins ehelichen Tochter vermählet; und als A. 1585. die Pestilentz sich in Pündten und in der Landschaft Davos stark erzeiget, ist er mit guter Erlaubnis der Oberkeit, mit seiner Hausfrawen gen Zutz gezogen, und allda in seines H. Schwagers Landam. Balthasar Planta Haus, fast ein ganz Jahr gewohnet. Daselbst hat er angefangen sich der Pündtischen Historibeschreibung underwunden, und hat des Herrn Landam. Alt Hans Traversen Müsserkrieg, und des Herrn HULDERICI CAMPELLI verzeichnissen, fleissig gelesen; hat auch sein Lebenlang die Adeliche, gelehrte, freundliche Leutseligkeit und Conversation der Ober-Engadiner, und fürnemlich die angenehmen Discursen Herrn Landam. und Landvogt Fortunati von Juvalta nit ermangelt hoch zu preisen. Da hat er auch die Romanisch Sprach natürlich erlernet. Da er nun seiter Ao. 1585. sich stets in Ergründung der alten Rhaetischen Historien und Documenten bearbeitet hat er A. 1616. eine wahrhafte, ausbündig schöne Beschreibung der alten Rhaetischen Landen und Sachen, in XIV. Büchern begriffen, in den Druk geben, und darvor auch ein Tractat von zierlicher Art teutsch zu reden, und Tugend, auch Kunststucken so einem Geschichtschreiber nutzlich und nothwendig geschriben. Er hat bis Ao. 1616. eine beständige Gesundheit gehabt: als er sich aber dazumal Tag und Nacht in Beschreibung seiner Chronik bearbeitet, ist ihme ein Claucoma und Mangel am Gesicht ankommen, also das er geförchtet, es wurde Ihme mit der Zeit Schaden bringen. Hat doch kein Augenspiegel gebraucht. Aber Ao. 1622. hat Ihme der hochberümt Medicus Theodorus Majerna, genannt Turchett, Freyherr zu Aubone, als er sich allda in seiner Herrschaft befunden, ganz wohl geholffen, das er seithar bis an sein End ohne Spiegel schreiben, und lesen können.*

exaratum, Nos quoque lustravimus, versavimus. Et sane, utinam quale effinxerat GVLERVS Campelli Opus, ut opibus valebat, in dias etiam luminis auras edidisset! haberet enim gratias ob praestitam operam, adhibitamque limam, Raetia, quas haberet immortales. Ast Gulerus Reipublicae negotiis admotus, suam alterius foetui operam obstetricem impertiri, minus e honore suo reputans, alio prorsus consilio, operosa Campelli collectanea in usus suos, commentariosque maluit convertere, ex quibus completum cogitabat edere Raetiae Chronicon in duas Partes *divisum: quarum* illa *Raetiae gentis Origines et Acta ad Seculum usque quintum decimum, quo in LIGAS, seu Foedera coaluit, exsequi:* altera *vero Raetiae post inita Foedera tum situm, tum Res gestas edisserere statuerat. Operis hujus Pars PRIOR, libris XIV. distincta, Mappis IV. Chorographicis, Caesarum, Principumque Nummis ac Iconibus, Familiarum Nobiliorum plurium Insignibus, Genealogicis quoque Tabellis instructa, ornataque, a Veritatis studio, diligentia singulari, apparatu rerum copioso, stili denique elegantia commendata, multorumque passim laudibus decantata, prodiit Tiguri A. 1616. Typis Wolphianis, forma, quae folii dicitur, excusa. Excrevit Pars illa in eam molem, maximam partem a descriptionibus prolixioribus Romanorum Caesarum, Regum Franciae, Sueviae denique Ducum, aliorumque, ut suis quique temporibus Raetiae terras sub sua ditione tenuerant, quorum utique singulorum vitam, gestaque, ea diligentia exsequitur, quasi Caesarum, vel Francorum, aut Suevorum scriberet Historiam, licet in vitis illorum, nec gry quidem reperiatur, dici ut possit Raetos aliquam in illis partem habuisse, nisi ex conjectura, eo quod subditi illorum fuerint. Id vitii,*

optimo Viro adhaesit ex CAMPELLO, qui ante memorata omnia in suos Annales retulerat: quum meo quidem judicio, illa quae rebus Raetiae illustrandis serviebant, pauca utique, unico folio potuissent comprehendi: Germanorum enim ac Gallorum, qui suorum Res ex fontibus fuse enarrarunt, ea est copia, ut e re nostra satis sit, ubi Historiae connexio requirit, lectorem ad illos amandare. ALTERA HISTORIAE PARS, cujus propediem edendae, sub Prioris calcem spem Gulerus fecerat, lucem non vidit, et nisi multum fallar, nec conscripta unquam fuit. Nihil quippe certi super eam rem comperire, mihi datum est, utcunque volumina aliquot, molis variae, variis in nidulis latentia oculos meos non effugerint. Visuntur adhuc Tiguri inter Bibliothecae civicae, Manuscripta, Volumina quaedam, partim manu ipsius exarata, partim sumtibus illius, ab aliis descripta: ac mihi ante lustrum unum, ibidem omnia ad Historiam meam contexendam exquirenti, fidem fecit Clarissimus Vir JACOBUS CRAMERUS vivis nuper ereptus, Theologiae in Collegio Carolino Professor, exstitisse, dum Bibliothecarium ageret, inter Scripta Guleri, Tomum unum, formae maximae, selectas collectiones, scriptionesque de Rebus Raeticis continens; quod vero post tempus illud, a quopiam praeposterae dilgentiae homine, domum suam acceptum, remissum amplius non sit. Ast deperditum hoc Volumen, ipsam esse Editi Operis Partem Alteram, quis adseruerit? Si vero fuit, illius hercle jactura eo est magis dolenda; eo quod in Enarratione Periodi ab initis Ligis ad ipsius usque tempora, Rerum actarum copia ac pondere maxime memorandae, ad quam ille necessariis accedebat subsidiis instructus: nec est dubium mihi, quin a solerte, elegantique illius calamo,

tale

tale Nos opus fuisse accepturos, quale in eo genere desideramus adhuc, completum nempe, elegans, ac numeris omnibus absolutum. Ast quum Anno statim secuto MDCXVII. FORT. SPRECHERI Palladem Raeticam, (*in qua eadem Argumenta, quorum deductionem promiserat, succincte exposita traduntur,*) *editam viderit GVLERVS, et Editionem Partis PRIMAE secuta sint tempora calamitosa, in quibus ob exploratam in Rebus gerundis dexteritatem, in consilium semper adhibebatur, et quibusvis majoris momenti negotiis interesse jubebatur, vero sit mihi simile, bonum Virum conscribendae, edendaeque etiam alterius Partis consilium mature abjecisse. Ob praeclara interea diligentiae, ingenii, virtutis, ac artis specimina, partim edita, partim collecta, aut affecta, anecdota:*

Laudum Epos meruit pietasque, fidesque,
Qua propensus erat in Patriam, inque Deum.
Vnde Pater Patriae, et Fax Religionis avebat,
Quo melior potis est vix Patriota dari.
Scripta ejus hocce docent, generosae ac mucro Machaerae
Marte cluit qualis, qualis et arte cluit. *)

Quanta modestia de suo senserit labore GVLERVS ex Versibus effigici ipsius ab ipsomet confectis licet judicare. Sic sonant:

Per varias alius foelix caput efferat artes,
Cui Mars, cui Pallas, Pieridesque favent:

Raetia

*) Hoc Rythmo Guleri manes deflevit M. Johannes Makonius ab Honigdorff Meyta Bohemus Conc. Funebr. p. 50.

Raetia me ſolo decoret Pietatis honore,
Si pius eſt Patriae facta referre labor.

In quorum locum liceat Mihi hoſce, illis reſpondentes, ſubſtituere:

Frontis Honos, Decus oris adeſt TIBI, ſtemmate fulges,
Plus tamen ingenio nobilitare Tuo.
Mars TIBI, Pieridesque favent, cum Pallade docta
Os Tibi Pieridum, Cor Tibi Palladium.
Rhaetia perpetuos reddet Tibi laudis honores,
Poſteritas nomen tollet ad Aſtra Tuum.
Sic GULERE, Tuae vivent per Secula chartae,
Vivet Honos, Pietas, Gloria, Fama, Deus.

Liceat et Rhytmos, quibus vivi virtutem decantavit CASPARVS IVASERVS, Nomen in orbe litterato notiſſimum, demortui deflevit HARTMANNVS SCHWARZIVS Paſtor tunc Corvantianus, deinde Curienſis, hic adponere, Clariſſimi Viri memoriam revocaturos. Illius ſunt iſti:

Magnanimum adverſis Rebus, Rebusque ſecundis
Quis Te non vidit Robore, Marte, Toga?
Quis Tua non novit ſublimis munera mentis?
Quis neſcit, Patriam quis regis, atque tegis?
Quam latet ingenuis Te inſigniter eſſe politum
Artibus? imbutum rite timore Dei?

Te

Te Grajam *noſſe*, Auſoniam, Germanam, Italamque
Et Gallam *linguas perbene poſſe loqui:*
Te Patriae, atque alias Mundi quascunque tenere
Hiſtorias, *praeſens ut docet iſtud opus.*

Iſtius ſunt Hi:
Foedera, Cana fides, Pietas, Prudentia, Muſae
Praeſidiis ſtabant, Magne GULERE Tuis.
Curia, Templa, Scholae, Te ſuſpexere Parentem,
Te moriente ruunt Curia, Templa, Scholae.
Ergo fuiſſe ſuum TE dicat Rhaetia MOSEN *)
Haudque tuliſſe parem plurima ſecla Virum.

Gulero conterraneum ac cognatum jungimus FORTVNATVM SPRECHERVM a Berneck J. V. Doct. et Equitem auratum, Auctorem doctum, diligentem, ac candidum. Hic campum, quem GVLERVS ſibi peragrandum propoſuerat, occupans, feliciter decurrit, tribusque Voluminibus integram Gentis Raeticae Hiſtoriam, caeteraque ad ejus cognitionem neceſſaria complexus eſt. Duo illorum ipſo Auctore obſtetricante, lucem adſpexerunt. Tertium, non minore ac priora laude dignum cum tineis ac blattis colluctatur, ab Auctore ipſo ad tenebras damnatum, ex cauſa, ni fallar, quod

Vivere et Hiſtorico vix licet eſſe bono.

Primum

*) Alluditur ad Thema funebre illi a Georgio Saluzio habitum ex Numer. XXVII. 12 —— 17.

Primum PALLADIS RAETICAE ARMATAE ac TOGATAE *titulo Basileae excusum Anno MDCXVII. Methodo facili, Stiloque aeque succincto ac perspicuo, libris Decem, universam Raetiae Historiam ad Annum usque quo lucem liber vidit, deductam exhibet. En singulorum Epitome:*

Primus, *Thuscorum Duce Rhaeto in Alpestria migrationem, Finium Ampliationem, ipsius Raetiae Priscae descriptionem, Res denique ad AVGVSTVM usque Caesarem gestas continet.*

Secundus, *Gesta sub Imperatoribus reliquis, usque ad Francicum Imperium.*

Tertius, *Gesta sub Francico et Germanico Imperio, usque ad Ann.* 1476.

Quartus, *Bella a Raetis gesta, nempe Suevicum cum MAXIMILIANO Caes. et alterum cum JO. JAC. MEDICEO Castellano Mussii Ao.* 1525. *et* 1531.

Quintus, *Bella, quibus Raeti interfuere, aliorum Principum stipendia merentes.*

Sextus, *Foedera Raetorum, tum inter se, tum cum Helvetiis, tum exteris aliis Principibus, quo loco etiam succincta Narratio Politiae Raeticae, aliorumque tum pace tum bello memorabilium.*

Septimus, *Descriptionem Foederis GRISAEI, ac singularum ejus Communitatum.*

Octa-

Octavus, *Descr. Episcopatus Curiensis, Foederis Cathedralis, singularumque ejus Communitatum.*

Nonus, *Descr. Foederis Tertii, et Dominii Haldensteiniani, singularumque Communitatum.*

Decimus, *Descriptionem Terrarum subditarum, ceu Volturenae, Comitatuum Clavennae, et Burmii.*

Dedicavit Palladem suam SPRECHERVS *ipsi* RAETIAE, *a qua et gratias reportavit et dignum honorarium:* *) *ab exteris vero laudes, debitas utique scripto mole parvo, nervoso, utilique. Ab* ELZEVIRIIS *Typographis famigeratis, Pallas Raetica, forma minima, qua Tractatus Reliqui, caeterarum Mundi Partium, situm, Gestaque explicantes, recusa est Lugd. Batavor. Ao.* 1627. *Ingeniosum est carmen* FORTV-

*) Protoc. Raet. Comit. Iliant. An. 1619. d. 30. Aug. *hat Herr Doct. Fort. Sprecher den gem. III. Pündten, jeden insonderheit eine lateinische Chronick, darinnen unsere Landsachen, fleissig beschriben, wie auch jeden Rathsbotten eine Landtafel; welches er alles zu sonder Ehren gemeiner III. Pündten gemacht, verehrt, und geschenkt; wie auch sich weiter anerbotten ged. Chronick aus dem Latin in das teutsche vertiren zu lassen: hat also begert das man Ihme die Namen der Herrn Landrichtern, Burgermeistern, und Landamen auf Davaas auch die Namen aller Veltlinischen Officialen, samt andern Hauptleuten so fremden Fürsten und Herrn gedient haben, wie auch namhaffte Bottschafften, wo man solcher von verschyner Zyten bis anhero zu Gedachtnis führen mag, wie auch etwas andere namhaffte Antiquiteten, so möchtend vorhanden seyn mittheilen und geben wölle, damit er solche auch möge lassen in den Druk, zu Ruhm und Ehr der Landen fertigen. Darauf ist decretirt Ihme Herrn Doctor, um sein Present und Pundsgenossische Liebe, hochlich zu bedanken. Und was sein Begehren betrift, alles was man mittheilen mag, wölle man es gerne thun: und so bald die teutsche Exemplaria erfolgen, behalt man für, bey erster Gelegenheit, Ihme Herrn Doctor, auch zu recompensiren, und zu erkennen um seine gehabte Mühe und Arbeit.

NATI a JUVALTIS in illam, quod quia nulli notum, utpote anecdoton, ex chartis ipſius a blattis vindicare dignum reputavi. En!

De titulo libri cum PALLADE RHAETIA certat,
Vendicat illa ſibi, vendicat iſta ſibi.
Rhaetia quod talem genuit ſe jactat alumnum,
PALLAS, quod doctis artibus excoluit.
ILLA refert: Author meus eſt, Authoris et omnis
Res Patriae tantum tradere cura fuit.
At PALLAS: genuiſſe tuum eſt, formaſſe per Artes
Cor tamen ingenuas, artisque, opisque meae eſt.
Ingenii cultura mea eſt: Ego largiter illi
Palladias dotes, divitiasque dedi.
Quod chartis tradit, quae ſecula longa Nepotum
Mirentur, laudent, Muneris omne mei eſt.
Hunc habuit tandem fervens contentio finem,
Hiſtoriae frons et nomen utrumque gerat.
RHAETIA ne, PALLASve ſuo fraudetur honore,
Huic Operi PALLAS RHAETICA nomen erit.

Alterum Sprecheri Volumen, ab Anno 1617. in quo ſubſtiterat Pallas, Annales Raeticos ad Annum usque 1629. multa utique diligentia, fideque conſcriptos exhibet. Editum eſt Coloniae Allobrogum, id eſt Genevae ſub hac Rubrica: HISTORIA motuum et Bellorum poſtremis hiſce Annis in RHAETIA excitatorum et geſtorum, Auſpiciis vero

vero Christianissimi Galliarum Regis LUDOVICI XIII. Serenis. Reip. Venetae, et Serenis. item Ducis Sadaudiae, CAROLI EMMANUELIS confectorum. 4to 1629. *Tam Pallas, quam memorata Motuum Historia in Germanicum Idioma conversae prodierunt: illa quidem ipsius Auctoris cura, utilissimis multis accessionibus aucta Curiae Ao. 1672. Haec vero nescio quo Interprete, certe non debita ubivis locorum fide, Sancto-Galli, Ao. demum 1704.*

TERTIUM laudati Viri Volumen, in libros X. dispertitum, Historiae ab Anno 1629. ad Auctoris lethalem usque morbum, qui Anno Seculi superioris circiter medio illum adflixit, secundum Mensium (ita accuratus est) seriem prosequitur, et intra parietes delitescit.

*Devolutis in Seculum XVI. ampla se offerret Seges Scriptorum, gesta Seculi sui, pro modulo, explicantium. Et hoc in numero sunt JO. SIM. de FLORINIS Foederis Sup. olim Praeses, ULYSSES SALICEUS Regis Galliar. Maresciallus, FORT. a JUVALTA Praetor Jurisd. Fürstenovianae, ADAMVS quidam SALVZIVS Curiensis; e Ministris Ecclesiae BARTHOLOMAEI duo, cum DANIELE, ANHORNII; JAC. ANTHONIVS VVLPIVS, et si qui alii, mihi ignoti. Nominati autem non modo res scripserunt, aevo quo vixere, gestas, sed ex eis plerique, eas, quibus aut Actores, aut Spectatores interfuerunt. His adjiciendum etiam puto SIMONEM LEMNIVM Emporicum *) graeco nomine dictum, ob libros RHAETIADOS ele-*

*) Margadant, nomine graeco ex Seculi illius more in graecum translato.

gantissimo carmine, quo ad stuporem valebat, confectos. Spem quoque fecerat JOANNES FLVGIVS, Curiensis Episcopus edendi HISTORIAM EPISCOPORVM CVRIENSIVM **) at Verba tantum dedit. Sagaciores adhuc in ea sunt opinione: Post emissum in lucem Catalogum Dominiorum Episcopalium et Contractuum a quovis Episcopo initorum, superfuisse de quo scriberet NIHIL. Interim quia Opera istorum lucem non adspexerunt; Praefationis autem limites haec sigillatim ac fusius persequi vetant: prolixiori recensione tanto facilior abstineo, quod ex ante allatorum inspectione, abunde videam evinci, et ex Casa quod dixit Seneca Magnos prodire posse Viros; seu polythryllito JUVENALIS:

Summos posse Viros, et magna Exempla daturos
Vervecum in Patria, crassoque sub aere nasci.

Quotquot vero hactenus laudavi Patriae Historici, civilibus unice RAETIAE Rebus enarrandis suam impenderunt operam, unum si excipias CAMPELLUM, commentariis suis etiam Ecclesiae Res, ut notitiam acquirere potuerat, parce licet, interserentem. Sed libri illius reconditi jacebant, sic ut non reperiretur, qui usum commodaret. Anno demum Seculi superioris octuagesimo BARTHOLOMAEVS ANHORNIUS Falisci ortus at Sancto Galli Ecclesiastes, acceptam ab Avo ejusdem nominis affectam Adumbrationem Reformationis Ecclesiarum Raeticarum ad Annum 1618. usque perductam, et Consuli Senatuique Sancto Gallensi

**) Flugi Catal. Episc. Cur. Edit. A. 1645.

Gallenſi donatam dedicatamque, ***) *quibusdam immutatis, alicubi aliquibus etiam acceſſionibus, parvi licet momenti, auctam, Curiae Raetorum, in forma octava, ſub rubrica:* Heilige Wiedergeburt der Evangeliſchen Kirchen in den gemeinen dreyen Pündten der freyen hochen Raetiae *in lucem emiſit. Laudando certe inſtituto! Factae enim in Raetia Reformationis Origines minime certis hactenus erant cuſtoditae litteris, ſed ſola traditione conſervabantur. At exilia ſunt omnia, nec ubique certa, quae bonus ille Vir litteris cuſtodibus conſignavit, id quod nec mirum videri debet, neceſſariis enim ad id opus conſtruendum Subſidiis erat deſtitutus. Si praeterea integrum libellum mere polemicum, et litteras nonnullas theologici Argumenti Opuſculo illi inſerta*

***) Manuſcripti libri hic eſt titulus: *Palingeneſia Rhaetica, das iſt: Beſchreibung der Wiedergeburt und Erneurung der wahren Chriſtlichen Kirchen, in den dreyen Pündten alter freyer hocher Rhaetia, aus vielen Hiſtorien, Angebung glaubwürdiger Leuten, und eigener perſönlicher Erfahrung zuſammen getragen und beſchriben durch Bartholomäum Anhorn, Dienern der Kirchen zu Meyenfeld.* „ Dedicatum eſt Opuſculum Inclytis, Conſuli ac Senatui civitatis Sancto-Gal- „ lenſis. Dedicationis Summa eſt: Abrah. Scultetum Hiſtoriam Ref. ſcriben- „ tem pauca de Raetis habere, idque non mirum quum caruerit documentis „ neceſſariis. Solum Huldricum Campellum Hiſtoriae filo usque ad A. 1569. „ perducto de ea, ſed breviſſime ſcripſiſſe. Se, (Anhornium) quae potuit „ colligere tum ex illo, tum aliunde, in hunc libellum comportaſſe; et quia ab „ Annis jam 34. amicitiam cum multis Sangallenſibus coluit; Anno etiam 1618. „ quo illos inviſit, benigniſſime ſit habitus, recordans in Bibliotheca ipſorum, „ (in quam a Chriſtoph. Hoffmanno introductum ſe ait) vidiſſe dona multa et „ egregia, motum ergo et ſe, ut dictum librum Manuſcriptum. Bibliothecae illi „ dono offerat, ſit, ut maneatque ſcriptum illud Signum perpetuae in illos ob- „ ſervantiae. Dat. Mayaevilla, d. 10. Febr. 1621. „

Ex indicatione ante memorata patet Campelli Scripta a bono Anhornio nec viſa, nec lecta fuiſſe: id quod et alia omnia evincunt. Dicti Operis Anhorniani Sancto-Galli cuſtoditi, Apographa exſtant *Tiguri* duo: unum ex calamographia *Chriſtoph. Schereri* ad petitum Cel. Jo. Henr. Hottingeri, Sancto Galli Ao. 1646. de Autographo confectum. Exſt. Arch. Eccl. Tom. III. fol. 476. Aliud ipſa Conſulis JO. HENR. WASERI manu, in Biblioth. Publ. Tom. WASERIAN. C.

inserta demas, pauca remanent folia, quibus Historia absolvitur. Indicandum hoc censui, ne quis Viro de Patria bene mereri studenti me injuriam facere existimet, quando Opusculum ipsius laude sane non defraudandum Adumbrationem tantum appellavi. Hinc Ego quoties contemplabar Res Ecclesiae in Historiis nostrorum desiderari, simulque cum voluptate viderem a praeclaris in Germania ac Helvetia Viris, indies ex Archivorum latebris excitari, edique in lucem Documenta authentica, Epistolas beatorum Reformatorum amoebeas, et alia, origines ac progressum factae in ipsorum Ecclesiis Reformationis eruderantia, illustrantiaque, dolebam ex intimo pectore neminem reperiri Nostrum, qui tot exemplis excitatus, simile facinus auderet, et Raetiae quoque Symbolam ad reliquum Helvetiae Reformationis Historiae Syntagma construendum conferret. Ab exteris itaque Academiis in Patriam reversus, juxta reliquas Sancti Muneris Partes, hoc etiam Saxum statim volutare coepi: Sed mox etiam sensi Saxum esse tantum non Sisypheum, grave hercle, et musco multo circumlitum. Multum enim temporis illud assiduo ac continuo labore agitavi, antequam adpareret illud vel ad unum gradum promoveri. Est hoc laboris genus amplum valde, ac diffusa varietate distinctum, quod Doctos plures, simul cohabitantes, sagaces, recto judicio praeditos, laborum tolerantes, imo et dignitate, auctoritateque excellentes requirit. Requiritur librorum ex omni genere et amplissimus et selectissimus apparatus. Requiruntur insuper sumtus quandoque profusi ad litterarum sustentandum commercium, ad documenta e latebris evocanda, ad honoraria scribentibus pro labore commodato, ex acquitatis ac justitiae lege distribuenda. Sed ubi haec et alia eodem pertinentia

nentia in Raetia, non tam frugum, quam litteras amantium sterili, reperire? Qui Ecclesiis praesunt, (bonos semper excipio) Romanae Ecclesiae filii, nil fere praeter Missas ac Purgatoria sapiunt, ea nempe quae ad culinam; Evangelii vero Ministri, muneris sui partes adimplevisse putant, quando concionem ex Ponte quodam Asinorum (Postillas immo, librosque concionatorios) memoriae impressam feliciter recitaverint, obque eam causam ab auditoribus plausum, a Patrono favorem meruerint. Nobilium autem, opibus et Auctoritate valentium, ii sunt mores, ut (quod de suis Centuriatores dixere Magdeburgici) in Canes, Venationes, Potationes, convivia, vestitus, lusus, addo ambitus, ac practicas, aliasque res leves profundant omnia, ad juvandam vero miseri CHRISTI Historiam, quovis Pumice aridiores sunt. Et his tamen non obstantibus, saltem tentare, et egredi licet nil daretur ultra, statui. Erant meis in manibus Venerandae SYNODI nostrae EVANGELICAE Matricula, cui Ecclesiarum Confessio, omnium post illam conscriptam Ecclesiae Ministrorum subscriptiones autographae, et Protocolla Actorum; Decretorum, denique ab Excelsis Comitiis confirmatorum liber: ex quibus res mea haud parum accessionis accipiebat. Tunc Ecclesias, cum maxime illustriores, ac metrocomias adibam, diptychas, Matriculas, Urbaria, et quae ejus sunt generis scisitabar Instrumenta. Tantum vero abest aliquid profecerim, ut in vanum potius laboraverim. Apud plerasque, nec librum quidem (ut dicitur) Parochialem inveniebam, nedum Memorias Authenticas Antiquiores. Pastores earum super Renatae Ecclesiae Res interrogati, ignorantiam ultro fatebantur, penuriam Documentorum causantes, vel ad ANHORNIUM me remittebant,

quasi distincta ac certa apud illum reperiretur notitia. Sane Ecclesiarum Oengadinae inferioris, Davosii, Raetigoiae ac Clavennae Chartophylacia vacua esse non mirabar: in Seculi enim superioris motibus Valles illae ab Armis Austriacorum, Hispanorumque subjugatae, incendia ac direptiones passae sunt.

Ast stupore totus implebar, quoties Ecclesias aliorum Tractuum, in quibus Bellona grassata non fuerat, invisens, easdem aeque destitutas ab omnibus Subsidiis reperiebam. Ut enim, quod res est, fatear, praeter Nomina Pastorum, qui his illisve Ecclesiis praefuerunt, obtinebam nihil. Indicibus vero illis fidere tutum non erat, eo quod a seriore demum manu, saepius ex conjectura, plerumque ex traditione vaga essent contexti, in quibus Ego saepius multa hiulca, multa transposita, alia etiam falsa observabam. Ergo a Nobilibus Viris, quos familiarius novisse datum erat, Majores quorum Rebus gerundis interfuisse probabile erat, auxilia, subsidiaque poscebam. Hi ad Campellum me remittebant: Sed qui libros illius legendi copiam faceret nemo reperiebatur. Nemo qui Antiquitatis Monumenta in Scriniis suis latentia, ad tenebras damnata, meis oculis contemplanda offerret, sisteretve. Regnat in eorum ordine in aliis Ignorantia, *per quam nec pretium nec usum sciunt eorum, quae ab Avis, Viris clarissimis, accepere scriptorum: in aliis* Invidia *ut gratificare non possint: in aliis* Metus *ne ex producta in Solem veritate, sibi suisve damnum aut infamia accersatur. Idipsum videbam evenire mihi, de quo conquerentem aliquando legeram*

ABR. SCVLTETVM Annalium Ref. Eccl. Palatinae conditorem felicissimum, his verbis: Quam necessaria, *inquit ille,* Rerum superioribus Annis in Ecclesia gestarum Annotatio sit, ex amicis bene multis didici, qui mihi de Historiola Renati apud se Evangelii scisitanti, dolenter responderunt, vel evanuisse istarum Rerum memoriam, vel Annales incendio conflagrasse, vel Invidorum Scriniis, haec talia jacere recondita. *Istius exemplo animatus ad opus aliquamdiu neglectum novo animo redii, et DEO quidem conatibus favente, cum uberiore indies fructu.*

Quippe quasvis micas sollicite colligenti, conquirentique, opportune in manus meas venit Autographi Campelliani Potior Pars, Historica nempe Volumina Duo, supra memorata, quae Ego haud secus ac coelitus mihi demissa, suscepi, suspexi: multorum quippe, quorum aut evanuerat Memoria aut frustra a me erat investigata, cum voluptate videbam in illis conservari notitiam. Asservatur in civitate Curiensi Raetiae nostrae Metropoli, commune TRIUM FOEDERUM Archivum, in quo Comitiorum Annales, Instrumenta alia Rempublicam spectantia reconduntur: Sed quia aditus ad illud, nonnisi congregationum ad Res Publicas tractandas confluentium tempore, quo ex singulis Foederibus clavium custodes advolant, patet: Archivum mihi illud haud secus ac Ptolemaeo Philadelpho apud JOSEPHUM sacer codex Hebraicis characteribus exaratus thesaurus *erat* obseratus, *ac* fons occlusus. *Dum igitur aliunde non esset ut sperarem subsidia ampliora, et exspe-*

ctaretur,

ctaretur, qui et id sacrarium perlustraret et quae in Rem Ecclesiae faciunt, ex eo excerperet: Opus Ego meum jam concinnatum prelo submittere cogitabam, reputans, quod licet in suo genere non esset absolutum, ob accessiones tamen alibi non reperiundas, haud contemnendum, calcaris saltem loco deserviret illis qui otio abundant, et aditu ad secretiora Scrinia gaudent, ad Institutum hocce nostrum perficiendum.

Id audientes Illustres quidam Viri, quibus hactenus non innotueram, animum addere, et quae in Tabulariis suis haberent recondita liberaliter offerre coeperunt. Eorum nixus favore in HELVETIAM, cum cujus Doctoribus perpetua Reformatoribus Raetiae nostrae intercessit familiaritas, concessi, veteris amicitiae indicia quaesiturus; consilio certe salubri, et eventu exoptato. Asservantur Sancto Galli in Bibliotheca Vadianopublica ANHORNIORUM, Bartholomaei Senioris ac junioris, item Danielis, Miscellanea, Tomis Novem formae in quarto molis mediocris, constantia volumina: inter quae notari merentur Palingenesia Eccl. Raet. et volumen aliud in folio, caeterorum Miscellaneorum Epitome, rite digestum, ac Capitibus LII. descriptum: sic ut reliquis omnibus facile careat, qui usu duorum istorum frui potest. Hunc vero usum nullo colore negari posse persuadebam mihi; eo quod commentarii illi et ab Anhorniis gente Raetis, in Patriae usum compilati, coeinmatique, in custodiam Senatus praeclarae illius Civitatis haud alio certe fine, quam ut usui eorum, quorum Res agitur, deserviant, depositi essent. Sed opinione falsus sum. Nescio enim quis metus,

cir-

circumspectiove, certe superstue provida, sapientium illorum ac Amplissimorum Virorum, a quibus liberum voluminum illorum usum impetrare oportebat, animos tenens, ne ex Editione Rerum in illis contentarum, sibi, civitative suae incommodi quid nasci possit, effecit, ut usus illorum nonnisi talibus permittebatur legibus, quibus observatis, non tantum mora mea diu protrahebatur, ac sumtuosa fiebat, verum etiam fructus illius omnis totus in auras ibat. Fieri enim facile poterat, ut quaecunque a me in Voluminibus illis notata, postquam ab urbis Grammateo excerpta essent; (hae mihi leges fixae erant) ob easdem causas negarentur, ob quas usus liber ac descriptio primo negabatur, deinde intra cancellos coercebatur. Officiositati nihilo minus debeo Venerandi ac Doctiss. Viri JACOBI HUBERI in Aede D. Leonhardi Ecclesiastae facundissimi, litteras Comandri ad VADIANVM, nostro operi locis suis insertas, quas ille ex Autographis sua manu descriptas, tandem mihi communicavit. TIGURUM autem delatus, Reformatarum Ecclesiarum Matrem, illa ipsa tantopere desiderata Anhorniorum Volumina, inter Manuscripta Bibliothecae Civicae Volumina, reperi, manu JO. HENRICI WASERI Consulis olim Tigurini, propria, nitidissime descripta: Sic ut quid ex Sancto Gallensi apparatu desiderarem amplius, superfuerit nihil.

Non me fugiebat in Almae illius Ecclesiae ac Reipublicae Scriniis, reperiri Primorum Evangelii in Raetia Pastorum, ad Tigurinae Ecclesiae Doctores litteras amoebeas, id enim ex HOTTINGERORUM

annotatis, ac excerptis, didiceram, eratque etiam ab ANHORNIO notatum: At tantum litterarum Autographarum numerum, in chartophylaciis illis ab interitu fuisse conservatum, nunquam Ego credidissem, nisi oculis ipse meis lustravissem. Eas videns, stupui ac damnari Nostrorum tarditatem, soporem, negligentiam, qui in Antiquitatibus aliarum Gentium scrutandis, legendis, sunt mire curiosi, dum demestica ignorant, superque habent: foris sunt oculati, domi suae caeci: haud absimiles Romanis, de quibus Tacitus: Graeci sua tantum mirantur: Romani vero, dum Vetera extollunt, recentium sunt incurioſi. *) *Quantum vero a litteris amicorum adjumenti Res Historica accipiat, non est ut doceam, a multis cum id actum sit, et res ipsa clamet.* Detegimur in Epistolis, *inquit Lipsius*, et subjicimur oculis pene nudi. Nosse Me, aut alium vis? Epistolas lege, quae depingunt. Ingenii mei adfectus, Judicii, imo et vitae non vana imago isthic. Alibi fucus et simulatio habitat. Hic candor, hic veritas, et nonnisi nativus ille color. **)

Vix ulli Gentis Historiae tantum ex litteris reconditis lucis accessisse, credo, quantum licuit Mihi ex illis Raetiae nostrae Res illustrare. Heic cum voluptate legere ac videre datur COMANDRUM, GALLITIUM, FABRITIUM, TRAVERSIUM, reliquos Reformationis in Raetia

*) Lib. II. in fin.

**) Praef. in Ep. Select.

Raetia Primipilos in ZVINGLII, BULLINGERI, SIMLERI, GUALTERI &c. sinum exponentes Res, quibus ipsi actores, inspectoresque intererant, effundere candidi animi querelas, ex quibus de Ecclesiae sorte, ac statu certum ac facile judicium. Ingratus essem, ni Clarissimorum ac Doctissimorum in Amplissima civitate illa, tum Ecclesiastici, tum Politici ordinis Virorum, in me adjuvando facilitatem, liberalitatemque profitear, depredicemque. In excutiendis refertissimis ac pretiosis Archivi Ecclesiastici nidulis laborem non defugiit grandaevus licet Antistes Ecclesiarum Venerabilis JO. CONR. WIRZIUS 'o non 'en 'agiois. Exquirendis Bibliothecae Carolinae forulis multas horas patienter mecum consumsit 'o pany BREITINGERUS, Athenaei illius, ac orbis litterati Decus eximium. Studio in Me adjuvando decertarunt Amplissimus Senator JO. JAC. LEO Maximo Patre dignissimus filius, JO. CASP. HIRZELIUS, Archiater et Senator, JO. CASPARUS HULDRICUS Aedis Abbatissanae Ecclestastes Doctissimus, nunc ad superos evocatus, JO. JACOBUS SIMLERUS Collegii Parthenici Ephorus, JO. CASP. HESSIUS Bibliothecarius Publicus; et plures alii, ob quorum studium, adfectumque vere philadelphikon sunto eis, (majora dubito an a me exspectare possint) gratiae in conspectu Ecclesiae in sempiternum.

Tot pretiosissimis spoliis locupletatus, quando in Patriam reversus sum, neminem putabam tam ingratum, stipitemve, qui ceu de reperto thesauro et mihi et Patriae non gratularetur! Et tamen loco contestationum

tionum animo grato dignarum, vidi alios, eos quidem qui Styloi videri volunt, frontem caperantes; aliorum audivi voces dicentium: Posse hunc laborem, curiositatis, nullo vero utilitatis nomine commendari. O Ingratas Hominum mentes o Pectora coeca! *subiit tunc mentem meam narratio LACTANTII de Amalthea Cumana Sibylla septima,* „ *quae ab aliis (Ejus sunt verba) Demophile, vel Hierophyle vocatur.* „ *Ea cum novem libros adtulisset ad Regem TARQVINIVM PRI-* „ *SCVM, ac pro eis tercentos Philippeos postulasset; Rex vero aspernatus* „ *pretii magnitudinem derisisset Mulieris insaniam, illa in conspectu* „ *Regis tres combussit, ac pro reliquis idem pretium postulavit:* „ *Tarquinium tunc multo magis Mulierem insanire putasse. Quae* „ *denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motum* „ *esse Regem, ac residuos trecentis aureis emisse.* „ *)

Ecquis enim cordatus tot tantique pretii leipsana tanto studio, labore, impensis acquisita, videns alto supercilio contemni, non ingemiscat, in lacrymas non solvatur! Sero sapuit Tarquinius: Fuere et alii, qui

*) Iactant Lib. I. de falſ. Relig. Cap. VI. pag. 25. Edit. Pariſ. An. 1748. D. Lenglet Du Freſnoy, qui eam procuravit, ſupra allegatis verbis hanc ſubjunxit notam. Servius in Virg. addit, hos *Philippeos* aureos fuiſſe qui tum pretioſi erant. Non quod nummi illi cuſi fuerint nomine Philippi Patris ſcil. Alexandri M. ſiquidem eo tempore, quo emti dicuntur illi libri, nondum fuerit Philippus Macedo. Sed Veteres Auctores in re nummaria ita ſcribunt, prout facies ejus erat tempore ſuo, quod multis exemplis poſſet illuſtrari. Valet autem Nummus Philippeus aureus, *duos* circiter *Aureos* gallicos, ut adnotat Lambinus ad Plautum. Vid. Budaeum de Aſſe, Lib. IV. et Gronov. Lib. III. de Pecunia Vet. et Nova. Multi tamen haec omnia fabulam redolere exiſtimant.

qui in eadem causa, qua Nos sero sapuere. Ego vero (aut fallor vehementer) nunquam affore in Raetia tempus credo, quo, vel omnia ex reconditissimis nidulis protracta, supra pretium posita, Rerum Nostrarum Monumenta, venum expositа, Emtorem reperiant tercentis Philippeis illa redimentem. *) Indignans haec loquor, sed indignatione justa: Multum enim oportet mutemur a Nobis: secus probe gnarus nihil apud Deum impossibile esse. Tantum spatium emenso Mihi, tandem etiam Illustres ac litterarum amantes Viri suppetias quoque non contemnendas submiserunt, quorum nomina non decet oblivione deleri. Sunt vero inprimis hi: D. ULYSSES a SALICE Dominus in Marschlins, D. Gubernator ROD. a SALICE Samadoenus, D. D. PETRUS ac ANTONIUS Praetoris ANTONII a SALICE p. m. filii, D. BAPTISTA a SALICE, D. PAULLUS PERINUS, D. Gubern. GUBERTUS a WIEZELIIS omnes genere pariter ac virtute Illustres. Suis locis grato calamo notamus nomina eorum, quibus peculiarem tantum aliquam debemus notitiam, cum non deceat Praefationem minutiis occupari, aut propriis nominibus turgere.

Fausto omine ac opportuno prorsus tempore evenit et hoc, quod Anno MDCCLXVII. a Proceribus nostris Tres ex quovis Foedere delecti sunt, qui Instrumenta, scriptaque Archivi Publici in ordinem redigant. Eo labore dum distringuntur illi, concessum etiam mihi petenti fuit,

*) Cent. Magd. II. in Praef.

fuit illius usura frui. Aliquot ergo septimanis clathris illius inclusus, excerpsi, descripsi, quaecunque in Rem meam facere iudicavi. Et haec quidem de Materia, ac FONTIBUS operis nostri.

Circa Tractationis rationem ac formam aliquamdiu ambiguus haesi, num ANNALISTARUM, ut vocantur, sequerer Methodum, quae Res omnes secundum temporis seriem exhibet: num vero ordinem adsciscerem Naturae, nempe, qui quamvis Historiae Partem, a primis consiliis, ad finem usque continuo filo edisserit. Ordo enim bonus et appositus non modo lucem Historicae narrationi affert: sed etiam iudicium in rebus intricatis, gravissimisque, et memoriam adjuvat. Tandem hanc illi praetulimus, hanc, inquam, quae Materiae sectatur homogenejam. Confusio enim seu Narratio variarum Rerum, quae in Annalibus conficiendis se offert, (ut observatum ab aliis) in Historiis potest quidem aliquid delectationis afferre curiosae menti. Sed judicia perturbat et memoriam, praesertim eorum qui non possint Materias dissolutas et rariis in locis dispersas simul mente comprehendere, discernere, et iis quae praecipua sunt, animum atque memoriam intendere.

Opus

Opus in Libros IV. dispescui, ratione habita variatae Ecclesiae Sortis. PRIMUS Liber Initia Reformationis, plantationemque Ecclesiarum deducit in Annum usque MDXL. Dicto fere Anno gregatim ex Italia in terras nostras advolare coeperunt Proselytae, variis imbuti opinionibus. Ab istis, Evangelii Ministris novus labor accrevit; gravior quoque ob eorum ex Italia fugam Curiae Romanae ira exarsit in insidias ac persecutiones. Haec liber II. exponit finiens in Anno MDLXXX. Dicto tempore factiones a Hispaniarum, ac Galliarum Regibus excitatae, tum Rempublicam, tum Ecclesiam vexarunt, ac pene utramque pessum dederunt. Restituta sunt utraque per Capitulation. Mediol. Ao. 1639. ratificatam. Post quae Acta Liber IV. Ecclesiae halcyonia claudit. Ipsi Operi Capita duo Praeambula praefixi. Primum, ubi de Raetia in genere: Secundum, in quo de plantatione Religionis Christianae in eadem statuque ejus usque ad Seculum XVI. quod et Reformationis; sic ut queat labor hic noster haud incommode Historia Ecclesiae Raeticae nuncupari. Cuivis Capiti et Summaria rerum, de quibus agitur, et temporis terminum intra quem restringuntur illa designavi, sic ut lectori non unum commodum feciss existimemus.

Sed et de ſcriptionis genere non parva animum noſtrum tenuit ſollicitudo. Inprimis arduum, *inquit SALLUSTIUS,* eſt Res geſtas ſcribere. Primum quod facta dictis ſunt exaequanda, dehinc, quia plerique, quae delicta reprehenderis, malevolentia et invidia dicta putant: ubi de magna virtute atque gloria bonorum memores, quae ſibi quisque facilia factu putat, aequo animo accipit: ſupra ea veluti ficta pro falſis ducit. *Argute et eleganter Lipſius*: Hiſtoriam apte ſcribere majorum temporibus, non ſolum magna, ſed etiam rara laus fuit. Utriusque cauſa a difficultate eſt; difficultas ex eo, quod quae aliis ſcientiis fere ſingula proponuntur, ea Hiſtoriae legitimae univerſa. Poëta ſi adpoſite ad delectationem; Orator ad fidem; Philoſophus ad vitam dicat: impleſſe munus ſuum videntur. Hiſtoriae ſcriptor, niſi haec Tria ſimul miſceat, ac temperet, fruſtra ſe jactet in ſingulis.

Ego vero me meo, quae Dei eſt gratia, pede metiri et novi et didici: itaque tenuem eſſe nobis exercitationem ſtili, absque aliorum indicatione, aut mordaciore criſi lubens agnoſco, profiteorque ingenue, omnium minime me ad tantam rem ſuſcipiendam idoneum fuiſſe, et adhuc eſſe. Quod ſi autem ſtilum variare, in his aut illis locis minus

pure

pure decurrere observat lector, duas has velim perpendat causas. Unam: propositum mihi fuisse ipsis illorum loqui verbis, a quibus Res ipsas accipiebam. Via haec tot centena Documenta e tenebris in lucem evocanti tutissima visa est, ne habeat obtrectator, ob quod ullo colore Narrationem nostram suspectam reddat. Auctores vero quibus nostra debemus, nominamus passim. Dictionis autem naevis multum laborat Campellus, Synonymorum aggregationibus superfluis, membrorum transpositionibus, aliisque concinnitatem Orationis turbantibus scatet: id quod mille exemplis posset demonstrari. Ex illo si etiam in nostros Commentarios, naevos una cum ipsa Re videas irrepsisse, amori authentiae ac veritatis dato, aut si mavis, ignoscito. Tot Documentorum, Auctorumque stilum variare quid mirum? Non ignoro eam scribendi rationem, quae ὑφασματα aliorum intexit, lectori Actorum seriem cognoscere cupido minus esse jucundam: Sed mihi omni studio contendenti, ut tot tabulas a naufragio, tot leipsana a tineis ac blattis, ab interitu vindicarem, ea ratio non modo tutior, sed plane necessaria fuit. Exerceant se jam, quibus Musae favent, otioque abundant, et tradita, erutaque a nobis stilo comtiore, si ita velint, exornent. Nitoris laudem facile cedam: dum modo veritatis, cui studui, palmam nemo dubiam reddat. Ex Tullii autem

optimi ingeniorum ſtatoris, ac ſtili Cenſoris Sententia, ſufficit Hiſtorico non eſſe mendacem. *)

Secundo ſciat velim, Mihi, qui ſub ſole et pulvere indies laboro, non licuiſſe, nec licere adhuc, eſſe tam beato, ut caeteris ſoluto curis unico negotio totus incumbam. Alio me quotidianae vocant vitae curae, ac ſollicitudines, et frigidae plerumque Oeconomiae occupationes, quae invitum ſane ſimul et avocant animum et comminuunt: alio Eccleſiae curae: alio privati Collegii functiones, quae ſingula totum hominem depoſcunt. Accipe et hoc: in tanta ſcriptionum pene infinitate, negotiorumque multitudine, fuiſſe neminem, qui vel ſola deſcriptione fatigatas manus levarit, ſi unum excipiam fratrem meum mihi homonymum PETRUM ROSIUM a PORTA, de Eccleſia ad Caput Rheni bene merentem, qui aliqua ex parte me ſaepius levavit: Sed quod locorum intercapedine ſejuncti vivamus, minus quam opus habuiſſem et ipſe voluiſſet, adeſſe potuit.

De reliquis ſupremam TULLII legem ob oculos continuo habui: ne quid falſi dicere audeam, deinde ne quid veri non auſim: praeterea

*) Lib. II. de Orat.

tereà ne qua ſuſpicio gratiae adſit, ne qua ſimultatis. *Documenta plerumque ipſa ex Inſtrumentis deſcribo: litterarum anecdotarum numerum longe maximum, aut margini inferiori ſubjungo, aut contextui Hiſtorico interſero. Et ut norit lector, quam fiduciam in illis collocare poſſit, ſciat velim Epiſtolas anecdotas omnes, (ſunt autem aliquot centuriae) a me ex ipſis Autographis eſſe deſcriptas, et ſi quae alia hujus generis ſunt, ea omnia vel ex ipſis Patriae Archivis, vel Authenticis Documentis ſumma fide transſumta eſſe. Nihil a me ſcriptum eſſe mihi conſcius ſum, cujus rationem non ſim dare promtus.*

Neminem ob ſacra adverſa laceſſo, injuria (ſaltem meditata) neminem adficio: Bellum nulli moveo: Controverſiarum ſerram reciprocare abhorreo; et ei, qui me certiora docuerit, palmam lubenter cedo. Tali modo hoc ſtadium decurro ut gratuler mihi, ſi hac ſcriptione quempiam ad aemulationem provocavero. Si hic et ibi adpareant judicia, pro cauſa quam Ego ex Dei dignatione Miniſter Evangelicus ex conſcientia et officio tueor, favorabilia; aſperiora in illos qui cauſae Reformationis adverſabantur, ea (fidat modo lector) non animus praejudiciis occaecatus, ſed facti narrati genius expreſſit, ac extorſit: hancque in rem liberali Partium ſtudio non occupati ingenio, ipſa col-

latio

latio satisfaciet. Historicum autem non modo posse de bonis loqui cum favore, de malis vero cum horrore, sed etiam debere, et Probatissimorum hac in Arte Virorum Exempla docent, imo et inter leges Historico necessarias ponit clarus ille BODINUS. *)

Finita demum Impressione in manus venere nonnulla, per quae Narratio nostra vel suppletur, vel confirmatur. Ea igitur titulo Analectorum sub calcem operis adtexi curavi, ne dispersa intereant. Quia Typographeum characteribus graecis destitutum erat, voces illae litteris cursivis, ut vulgo dicuntur, expressae; curavi autem ut quam rarissime occurrant. Erudito illae remoram non adferent: ineruditus vero sensum ex contextu facile percipiet. Ob distantiam locorum non licuit Nobis Impressioni invigilare: curarunt tamen Editiores ne a mendis foedaretur Palmaria haec Editio. Extantiora Operarum sphalmata, sub calcem adjeci: leviora B. L. pro humanitate corrigat. Indices adjeci copiosos, quos opinor Lectori magno usui futuros.

Quemadmodum a toto illo tempore, quo colligendo concinnandoque huic operi incumbo (sunt enim anni aliquot) non defuere nasuti qui-

*) Meth. Hist. Cap. IV. p. 49.

quidam irrisores ac Diaboli, qui dum mihi profuere nihil, a subsannationibus amarulentis non abstinuerunt, me mea in nonum usque prementem annum, falsè traducentes, quasi parturiant Montes, nascatur tandem ridiculus Mus: sic facile pervideo alios nunc futuros, qui carpant, lacerent, desiderent. Sunt quippe plerique talis indolis, *ut verbis utar Hieronymi,* **) qui in eo se disertos arbitrantur ac doctos, si alieno operi detrahant, et non quid ipsi possint, sed quid alii non possint, dijudicent. *Istis quid reponam non habeo, nisi gratias Deo, qui Mihi vires dedit ad labores tolerandos, et sumtus suppeditavit, ad edendum hoc, super quod habeant ut carpant.*

Alii Patres nostros mihi objicient, qui omissa tam curiosa ac sedula Historiarum Ecclesiae scrutatione, suarum Ecclesiarum aedificationem promoverunt: Sed hi Pietatis, qualem nunc notovi, Promotores Zelum habent Dei sine Scientia. Nullum enim ad gratum animum excitandum fortius est motivum, quam Memorabilium Dei in Nobis Operum memoria.

Recor-

**) Prooem. in Com. Hof. Lib. II. Tom. III.

Recordamini temporum antiquorum, *exclamabat ad Israelem Vates Divinus. Non decet Patrum vestigia contemnere: Sed et qui alios tantum sequitur, boni novi nihil quaerit nec invenit, laude dignus non est.* Generosi est animi, si cum utilitate publica conjunctum sit, aliquid semper Majus tentare.

Non est admirationi Arbor, in cujus altitudinem Sylva tota surrexit. Modestiores, si qui erunt, lacunas in Historia notabunt, et in ejus fidem Membranam forte aliquam, aut dignum fide Instrumentum producent, exhibebunt. Istis tantarum, ut ostentant, divitiarum Professoribus, quandoquidem sua cimelia, mihi talia anxie quaerenti et integras Provincias oberranti invideruit, suadeo ut instituto spicilegio vel suppleant nostram, aut si nostra penitus displicet, quando de Patria bene mereri cupiunt, novam contexant Historiam.

Non enim ita suffenus sum, ut credam me omnia exhausisse, ut potius amplum Spicilegium relictum credam; id vero Ego ipse, si Deus vitam prorogaverit, instituam. Utinam aliquid laboris etiam exantlassent qui ante Nos fuerunt; et utinam qui nunc vivunt vel

Alicas

Micas saltem collectas in communem usum contulissent, haberem, ut eorum studium operamque depraedicarem. Crescunt haec indies, et inventuris inventa non obstant.

Alii Dispositionem, vel Stilum taxabunt; alii alia, ut sunt dissimilia ingenia. His aliorum bono numero Eruditorum Meritissimorumque Virorum opponere possem Judicia, si animus staret, aliorum plausibus Nostra commendare. Momo autem quis faciat satis? Meum facio ad hosce meos Censores Martialis illud:

Cum Tua non edas, carpas mea carmina Mome?
Carpere vel noli nostra, vel ede Tua.

Tu Lector Benevole amice fave, erratis benigne ignosce. Naevos mihi, bona quae sunt tribue uni omnia DEO, cujus gratia suffultus tantum promovi. Cogita verum esse, quod Ego reapse expertus sum, Plinii illud: Rem arduam esse, vetustis novitatem dare, novis authoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam. *Itaque etiam non assecutis*

voluisse abunde pulcrum, atque magnificum est! Vale nunc Benevole Lector, et si quae nunc damus non displicent, alia non minus utilia propediem exspecta. Dabam SCAMFII in Superiore Oengadina, Foederis Cathedralis ALTAE RAETIAE. Anno a Soteris Nativitate MDCCLXX. Ipsis Idibus Novembr.

Tuis commodis servire
promtissimus

PETRUS DOMINICUS ROSIUS de PORTA,
Infimus JESU CHRISTI in Evangelio Minister.

SYNOPSIS
CAPITUM LIBRI PRIMI.

Cap. I. De Raetia et Raetis in genere Pag. 1

- - II. De Statu Rel. Christ. in Raet. usque ad Sec. XVI. 20

- - III. De origine Reformationis, et mediis in contrarium objectis 53

- - IV. Ecclesiae aliquot Reformationem suscipiunt 68

- - V. De Anabaptistis in Raetia 81

- - VI. Disputatio Ilantina inter Evang. et Romanenses 96

- - VII. Conatus Episcopi Cur. ad repellendam Reform. 131

- - VIII. Ecclesiarum variarum aggregatio ad Evangelium 154

- - IX. Episcopi Curiens. conspiratio cum Castellano Mussiense 169

Cap. X. Incommoda ex Ref. orta. Synodi institutio &c. 178

- - XI. Disput.tio Susii de Mulierum baptismo 198

- - XII. Reformatio Ecclesiarum in Oengadina 224

- - XIII. Episcopi Paulli mors. Pensionarii puniti. Blasii Dialogi 248

LIB. II.

Cap. I. Evangelium praedicatum in Italia, Valle Tellina, Clavenna 1

- - II. Ex Italia multi Evangelici veniunt in Raetiam, ac reformant in Praegallia, Clavenna, Valle Tellina 25

- - III. Italorum quorundam opiniones haeterodoxae 62

- - IV. Camillus Renatus turbat Raeticas Ecclesias 81

- - V. De Petro Paullo Vergerio 139

- - VI. Leipsana Raet. ad Hist. de Controv. Sacramentaria 180

- - VII. Confessio Ecclesiarum Raeticarum 193

Cap.

Cap. VIII Aliqui recuſant ſubſcribere Conf. De Salut. Angelica 225

- - IX. Epiſcopus Thomas. Peſtis in Raetia. Munſteri imprudens diligentia 231

- - Romanae Curiae conatus ad repellendum ab Italia Evangelium 250

- - Promotio Evangelii in Valle Tellina inter mille obſtacula 277

- - XII. Perſecutio Eccl. in Gallia. Geſsnerus. Caracciolus. Evangelium Miſauci. 320

- - XIII. De Concilio Tridentino 351

- - XIV. Camilli Sectatores novas turbas cient 389

- - XV. Acerium reformatur. Maynardus et Traverſius moriuntur 408

- - XVI. Zanchius Paſtor Clavennae. Helvetica Confeſſio. Peſtis &c. 421

- - XVII. Contentio de Epiſcopatu inter BEATUM a PORTA, et B. SALIC. 443

Cap.

Cap. XVIII. Monachorum furor contra Reformatos Italiae vicinos. Cellarius abductus 453

- - XIX. Nova negotia ob Camilli assectas. Barth. Sylvius 491

- - XX. Causa Anabaptistarum Curiensium, singulariter Gantneri, nec non Italorum heterodoxorum disceptata 513

- - XXI. Bulla Pontificia Joanni Planta mortem diram adfert 558

- - XXII. Turbelae in Raetia 585

- - XXIII. Ventilatur quaestio de Providentia, et Praedestinatione Dei circa malum. Campelli liber &c. 613

- - XXIV. Reformatio Jurisdictionis Burgunianae 633

HISTO-

HISTORIAE
REFORMATIONIS
ECCLESIARVM RAETICARVM

LIBER PRIMVS.

ORTUM ILLIUS PANDENS.

CAP. I. PRAEAMBULUM,

Institutum Auctoris. Raeticae Gentis origo, & demigratio ex Thuscia in Alpes. Varia fata vsque ad Sec. XV. quo in Ligas, seu Foedera coaluit. Populorum Foederibus comprehensorum descriptio. Raetorum subditi. Regiminis forma, lingua &c.

Instauratio doctrinae, ac cultus ad Sacrosancti Evangelii JESU CHRISTI normam ante haec duo, & quod excurrit, secula, eximiorum virorum ope, in plurimis Europae Regnis, ac Provinciis ad umbilicum perducta, unum est beneficiorum, ob quod vel solum populi, apud quos ea introducta est, perduratque, se prae caeteris beatos praedicant: & merito quidem, si bona animae dotibus corporis,

quod cordatus nemo unquam inficias iverit, coeleſtia terreſtribus, libertas ſervituti antiſtare cenſeantur. Eo nomine juxta plurimas gentes alias Divino Numini ſummopere obſtricta eſt etiam RAETICAE Nationis maior pars, cui eodem tempore datum pariter fuit luce Evangelii pura colluſtrari, a Pontificis Romani iugo liberari, ſimul etiam, quoad externam conditionem, meliorem ſortem indipiſci. Quia vero beata illa Reformatio per varios gradus, ac diſcrimina perducta eſt, intereaque aliam plane Eccleſiae, profecto etiam Reipublicae faciem adtulit, ſimul autem multi boni origo, & cauſa exſtitit, dignum mihi Argumentum viſum eſt, in cuius evolutionem, accuratioremque expoſitionem, operam, & ſtudium, ſi quod in me eſt, collocem. Sed antequam id filum ordiar, quaedam de Gentis RAETICAE ortu, terrarum, quibus inſidet, ſitu, de moderna Regiminis forma, lingua, & adtiguis, ut ſe offerunt, praelibare, expediens, imo neceſſarium videtur, ne quibus res noſtrae ignotae ſunt, ſi forte ad illos opera haec noſtra perveniat, haereant, turbenturve: praemiſſa autem intellectum exponendorum adiuvent. Quod Deus felix, ac fauſtum eſſe velit.

Quae de Gentium Originibus inſtituuntur disquiſitiones, cum denſa fere ſolent colluctari caligine: fitque perſaepe, ut, ob Scriptorum Antiquorum varias, etiam contrarias relationes, vocum item, ſoni, ac *Mython* ſimilitudines, quibus id ſtudii genus refertum eſt, is optimus vates habendus ſit, qui melius coniecerit: ſed quae de gentis RAETICAE origine priſci Auctores tradiderunt, ea & a Scriptorum omnis temporis conſenſu commendantur, & a reliquis in ſubſidium vocatis adminiculis confirmantur. Ex Antiquis T. LIVIUS, JUSTINUS EX TROGO POMPEIO, & PLINIUS SECVNDUS tradunt, populos Alpinos, Valles Italiam inter, & Germaniam ad Rheni, & Oeni fluviorum fontes incolentes, ac RAETOS dictos, hodie GRISONUM nomine notos, veterum Thuſcorum, ſeu Hetruscorum, ante exortam Romanae urbis potentiam celebrium, cis Apenninum montem in Thuſcum, & Adriaticum mare vergentium, omniaque trans Padum fluvium loca, & amoeniſſima, & omni fructuum genere abundantiſſima incolentium, genuinam ſobolem eſſe. Eius Coloniae vero, ex amoeniſſimis illis campis, in ſteriles has Valles transmigrationem hoc pacto eveniſſe ac modo referunt. Nempe TARQUINIO PRISCO Romae imperante,

rante, (cuius aetas in annum ante CHRISTI Soteris noſtri nativitatem plus minus quingenteſimum octuageſimum incidit,) fuiſſe inter Gallos Celtas Regem AMBIGATUM, qui SIGOVISIUM, & BELLOVISIUM Sororis filios, alacris animi, impigrosque iuvenes, cum exercitu inſigni ad novas, quas Dii auguriis deſtinaturi erant, ſedes quaerendas emiſerit, ex eo quidem conſilio, ut terras incolis, ſupra quam alere poſſet, gravatas ſublevaret, uti credi volebat; potius vero vt duorum proximorum ei adoleſcentum fortitudinem longius a ſe removeret; timere enim dicebatur, ne in ſe, ſuosque inſurgerent. SIGOVISIUM egreſſum Hercynios ſaltus ſibi ſubmiſiſſe, & ex novis iſtis colonis ortos eſſe Bojos narrat STRABO: a) BELLOVISIUS vero, quum de Italiae felicitate certus factus eſſet, invios ſaltus, horridasque Alpes per Taurinos cum copiis ſuis Inſubriae ſe infudit, ubi devictis haud procul Ticino flumine, ingenti proelio, Thuſcis, locorum incolis, ſedes eorum occupavit: MEDIOLANUM, VERONAM, COMUM, urbesque alias exſtruxit. Hoc initio facto, poſtea aliae quoque manus inprimis CENOMANORUM, Elitovio Duce Bojorum, atque Lingonum, torrentis ad inſtar, in Europae Paradiſum illum irruerunt, Cluſium expugnarunt, Romam devaſtarunt, Etruſcos ſimul, & Umbros ad Apenninum usque ſedibus eiecerunt. Ea quippe Italiae incolis eorum temporum inerat animi mollities, foecunditatis, ac affluentiæ fere individua comes, ut ipſum hoſtium adventum reformidantes, inexercitati bello, fortitudine inferiores, primo impetui invadentium ſuccubuerint. Tunc populi vulgus, ut fere fit, ſoli patrii amans, facile leges a Victoribus datas accepit, contentum ſua vivere ſorte, parumque e re ſua reputans, quis ſibi imperaret: ſed contra nobiliores, & quotquot libertatem ſupra vitam collocabant, ſecus longe ſervitutem reputantes, de jugo excutiendo cogitarunt. Media vero ad priſtinum ſtatum recuperandum cum deeſſent, neque ſpes eſſet victores aliquando ſubigendi, eiciendive, igitur avitos lares derelinquere, novasque ſedes, vbi avito more vivere liceat, quaerere conſtituerunt. Nobilibus iſtis cohortibus ſive comitem, ſive Ducem ſe praebuit RAETUS nomine, praeclarus opibus, iuxta ac fortitudine, conſilioque valens, qui, patria proinde valere iuſſa, poſt emenſas Inſubriae terras, quum mitio-

a) Geogr. lib. VII.

ris coeli loca omnia occupata tenerentur, ad montium nivoſorum cacumina quae Italiam a Septentrionalibus diſterminant, pervenit, & in Vallibus ad Rheni, ac Oeni fontes, partim ſegete uberibus, partim paſcuo laetis ſedem fixit, praeſtare reputans mediocritatem ſecuram affluentiae hoſtium invidis occulis patenti. Incolebant iſtas Valles equidem Celtae, ſeu Lepontii dicti, ſeu Rucantii, cuius indicium ſunt arcium, locorumque nomina, germanicum idioma redolentia, bene multa, quae nomina videre licet apud ſollertem harum rerum ſcrutatorem, deque Alpina Raetia ſumme meritum HULDRICUM CAMPELLUM, tum in Operis illius Hiſtorici Parte Prima, Topographiae nomine nota paſſim, tum in cumulo in Partis II. Cap. III. Verum opulentia, quam advenae ex divite Patria ſecum adferebant, facile ſedem novis colonis in Vallibus ubertate laetis conciliavit, prioribus incolis in altiora Alpium ſe recipientibus. Hinc facile cognoſcere datur, unde factum, quod Rhenani, Cepinenſes, Stuſſaviani, aliique aſpera lugorum incolentes germanico utantur dialecto, quum laetae Valles circum iacentes a populis Raeticam linguam ad hunc usque diem ſonantibus inhabitentur. Virtus nominis RAETI, qui ſe primis illis coloniis emigrantibus Anteſignanum praebuit, in cauſa fuit, quod coloniis identidem (nec enim ſimul & ſemel in has regiones conceſſiſſe, probabile fit, & de accolis Oeni fere certum, eos demum HANNIBALE Poeno Romanas terras infeſtante, huc acceſſiſſe) in Valles iſtas concedentibus, nomen Primi Ducis adhaeſerit, indeque omnes communi nomine RAETI dicti ſint. Extant hucdum RAETI nomine inſignita caſtra tria; unum ad Rheni ſuperioris, ac inferioris confluentem, hodiedum ſede Praefecti Auſtriaci nobile, *Raetia - ima* dictum; alterum ſuperius paullo, ad alteram eiusdem Rheni ripam, *Raetiae - altae*; tertium ad Iulii montis radices *Raetiae - amplae* nomenclatione clara; licet horum duorum nonniſi rudera ſuperſint, priſtini attamen ſplendoris indubitata documenta. Collocatur haec RAETI cum ſuis ex Thuſcia egreſſus in TARQUINII, ut diximus, PRISCI tempora, narraturque a T. LIVIO, PLINIO, JUSTINO, b) quos ſequuntur, quibus de hac gente ſermonem iniicere occaſio data fuit.

Oſci-

b) Liv. lib. V. cap. XXXIII. Plin. lib. III. cap. XX. & XII. cap. I. Juſtin. lib. XX.

Oscitantia proinde nullo digna patrono est eorum, qui Raetiam a Rheno, cuius primis fontibus adiacet, ridiculo etymo derivarunt, quod fecit ISIDORUS c), aut qui a Roeteio Troadis urbe, ut complures alii notati a GULERO d). Sed nec BUCELINI Scriptoris haud incelebris temeritas silentio praetereunda est, qui, insuperhabita Veterum omnium auctoritate, neglectisque monumentis eandem confirmantibus, nec pauci, nec levis momenti, an vel Raetus aliquis aliquando exstiterit, in dubium vocare veritus non est: asserens Raetiam potius a prisco quodam Etruscorum Numine Dea *Ractia*, sive *Aretia*, diu ante Tarquinii Prisci imperium, aut Sigovisium, vel Bellovisium quempiam natum, quin imo haud longo post Noëmi Patriarchae excessum tempore, eo nomine celebrata, & culta, a novis colonis Raetiam dictam fuisse. e) Novimus CURTIUM INGHIRAMUM primum huius fabulae inventorem, saltem explicatorem extitisse, qui nescio quas membranas e Volaterrae urbis ruderibus effossas in obtentum allegavit. Sed etiam novimus easdem *nothei as* dudum convictas, & explosas ab eruditis esse. Certe ad abigendam uno halitu Veterum auctoritatem, & novam nodis multis implexam sententiam amplexandam, qui facilis est, in eo cum novandi prurigine, audacia, ac iudicii imbecillitas pari passu incedat necesse est, quam caeterum, eiusmet Defensorum confessione, abundantissimis indiciis Bucelinus testatam dedit. f) Dea enim illa Raetia, sive Aretia, quod magnus ille litterator ISAACUS WOSSIUS dudum advertit, g) nusquam gentium reperitur, praeterquam apud ANNIUM VITERBIENSEM, cui fidem habere possunt, qui suppositiis, & figmentis delectantur, ut apud omnes in confesso est, nec est nostri instituti, istis accuratius excutiendis, diutius immorari.

Novos autem Vallium accolas ex flore gentis Hetruscae, ac simul opulentissimos fuisse, colligitur tum ex obstinacia consilii, pertinaci nobiliorum genti ingenita, quae quidvis asperum facilius, quam iniuriam tollerat; tum indubitato documento sunt crebrae illae turres, ac Castella fortissima versa in convalles, locis asperrimis, & fere inaccessis impositа, nunc quidem maximam partem aut dilapsa, aut diruta, at ru-

 deribus

c) lib. XIV. cap. IV. d) Raet. lib. I. p. 7. e) Bucelin. Raet. mox ab init.
f) Quadr. in Proleg. g) de Idol. lib. I. pag. 179.

deribus suis pristinum adhuc splendorem monstrantia, & vel suis nominibus auctores indicantia. Ab indigenis enim nunquam tantae opulentiae statui poterant monumenta; huiusmodi quippe profusionibus nunquam suffecit Vallium proventus. Neque ab Imperatoribus Romanis in stationes praesidiarii militis excitata illa fuere, quod imperite coniecit Illustris PASCHALIUS, Regis Christianissimi apud Raetos Seculo superiori Orator h); huic enim fini pauciora sufficissent in angustiis itinerum collocata, nec tanto sumptu, ac sollicitudine exstructa: quum tamen magna dictorum castellorum pars, tractu terrae haud longo comprehendatur, pleraque etiam extra itinera, & circia arva amoeniora emineant splendide utique fabricata: verum extraneae opulentiae debentur illa, quam hi advenae secum advexerunt. Est ad Rheni superioris alveum, ut quaedam obiter tantum delibem, ANTIUM Volscorum olim in Italia nobile oppidum, hodiedum a Raetis corrupte *Il Antium* dictum: & ad Rhenum posteriorem sola Thusciana Vallis, quae ambitu suo vix duorum germ. milliarium censetur, arces XVIII. numerat, Romano labio denominata fere cuncta. Qui vero Oenanam vallem, dictam vulgo Engadinam peragraverit, is Latium, Hetruriam, Campaniamve obambulare se credet, si pagorum, aut castellorum nominibus stare velit. Heic in *Ardetio*, *Vettanio*, *Scuto*, *Samnitio* &c. *Ardeates*, *Vettones*, *Sentinates Samnites* videbit gentes: Heic *Umbrium* mons, *Albula* fluvius, *Susa*, *Lavinium*, *Tutium*, *Seaptia*, *Silium*, & quae alia sunt locorum vocabula, amissam memoriae reddent patriam. Crescret sub manu volumen, si priscae Patriae origines, vel ex solis castrorum, montium, fluviorum, urbium, denique etiam familiarum nominibus in classes digestis explicare, ac edisserere laboris mihi esse vellem. Sed haec indicata tantum sufficiant. Ignota haec cum non possent, saltem non debuissent esse nupero Scriptori Valtellino FRANC. XAVERIO QUADRIO: mirari satis hominis ingenium non potui, qui, dissimulatis fontibus sedes a Raeto fixas indicantibus, per verbosum quemdam & obliquum narrandi contextum innuere contendit: Vallem Tellinam tractum esse a Raeto omnium primo occupatum, proinde Valtellinos demum veros, ac prisci nominis Raetos esse, ac Raetos ad Rhenum incolentes Valtellinorum

h) Leg. Raet. mox ab init.

norum demum esse sobolem; & quae huius furfuris plura ille larga manu. *) Cogitavit nempe Quadrius, ex eo adserto semel adstructo, necessario sequi Valtellinos, utpote priscos, ac genuinos Raetos, nullo iure Raetis montana Rheni loca incolentibus subiici potuisse, aut debuisse. Inter prima enim, quae sollicito studio ille agit, & in hoc sedulus est, illud est, ut evincat ab olim Raetis ius Imperii non fuisse in Vallem Tellinam, quod Raetorum Historici hactenus *anantirrytos* memoriae prodiderant. Id quidquid sit, nos alias *can us kuryos thelysy kai Zysomen* excutiemus: nunc saltem observamus Valtellinos apud Veteres haud aliter quam *Vennones*, aut *Vennonetes*, aut *Valturenos* nuncupari, nunquam Raetos; & quando Raetiae denominatione etiam Valtellini comprehensi reperiuntur, id non ab origine gentis, sed a Raetorum dominatione arcessendum est, quae iura dominii super illas quoque terras olim exercuit, uti mox notabimus. Nec favet Quadrii adserto STRABO, qui Raetorum terras supra Comum collocat. i) Straboni enim minime propositum fuit tractus a Raeto, ac coloniis eius cum eo egressis occupatos determinare; verum designabat ille tantum limites Provinciae Raeticae, uti AUGUSTI Caesaris aevo, quo vivebat, terminabantur, qui utique erant a Meridie Comum, & Isubres, ad Occidentem Helvetii, ac Lepontii, ab Oriente Verona, ad Septentrionem Norici cum Vindelicis; quibus autem finibus non Raeti modo, sed & Sarunetes, & Estiones, & Vindelicorum pars comprehendebantur, quos Raetos origine fuisse oppido nemo adseret. Denique, ut & hoc addam, cui, quaeso, fit probabile, Raetum cum suis coloniis aspera Alpium claustra, castris, ac opulentia, Vallesque Rheni, ac Oeni populis impleviſse, quando cis Alpes mitiori coelo uti concessum fuisset? Sunto vero & Valtureni Thusco sanguine orti, sunto, a quocunque velit Quadrius, (nec enim invidemus) olim in eas Insubriae angustias coniecti; id certum est Raetici nominis, originis, ac memoriae apud Valtellinos nec volam, nec vestigium reperiri: omnia ad Rheni, ac Oeni fontes demigrasse.

Gen-

*) Quadr. Tom. I. Diss. II. pag. 69. Io non voglio negare, che quei Populi, che uscirono già un tempo della Valtellina per distendere i lor confini, abitino ora intorno alle fonti del Rheno, & che gli abitatori del Rheno, e tutti i Reti non siano discendenza de' Valtellinesi, che furono i primitivi Reti, e legittimi, che fossero al mondo. &c.

i) Geogr. Lib. IV. & VII.

Gentis Raeticae, postquam in antenominatis Vallibus consedit, ad Seculum usque XV., quo in id corpus, quale nunc compaginatum visitur, coaluit, varia fuere fata. Primum quidem per aliquot Secula Raeti multiplicati, ubi ab habitatione, victuque asperiori ferociores evaserunt, pomeria protendere sunt aggressi, tantumque conatibus Dea favit fortuna, ut limites cis Alpes ad usque Comum, Tridentum, Veronam, hinc vero ad Acronium, ac Rivanum usque lacus extenderint. De temporis periodo, qua id factum sit, proditum non reperio: vero tamen cum TSCHUDIO k) simile existimo, Raetos ea tempestate dictas terras occupasse, qua Helvetii, devastata igne patria, irruptionem in Gallias tentarunt, referente Caesare in superstitibus commentariis. Eo quippe temporis puncto vacuae factae sedes proximos ad inhabitationem invitarunt ab una parte: ab altera credibile, distractas Romanorum in debellandis hostibus vires, iacturam terrarum a Raetis occupatarum facilius contemsisse, quam de repellendis intra primos limites invasoribus cogitasse; eoque pacto Raeti, quae occupaverant, inoffense retinuerunt: idque a parte Helvetiam versus vergente tanto facilius, quod Helvetiis a clade residuis ad lares derelictos remeantibus satis superque adhuc agri supereresset. Verum haud diuturna ea gloria stetit. In dies crescens Romanorum potentia omnibus formidanda, vbi alas super Celtas, ac Germanos extendere coepit, quum Alpium itineribus ad populos in obedientia continendos carere non posset, illico Raetos impetendi, & sub iugum mittendi occasionem captavit. Traducebantur Raeti, quod latrociniis infestare cuncta, raptoque vivere adsueti essent: ad eorum igitur reprimendos spiritus cum numeroso exercitu ab AUGUSTO Caesare in Raetias missi sunt eius privigni TIBERIUS, & DRUSUS, qui gentem, multo licet labore, tandem rupibus deiectam perdomuerunt, triumphumque de ea reportarunt l). Ex eo tempore Raetia in PROVINCIAM ROMANAM redacta fuit, quo tamen titulo & Vindeliciae, & Helvetiae modernae pars comprehendebatur, ut paullo ante diximus; atque a PROCURATORIBUS, ut dici solebant, Praesidibusve, seu a Caesare, seu a Senatu mitti solitis, qui in aliquo Raetiae castro, fere autem in Arce Martiala, Episcoporum Curiensium postea facta sede, considebant, gubernabatur. Id com-

k) Alpisch Rhetien. l) Strabo Lib. VII. Horat. Lib. IV. ad 4. Plin. Lib. III.

commodi a Romanorum Imperio Raetici tractus senserunt, quod dum castellatim militem praesidiarium ad gentem obsequio insuetam in officio continendam conservare necesse habuere, pleraque itinera in locis deviis, & in dorsis saxosis, aut confragosis alia aperta, alia amotis obicibus repurgata, multa squallentia transversis tramitibus complanata fuerint, sic ut nihil esset in tota regione tam scopulosum, & inaccessum, quod non suo militi pervium, ac superabile vis Romana fecerit, ipsisque sarcinariis iumentis, imo plaustris, bellicis machinis, aliisque impedimentis omnia meabilia reddita sint. Magnam partem horum ipsi JULIO CAESARI deberi vulgaris fert opinio, a quo etiam nomen ALPES JULIAE sortitae esse dicuntur, quarum iter est silice stratum, & in quarum culmine impressa specie orbitae vestigia adhuc recentissima cernuntur. Nec sine stupore, inquit PASCHALIUS, m) quis Malogiam montem transierit Romano opere insignem, qua ex dicta Alpe Julia pronum est & in Oengadinam, & in Praegalliam, seu mavis Praejuliam iter, ut & per iugum Berninae, ac Peschiavii in Vallem Telinam. Eo itaque pede stante forti illo Imperio, Romani Duces Raeticis Iugis degressi, ex Italia in Germaniam, & vicissim, legiones introducebant. Raeticae autem Provinciae etiam accensebatur Vindeliciae pars, cuius AUGUSTA caput erat; unde divisio nata RAETIAE PRIMAE, nec non superioris, quae stricte Raetiae fere modernae limites sequebatur, & RAETIAE SECUNDAE, & inferioris, qua tractus reliqui ad Noricorum usque confinia continebantur. Sed ubi vis imperii decrescere coepit, nec se Roma suis amplius consiliis regeret, tunc & Alpium Raeticarum transitus, qui nihil molientibus nullo amplius usui erant, exoleverunt. In MOMYLLO AUGUSTULO Anno post Chr. n. 475. finem Romanum Imperium habuit: eoque ab ODOACRO Gotho devicto, multae aliae, speciatim vero Raetica Provincia, in victoris potestatem devenerunt. Non multo vero post ipse ODOACER a THEODERICO veronensi, tribus proeliis, quorum ultimum ad Abduam, forte intra Raetiae limites, dimicatum est, n) superatus fuit; indeque Raetia Regibus Italiae usque ad THEODEBERTI, CLODOVEI Galliae Regis Nepotis tempora paruit, qui prolato late imperio, & Raetiam Franciae ditioni adiecit. Circa Seculi denique XI.

m) Leg. Raet. ab init. n) Puteanus in Hist. barb.

initia Gallicam potentiam magnitudo excepit Imperatorum Germaniae, sub quibus in varias ditiones, ceu satrapias divisa per Praefectos gubernabatur, qui titulis, ac potestate Comitum, ac Baronum clientelam Caesari debebant. Baronibus istis, ac Comitibus cum temporis progressu, ex indulgentia Caesaris, cuius favori studebant, ditiones ipsis commissae in haereditarias dynastias transivere, nemine se opponente, super quas Autocratorice, imo impotenter dominabantur, atque Seculo XIV, Iurisdictiones, quae hodiernam Raetiam componunt, a sex, septemve talibus Dynastis iura accipiebant, quorum praecipuus erat Curiensis Episcopus, spirituali quoque potestate tremendus: reliqui erant Abbas Desertinus in gradum Principum Imperii sublatus, Comites de Monsaxo, & Toggenburgo, Barones de Raetia-ima, de Bellomonte, & de Verdenberga. Curiensis Episcopi, ut specialia designem, erant omnes fere nunc dicti Cathedralis foederis Iurisdictiones, nominatim 1. urbis Curiae, 2. Quatuor-Pagica, 3. Burguniana, 4. Bivienſis, 5. Aversana, 6. Supra Saxensis, 7. Imi castri, 8. Fürstenoviana, 9. Oengadinae supra fontem Merulam, 10. Oengadinae infra Merulam, 11. Ardetiensis, 12. Scoliensis, 13. Remussiana, 14. Praegalliae supra, 15. & infra Portam, 16. Pesclavii ac Brusii, 17. Monasterienſis supra Casam Venae, 18. cum Damalienſe infra Casam Venae. HEHRICUS VERDENBERGICUS binas Ortensteinianam cum supra Vatienſe: Abbas Desertinus Desertinam: HUGO VERDENBERGICUS tres, nempe 1. Altotrinianam, 2. Sclevenianam, 3. Laaxienſem: HENRICUS VERDENBERGICUS modo nominatus, praeter duas iam memoratas, quatuor adhuc 1. Thusciensem, 2. Cepinensem, 3. Sexamninam, 4. Spelucensem, licet in binis posterioribus etiam TRIVULTII Mediolanenses non nihil iuris exercerent: BARONES RAETIENSES, quinque puta 1. Raetiae-imae, 2. Stussaviae, 3. Tennae, 4. Oberſaxi, 5. Vurtii: BARONES MONSAXENSES sex, nempe 1. Monsaxi, 2. Rogoreti, item ceu Bellmontiorum haeredes, 3. Flemiensem, 4. Foveanam, 5. Leguntinam, 6. Vallensem: FRIDERICUS TOGGENBURGICUS totum fere hodiernum tertium foedus, decem puta Iurisdictiones 1. Davosianam, 2. Coenobianam, 3. Castellanam, 4. Acerianam, ubi tamen & Capitulum Curiense peculiaria iura habebat, 5. Malansianam, 6. Majaevillanam, 7. Bellfortensem, 8. Corvantianam, 9. Scanavicensem San Petrinam, cum Longopratensi, tenebant, totidem

totidem Principes, seu Regulos dixeris. Dynastae isti, quum Leges iusti & aequi non observarent, verum omnia divina humanaque iura temerarent, in causa fuere, quod populi, quibus dominabantur, tyrannidis pertaesi, in mutua foedera ad repellendam vim coire coeperint; eoque pacto licentia Dynastarum in ordinem coacta est. Confederationes istae circa Seculi XV initia tractatae fuerunt, eo cum successu, ut Anno MCCCCLXXI. ab omnibus, quae nunc corpus Raeticum conficiunt, Iurisdictionibus per Deputatos Vazerolii, loco intermedio, in Tabulas foederales iuratum fuerit, quae, fundamentalium Legum loco, subsistratae sunt in perpetuum observandae. Per Foederationem adeo arctam fracta Dynastarum potentia fuit, sic ut iura, quae isti habebant, ipsimet lubenter populis, suis antea subditis, erga pecuniae summas vendiderint; eaque ratione paullatim factum est, ut ius omne territoriale, civile, ac criminale in Populum devenerit. Quumque non ita diu ante, ob easdem causas, Societas Helvetica coaluisset, Raeticae confoederationes, eo quod filum duplicatum, quod vulgo dicitur, difficilius rumpatur, peculiari foedere eidem, & illa vicissim his in defensionem adversus omnem iniustam externam vim, se obstrinxerunt: libertatemque semel indeptae eam armis unitim adversus MAXIMILIANUM Caesarem Anno MCCCCXCIX. propugnarunt, eamque tum in Transactione Basileae dicto anno stabilita, tum in Vestphalica etiam Pace anno Seculi superioris quadragesimo octavo conclusa obtinuerunt, sic ut juxta cum Helvetiae Pagis, Raeticae Iurisdictiones libera ab Imperio Romano Respublica declarata sit, habeaturque.

Hoc pacto formatae REIPUBLICAE RAETICAE terrae ab ortu Tyrolensi Comitatui, ab occasu Dynastiae Bellinzonensi, a meridie Ducatui Mediolanensi, & Bergomatibus, Brixianisque Venetae ditionis, a Septentrione Uraniis, ac Glaronensibus Helvetiis confines sunt; tractus Europae utique editissimi, quique merito Europae vertex dici possunt. De istorum enim jugis RHENUS, RHODANUS, OENUS, TICINUS, ATHESIS, ne omnes minores memorem, descendunt, flumina celebratissima, maiorem Europae partem irrigantia. Mundi isthaec plaga tota ex montibus editissimis, ac plerumque in summitate nivosis constat, qui in cacumina exeuntes convalles plurimas diffindunt, in omnes partes exeuntes, quarum praecipuae sunt

illae, quas fluviorum principalium Rheni, ac Oeni Alvei formant. Valles depreſſiores frugum, ac uberes ſegetis, alicubi etiam vini feraces ſunt: editiora loca paſcuis, pratorumque proventu incolis affluentiam edunt, ubi ſedulo labore excoluntur. Vallis Tellinae, nec non Clavennenſis ubertas, vinique praeſtantia notiora ſunt, quam ut laudibus eius depredicandis operam inſumam. Licet vero populi antememoratas terras incolentes unam Societatem conſtituant, in TRES tamen Societates inaequali diviſione, quam tempus adgregationis formaviſſe videtur, diviſi conſiderantur, qnarum quaevis LIGA Italico ſimul, ac Raetico vocabulo, latine FOEDUS noto axiomate vocari ſolet. PRIMUM FOEDUS, quod etiam a ſitu SUPERIUS, item GRISEUM, ſeu CANUM vulgo audit, antiqua quidem nomenclatione, cum vel ex AMMIANO MARCELLINO noti ſint campi cani *), orta, ut vulgo creditur, a recepto olim veſtimentorum colore nativo, cuiusmodi pannos incolae illi geſſiſſe perhibentur. Sitae ſunt iſtius Foederis terrae ad ſeptentrionem, & occidentem, Helvetiosque Uranios, ac Glaronenſes, Bellinzonenſesque adtingunt: de altiſſimi Adulae montis iugis Rhenus biſurcus exoritur, cuius unus amnis ſuperiorem, alter inferiorem Iugi, ad aliquot milliaria protenſi, partem alluit, eoque deſinente amnes in unum fluvium haud procul a Curia urbe coaleſcunt. Secundum Sectionem, quam dictum Iugum format, diſpeſcuntur illius Foederis terrae in eas quae ſupra Sylvam, & eas quae infra Sylvam ſunt, diviſione fere aequali. Supra Sylvam ſunt conventus quatuor, *Deſertina*, *Vurtium*, *Leguntia* Vallis, cum *Foveana* tellure. Infra Sylvam Valles *Meſaucia*, *Rheiana*, & *Tomiliaſcae* pars ulterior, cum *Raetienſi* Dominio, caeteris pares cenſentur; qui tamen conventus rurſus in Iurisdictiones minores, numero decem & novem, ſubdividuntur.

E regione Griſeorum ad meridionalem, ſeu dexteram Rheni ripam ſunt Foederis Cathedralis ſive Domus Dei Communitates, ſex conventibus maioribus comprehenſae. Adhaeſit id nominis iſtis ab aede cathedrali Epiſcopatus Curienſis, germanice vulgo *Gottshaus* dicta, cui illas longe maxima ex parte paruiſſe ante memoravimus. Secatur & iſtud Foedus a Iugo Alpium Iuliarum ad Tyrolis usque Comitatum protenſarum

*) Lib. XV.

sarum in undecim conventus Maiores, ex quibus sex extra alpes versus Septentrionem, quinque intra illas Meridiem versus spectant. Illos constituunt I. Urbs Curia, II. Quatuor-Pagi, III. Vallis Tomiliascae pars citerior, IV. Vatium superius, V. Supra Saxum, VI. Bivium. Hos I. Praegallia, Clavennae Comitatui adtigua, II. Superior Oengadina, III. inferior Oengadina, IV. S. Mariae seu Monastica Vallis ad Athesis fontes, V. cum Valle Pesclavii ad Ostia Vallis Tellinae. Dictorum Conventuum quivis in duas pariter dispescitur Iurisdictiones, uno excepto, sic ut istius Foederis Tribunalia numero completo viginti & unum numerentur.

Foedus Tertium, a numero DECEM Iurisdictionum dictum, terras a confiniis Oengadinae secus Tyrolenses limites, ab Austro in Septentrionem porrectos complectitur, in conventus septem distributas, puta Davosianum; in Valle Raetigoia Coenobianum, Castellensem, Acerianum; extra claustra ad Rhenum Majaevillanum; & ab Alpium Raetigoiae parte conversa Scanavicanum, denique Corvantiense.

Singulae Foederum Iurisdictiones suos habent Magistratus, ex populi numero electos, qui quovis anno, aut biennio commutantur: hique civilia, ac criminalia, secundum Statuti recepta, quae apud alios alia sunt, dirimunt. Insuper quodvis Faedus suum habet Iudicem Provincialem, diverso titulo distinctum; Grisei enim Praeses LANDRICHTER, Cathedralis PUNDSPRESIDENT, Tertii PUNDSLANDAMMAN germanice salutantur. Horum est publicis commodis tum sui Foederis in specie, tum Reipublicae in genere invigilare, Comitia, sive ordinaria, sive extraordinaria indicere, conventibus Oratorum a populis delegatorum praesidere, & secundum suffragiorum pluralitatem sententiam pronunciare.

Senatus Trium Foederum duplex est: alter magnus, ad quem a singulis Iurisdictionibus Orator, unus pluresve secundum distributionem receptam delegatur, constatque ex assessoribus Sexaginta tribus: viginti septem nempe Griseis, viginti & duo cathedralibus, quatuordecim demum ex tertio Foedere delegatis. Ordinario congregatur ille singulis annis semel, medio fere mense Augusto Ilantii, Curiae, ac Davosii,

vosii, cuiusque Foederis metrocomiis alternando: Praesidetque in illis ex antenominatis Praesidibus ille, sub cuius ditione Comitia, sic vocatur Ampliſſimus Senatus conſeſſus, congregantur. Non ſtat autem penes Senatorum arbitrium dicere ſententiam, verum tenetur quisque eorum ex Inſtructione eorum, a quibus delegatus eſt, pronunciare. Articuli enim, ſuper quos deliberatio inſtituenda eſt, ante confluxum per Praesides ad Communitates mittuntur. Licet vero Foedus unum ab altero ſuffragiis ſuperetur, neutiquam tamen ea pluralitas in cenſum venit, ubi inter ipſa Foedera controverſia agitur. Sed tum quodvis Foedus, ut aequale, conſideratur. Tractatur in Comitiis de rebus ad integrum Reipublicae corpus pertinentibus, de pace, de bello, de Foederibus, Legationibus, de Religione, Legibus, Edictis. Audiuntur Appellationes, quae ex Communibus Praefecturis ad ſupremum hoc Tribunal fieri contingit. Quando inter Communitates diſcordiae gliſcunt, ſuper modum, quo componendiae ſint, decernitur: et quae in hunc cenſum alia.

Modus vero domeſticas componendi controverſias ex Regiminis conſtitutione, Democratica utique, petitus eſt, ex cuius tenore poteſtas Autocratorica tota exſulat. Iuſtitiae regula indicatur, hoc quidem ordine. Si inter Tria Foedera controverſia fuerit orta, ex ſingulis Foederibus tres, vel quatuor deliguntur Iudices, qui ſoluti a iuramento, quo ſuo quisque Foederi obſtricti ſunt, cauſam vel amice componant, vel ex aequo, & bono dijudicent. Quod ſi paria fuerint ſuffragia, communibus trium Foederum ſuffragiis eligitur Arbiter. At ſi duo tantum Foedera inter ſe litem habeant, defertur cauſa ad tertium Foedus, a quo Iudicium utrique Parti aequum conſtituitur, ut eo utantur. Ubi inter duos conventus, ſive Iurisdictiones controverſia oritur, deciſio committitur iudicio conventus proximi in eodem Foedere. Si vero diverſorum Foederum conventus inter ſe contendunt, tum Senatus trium Foederum Iudices conſtituit, qui cauſam cognoſcant. Quando conventus aliquis, aut etiam privati homines litem habeant cum ipſis Foederibus, duo, vel tres e ſingulis Foederibus Iudices eliguntur. Quando duo Foedera adverſus unum litem habent, Iudices totidem ex una, totidem & ex altera parte deliguntur: hi ſi cauſam decidere, aut componere non poſſint, Trium Foederum ſuffragiis

arbiter

arbiter deligitur. Ex quo liquere mihi quidem videtur, quod si Statuta, ut deceret, observarentur, nullam aequabiliorem, & omnium commodis accomodatiorem Regiminis formam fore, Democratica: at & hoc certum a nulla facilius confusiones, ac turbelas tot tantasque admitti, ut sub eadem contingere tristis docuit, docetque experientia. Centies enim contigit, Primoribus inter se collisis, & inveterata simultate exacerbatis, quod ad superandum in Iure, iuribus postpositis, omnia ea in Subsidium vocata sint, quae ad contrariae partis vires labefactandas facere iudicatum. Vulgatissima ars est, antagonistam studio supprimendi populi, libertatem onerare; id enim crimen dissemina-tum, si modo quempiam veritatis colorem habeat, illum in maximam invidiam adducit; neque semel tantum evenit integras cohortes suis sedibus excitatas fuisse ad Jura sua adversum illum, cui id designatum crimini dabatur, vindicanda: suoque malo saepe experta est Raetia nunquam eiusmodi confluxus absque maximo illato tum Reipublicae, tum privatis damno desiviisse. Consueverunt enim cohortes excitatae Tribunal ex multitudine constituere, cui censura in accusatos demandatur. Istud fere nil sibi aliud laboris consuevit habere, quam ut eum, eosve, in quem, quosve excitatae multitudinis furor despumat, capitaliter insectetur, opesque eorum praedae, ultionique destinet. Hinc Paschalius Regis Christianissimi Orator, qui modum agendi huiusmodi Tribunalis censorii (*Straffgerichtum* vocant) suis occulis lustravit, hanc dedit definitionem, seu mavis descriptionem: *Straffgerichtum*, inquit, *est is hominum, paucis exceptis, imperitorum, ac truculentorum consessus, qui rebus turbidis a mota, & lasciviente multitudine educitur in hoc, ut saeviat in personas, & fortunas eorum, quos vel sua pravitas, si facinorosi homines sunt, aut si boni, sua infelicitas, his duris capitibus mactandos obiicit: igitur ea omnia ibi aspere, & violenter, ex rumore, & libidine plebis, & partis iratae agit, hanc saeviendi occasionem iam diu aucupantis.* Tribunalia ea Seculo superiori frequentius celebrata, tandem ruinam Raetiae adtulerunt. Post redditam pacem cautiores suo damno facti Raeti a diro agendi modo prudenter abstinuerunt.

Alter Senatus, quem minorem vocamus, germanice *beytag*, ex Praesidibus Foederum, & aliquot Deputatis aequali ex singulis Foederibus

ribus numero evocatis, constat, & ob negotia alicuius momenti Rempublicam spectantia, & frequentius occurrentia; fere semper Curiae loco multis nominibus commodo, circa Natalitia festa, aut paullo post, ordinario cogitur. Sed non plena decreta faciendi potestas est penes hos: verum Acta ad Communitates separatim referuntur, & quod maior earum pars statuerit, ratum est. Ultima enim provocatio est a Senatu ad Communitates, quarum ideo suffragia, Scripto mandata, confessui exhiberi debent, ut ex numero Superiori Iudicium ferri queat. Haec de Raetia dominante.

Raetorum ditiones subditae sunt Vallis Tellina, CLAVENNAE, & BORMII Comitatus duo, idque tum iure donationis a MASTINO VICECOMITE, Anno MCCCCIV Curiensi Episcopatui ob accepta in exilio beneficia factae; tum belli, eo quod Anno MDXII Raetorum populi, pulsis inde Gallis, eas armis sibi subiecerunt; tum cessionis, & a MAXIMILIANO SFORTIA Mediolanensi Ducatui restituto, tum a FRANCISCO I. Galliarum Rege, deliberato animo, stabilitae, quorum omnium Tabulae exstant: ne quid de sanguine profuso tam in pugnis adversus Jo. Jac. MEDICEUM Castellanum Mussiensem, rebellioneque Valtellinorum Seculo superiore facta, gravissimisque expensis in bellicis tumultis factis dicamus, ex quorum tamen consideratione, in foedere perpetuo cum Hispaniarum Rege, ceu Mediolani Duce Anno MDCXXXIX. icto, supradictae regiones, Raetis restitutae sunt. Comitatus BORMII a septentrione cathedralibus Engadinis, ab Oriente Athesinis Tyrolensibus adtiguus, & ob situs altitudinem frugum minus ferax, uberrimis tamen pascuis laetus, vicatim colitur. Sunt ibi etiam nobiles thermae, varii generis morbis curandis saluberrimae, quarum praestantiam inter alios GASP. SERMUNDUS, CONR. GESSNERUS, & nostro Seculo Helvetiae Plinius JO. JAC. SCHEUCHZERUS edisserunt. Declivi inde itinere, secundo Abdua flumine, meridiem versus descenditur in VALLEM TELLINAM, Mediolanensi Ducatui, cuius olim partem constituit, confinem ob coeli clementiam, frequentiam incolarum, maxime vero ob vini praestantiam multorum laudibus decantatam. Dividitur ea in tres partes, vulgo squadras; notanturque in suprema, Pesclavinensibus Raetis vicina, TIRANUM Oppidum cum TILIO Communitate ampla:

ampla: in media SONORIUM, cum PONTE, nec non MONTANA regione amoeniſſima: in infima MORBENNA, TRAHONA, ARDENNA cum villis, ac oppidis haud ſane paucis. *Provincia* enim, ut cuiusdam utar verbis, *adeo populo referta, ut quocunque oculos circumferas, aedes Sacras paſſim per montana, & arbuſta videre detur, & intra exiguum Spatium*, (decem fere germ. milliarium in longitudinem, latitudo enim ob inaequalitatem in cenſum non venit) *numerentur ſupra ducentas*, (Quadrius ipſe indigena, ſupra trecentas) *parochias* o). In exitu Vallis ad Auſtrum, loco pene inexpugnabili, Anno Seculi ſuperioris tertio, Petrus AZEVEDO, Dux de FUENTES, Turrim Oloniam, olim ſolo aequatam, nil curato pacto Anno 1531. cum Mediol. Duce inito, cuius tenore quidquam propugnaculi in illa ora extruere vetabatur, reſtauravit, deque ſuo nomine Arcem Fuentanam dici voluit, quae ingreſſui Vallis in ea parte dominatur. CLAVENNAE Comitatus ex lacu lario, qui ad Auſtrum eſt, per Vallem s. JACOBI dictam, recta linea ad SPELUCAE Rhenanorum Raetorum metrocomiae iuga porrigitur, ab oriente Praegallis, & ab occidente Meſaucis pariter Raetis adtiguus: videturque primarium eius oppidum ob itinera, quae in Germaniam, & Italiam per montium fauces pandit, appellatione haud incongrua, a *Clave* nomen fuiſſe ſortitum: unde ob mercium per haec clauſtra transportationem mercaturae exercendae inprimis accommodatum. Opulentia, & ſplendore Clavennae proximum in eodem Comitatu erat PLURIUM Oppidum, quod vero Anno MDCXVIII. a ſuperne delapſi montis ruina totum ſepultum iacet.

Ad gubernandas ſubditas terras modo memoratas Raetica Foedera Praefectos mittunt, qui quovis biennio permutantur. Ab occupata Valle Telina, ditionibusque reliquis, ad Seculi illius usque finem, penes Senatum Raeticum ſtetit delegatio Praefectorum, qui in Provincias mittebantur. At ob abuſus, qui circa electionem, & iuſtitiae adminiſtrationem ſubrepſerant, ſtatuta Anno MDCIII. lex fuit, cuius ſenſu Praefecturae, ſecundum Iurisdictionum, ſeu Communitatum Raeticarum ſeriem, diſtribuuntur; & poſtea factum, quod Magiſtratus illi fere

o) v. Quadr. Tom. II. p. 495. it. Kypfeler Etat & delices de Suiſſe.

plus licitantibus venditi sint, & Reformatio in deformationem degeneraverit. Tales Praefecti mittuntur in Vallem Telinam sex, quorum primarius titulo Capitanei, seu Gubernatoris, una cum Vicario Sondrii considet: reliqui quatuor Tirani, Tilii, Morbennii, ac Trahonae, Praetorum, seu Podestá axiomate, Dominicalia Iura exercent. Eodem Elogio gaudet Praefectus Burmio, alter item, qui Plurienſi Territorio: potestate licet eadem fruatur Praefectus Clavennae, titulo tamen Commissarii a caeteris distinguitur. Statuta, secundum quae gubernatio observatur, sunt ad modum Iuris Caesarei per Iurisconsultos Raeticos formata, ac primo Anno 1549., postea saepius typis recusa: quinimo in casibus, quorum in Statutis nulla mentio, Ius Commune Caesareum, ex ipsorum Statutorum dispositione, consulendum, & observandum est. Quaevis Praefecturarum suos Consules, & Cancellarios eligunt, qui, sub Residentis Raetici praesidio, deliberata in Acta referunt, tributa exigunt, & similia. Quae vero tributi nomine a subditis exiguntur, ita exigua sunt, & privilegia illis a Dominis Raetis diverso tempore concessa tot, ac tanta, ut miratus fuerit mundus, qui factum, ut Seculo superiore incolas illos taedium Raetici nominis, Hispaniae vero dominationis amor invadere potuerit.

Ultimo loco etiam de Raetiae populorum lingua aliquid dicendum. A locorum asperitate, & vitae genere agresti crassiorem, & efferatiorem reddi linguae pronunciationem, demonstratione non indiget, cum id ex experientia constet. Paria fata subiit lingua latia cum gente ipsa, ut, deposita nativa mollitie, ac lenitate, asperitatem induerit: unde iam suo aevo Livius, Raetos *de prisco labio nil praeter sonum linguae, nec eum incorruptum retinuisse, memoriae prodidit.* p) Interim a latinis fontibus propius abest, quam vel Hispanica, vel Gallica, ullave alia dialectorum ad Romanam civitatem genus referentium: licet & in eo ipso pronunciationis non exigua detur varietas. Interea non ita angustus ante tria, ac retro Secula usus Raeticae linguae erat, uti nunc est; passim enim ea loquebatur apud Estiones, Sarunetes, illinc; hinc vero apud Vennones Athesinos Bolzanum usque, nec non in Oenana valle, cuius Oenipons caput est. Nec multum super duo Secula

p) Lib. V. cap. XXXIII.

cula elapsa sunt, ex quo apud dictas ditiones Raeticae linguae usus exolevit, quarum exemplum ipsa quoque urbs Curia cum vicinis pagis mox secuta est. *) Qui hodierna die Raetica utuntur dialecto, sunt Grisei omnes, exceptis Rhenanis, Stussaviensibus, Vallendaunienſibus, ac Vallensibus, extrema, aut suprema montium incolentibus, ex ratione supra allegata; praeterea Cathedrales omnes, solis exceptis Aversanis, editissimam, ac asperrimam Regionem insidentibus, & cum Curia urbe, quatuorpagicis ei vicinis. Tertii enim Foederis Raeti, uti gente a Rucantiis, & Vallesiis, seu Viberis descendere dicuntur, sic etiam germanica omnes lingua utuntur. Ita angusto licet contineatur locorum spatio Raetica lingua, nihilo tamen minus dialectus haud parum variat. Oengadini quippe suam ab olim *ladin* vocant, appellatione a latina deducta, sicuti & majores suos e *Latio*, Hannibalis tempore, in has oras venisse gloriantur: debeturque saltem id laudis ei dialecto, quod molliore accentu, & ad latinam linguam proxime accedenti fruatur. Extramontanorum vero dialectus vulgo Romanica audit, estque impurior, & plurimis germanicis vocabulis, (germanico enim sermone loquentibus intermixti vivunt) interpolata. Illa a Teutonibus, appellatione *Engadiner Welsch*, ab ista, quae *Rumonsch*, item *Chur Welsch*, dicitur, vulgo distingui solet. Praegalli, Mesaucii, juxta cum Clavennatibus, Valtellinis, & Bormiensibus italicam eodem, quo vicini Brixienses, Bergomates, ac Locarnenses, sono efferunt dialectum. Tanta ante beatam Reformationem ruditas exstitit, ut persuasio omnibus insideret: Raeticam linguam scribi non posse: q) verum hanc maculam juxta ac barbariem Raetico nomini affricatam, mature satis absterſit renatum Evangelium, cuius apud Raetos ortum, ac progressum nunc describere ordimur. Haec ad institutum nostrum. Plura qui volet, affatim reperiet apud TSCHUDIUM, STUMFIUM, SIMLERUM, GULERUM, SPRECHERUM, aliosque, qui haec ex professo pertractarunt.

*) Tschud. Alp. Raet. fol. 5. Edit. Basil. de 1538. *Die gemeldt Raetisch spraach ist innert anderthalb hundert Iahren merklich abgangen, und die teütsch zugenohmen, als noch täglich bschiht; dan Wenig über Menschen gedächtniss die stadt Chur, und fährer hinab noch alles Welscher spraach gewesen, so jetz die teüsch angenohmen.*

q) Tschud. Alpisch. Raet.

CAP. II.

De plantatione religionis Christianae in Raetia, eiusque Statu usque ad Sec. XVI. quo Reformatio Ecclesiarum incepit.

Non est nostri instituti, in nomina Deastrorum, quibus Raeti divinum cultum exhibuerint, aut modum, quo falsa illa numina adorata fuerint, curiosius inquirere. Et quum extra Abrami sobolem, quam solam benignissimus Deus antiquis illis temporibus sui revelatione dignatus est, caeterae gentes omnes, infinitae Deorum multitudini cultum fecerint, mirari nemo debet, si & illa gentium numina, & in specie ea, quae in avita patria recepta erant, in Raetiam quoque introducta fuisse fidenter asserimus. Observarunt interim viri antiquitatis studiosi, inter caetera Solem, Lunam, Hertum, Majam, Martem, Herculem, Sylvanum, Cisiam, Junonem &c. a primis Raetis culta esse; id ipsumque sane suadent lapides eruti, inscriptiones, & indicia plura ab iisdem allata. r) Purae annunciationi Evangelii Jesu Christi debetur abolitio elementorum egenorum, & idolis substitutis verus creatoris cultus: temporis vero periodum, qua primum per haec montana personuerit, non ita facile est determinare. Scriptores Ecclesiae Pontificiae, quando alicuius Ecclesiae origines eruere aggrediuntur, in more habent, ne quid gloriae desit, eius natales aut ad Apostolos ipsos, aut ad aliquem eorum discipulum aureae illi aetati proximum referre; qua gloria neque Raetiam nostram boni viri destitutam voluerunt. Etenim si post alios fides Bucelino habenda est, Petrus ipse Apostolorum Princeps, postquam Claudii Imperatoris edicto a Tacito in commentarios relato s) una cum caeteris Judaeis Roma pulsus esset, per Raetiam in alias terras, maxime Orientis, digressus est; heic terrarum sibi discipulos adquisivit, & post se reliquit, eorumque curam S. Barnabae Mediolanensi Episcopo demandavit. t) Nemo non videt ad summum nostrum honorem cedere tanti Preconis per Raetias itinera, & sanctos labores, si modo relationem suam firmo aliquo documen-

r) v. Guler. Lib. I. Hotting. Kircheng. Lib. I. pag. 36. & sqq. ad A. C. 50. &c. s) Tacitus Lib. XV. t) Bucel.

cumento, teſtimoniove firmaret Monachus: ſed quia id non facit, nec adducere poteſt, merito iudicii imbecillitatem prodidit, & credulitatem ludibrio expoſuit. Interim vero, quamvis id dilutum ſit, plura ſunt, quae edocent, Evangelii tubam non longo adeo poſt Chriſtum crucifixum tempore in his quoque convallibus reſonuiſſe. Nam paucis poſt benedicti Salvatoris aſcenſionem annis per univerſam Italiam praedicatum Evangelium fuit tum per Paulum, Petrum, aliosque Viros Apoſtolicos, plurimorumque Martyrum ſanguine Eccleſia irrigata fuit. Italiae vero adtigua erat Raetica provincia, per cuius itinera Romani, ob ſua cum caeteris gentibus dominia, continuum commercium, & tranſitum conſervabant; qui ergo factum fuiſſet, quo minus novae religionis fama in has quoque oras transfunderetur? Praeterea conſtat altero ſtatim Seculo florentes exſtitiſſe tum in Gallia, tum in Germania Eccleſias; prout eam in rem diſertis edocemur Irenaei verbis dicentis: *neque hae, quae in Germania ſunt fundatae Eccleſiae, aliter credunt, neque hae, quae in Iberis ſunt, neque hae, quae in medio mundi ſunt conſtitutae* u): nec non paullo iunioris Tertulliani: *In Jeſum univerſae gentes crediderunt - - & Maurorum multi fines, & Hiſpanorum omnes termini, & Galliarum diverſae nationes - - & Germanorum, & Scytharum, & quae minus enumerare poſſimus nomina; in quibus omnibus locis Chriſti nomen, qui iam venit, regnat.* x) Siquidem vero Raeti uno latere a Celtis, altero a Germanis, tertio ab Italis claudebantur, impoſſibile mihi fere videtur coeleſte iubar circumiacentia omnia, non ſimul etiam Alpium hos meatus, per quos tantum non omnis communicatio conſervabatur, colluſtraſſe. Quare aut me omnia fallunt, aut ſub eadem tempora ſcintillae divini ſolgoris etiam heic terrarum lucere, & ignem concipere coeperunt.

Interim ab olim, & vulgo Raetiae Apoſtolus praedicatur fuiſſe Divus quidam LUCIUS, de quo ut quaedam dicamus, neceſſitatem fecere fabularum conſarcinatores, quae vulgo Legendae vocantur Sanctorum. Tradunt illae „noſtrum LUCIUM ſanguine Regum Britan„niae prognatum fuiſſe, COILLI nempe filium, MANNI nepotem, „ARVIRAGI pronepotem; & Marco AURELIO, ac LUCIO

u) Lib. I. cap. 3. x) adv. Jud. Lib. 1.

„ VERO Romae imperantibus, Aerae vul. anno praeter propter 176.
„ Britanniae Sceptrum tenuisse. Probum hunc principem, aiunt, ad
„ indagationem doctrinae Christianae invitatum fuisse a fama gravissi-
„ marum persecutionum, quibus Christi nominis sequaces supremorum
„ imperantium auctoritate, ubivis per orbem impetebantur; & cum-
„ primis ex fama beneficii a Christianis divinitus obtenti, quo Roma-
„ norum exercitum adversus Marcomannos castra metantem siti exhau-
„ stum, & mox conficiendum, imbribus coelitus exoratis, refocilla-
„ verant; quae cum altius apud se volveret, in accurationem huius
„ religionis cognitionem pervenire desideravisse: & eum in finem El-
„ vanum, Medvinumque familiares suos, ad Eleutherium, Ecclesiae
„ Rom. tunc Antistitem, delegasse, petentes, ut sibi viri Apostolici
„ concederentur, qui se, subditosque suos de vita salutis informarent.
„ Non moratum diu, aiunt, Romanum Praesulem: sed ex templo
„ Fugatianum, & Donatianum in Britanniam demisisse, viros divino
„ flamine plenos; & horum sedula opera factum, quod Rex in veri-
„ tate amplius edoctus, & confirmatus, denique una cum tota regia
„ familia, & ingenti subditorum numero sacro rore Ecclesiae Christi
„ numero adiectus fuerit. Regem vero Lucium non contentum se
„ salutis viam indeptum, ad illam ingrediundam aliis quoque plurimis
„ auctorem esse voluisse, indeque prius non quievisse, quam Scotiae
„ Regem CONERUM ad eadem Christi Sacra amplexanda permo-
„ vissет; & Ecclesias longe plurimas reditibus magnificentissimis vel
„ instruxisset, vel funditus erexisset. Et siquidem audiebat plurimas ter-
„ ras cismarinorum divina luce carere, firmatis in regno suo Christi
„ rebus, suam operam ad illorum populorum conversionem destina-
„ visse. Sanctum opus igitur ut tanto facilius effectui daret, prius
„ opes regias in Ecclesias erogasse omnes, quo ab omni terrenorum
„ obstaculo immunis esset, tum clandestina fuga in Gallias transmigrasse,
„ indeque Germaniae terras emensum in Raetiam Secundam, seu infe-
„ riorem, quae Vindelicia erat, ad Lycum fl. concessisse: heic terra-
„ rum, & maxime Augustae, provinciae Metropoli, Christum, inter
„ discrimina innumera, praedicasse. Etenim & odio habitum, & con-
„ vitiis prosciſſum, & plagis afflictum, imo & aliquando lapidibus ita
„ obrutum narrant, ut mortuus reputatus in puteum coniectus fuerit.
„ Et quo quando Christianorum ope extractus, & vitae restitutus

evasit,

„ evasit, cedendum implacabili furori ratus, longo, & difficili per „ Rhenanos, Estionesque itinere in Raetiam superam, sive canam „ contendisse; & primo ad arcis Guttenbergae clivum, (cui a Divo „ nomen adhaesit) substitisse, unde ad ipsos Turgoios trans Rhenum „ excurrerit, denique supra arcem Martiolam, ubi urbs Curia nunc sita „ est, in quadam spelunca sibi latibulum fixisse, ex quo indefesse per „ circumvicinas valles, & montana circumeuntem, Christum pristino „ zelo resumpto, uberrimo cum fructu praedicaverit; suumque preco- „ nium prodigiis plurimis confirmaverit: quibus vero adducendis pru- „ dens abstineo.

„ LUCII Regis vestigia glorioſa maxime visa esse Sorori suae „ germanae EMERITAE prodiderunt iidem vitarum Scriptores, quae „ proinde fratrem quaerendi desiderio incensa, erogata in condendas „ Ecclesias regia dote, & ipsa circa Annum 194. in viam se dederit, „ & anxie quaesitum germanum, denique in antro illo supra arcem „ Martiolam invenerit. Unita horum opera factum dicunt, ut idolo- „ mania decrescendo in dies iverit, fidelium e contra numerus singu- „ lariter augeretur; quod cum aequis oculis aspicere Romanorum „ Procurator, in castro dicto confidens, non posset, EMERITAM „ comprehensam in vincula coniecerit, & siquidem nec precibus, nec „ minis ad apostasiam perduci potuerat, post multa inflicta supplicia, „ tandem Trimontii, uno infra castrum milliari, igni comburendam „ tradiderit. Lucium autem ad horribile spectaculum nec quidquam „ fractum Sororis cineres linteo involutas sepulchreto condidisse, cui „ denique fanum inaedificatum fuerit: sed neutiquam meliora fata „ Sanctum Regem mansisse: verum quia DOMINI horreo novos in „ dies manipulos inferre pergebat, paganos totos in rabiem actos, „ illum in arce Martiola lapidibus obruisse; cuius martyrio animi fide- „ lium mire confirmati fuerint, sic ut eius sanguis Ecclesiae, rigantis „ instar aquae, exstiterit. „

Haec iam est vulgata per Monachorum legendas, in ora plebis traducta de primo Raetiae Evangelista, aut, si cum Bucelino velis, primo sedis Curiensis Episcopo, relatio; qua quo loco sit habenda, emunctioris naris criticus, & per Historiae Ecclesiasticae periodos versatus

fatus quivis, facile iudicare poteſt. Nullae deſunt narratiunculae, quae ad fabulam requiruntur. Ecquis ſubitaneam Regis in eremitam converſionem, opum regiarum in Eccleſiarum fundationes prodigam erogationem, Templorum exſtructiones varias, cinerum Sororis collectionem, repoſitionemque audiat, & ſimul Monachorum aevi medii, ſequiorisque naeniarum, ineptiarumque non ad ſuperſtitionem, ſed ſtultitiam pleniſſimum genium non agnoſcat? Sciat enim lector velim, prodigiorum LUCIO adſcriptorum, qualia erant Bubalos, Urſosve ſolo nutu compeſcitos, & ad currum vehendum bovum loco ſub jugum actos fuiſſe, aliaque huius furfuris, taedium me cepiſſe referendi. y) Inde fit, ut ſubtilius rimata, cuncta diffluant. De LUCIO enim quando quaerimus, alii Britanniae Regem eum faciunt, alii Scotiae; alii plane diverſum a Rege inſulae illius: alii eum cum LUCIO CYRENAEO, Antiochenae Eccleſiae Doctore, imo vero Simonis illius *ſtauróphóru* filio confundunt: z) alii Pauli Apoſtoli commilitonem, cognatumve, nil curato parachronismo tam ingenti, contendunt. a) Tempus converſionis Divi iſtius LUCII tam eſt ambiguum, ut de eius articulo iam ſuo tempore numeraverit ſententias viginti tres, easque diverſiſſimas, celeberrimus Hottingerus pater. b) Quoad baptismum referunt, alii LUCIUM in Scotia ſacra unda ablutum eſſe per Timotheum Pauli diſcipulum; alii per Fugatianum, & Donatianum, ſeu, ut alii ſcribunt, Damianum; alii longius ipſum reiiciunt. Nec maior de morte conſenſus. Etenim alii tradunt, Lucium placide in Anglia exſpiraſſe, & tumulatum eſſe Claudioceſtriae, alii Martyrii coronam, vel invito, obtrudunt. Nec ſepulto quieſcere datur: ſiquidem, ſi aliis credimus, corpus ex Raetia in Britanniam transportatum, & ſupra citato loco terrae mandatum fuit; licet interea alii hunc honorem Londino urbi adſerant. Canonici autem Curienſes in Raetia, ſua in poteſtate ſtare reliquias LUCII, profitentur, & liberalitate ſpirituali, harum cultoribus generoſe diſpenſant, niſi falſus nos fallat Bucelinus. c) Non abſimilia fata ſunt EMERITAE. Nam qui Angliae eam adſerunt, cacumina montium, per quae vagata eſſe, & ad quorum radices paſſa eſſe dicitur, in Scotiam transpoſuerunt, atque TRIMONTIUM locum Curiae vicinum, ubi martyrio adfecta

y) Lyrer ot. Rankwyl Schwäb. geſch. §. 2. z) Act. XIII. I. a) Rom. XVI.
b) Hiſt. Eccl. Tom. III. in praef. c) pag. 58.

adfecta fuisse proditum fuit, in ora Scotiae occidentalis collocarunt, ne scilicet Lucii Evangelium in auras, & fumos iret. Accedit ad haec, quod Provinciae forma, in quam altero a Christi nativitate seculo redacta stabat Britannia, nullo modo admittat, ut vel Britanniae universae, vel potiori eius parti aliquis Regulus praefuisse dici possit: nullam plane inter Regum illius insulae monumenta memoriam, nomenve reperire potuerunt curatiores & diligentissimi Historici *l*).

Tanta & adeo multiplex discrepantia impulit eruditos ad Legendae huius auctorem in lucem protrahendum, quo de narrationis valore iudicium ferri possit: & primi, quod sciam, Illustris USSERIUS Armachanus, Scotiae Archiepiscopus, & celeberrimus SPELMANNUS, Anglus *m*), viri in Antiquitatibus Ecclesiasticis versatissimi, observarunt, omnium primum, qui Lucii Evangelia emigrationemque proferat, esse BEDAM Monachum Anglum, qui sub Sec. VIII. medium floruit, & VENERABILIS elogio notus est *n*). Plura is scripsit tum dogmatici, tum historici argumenti, ex quo posteriori inter caetera etiam adducuntur vitae quorundam Sanctorum & Martyrologium: & revera laudatur ab omnibus viri diligentia in conscriptione eorum, quae aevo suo contigerunt. Caeterum vero desideratur in eo iudicium, prout in caeteris eius seculi scriptoribus; illius quippe studium, & genius fere totus in convasandis fabularum, prodigiorumque plaustris positus erat. Agnoscunt id de Beda ipsi ex Pontificiorum grege oculatiores, Canus *o*), Dupinius, & alii *p*). Montacutii haec sunt verba: *Bedam, quod multa omisit memoranda, nemo excusaverit, qui piis fraudibus, hoc est speciosis miraculis, & infacetis fabulis enarrandis, bonas horas male collocavit: in illo nihil minus, quam Ecclesiastica historia q*). Super haec, qui nescit usitatam fabulatoribus fuisse artem, quas fecissent legendas, virorum aliqua pietatis, aut actoritatis laude clarorum nomine obtrudere, aut eorum scriptis adtexere? Iam vero sub Bedae titulo plura huiusmodi circumferri, nemo sustinet negare: lubens fatetur Bellarminus: *in vi-*

l) Rapin, Petavius. *m*) In Antiquit. Britt. Spelm. Concil. Otto adv. Baron. ad a. 183. Murer. Helvetia S. in vita S. Lucii. *n*) Beda Hist. Eccl. Lib. I. cap. 4. v. Benthem. Engl. Kirchenstaat Cap. VII. *o*) Loc. comm. lib. XI. cap. VI. *p*) Bibl. Tom. VI. pag. 97. *q*) Orig. Eccl. Part. II. p. 210.

tis Sanctorum plures esse, quae a Beda scriptae non sint r), & Labbeus, itidem Iesuita, recenset: *Bedae quod habemus Martyrologium neutiquam sincerum esse, sed multorum subinde additionibus locupletatum s*). Et vero vel Bedae fuerit insulsa de Lucio Rege narratio, eccuius ponderis ea auctoritas esse queat, ad adstruendam veritatem facti adeo prodigiosi, ante quingentos annos gesti, sed quod Superiores omnes, licet diligentissimi historiographi, ignorarunt? Diverbium illud: *inventis facile est addere*, adcuratius nemo observavit Legendistis: hinc ad ea, quae Beda, vel sub eius nomine potius quisquis ille protulerat, fabulam novis coloribus exornavit Galfridus Monmouthensis, qui circa annum MCL. floruit: ex eo tempore tantum quisque narratiunculae addidit, quantum de merito, & gloria Divi sui esse existimavit; indeque farrago illa enata est, qualem imperitae plebi hodiedum obtrudi videmus. Sed quia video in ipsa nostra Patria non deesse summos alias divorum patronos, qui narratiunculae futilitatem, nil curata commilitonum in contrarium veneratione, lubentes profiteantur, his fusius expromendis supersedere volo *t*).

Id solum addo in cathedralis Ecclesiae Curiensis Scriniis nil omnino reperiri, quod fidem facere legendae aliqualem queat. Iam ante duo, & quod excurrit, secula petierat a Ioh. Comandro primo Evangelico, post sacrorum repurgationem Curiensis Ecclesiae Antistite, Ioach. Vadianus illustris Musagetes, & Reip. Sancto Gallensis Consul, ut in origines, & tabulas fundationis adeo splendidae inquireret, & quae eam in rem ab Archivis Ecclesiae, aut Episcopatus suppeditarentur indicia documentave, sibi communicaret. Sed quam parum responderit voto tota indagatio, patet ex superstitibus adhuc, & a Goldasto editis ad Vadianum responsis *u*), quae nos heic totidem verbis exscribere volumus. Sic autem Comander ad Illustrem Consulem:

„ Gratiam & pacem a Domino Iesu Christo. Literas humanita-
„ tis tuae accepi, vir eximie, ac in primo versu exhortaris me officii
„ iamdudum impositi, ut ex annalibus, si qui forent, scitarer exor-
„ dia

r) De Script. Eccl. pag. 149. s) De Script. Eccl. t) Quadr. Tom. II. pag. 21.
u) Rerum Alamannic. Tom. III. pag. 154. 155.

„ dia, & fundationes Cathedralis Ecclesiae, ac Monasterii Divo Lucio sa-
„ cri. Ego quidem diligenter scisitatus sum apud Divum Lucium per
„ omnes fratres eius conventus: at hucusque nihil reperi. Ante men-
„ sem miserant ad me ingentem codicem membranis descriptum, anti-
„ quum, in quo, praeter historiam Divi Lucii, quomodo a beato Timo-
„ theo quondam ad Christi fidem conversus dicitur, penitus nihil repe-
„ ri. His vero diebus ego ipse Monasterium ingressus sum, perlustrare cu-
„ piens annales eorum. At illi suarum rerum adeo ignari, ut nihil su-
„ pra, non norunt tempora primordiorum, neque nomina fundato-
„ torum. Demum sic respondebant, Monasterium illud Praemonstraten-
„ sis Ordinis nunc, quondam Ordinis D. Benedicti fuisse. Hoc autem
„ certum, esse Monasterium suum ante annos plurimos flamma penitus
„ consumptum, & post quadraginta annos rursus pari clade interiisse: ob
„ quam causam suarum antiquitatum nihil reliqui reperiri posse. De
„ Cathedrali Ecclesia nihil quoque certi adhuc adeptus sum. Custos
„ eius Ecclesiae promisit se me in Archivum introducturum, ut ego ipse
„ libros eorum verram, ac a pulvere discutiam, si quid reperire pos-
„ sim. Hoc quidem quantocyus potuero faciam. Ego quidem, doctis-
„ sime Vadiane, hoc suspicor hominibus illis suarum fundationum bases
„ & exordia adeo lubrica & fabulosa videri, ut potius celare libeat,
„ quam prodere in lucem. Nihllominus operam dabo continuo & pro
„ virili, vt aliquid nanciscar tuo operi dignum ut inseratur. „

De Monasterio D. Lucii Iacobus Salandronius noster piae memo-
riae ita dicebat: „ Virum quemdam nobilem de Underwegen ex Scanfic
„ Valle, quondam aquis Blasurae suffocatum, ac illic sepultum & pro
„ Divo Lucio venerari, & a suis Monasterium illud initia sumpsisse. An
„ fabula sit, nec ne, ignoro. Vale. Ex Raetorum Curia, 26 Iulii,
„ 1532. „

Aliae eiusdem ad eundem literae in hunc modum se habent:
„ Gratiam & pacem a Deo Patre nostro, & Domino Iesu Christo.
„ Imperasti mihi iamdudum, vir spectatissime, vt diligenter inquirerem
„ primordia & fundationes Templorum Kathedralis, & Divi Lucii. Ego
„ quidem quam sancte iuro, quod diligentissime inquirendo indagando-
„ que nihil perscrutari possum. Monachi Divi Lucii prorsus ignari sunt

„ ſuarum rerum. Denique perluſtravi ego ipſe eorum Bibliothecam: „ at nihil reperi praeterquam haec barbara verba in quodam magno co- „ dice Homeliarum: *Anno Domini milleſimo CCCXXX Anno com- „ buſtum eſt eccleſia Sancti Lucii Regis & confeſſoris in die Sancti Lucae „ Evangeliſtae.* Poſtea ſequitur de Eccleſia quando conſecrata ſit, & de „ reliquiis altaribus incluſis. De Eccleſia Kathedrali exacte quaeſiui „ Magiſtrum *Lucium Iter*, eius Eccleſiae Canonicum, & cuſtodem, etiam „ apud M. Gaudentium de la Porta (alias Byaeſch) Canonicum: qui „ pariter reſpondebant: Scilicet ſe ſe monumenta non pauca habere „ ſuarum antiquitatum in depoſito recluſa, ſed eis non eſſe iocum aut „ tempus perlegendi, niſi aliqua neceſſitas urgeret. Idem reſponſum de- „ derunt etiam *Ægydio Scudo*, qui eadem rogavit, quae Ego, ut ſuis „ Chronicis inſereret. Nihil itaque aliud nunc reſpondere poſſum. Da- „ bo tamen operam in poſterum, ſi quid per me, aut alium quempiam „ inveſtigare queam. „

„ Caeſarem, aiunt, Mantuam veniſſe ante aliquot dies illic forſitan hy- „ bernaturum. Quidam Sacrificus Parochus in ditione Clavennenſi, nu- „ per ſpeciem Deiparae virginis ementitus, cuidam puellae apparuit, ac „ multa nugamenta edidit. Qui tamen deprehenſus, capite truncatus „ vitam finivit. Huius hiſtoriae tota ſeries deſcripta a iudice ipſo mi- „ hi dabitur, poſtea humanitati tuae mittam. Nam nebulo ille cona- „ tus eſt Evangelio Chriſti obeſſe ſceleſtiſſima hac fallacia. Vale, vir „ egregie. Ex Curia Rhetica 17. Novemb. An. Chr. 1532. „

Haec Comander. Quis autem non videt poſtremam duorum Canonicorum excuſationem eo ſolum fine in medium allatam eſſe, ne ſuam ipſi nuditatem detegerent, & ut moleſto ſe hoſpite liberarent? Adeo nulla ſunt, quae adducere hanc in rem potuerunt, aut hucdum poſſunt, Eccleſiae repoſitoria. Haec quoties contemplor, mirari ſatis illorum frontem non poſſum, qui praedicare non dubitant, Lucii ſacrum corpus in aula Epiſcopali Curiae, argenteo ſarcophago incluſum, adſervari, & co- li: & quid de illis dicas, qui ex S. Lucii reliquiis fautoribus & amicis generoſe gratificantur? quod ex Epiſcopi Io. FLVGII liberalitate Anno 1643. etiam ſibi eveniſſe, ſumma veneratione, & animi laetitia gratus recognoſcit Bucelinus *x*).

Quid-

x) Pag. 58. Lang. Grundr. Tom. II. p. 34.

Quidquid interim de Lucio agatur, confecta apud omnes res est, demum rem Christianam caput extulisse, quando Imperatores adgregati sunt Ecclesiae; quorum primus censetur Constantinus Magnus: sane ad veritatis, & iustitiae patrocinium, quando externa omnia accedunt invitamenta, incrementa utique longe maxima sint oportet. Sic etiam, Constantino sceptrum tenente, idolorum cultus fere ubique per Romanum orbem abolitus, fana in Basilicas conversa, reditus, olim Flaminibus debiti, nunc Christianorum Antistitibus adiudicati sunt: populique Regis exemplum secuti sunt. Tum quidem iuxta alia etiam forma regiminis Ecclesiae ad exemplum provinciae civilis instituta fuit; sic ut qui districtus Praefecto suberat, eadem inquam *dioikysys*, in spiritualibus uni Antistiti pareret. Haec origo dignitatis Episcopalis, quae ante id mutationis non auctoritate & opulentia, sed ordinis sola directione & praerogativa, id erat attentione & vigiliis indefessis, imo vero martyriis, distinguebatur. Situs urbis Curiensis, eique adhaerens frequentia incolarum suadet, ut quemdam respectum supra alios, qui in Raetiae convallibus Christi religionem praedicaverunt, Antistiti in eo oppido sacra administranti tribuamus. Et siquidem certum sit, Constantium Imp. diutinam in his campis traxisse moram, a qua urbs Curia vel incrementum insigne, vel, ut alii volunt, plane originem accepit; probabile fit nec Antistitem sibi defuisse inter haec incrementa, sui quoque Status progressum promovendi, aut inspectionem in caeteros Christi Ministros stabiliendi. Non levi cum probabilitate id colligere mihi videor ex circuitu Curiensis Episcopatus, qualis olim exstitit: is autem presso pede eosdem sequitur limites, intra quos Raetia eo tempore continebatur, quo Constans Imp. provincias recepit. Circuitus autem ille deducebatur a lacu acronio super ripanum, & castra Raetia in montem D. Gotthardi, quibus tractibus Augustano, Constantiensi, & Valesiano confinis est; linea tum ex Gotthardo super Alpes ad Bellinzoniam, Clavennam cum Valle Telina, denique Athesinam, Oenanam vallem comprehendens, circa Tridenti dioecesim claudebat, ad quos limites Comensi, Brixiano, & Tridentino adtiguus est. Demum sequiori tempore Comitatus Clavennae cum Valle Telina ab Episcopatu Curiensi discerpta, & ceu Cismontana ad Italiam spectantia dioeceси Comensi adiecta fuerunt. Etuuntur, inquam, haec, & sua se probabilitate commendant: caeterum enim, ut plerorumque aliorum, sic sunt etiam Episcopatus Curiensis dubia fundamenta, & incerta ini-

tia (*). Nil quidquam eam in rem producere huius potest Archivum Capituli Curiensis praeter diptychas, quae seriem Episcoporum, sed a seculi demum sexti circiter ineuntis initio, ad nostra usque tempora pandunt, satis sero adnotari coeptas. Multa enim illis deesse nomina, & diu ante, Praesulem in Sede Curiense cum honoris praerogativa stetisse, agnoscunt omnes: evincitur id ipsum etiam ex actis Concilii in causa Eutychetis, & Nestorii Valentiniano, & Marciano Impp. Anno CCCCLI. Chalcedone habiti; in quibus ab Amantio (falso scriptum Abundantius) Comensi Episcopo, inserta visitur etiam Curiensis Episcopi nomine subscriptio huiusmodi:

Ego

(*) Exstat apud Illustrem Gentem Fabiam a Praepositis Diploma Seculo iam VII. datum, ex quo simile quid colligi posse videtur. Ipsum Diploma sic habet: *Anno Salutis DCXXX. regnante Lothario II, Galliarum Rege 8., genitore nostro, defectionis Imperii occidentalis, 159. Heraclio orientali Imp. 19., Honorio Romano Pontifici 69., quarto mensis Maii. Nos Dagobertus Magnus, Austraſiae, Burgundionumque Rex ex precibus matris nostrae Berenthrudae, Francorum Reginae, visis tamen prius tabulis antiquissimis a Rom. Imperatoribus confectis, fidelitateque semper conservata, nec non nobilissimi sanguinis patritii Fabia Gente orti perspecta origine, restituimus, damus, & confirmamus Arcem in Alpibus Curiensis Rhaetiae sitam in Praevalia, quae appellatur Castrum Altum Viceprevani, cum omnibus censibus, & iuribus ad eam pertinentibus, etiam cum decimis a Iulio Monte usque ad Oscellam oppidum lacus larii dictae Praevaliae strenuo Equestris ordinis Otthoni a Praepositis, nostro Militum Praefecto contra Arionaldum Longobardorum Regem 16. Ita tibi Siguberto, dilecto Patrucli nostro, Alemanniae Duci primo, iubemus, mandamus, & sic volumus, ut testibus dictam arcem supranominato Otthoni nostro a Praepositis, cum omnibus rebus, quae ad ipsam pertinebant, cum fuerit ei directa, & cum constituas Vasallum omnium rerum ante a Maioribus suis retentarum, in quorum Sigilla &c. Dat. in Arce nostra Isenburg.* Ad quod CAMPELLVS sequentia annotavit, quae heic adponere non ingratum videtur. Topogr. capite XXXI. Peculiariter, inquit, libet hic annotare, quod ea, quae a nobis sic habetur, pro antiqua illa, & vera Rhaetia agnoscatur, ad quam Praegalia peculiariter cum lario lacu hinc, & Juliis alpibus, illisque adhaerente Ingadina illinc inprimis pertineat. Deinde quod urbs Curia tempore illo Dagoberti non extructa modo, verum etiam clara fuerit, veluti a qua Rhaetia tota, & Rhaetiae Alpes tanquam a Metropoli Curienses appellatae fuerint; ut nihil iam de Vico Suprano dicamus, in istis Tabulis Viceprevano dicto, deque Oscella id temporis ad larium lacum oppido, cuius nominis & aliud in Lepontiis invenimus, quod Damo Oscella dicitur ad Thosam fluv. nec procul a lacu Verbano situm. Hactenus ille. Sane adsertum nostrum de finibus dioecesis Rhaeticae, ex isto Diplomate lucis aliquid mutuari videtur.

Ego Abundantius Episcopus Ecclesiae Comensis in omnia supra scripta pro me, ac pro absente sancto fratre meo Asimone, Episcopo Ecclesiae Curiensis primae Raetiae, consensi, & subscripsi, anathema dicens eis, qui de incarnationis Dominicae Sacramento impie senserint.

Quare si iam Marciani aevo sua se iam tuebatur dignitate Sedes Curiensis, necesse est eam iam ante annos plurimos, ne videatur seculum unum, duove, radices agere debuisse, quando eius generis tribunalia non simul & semel, sed a parvis sensim initiis ad firmum sustolli solita sint.

Num interea, ab Impp. Christianis calamitati Ecclesiae surrogatus felicitatis & opulentiae status, eam cultui & vitae faciem reddiderit, qua nitere Christi sponsa intaminata debuisset, abunde exposuerunt quotquot Ecclesiasticam Historiam pertractarunt: Nos in campum toti orbi Christiano patentem excurrere non volumus: Sed ex eo sola excernimus, quae censum nostrum pertinere videntur. Iam expositum ab omnibus est, pace Ecclesiae reddita, Doctores, & Episcopos opibus & reditibus onustos misso pro Christi gloria zelo, aemulationibus invicem ferri, & contentiones inter se gravissimas agitare coepisse: statim in Scholis & Ecclesiis prominuisse ingenia contentiosa, qui subtiles & intricatas quaestiones excitando, aliisque cum fastu obtrudere satagendo, sacra & profana omnia turbelis miscebant. Inde natae tot oppositiones, indicta ab una, & altera parte Concilia, anathemata, exsilia, & quae non alia. Ex pluribus aliis una ARII, Doctoris Alexandrini, de natura & essentia filii Dei sententia, maximorum motuum causa extitit, ob quam Concilia varia coacta, & confessiones confectae sunt; etenim in eum quoque numerum Arii sequaces adcreverant, ut nec auctoritate, nec suffragiis cedere sic dictis orthodoxis vellent, stupueritque mundus, (verba sunt Hieronymi *y*) contemplans se factum Arianum. Dicitur haec secta ut passim Italiam, sic etiam Mediolanensem ditionem infecisse, & ex hac per Vallem Telinam, & in Burmiensi Comitatu domicilia quaesiviisse & reperisse: Imperatorem vero Theodosium, puritatis nempe catholicae studiosissimum, ex impulsu Ambrosii Mediolanensis Antistitis, illi addictos exqui-

ri

y) Ep. Luciferian.

ri curaviſſe, & exſilium ex ciſmontanis intimaſſe: Sed cum edicto illi minus audientes eſſent Ariani, immiſſo demum in illos exercitu, ſedibus pepuliſſe, & in alpium Burmiatium iugis ingenti ſtrage fudiſſe. Huic rei fidem facere videntur oſſa quaedam ingentia, armamenta, caſſides, aliaque, quae velut ex Polyandrio in iugorum Burmiatium planitie montana Fraëllenſi hucdum effodiuntur. Haec enim eiusmodi adverſium Arianos factae ſtragis reliquias eſſe vetus fama ad nos traduxit, quam ſcripto ſignarunt, & ſuo etiam, vt videtur, calculo confirmarunt viri alias perſpicaces, & in patriae noſtrae hiſtoria verſatiſſimi z). Caeterum modus, quo tum Ambroſius, tum Theodoſius in convertendis haereticis uſi ſunt, longe aliud ſuadet, quam vt Arianos per immiſſum exercitum delere voluiſſe credibile fiat. Praelium autem in dicto loco certe ob cauſas longe alias, & alio quidem tempore commiſſum eſſe merito creditur. Narratiunculam interea referre & nos in commentarios noſtros voluimus, ne rei geſtae adeo celebratae memoriam ſilentio noſtro obliterare voluiſſe crederemur.

Sed ut eo regrediamur unde digreſſi ſumus, inter abuſus, qui, poſt datam Eccleſiae pacem, cultus faciem maxime defoedarunt, primarium locum obtinuit ſollicita illa nimium in Sanctorum Martyrum exuvias cura; ſiquidem ea primo in ſuperſtitionem, ſenſim denique in idololatriam degeneravit. Nempe iuſtum exiſtimaverunt primi Chriſtiani die, quo Martyres ſupplicia ob Chriſti nomen perpeſſi fuerunt, ad eorum ſepulcra convenire, atque reverenti eorundem mentione facta ſe mutuo in conſtantia fidei confirmare: poſtquam vero Chriſtiani rerum potiti ſunt, minora haec pro illorum meritis exiſtimantes, iam cadavera de ſepulcris protracta Baſilicis intulerunt, inter Eccleſiae cimelia celebrarunt, mox ſuper altaria collocarunt, & eisdem cereos appenderunt. Conſtantini mater Helena tum ex huius modi pietate crucem, in qua Salvator pependerat, anxie perquiri, inventam conſecrari, & in Dominicae paſſionis loco Baſilicam exſtrui fecit: de quo initio ſtudium mox natum eſt Sanctorum reliquias conquirendi, peregrinationes ad eorum ſepulcra inſtituendi, Templa eisdem conſecrandi, & quaevis Deo propria cum illis quoque communicandi. Ex hac quippe devotione nemo non

z) Guler Lib. XI. pag. 171. Sprech. Lib. X. pag. 276. Quadr. Tom. II. pag. 24.

non in eam opinionem delapsus est, Divorum animos reipsa praesentes esse, proinde cultu venerandos, quasi qui ope nobis adsint apud Deum. Equidem non defuerunt qui subintranti idolomaniae fortissime reclamaverunt: sed pauciores erant quam vt contagioni grassanti obsistere valuissent. Oppositere se successive aliquot in Oriente Imperatores, Iconoclastae eapropter dicti, & in Occidente libris propria manu scriptis ipse Caesar Carolus M. una cum integro CONCILIO Francofurti celebrato: Sed torrentis iam instar prorumpebat superstitio, & praevalente bonarum litterarum ignorantia, tantum non omnes de augmento egenis elementis dando, cogitabant, quam ad ea oculis hominum submovenda animum applicarent. Maximos vero gradus accepit superstitio, ex quo Romanus Pontifex facultatem homines coelitibus annumerandi usurpare coepit: tum enim nullus Divulorum fuit, cui vel fana non fuerint dicata, vel utilis quaepiam in genus humanum cura demandata, vel dies festus dicatus, vel cereus accensus; sicque totus Deo soli debitus cultus maximam partem in miseras creaturas, tales saepius quidem, quae iu rerum natura nunquam exstiterunt, devolutus fuerit. Talibus Diis successive repletus passim fuit Christianorum orbis, & in illis recipiendis RAETIA nostra postrema esse nunquam voluit. Praeter alios celebrat haec commorationem in suis convallibus Sancti FRIDOLINI, quem doctrina, sanctitate, quin & prodigiis supra caeteros excelluisse sacrorum vates persuasum voluerunt. Prodebant, sanctissimum hunc virum, Scotiae, & Hiberniae Regis (ne Lucio inferiorem esse quis credat) filium, transmisso mari, anno circ. CCCCXCV. per Gallias, Burgundiam, & Helvetiam in Rhaetiam penetrasse, & in hac postrema per aliquantum temporis, fidem Christianam multo zelo praedicasse, denique discedentem in Praeceptoris quondam sui D. Hilarii, Pictavensis Episcopi, honorem in urbe Curia coenobium exstrui curavisse, cuius reliquiae hucdum monstrantur. Eundem celebrant fundatorem coenobii Seckingensis apud Rauracos, & credo plurium circa Argentoratum, & in Lotharingia. Inter eius prodigia hucdum referunt singulare unum, quod anno DXXXI. factum credunt; nempe Fridolini persuasione, dicto tempore URSUM Principem, Glaronae Dominum, moriturum, bona, quae habebat, omnia facta solenniter donatione Ecclesiae legasse: Testatore vero terrae dato, fratrem Landulphum, ne bona in Ecclesiae fiscum conicerentur, omni nisu contra stetisse. Haec igitur

causa ad iudicium Rankvillae coactum delata, Fridolinum ad vindicandam iustitiam, Ursi ad vitam revocationem exorasse, & obtinuisse: etenim URSUM e mortuis suscitatum, aiunt, multorum milliarium itinere Glarona, ubi sepultus erat, Rankvillam pedestrem transiviſſe, & stupescente fratre Landulpho, ac attonitis iudicibus legationis suae veritatem testatam feciſſe *a*). In eundem censum referenda sunt, quae de S. VALENTINI, Passavienſis Episcopi, in Rhetia nostra, apud Griseos, in Pingiaco, (Pignieu) mora nuperus quidam refinxit *b*). Prodigus otii essem, si huiusmodi plusquam annalibus protrahendis, & recensendis sedulam operam impendere vellem. Monstrat vero vel unum hoc temporum calamitatem quam sufficientissime; plura autem qui de nostris Divis scire cupit, audiet, quando de Monasteriorum fundationibus locuturi sumus. Ex eo tempore quanto propius ad Sec. XVI. descendimus, tanto amplius pervasisse hanc cultus corruptionem comperimus: iam vero si in Rhetia ad campos, montes, valles, atque fana innumera oculos coniicimus, quae aut a S. Apostolis, aut a B. Virgine Maria, aut a Theodoro, Martino, Cassiano, Sebastiano, Georgio, Florino, Antonio, Rocho, Ulrico, Anna, Catharina, caeterisque denominari intelligimus, abunde edocemur, quam Divis nostra Rhaetia fuerit sensim impleta, & devotione nulli terrae cuipiam alii cedere voluisse. Dum haec scribo accipio, ab Amplisſ. LEONE Tigurino, Senatore spectatissimo, & incliti Consulis meritissimo filio, apographon litterarum Senatus Curiensis ad Tigurinum missarum, quibus illi a Turicensibus petebant, ut de reliquiis S. FELICIS, & REGULAE, in quorum honorem etiam in Curiensi civitate fanum exstructum habeatur, sibi benigne impertirentur (*). Ex his clarum fit, invalescente Sedis Romanae potestate, loco puritatis Evangelii ignorantiam, & superstitionem, & in locum cultus infucati inanes caerimonias, & divorum cultum, una cum erroribus, & abusibus aliis longe plurimis subintrasse, & cum seculorum decursu radices firmas egisse. Hoc loco nunc etiam primordia reliquarum in doctrina, regimine, moribus, & cultu corruptionum, earumque periocham deducere possem: Sed

aa) Guler pag. 62. & 222. Prugger Velkirch. ad h. a. Bucelin. pag. 112. *b*) Roschmann Nachricht. de vita S. Valentini cap. VI. pag. 28. & in fin.

[*) Exemplar litterarum hoc est.

Sed quia hanc provinciam exornarunt fere quotquot de Ecclesiae fatis scripserunt, nos eam sicco pede praeterimus, satis existimantes adnotasse, omnes quotquot quovis Seculo in Ecclesiam irrepserunt, seu errores, seu corruptelae, eosdem in Rhaetiae Sanctuario, non minus ac alibi terrarum sancta civitate donatos fuisse, & cum valore perdurasse.

Corruptelis istis nemo utique facilius potuisset, & ex officio debuisset passulum obdere, quam Curiensis Episcopus, qui ex parvis initiis in dies insignem opulentiae, & auctoritatis gradum scandebat. Debet illius gradus, & opulentia plurimum sceptro Francico, cui Rhaeti circa annum DXXXVI. submissi fuerunt: huius quippe favore Episcopatus divitiis valde crevit: unde Comites ipsi Curienses infulam gestare e re sua ducebant. Quare fiebat, ut idem in Spiritualibus Antistes esset, qui in Politicis non uni iurisdictioni leges dabat, & non unus Episcopus filium habuit in Sede Sacra Successorem, prout hoc de Pascali patre, Victore filio, & Vigilio nepote notatum ab Historicis nostris est: nec enim lex coelibatus adhuc magni apud Rhaetos facta fuerit oportet. Ita factum, ut castrum Martiola, quod Romanorum Procuratorum olim Praetorium fuerat, postea Comitum habitatio, ex istorum liberalitate in habitationem Episcopalem cesserit, non sine amplissima bonorum legatorum accessione. Sed supra corradendi opes & dominationis studium nil curae Episcopis eius aevi fuisse omnia flagitant. Quaecunque enim antiquiorum Sedis Curiensis Antistitum supersunt monumenta, ea aut Diptycha sunt fero satis annotari coepta, imperfectaque; aut contractuales circa bona immobilia, aliave effecta, litterae; aut Diplomata Caesarum, singulorum Episcoporum aut electionem, aut Episcopatus privilegia confirmantium: quae Ecclesiae interiorem statum, aut correctionem concernant, plane nulla. Quae in rem Ecclesiae suscepta videri possunt, fere in aliquot coenobiorum fundatione consistunt, ad quae licet Episcopatus nihil contulerit, donationibus instruendis Monachi scientiam, & laborem omnem semper exhauserunt. Hi persuadebant, vitae maculas haud alia ratione elui facilius posse, quam si bona, quae quis possideret, cumulatim Monachis possidenda traderet: eam in rem prodigiosa multa fingebantur miracula, illis in locis sacris patrari solita, aut ab illis, qui fundatores sacrorum locorum exstiterant, aut a Divis, quibus illa aedificia sacra erant.

Efficaciſſima haec eſſe comperiebantur media, quibus populi in devota erga ſacrum ordinem obſervantia contineri poterant: ideo e re noſtra fuerit primariorum quorundam in Raetica terra ſanctuariorum origines, ex illorum delineatione, levi ſaltem penicillo adumbraſſe.

Primas in hoc ordine ſuo iure obtinet cellula, ſeu oratorium D. Lucii, cuius in rem Chriſtianam merita ſupra diſcuſſimus. Iſtud creditur ab Epiſcopo Valentiniano anno DXL. in coenobium converſum, eidem Divo ſacratum, fueruntque ex ordine S. Benedicti illi illati primi Monachi. Secundum ſibi locum vendicat Monaſterium DESERTINI ad Aetuatios in Foedere Griſeo ſitum, quod ad ipſum S. Columbanum ſuam refert originem. Columbanus enim, ſi iſtis hominibus fides, vir de propagatione Eccleſiae Chriſti meritiſſimus, poſtquam & ipſe Hibernia egreſſus, per Gallias, & Helvetios docuiſſet, paſſimque coenobia plura exſtrui curaviſſet, tandem per Raetiam, & Aetuatios in Italiam profecturus, duos trans, & in ipſis alpibus reliquiſſe dicitur diſcipulos ſuae pietatis ſtudioſiſſimos, GALLUM unum in Helvetia, SIGISBERTUM alterum in Lepontiis. Galli merita expoſuerint alii; Sigisbertum vitae ſolitariae amantiſſimum, aiunt, ſuperato monte Criſpalta in loco quodam apud Aetuatios ſylveſtri, & maxime opaco, ea propter Deſertina dicto, anno DCXIV. cellulam ſibi feciſſe, ad quam ob viri ſanctimoniam, dum vixit, populi confluxus fuerit frequentiſſimus: Ex Sigisberti autem diſcipulis unum, cui PLACIDUS nomen, Magiſtri vitae rationem ſuſcepiſſe, & quaſcunque habebat poſſeſſiones utique ampliſſimas ad conſtructionem COENOBII pro fratribus liberali donatione legaſſe: Sed Curienſem Comitem Victorem, qui eo aevo multa cum poteſtate inter Raetos eminebat, non modo Placidi donationem irritam pronunciaſſe, ſed & ſuo fiſco adſcripſiſſe. Quare ad legati iuſtitiam aſſerendam, aiunt, a S. Sigisberto ipſum Placidum fundatorem ad Victorem Curiam eſſe dimiſſum; ſed Placidum multa cum parrheſia indignitatem facti Tyranno obiicientem, & vitae maculas illius obiurgantem, adeo nihil obtinuiſſe, ut potius mortem ſibi reſtitutionis loco interminatam eſſe audire debuerit. Furorem igitur Placidus ut evitaret, in pedes ſe dediſſe, & iter ad Praeceptorem acceleraſſe: unum ab emiſſis a Victore ſatellitibus mox eum aſſequentibus in via trucidatum, & caput amputatum eſſe dicunt. Sed dictu mirabile! referunt, quod

quod funus excussum caput suum de humo levaverit, & a muliercula forte in proximo fluvio pannos lavante, velum acceperit, quo involutum cruentum caput ad Sigisbertum deportaverit. Sanctum istud cum capite corpus, tradunt Monasterii antiquitates, quod S. Sigisbertus prolixe exosculatum in nova coenobii Ecclesia, campanis, nullo mortalium movente, sponte consonantibus, multis cum lacrymis sepeliverit: & ex eo tempore Divi corpus innumeris prodigiis inclaruisse, & plurimis causam saluti extitisse. Fidem narrant promptam ad scelera nemesin. Victorem quippe haud longo post Placidi trucidationem tempore, quum superbo equo Rhenum amnem inveheretur, ponte de repente rupto, praecipitem aquis immersum miseram animam exhalasse. Hoc prodigium splendidae Basilicae super Placidi sepulchrum ortum dedit; & quia Tello, Curiensis Episcopus, Patris crimen expiaturus, multis donationibus illam ornavit, accedentibus ab Imperatoribus, & Principibus pluribus legatis aliis amplissimis, surrexit de his primordiis opulentissima illa ABBATIA, cuius Prior, Principis titulo, debitam dignitatem a remotis iam seculis tuetur.

Nemo legens hoc in Placidi morte prodigium, credat unicum esse, quod a Divis inter Raetos patratum esse narretur. De S. Gaudentio enim, olim Novarae in Longobardia Episcopo, etiam referunt, quod quum anno CCCLX. ab Arianis ad necem quaesitus, in vallem Praegalliam confugisset, atque in eo tractu, qui a Septimio monte ad Curiam usque protenditur, Evangelii doctrinam populo instillaret, tandem ab hostibus (Ethnici fuerint, an Ariani haud habeo dicere) ad Praefectum delatum fuisse; cuius sententia insons Vicosuprani capite truncatus fuerit. Sed non mora; & istum truncum, suum caput de humo sublatum, ad quartam circiter milliaris partem versus collem Malogia asportavisse, ad cuius radices paullum supra vicum Casaccia subsistentem illico a fidelibus honorifice humatum esse. Quidquid eius fuerit, duravit inibi, ad Reformata usque Sacra, fanum sat splendidum, Gaudentii illius honori dicatum: & postquam anno MCCLXII. ab Urbano IV. Pontif. Max. in Sanctorum numerum relatus est, etiam eius reliquiae inibi cultui fuerunt expositae *bb*). Quare si cum D. Gauden-

bb) Lang. Grundr. p. 671. Murer Helv. Sacr.

tii trunco id ostenti olim evenerat, non poterant non catholicorum animi nova laetitia perfundi, quando idem a S. Placidi cadavere factum esse intelligere datum fuit.

Nec tempore multo, nec incrementis Desertinensi inferius est coenobium FABARIENSE supra Rheni ripam a S. Pyrminio anno DCCXXVI. vel, ut Bucel. DCCXIII. fundatum; quippe & hoc plurium imperatorum legatis in eam opulentiam adcrevit, ut inter suae classis Principes, cum primis, locum Fabarianus Praesul occupet. Monachi utrique coenobio illati, regulam D. Benedicti profitebantur; eius quippe ordinis statuta, & mores, caeterorum Monachorum vivendi ratione, purgatiora videbantur, & se populis cum applausu commendabant.

Pari pietate Victor II. Curiensis Episcopus, Paschalis itidem Episcopi, & Aesopeiae coniugis (quae in antiquis monumentis Antistita Curiensis appellatur) filius anno DCCLX. in Tuscianae vallis vico CATZII dicto, ad Rheni ripam sito, Monialium Monasterium, in Divorum Petri, ac Pauli honorem, legata eidem bonorum suorum magna parte fundavit. Prima, novo coenobio data Abbatissa, fuit ipsius Victoris soror, Vespula nomine; cuius tumulo in Ecclesiae Catziensis choro adscripta visitur haec inscriptio:

VICTOR EPISCOPUS CURIENSIS, UNA CUM MATRE SUA, FUNDATOR HUIUS MONASTERII, ET CUM EA PASCHALIS EPISCOPUS CURIENSIS, GENITOR, ET ANTECESSOR EIUS.

Sic etiam Eberhardus, Hulderici Curiensis Episcopi frater, anno circiter MCIV. SCOLII in Oengadina inferiore, ordini D. Benedicti ex bonis suis Monasterium fundaverat. Id in ruinas iturum fuisset post aliquot annos, quando Uldericus quidam de Taratpo, qui per multos annos praedonem, & latronem egerat, instaurare, & amplioribus spoliis donare promisit, si quidem illud ad S. Stephanum Vallis Venostae, ubi locorum latrocinatus fuerat, transferre concederetur. Quod cum facile ob-

obtinuisset, sed muri inter aedificandum curruerent, tandem a tribus facibus in monte D. Mariae insolito comparentibus, locum novi sanctuarii coelitus monstratum habuit; inibi itaque constructum coenobium fuit, in quo fundator una cum uxore, Monachali habitu assumpto, vitam clauserunt. Conspicitur tumulo insculpta eius effigies in habitu militari, scedulam leoninis his verbis scriptam manu tenens:

MUNDANIS SPRETIS, SUMMAE PRO PARTE QUIETIS,
PRAEDIA SIGNATA DONAT ULDERICUS ET UTHA.

Simillima poenitentia etiam coenobio, apud CORVANTIOS sito, circa idem fere tempus ortum dedit. Dicitur enim illius fundator Rodolphus ab aqua rubea, Friderici Barbarossae Imp. tempore, cum quo Hierosolymam adiisse fertur, per plurimos annos militiam secutus, multa impia, & dissoluta egisse; cum vero quapiam occasione Eremusii Oeng. infer. apud S. Florinum, ad quem frequentissimae fieri peregrinationes solitae erant, subsisteret, in sui praesentia evenisse, quod mediante Divi intercessione, fidicinis sono, mulier quaepiam daemone obsessa, ab infausto hospite liberata fuerit, & hoc conspecto Rodolphum vitae scelera reputantem, poenitentiae reliquam vitam dicavisse, per septem annos vitae asperitate se macerasse, denique Hierosolymam adiisse; demum inde reducem, quum Comites Brundusii nactus esset, animi propositum cepisse in valle apud Corvantios, opaca & latronibus infesta, se viatoribus ducem, & vindicem praebere. Ex eius, & Comitum cella cum temporis successu Monasterium haud incelebre emersit, de quo plura nobis dicenda venient.

Haec fere sunt exstantiora, sub Curiensium Episcoporum auspiciis, in Raetorum districtu diverso tempore exstructa sanctuaria; quae utique scientiarum seminaria esse poterant, a quibus verbi divini puritas simul & morum sanctitas enitescere debuisset. Sed quam parum res Christi, & pietatis per ea promota sit; e contra scelerum asylum facta sint, suo loco dicetur.

Certe

Certe si in Episcoporum, qui totis mille annis praefuerunt, acta inquirimus eorum, quae ad cognitionis profectum, ad vitae emendationem, & Ecclesiae honorem suscipi oportuit, nulla sane, prorsus nulla signata, aut aliis in locis memorata reperiuntur. Tota illorum cura in eo stetisse videtur, ut semel insula donati, priscorum iurium & donationum confirmationem a Caesaribus obtinerent, contractus antecessorum firmarent, dominia castris munirent, aut alio quopiam modo splendorem sibi conciliarent. Huiusmodi actis qui vitam transegit, laudem in memoriis obtinuit, quod *bene episcopaverit*, elogio aeque terso, ac vita forte fuit. Supra allata, omnes Curiensium Episcoporum occupationes, aut circa lites cum vicinis, aut factionum studia cum Imperii Magnatibus vertebantur; & siquidem qui mitram obtinebant, illustri, ut plurimum, Comitum Montfortiorum, Verdenbergiorum, Vatziensium, Brandisiorum, Heuveniorum, Raetialtorum, Mazziensium, genere orti erant, quorum familiae factionum studiis omnes distractae erant, fiebat, ut qui Episcopus evadebat, simul huic, aut illi calculum adderet. Nullus sane vicinus exstitit, cui cum Episcopi viribus aliquando non fuerint conserendae manus, & saepius adversariorum patientia in furorem versa, evenit, ut bonus Praesul non semel intra pelliculam stare coactus fuerit. Episcopi sane Rudolphi culpae datum, quod anno MCCXX. Comenses Praegalliam devastaverint, & Solium oppidum combusserint. Quum Episcopus FRIDERICUS a Monteforti cum copiis suis anno MCCLXXXIII. Comitatum Verdenbergicum invasisset, infelix ab hostibus captus, & in vincula coniectus fuit, ex quibus quum fugam pararet, gravi de carceris feneſtra lapsu exstinctus fuit, morte non nimium decora ei, quem omnium minime iura vi expugnare, & ensem Bibliorum loco gestare decuisset. Itidem IOANNES Episcopus Abbati Desertinensi adversum Helvetios auxilio occurrens, in praelio una cum quingentis e suis anno MCCCXXI. caesus repertus fuit, cui in Museo, aut choro occumbere glorioſius fuisset. Extra scopum meum est, & longum nimis, contentiones grauissimas, quas Episcopi cum Dominis, ac Baronibus de Vazio, altercandi magis libidine, quam ulla necessitate adacti, diu exercuerunt, & quas nunquam componere studebant, nisi quando ingenti aliqua clade affecti manus dare cogebantur. Omnium vero infelicissime Episcopo Ioanni Nasoni inimicitia cum urbe Curia successit; hic enim, cum ad adserendam sibi Magistra-

gistratuum electionem urbem vi armata invadere tentavit, nocte intempesta anno MCCCCXXII. aula Episcopalis a civibus occupata, & direpta fuit. Plura huius generis ne ad invidiam conflandam loqui videar, accumulare abstineo; qui ea volet, reperiet affatim apud notos Patriae Annalistas. Ecquid vero bonae spei ab iis concipias, quorum studia in iurgiis, & armis tota occupabantur?

Vituperio sane non caret Curia Episcopalis, quod illius Praesules divitiis diffluentes, musas nunquam dignas iudicaverint, quibus aut domicilium apud se constituerent, aut accersitis idoneis ad litteras docendas viris, eas apud se invitarent. Sane X. aut XI. seculo nusquam terrarum crassior haesit bonarum litterarum ignorantia, quam in Curia Episcopali, proximis ad reformationem sacrorum temporibus. Vel quae laus Encomiastae illius authentici, qui Antistitem suum laudaturus, prodit: *bene episcopasse*? aut illius, qui incendium templi futurae memoriae proditurus, signat *Ecclesiam D. Lucii combustum* esse? Haec autem eo aevo in aula Episcopali Curiae consignabantur, quo barbaries a gentibus politioribus in exsilium missa erat. Qui ulteriora de sacerdotum, qui ipso, quo sacra restituebantur, tempore vixerunt, eruditione, & litteratura scire cupit, reperiet indicia plura in descriptione Disputationum publicarum Ilianti primo, & alibi habitarum, quae suis locis evellere nolumus, & habebit quod tenebras miserorum abunde doleat, simulque illis meliorem lucem optet.

Ad vitam vero spiritualium (quos vocant) istorum, in genere si respiciamus, eo corruptionis delapsi erant Benedictini illi castigati ordinis viri in Monasterio D. Lucii, ut, ne immedicabili gangraena malum serperet, Episcopus Conradus, Comes a Bibereck, anno MCXL. eos expellere necesse habuerit: Sic in electorum locum surrogati sunt Praemonstratenses, ex conventu Bavariae Rockenburgensi accersiti *c*). Nec melior Monachorum Corvantiensium vita erat. Nam cum fama esset, inter Monachos, & Moniales inibi eam agi vitam, quae Sodomam referat, & nisi posito pudore referri non possit, tandem Deus in apricum produxit. Quippe illac domum suam praeterequitanti DONATO, Comiti Vatziensi, accidit, ut a servo, qui levandi corporis causa substi-

c) Pall. p. 219.

terat, figere greſſum, & equo deſcendere rogaretur. Deſcendit, & per feneſtrellae rimas conſpexit impuros Monachos, vago coitu cum Monialibus congredi. Adeo omnem frontem depoſuerant exleges hirci. Protinus vero Comes iratus Monialium coenobium, in quo nefanda perpetrari ſuis oculis viderat, funditus exterminari curavit, ne ſpurci lupanaris vel rudera amplius ſupereſſent. Obiit dictus Comes ultimum diem anno MCCCXXXIII *d)*

Rheno aquas inferrem, ſi deplorandum ſtatum, quo paullo ante, & ipſo, quo repurgatio dogmatum, & cultus coepit, Eccleſia ſtabat, delineare tentarem: fecerunt id iam viri doctiſſimi fere ſine numero, nec audent amplius inficias ire Curiae Romanae patroni accerrimi. Ex allatis autem ab illis authenticis teſtimoniis conſtat, ignorantia, ac ſuperſtitione omnia inundata fuiſſe; & quos morum conſervare integritatem ex officio oportuerat, ad unum omnes ſal ineptum, corruptiſſimos exſtitiſſe. Romani Pontifices, a quibus ſumma pendebat, nonniſi erigendae Hierarchiae intenti erant, alii malis artibus famoſi, plures memoriae exſecrandae: Epiſcopi laſciviae, avaritiae, & ambitionis mancipia: Paſtores vero multi, mali, & ſtulti quales delineantur apud Ezechielem, ſua curantes, non Chriſti. Habentur talia ad cumulum in *Zabarellae, Nic. de Clemangis, Theod. ad Niem, Io. Gerſonis, Petri de Alliaco*, aliorumque ſcriptis; in nationis Germanicae gravaminibus, in Regum, Principum, quin & ipſorum Pontificum ea de re quaerelis, paſſim productis, allegatis a *Ioh. Henr. Heideggero, Ioh. Henr. & Ioh. Iac. Hottinggerus, Sekkendorffio*, aliisque; apud quos meſſem inveniet qui volet. Omnium ſane conſenſu & Concilio Baſilienſi emiſſa vox fuit: *iudicio omnium & noſtro*, ſic loquuntur Patres, *Eccleſia univerſali Reformatione in capite & membris neceſſario indiget:* quibus nil praeterea addo quam verba Bellarmini, utpote infallibilitatis Eccleſiae propugnatoris acerrimi, quae ipſi veritas extorſit. *Annis aliquot*, inquit, *antequam Lutherana, & Calviniana haereſis, oriretur, nulla ferme erat, ut ii teſtantur, qui etiam tunc vivebant, nulla, inquam, prope erat in iudiciis Eccleſiaſticis ſeveritas, nulla in moribus diſciplina, nulla in ſacris litteris eruditio, nulla in rebus divinis reverentia, nulla iam propemodum erat religio. Eximius ille Cleri, & Sacri Ordinis decor perierat; gravi, diu-*

d) Spr. Chr. p. 320. Rh. Alp. cap.

diuturnaque laborabant infamia Sacerdotes, quod panum & piscium, h. e. proventuum maiorem, quam animarum curam haberent e).

In Raetia Sacerdotes semper antiquum servabant, et circa Sec. XV. initium cum ignorantia, ignavia scanderat fastigium, ut altius tolli non posse videretur. Huius, quod modo dixi, incontrastabile documentum tradit ipsa Raetorum lingua, seu secundum intra, seu iuxta extramontanorum labium considerata. Ea enim licet nec a latina, nec ab italica tantopere distet, ut non excoli, et cum gentis fructu scribi potuisset; tantum tamen abest, ut ventres pigri quidpiam seu sacri, seu profani in gentis gratiam, aut piarum institutionum causa in litteras retulerint, ut potius linguam barbaram esse, nec scribi posse pleno gutture clamaverint, et persuasum voluerint. Inde factum, ut illorum voces secutus Illustris alias vir memoriae proderet, Raetorum linguam scriptu impossibilem esse *f*), quod etiam inter Raetos ipsos communi calculo receptum habebatur *g*). Digna sunt quae hanc in rem ex ladino (sic vocatur dialectus Oengadinorum) in latinum translata adponam verba Phil. Gallicii, quibus in Psalterium Campelli Retico metro editum praefatus est, tum ob assertum nostrum, tum et ob alia. Sic autem ille: *In omnibus*, inquit, *ubi Dei gratia Evangelium praedicatur oris, dantur qui in Dei gloriam Psalmos & cantica componant; qua in parte soli nostrae Oengadinae hucusque defuit. Non quod Evangelium non fuerit in regione nostra annuntiatum; coeptum enim illud est praedicari tum in Oengadina superiore, tum & in inferiore anno 1524. primum quidem a me tum postea & ab aliis indigenis; usque dum ex Longobardia (intelliguntur quivis Itali) ad nos aliqui advenire coeperunt. Nunc vero & ea patriam nostram beavit gratia, quod tales in ea reperiantur viri, qui non prosa modo S. Scripturam lingua nostra donare callent, quod cum Nov. Test. nuper fecit eximius D. Iac. Biveronius: sed etiam versibus, quod artis est maioris, Psalmos nobis exhibeant; qualis heic Campelli vi-situr labor. Difficilius hoc ideo reputandum, quia lingua nostra hucusque nunquam scripta fuit, quum persuasum omnibus esset eam scribi non posse. Omnium primus eam scribere adgressus, exstitit Illustris Dominus*

e) Conc. 28. in Dom. Laetare, pag. 235. Ed. Colonia. *f*) Tschudi Uralt. Alp. Raet. *g*) Camp. praef. in Psalt. Oengadinens.

Io. Traverſius Zuzienſis, qui lingua ladina bellum deſcripſit; quod Reſp. noſtra adverſus Muſſii caſtellanum noſtra memoria geſſit. Hinc et citato loco impenſe de ſuo opere ſibi gratulatur Campellus: *cum ita laus Dei in omnibus praedicetur linguis, ea etiam, quae antehac nec ſcribebatur, nec ſcribi poſſe credebatur.* Scilicet ſi ad illud poliendum nullo iure quisquam adſtringi poſſit, quod polituram aut ſcriptionem non admittit; ſecuro iam cuivis ignaviae litare licebat! Sed haec excuſatio cuius fuerit valoris, exortum mox docuit Evangelium.

Senſerunt interea primi in Raetia Reformatores, quantum in inculto arvo eruendo ac poliendo laboris, et taedii ſuerit devorandum, et quantum ad id operis fuerit inſumendum. Edoceamur haec paullulum verbis Biveronii, viri conſularis, rationem dantis converſi a ſe in idioma Oengadinenſe catechiſmi Comandri, anno 1537. editi. *Eo devenit*, inquit, *ut tanta ſit beſtialitas (ſit venia verbo) in populo, quod adulti plurimi reperiantur, qui nec Symbolum Apoſtolorum, nec Decalogum, ſed nec Orationem Dominicam ſint edocti. Deus bone! mirere qua ratione ſint Chriſtiani - - Concurrat ergo piorum omnium auxilium & conſilium, ut de fide omnes informentur, & beſtialitas expellatur.* Per ea loca, et Valles, ad quas vel prorſus non, vel ſerius demum pervenit Evangelium, ſteterunt hae tenebrae, non ſecus ac olim ſuper abyſſum, craſſae et diuturnae. Inter alia, quae ſub manibus habeo, occurrit mihi Vallis Tellinenſium ad Comitia, anni MDLXXVI. menſ. Octobri Davoſii habita, petitio; qua eorum Syndici a Clementiſſimo Principe petebant, ut ſibi permitteretur habere Sacerdotes extraneos, qui ſuos in Religione inſtituerent, donec ex indigenis ad ſufficientem numerum educaverint. Ad rationes vero, quibus petitum a clementiſſimo Principe extorquere exiſtimabant, prima erat quam nunc totidem verbis exſcribo: Scilicet „ quod Sacerdotes, et Monachi, quos ex „ indigenis haberent, rudes prorſus et inepti eſſent ad officium docen„ di populos, nec ſcirent concionari, ſed ſolummodo miſſificare: inde „ vero fieri, quod numeroſae Communitates, imo innumera ingentis „ eorum provinciae multitudo, velut tot oves Paſtoribus deſtitutae, erra„ re, imo penitus obruteſcere, i. e. brutis animalibus ſimiles evadere „ cogantur. „ Haec ipſa poſtquam retulit Campellus, addit de ſuo: „ Id autem adeo vere dixerunt, ut inde antiquitus etiam, quando ex-

„ teri

„ teri Sacrificuli, atque Monachi illis Religionis Magistri erant, in to-
„ ta Volturena, et Clavennae provincia, non modo pueri, et mulieres,
„ sed nec ex adultis, et senibus reperiantur, qui orationem saltem Do-
„ minicam, et Symbolum Apostolorum vernacula, et cuivis perceptibili
„ lingua calleant, et recitare sciant, iis solum exceptis, qui latina didi-
„ cerunt, quorum oppido pauciſſimus prae vulgi multitudine numerus
„ est *h*). Equidem Raeticus Magistratus longum satis tempus in insti-
tutionis curam reliquit, quibus ex officio, et conscientia incumbit: sed
ubi ab illis Antistitibus nihil in melius tentari conspexit, publicae Chri-
stianae rei invigilaturus, anno 1598. publico Decreto sancire necesse ha-
buit, ut a Sacerdotibus omnibus oratio Dominica, Symbolum Apostolo-
rum, et Decalogus pro sacris populo recitentur, sicque elementa sal-
tem Christianismi edoceantur.

Haud leve pondus ad tantas tenebras attulisse etiam paucitatem il-
lorum, qui sacris incumbere debuissent, facile creditu est. Erant au-
tem ab olim, ut alibi, sic etiam in Raetia introductae, et usitate benefi-
ciorum, ut vocabantur, incorporationes, quarum tenor, uni Praelato, sive
Sacerdoti plurium Ecclesiarum beneficiis gaudere dabatur; licet illas
forte nec semel in vita inviseret, verum omnia sacra per subordinatos
administrari curaret. Grandis ad luxus fomentum incitatio. Ea etenim
beneficia non nisi fere iis usui veniebant, quos vel natales, aut si quae
alia commendabant, quibus aut fortuna favebat; de habilitate, et me-
ritis ne instituta quidem quaestione (*). Ineunte Ecclesiarum Refor-
matione, id maxime visum fuit in Curiensis Capituli Praeposito, quem
eruditione praestare debuisse, vel sola dignitatis, quam gerebat, denomi-
natio utique suadet: ad dictam spartam is etiam Parochiae D. Martini,

h) Lib. II. cap. 80. pag. 1620.

(*) Ge. Suidegger Parochus in Catzia, & Capituli super lapidem Decanus ad Jo. Tra-
verſ. d. 28. Septembr. 1523. Domini Capitulares Curienſes fecerunt mihi ex-
ſpectationis copiam ad canonicum beneficium: Sed hac ſpe ſic fruſtror, ut quan-
to diutius praeſtolor, tanto minus aſſequor, impedientibus qui ſuis tantum ſtu-
dent commodis, aliorum vero, quantumque ſtudioſorum nullam habent ratio-
nem. Pueros quosdam, qui nobilium ſunt, mihi praeferunt: ego repellor, qui
eorum ſemper fui obſervantiſſimus. Inprimis de Decani favore dubito ob Nepo-
tem ſuum puerum, quem ante me vult intendere &c.

quae in civitate Curienſi frequentiſſima eſt, beneficia exigebat, eiusque ordinarius Plebanus, ſeu Parochus dicebatur. Sed is, quando anno 1524. a Senatu iuſſus eſt, ſacra ſuae Eccleſiae in perſona facere, lubens faſſus eſt ſanctam ſimplicitatem, et citius, quam id oneris in ſe reciperet, ſtatione ceſſit *i*). Hae incorporationes, et per ſubſtitutos proviſiones nemini maiori fraudi erant, quam Eccleſiis, ladina, aut Romanica dialecto utentibus. Nam quia non ſemper indigenae ſuppetebant ſubſtituendi, et eorum vice quivis ſeu Itali, ſeu Germani ſurrogabantur, fiebat, ut praeter miſſas nullae aliae divinae inſtitutiones, nec publicae, nec privatae exercerentur. Illi quippe, ut omni labore exonerati eſſent, aut ignorantiam ultro fatebantur, aut idiomatis imperitiam, diverſitatemque cauſabantur, et praetexebant. Sed ſola Miſſarum cantilena perteſae venerant Eccleſiae, ipſoque facto teſtabantur, ſe aeque facile omni exercitio religionis carere velle, quam ſolis miſſis paſci. Adeo omnis guſtus doctrinae divinae interierat. Clara haec evadant ex literis Gallicii, Reformatorum Raetiae primarii, ad Bullingerum, Eccleſiae Tigurinae Antiſtitem, hunc de patriae Eccleſiarum ſtatu certiorem reddentibus; quae, quamvis de ſtatu, in quo Eccleſiae paullo poſt factam Ref. ſtabant, loquantur; nihilominus de aevi genio teſtes locupletes eſſe poſſunt. Scribit autem hunc in modum: *Eccleſiae noſtrates in ſtatu feliciſſimo non ſunt; non paucae enim concionatores prorſus non habent; quaerunt tamen, ſed linguam Raeticam tenentes, quos vero invenire non poterunt: nulli enim ſunt, at nec inſtituuntur. Tavaſiani Eccleſiaſten receperunt, qui hucusque miſſavit, (liceat de barbaro barbare loqui) ſed miſſare ſe amplius nolle promiſit. Iſtum nos in examine deprehendimus myſterium fidei male tenere: recepimus tamen eum, & confirmavimus illis, quod promitteret ſe ſcripturis accuratius operam daturum; tum quia iidem illi Davoſiani miris eum ſuasque conciones laudibus veherent: ut hic quoque verum ſit illud, quod de ſeculi ſui oratoribus dicebat Plinius: Scito eum peſſime dicere, qui laudatur maxime. Quod ad vitam pertinet, ſcito, honeſtius ſe gerere Communitates, quae Evangelium receperunt, quam quae adhuc miſſant. Nam etiamſi edant, bibantque, non tamen ſaltant, nec alia multa faciunt, quae fiunt apud miſſantes. Quae Papiſticis ſuperſtitionibus adhuc irretitae*

i) Comand. 1524. ad Zvingl. alleg. inf. cap. III. fin.

tae tenentur Communitates, nec ipsae omnes sacrificulos habent, etiamsi vellent. Ex Italia tamen multi eis adveniunt Pfaffi, utor tuo verbo, ut & ex Atheſinis: totam enim regionem illam fere impleverunt Itali ſacrificuli, licet nihil niſi miſſent, teutonice enim concionari non poſſunt k). Sed quem guſtum de coeleſti doctrina extranei hi Sacerdotes populis ingeneraverint cum ſuis miſſis, edoceamur e familiaribus Fabricii, qui Comandri ſucceſſor fuit, ad eundem Bullingerum circa idem fere tempus effuſis querelis. Is, poſtquam de paucitate tum Miniſtrorum, tum Sacerdotum graviter conqueſtus eſt, pergit dicendo: *quod ſi ad Eccleſias, paſtore carentes, nonnunquam contingat evolare Miniſtrum, qui praeter munus eis accurrat, audiunt eum, & rident: veniat ad eosdem ad octo dies ſacrificulus, eundem audiunt, & rident; dixeris tales homines nullius eſſe religionis. Miſſa illis, & Evangelii concio nullo diſcrimine habetur.* Et paulo poſt. *Quia attenuata ſunt ſalaria, duas, vel tres coniungere Eccleſias neceſſe fuit: ita vero ſaepe germanica una cum Raetica alia concurrere propter confinium rationem. Huiusmodi locis tales praeficiendi forent, qui utriusque linguae potis eſſent: alternis quippe dominicis praedicatio variat: tales vero vix adquiri poſſunt. Italos quippe Raeti non intelligunt: illi his ſacra facere non poſſunt ob linguae idioma l).* Quae ſpecimina poſſemus promere de modo concionandi, quo utebantur Rom. Eccleſ. Antiſtites in Raetia, eiusmodi ſunt, ut non minorem riſum, quam commiſerationem in lectore excitare poſſent (*). Ex

k) 1553. 18. Febr. l) L. 20. Iun. 1558.

(*) Comander Zvinglio anno 1526. *Gnad und friden von Gott. Allerliebſter bruder, in den nächſten tagen vor Wienacht hab Ich fürbracht einem Rath zu Chur etlich artikel das Evangelium beträffend:* (intelligit credo theſes diſputatas glianti) *under welchen des Schulmeiſters halb Ich da die antwurt empfangen: Ich Sölle nach einem geſchikten, frommen, tugenlichen Mann wärben. So der erſchynet, wollen Sy mit Ihm der beſoldung halb übereinkommen, nammlich wollen ſie ein ſteür oder Summ geben, und das übrig ab den Schülern inzuihen, das Ich nit kan eigentlich ſagen, wie hoch ſyn beſoldung würde; doch ſchätz Ich uff 50. oder 60. gulden. Darum laſſ dir die Sach heuolchen ſyn mit einem Chriſtenlichen Mann, der dem Evangelio geneigt ſey zu dienen. Den will Ich auch mit minem vermögen dienen und das beſt thun; und So er einer kumt je lieber, dan der ſterbent hat uffghört, und wirt man die kinder jetz wider zu Schul thun. Wo einer nit bald da wäre, möchtend vil-*

Ex ea nunc Sacerdotum paucitate, et eorum, qui sacris praeerant, ignavia, et stupiditate, quis fructus in auditores redundare potuerit, colligere quivis facile potest: iamque nemini esse mirum debet, si cimmeriae tenebrae nostrum quoque coelum obvelaverant; nec enim secus fieri potest, quando oculus ipse tenebrae sunt, et coecum coecus ducit.

Ad tenebras istas si vitam clericorum plusquam cyclopicam, et omni luxus genere perditam addas, certe nil calamitosius poterit adiici Ecclesiae faciei. Ad istam vero; quod per Raetiam nostram soliti essent clerici obambulare armati, et vestium indecoro luxu uti, atque sub immunitatis Ecclesiasticae velo cuncta sibi permissa vellent, ea nec in vulnerum Ecclesiae numero haberentur, quamvis eadem populis tanto offendiculo

m) Artic. Quasimodogen. ann. 1524.

villicht etlich zu den Papisten gan. Item es sind noch weder götzen noch mässen gar hinwäg, Ich hoff aber, es werde bald ruken. Dem Amman von Flymbs hab Ich die empfelch gschriben: aber mir ist noch kein Antwort worden. Der Apt (nempe Th. Schlegel, qui certe reliquis perspicacior habebatur) *hat uff den Wienacht tag geprediget, Johannes sy der überträffenlichst unter den Evangelisten von der Jungfrauschafft wegen, damit hab er verdient, das er allerhöhest von der Gottheit hab können schryben; und sy Ihm von Gott ingsprochen. Aber Petrus hab wohl auch Math. 16. den Herrn uff sin Frag geantwortet, du bist Christus, der Sun des lebendigen Gottes, er hab aber geredt* ex exteriori conjectura, computatione, *er habs ab uswendigen Dingen genommen, das er Ihn sah vor Ihn stohn, das er Ihn hat sehen uff den Meer wandeln, in hsondern Wunderzeichen. Also hat er nit us insprechen Gottes, wie Joannes Ihn genent, ein Sun Gottes. Wie die Menschwerdung Christi durch Figuren der gesatz, durch verheissung des vatters und schrifften der Profeten uns warlich erbotten und geleistet sey: also wahrlich komme er in die Hend eines wirdrigen priesters in den brodt, im amt der heiligen Mäss; und wer eins laugne, der laugne das andere auch. Das hat er bewärt mit einem klugen schönen Syllogismo, das alle geschriften, die da dienen uff die Menschwerdung Christi, die müssen auch bewären die gegenwartigkeit im Brodt. Hie wirdt nun der Päpstler sach gewunnen syn, dan die Menschheit Christi ist klar us der gschrifft. Bis Gott beuolchen.* Num male in preconem quadret illud: inter vaccas bos est abbas? Salandron ad Zvingl. a. 1526. —— *Hüt acht tag uff ainen Capitel hat Castelmur im Tumleschg zu Ratz geprediget sounghür und schandlich, dan es ist uffgschriben, das er in's Rächt ist kummen mit ganzem Tumleschg: das wird ain hüpschen handel geben* ——

culo in oculos incurrerint, ut publico edicto sceptri politici reprimere necesse habuerint *m*). Verum concubinae, potationes, et artes aliae malae, quae passim in sacro ordine praevaluerant, faciebant, ut Sanctum Ministerium in vituperium conversum fuerit; siquidem ipsa sacra horum hominum libidini famulari cogebantur. Retinebatur in Papismo, ad exemplum veteris Ecclesiae, exorcismus, ceu aliud Sacramentum, ad malos spiritus fugandos efficax, et usitatum; hocce mysterium belli homines in quaestuosam machinam converterant; sic ut qui quidpiam amiserat, protinus clericum sollicitabat, ut adiurationibus rem amissam sibi recuperandam curaret. Unde primi Reformatores, ne a Papistarum in castra Christi transfugae artem, quam exercuissent cum opprobrio religionis Evangelicae, ulterius retinerent, cavere severa lege necesse habuerunt. Mandatum ista lege fuit, *ut qui adiurationibus, ac spirituum mendaciorum & impurorum familiaritate, auxilioque usi fuissent in rerum amissarum restitutionibus, aliisque curiosis restiendis, iis nuncium mittat, siquidem Christi Minister, & non exsecrabilis atque damnatus malorum daemonum cultor velit haberi.* Atqui temporibus illis, in ordinem Ministrorum non alii fere transibant, quam olim Sacerdotes, et excucullati Monachi, non de vano haec dici sensit, adhuc post ortum Evangelium bene diu, ipse Cardinalis Car. Borromaeus. Is quippe, Mesauciam Vallem visitans, eam Magis, et Strigibus, qui tum pecoribus, tam infantibus, et adultis multa mala, imo mortem ipsam inferebant, aliosque de rupibus praecipites dabant, repletam invenit, quorum coryphaeus allegatur fuisse ipse Ecclesiae Archipresbyter, seu Praepositus, quem in malo induratum, cum a malitia desistere nollet, gradu deiicere, eique familiarem suum Io. Petr. STUPPANUM surrogare necesse habuit *n*). Scripsit ea occasione dictus Stuppanus latino idiomate *Tractatum de idololatria & magia;* quem postea sui ordinis homines inter libros prohibitos collocari *o*), et plane Vulcano tradi ea, ni fallor, sola de causa iusserunt, quod minus e Sacerdotii honore videretur, ut prostaret *p*). Inter querelas, quas adversum Curiensem Episcopum habebant Comander, et Gallitius, Ministri Curienses, erat non minima illa, quod civium uxores identidem extra urbem suum in castrum ad

n) Iussan. vit. Borrom. Lib. VII. cap. 4. *o*) Quadr. Tom III. pag. 462. *p*) Calandrin. Resp. in Disp. Tiranens. pag. 110.

saltandum totum diem solitus esset evocare: adversum quod offendiculum, licet ad ravim usque declamarent, Episcopales nunquam movebantur *q*): Adeo inolita consuetudo sacraverat cuncta, ut nullius suppuderet; & dulciores erant eiusmodi consuetudines, quam ut ad Ministellorum exprobrationes nuncius mitti illis debuerit! Prae caeteris autem antiquorum morum tenax fuit Monasterium apud Corvantios; de quo sufficiat domesticum testimonium ex pericopa exhibuisse, quam in adumbratione Raetiae, et modo quo Romano iugo rursum submittenda sit, ad CLEMENTEM VIII. Pontif. perscripsit sceleſtissimus inter Evangelicos speculator Brocardus BORONUS: „ In Foedere De„ cem Iurisdictionum, inquit, habetur Monasterium Ordinis D. Bern„ hardi Cistercienſis satis amplum, quod appellant *Closter Churwald*, „ in quo aliquot Monachi saginantur, quorum vitam pudet referre, & „ tantum abest, ut eorum opera possit aliquid restitui, ut potius eo„ rum moribus in dies catholicus cultus relaxetur, etiam in residuis a la„ be haeretica quatuor paroeciis . . . & est aliqua habenda cura, ne „ saltem sint damno, si usui esse nolunt. „

His malis adeo nunquam studuit Curia Romana medelam adferre, ut potius, in profundo lethargo iacens, per emissos suos gnathones augendi ea occasionem dederit. Curtisani dicebantur, qui, bullis Papalibus freti, curas animarum sibi arrogabant, & beneficiis vacantibus se ingerebant. Horum nunquam deerat in Helvetia, & Raetia numerus; & hi sacra utique muniti auctoritate, cum Ecclesiasticis beneficiis nundinationes exercere, ordinariis locorum molestias facessere, omnibus municipalibus iuribus insuper habitis, vacantia beneficia sibi adferre nil dubitabant; eam interim agebant vitam, ut populorum continuo tum in se, tum in Pontificiam Sedem, cuius auctoritate se isti lurcones muniebant, acerbationem irritaverint (*). Quare tum Helvetii, sedi Romanae adhuc addictissimi, in solenni conventu anno MDXX. sanciverunt, ut Curtisani, qui ius suum bullaticum urgere praesumpserint, protinus

q) Gallic. ad Bull. 16. Ian. 1554. & 3. Febr. 1554. infra Cap. XI. exscribendis.

(*) *Es war vor XX. Jahren ein geschwinder Curtisan zu Chur, M. Heinrich Gaberthüber genandt, der Sprach offt: möchte Ihm der Titel der Pfarr zu S. Martin werden, so wollte er Ihnen den ganzen Stadtzehenden zu Rom ausgewünnen.* Comander ad Zvingl. 21. Aug. 1526.

tinus in vincula coniiciantur, &, ni ei renuncient, aquis submergantur; ut talionis nimirum iure bullae bullis submergantur *r*) : Et eorum exemplum, anno dehinc quarto, etiam Raeti, antiquarum adhuc superstitionum retinentissimi licet, secuti sunt. Scilicet tam in Roma, quam eius creaturis ita obduraverat impudentia, ut pedem referre, seque corrigere ullo modo nec scirent, nec vellent, sed cuncta potius pro libidine moderari semper intenderent.

Paucula haec exempla e scriniis nostris producere placuit, ne sola dissentiendi libidine de inscitia, & moribus Cleri in nostra patria, ante Reformationis tempora, conqueri videamur; caeterum enim habemus ipsos Romanae Eccles. parastatas, ultro nobis dantes manus. Ex his duos adducam, rerum Helv. Raeticarumque narratores; unus est Vendraminus BIANCHI, Patritius Venetus, & nostri, quo vivimus, seculi anno VI. apud Helv. Raetosque legatus: hic legationis defunctae relationem, sub DANEBUCHI nomine, edens, in rem, de qua agimus, sequentia annotavit: *un motivo singolare, che somministrò a quei due eresiarchi, Calvino, e Zvinglio, il specioso pretesto della Riforma, fu l' IGNORANZA e RILASSATEZZA DEI RELIGIOSI di quel tempo s*). Alter est memoriastes Volturenus, et Sacerdos Mazzii in Valle Telina, Petr. Ang. LAVIZZARIUS, cui propensio in Reformata sacra sane confessionem non extorsit, sed veritas sola istam: *regnava in que' tempi nel Clero sul MAGGIOR COLMO L' IGNORANZA, ED IL VIZIO; onde pare, che Iddio permettesse nella sua Chiesa quella innovazione, che risvegliassero l' ordine Ecclesiastico, in cui giaceva. Non erano in uso quelle frequenti istruzioni del popolo, e pia disciplina, che doppoi v' introdusse il Concilio di Trento t*). Quae licet a nemine negari possint, & a liberali Historico edici debeant, omittere, & dissimulare tamen consultius iudicavit Abbas QUADRIUS Lavizzarii, alias vestigia legens, & eius cogitata in suos commentarios referens. Nos interim quae ille dat accipimus, & huic camarinae ulterius movendae ultro supersedemus.

Omitti non debet, ad Ecclesiae calamitates momentum non leve addidisse etiam factiones intestinas, quae á Caesare, et Gallorum Rege,

r) Siml. de Rep. Helv. Lib. II. pag. m. 135. Stettl. pag. 589. 598. *s*) Danebuchi pag. 30. *t*) pag. 100.

summis profusionibus excitabantur, et fovebantur. Nam, quia Gallica potentia praetensiones, quas in Ducatum Mediolanensem formaverat, armis prosequi non desistebat, Austriaca domus aemulationem suam celare non potuit; ex quo factum, ut uterque Principum ad sustentationem suae causae Helvetiorum, & Raetorum fortitudinem, tunc inprimis celebratissimam, favoremque sollicitare studuerint. Immiscebat se dissidiis istis IULIUS II., Pontifex Martialis, qui evocatorum a se Helvetiorum, Raetorumque stipendia prius perfide negavit, deinde titulo DEFENSORUM ECCLESIAE, & nescio quibus honorariis remuneratus est: caeterum vero eos in Gallum acerrime incendit (*). His de fontibus evenit, quod in Helvetiorum, Raetorumque Rebuspublicis primum Optimates in diversas partes tracti fuerint, denique & cives, quivis prout adfectus, aut munera quemque trahebant, in diversa studia scindi coeperint, quae ipsi corpori cum temporis progressu exitium minabantur. Ruinae igitur antevertendum rati, fideles Patriae utriusque Patres legem tulerunt; qua omnibus interdicebatur a quovis exterorum Principum munera, aut pensiones (quas vocant) ullas accipere, consilio utique, & eventu saluberrimo. Ex dictis vero tam Ecclesiae, quam Reipublicae miserrima, & deploranda facies abunde elucet; ad quam renovandam quam Deus occasionem obtulerit, & quae initia, successumque dederit, nunc laboris nostri pensum esse volumus.

(*) Qui ipsas Iulii II., & Leonis X. Pontificum datas eam in rem litteras, visere cupit, reperiet ap. Ioh. Henr. Hottingerum. Histor. Eccles. Sec. XVI. Part. II. pag. 700. sq.

CAP. III.

CAP. III.

1516 --- 1524.

Origo Reformationis derivatur a praedicatione Zwinglii, & repurgatione Ecclesiae Tigurinae: enarrantur obstacula, quae tam a Pontificiis Helvetiis ad impediendam repurgationem Ecclesiae Tigurinae, quam a S. P. Q. R. ad repellendum Evangelii progressum, & conservationem antiquae fidei in Raetia interiecta sunt.

Laetum iam, & uberem ingredimur campum, visuri, qua tandem OPT. MAX. ratione prostratis Ecclesiae rebus adtulerit opem. Heic vero, quod nascenti Evangelio fuit Hierosolima sancta Dei sedes, matrix nempe, & originaria totius Christianismi Ecclesia: idem, beneficio Reformationis ex corruptelis doctrinae, morum, & regiminis, renascenti extitisse inprimis TIGURUM, primariam Helvetiorum urbem, cognoverunt, quos divina lux illustravit, dudum viri literatissimi *a*), & in specie grata mente recognoscit Raetica Ecclesia. Tiguri etenim vixit, & divino aulu doctrinam Ecclesiae ad Dei verbum exigere, abususque, & superstitiones in cultu tollere, omnium primus coepit M. HULDERICUS ZVINGLIUS. Erat (ut necessaria de eo praelibemus) anno Christi 1487. in pago Doggiorum, quem domum Sylvestrem S. *Wildenhaus* vocant, honestissimis parentibus ortus; & siquidem in infantia erecti animi indicia dabat, adhuc decem annorum puer Basileam, ad disciplinas humaniores excolendas, missus: in qua palaestra tam diligentem se exhibuerat, ut cum in literis, tum moribus laudem supra caeteros suae aetatis reportaverit. Inde Bernam discessit, ubi Henricus Lupulus, vir poëtico spiritu clarus, primus ludum bonarum literarum aperuerat; denique Vindobonam, Austriae metropolim, se contulit, adyta Philosophiae penitissime rimaturus, ubi comitibus gavisus, Ioach. Vadiano, postea Consule Sancto-Gallensi, Fabro, aliisque viris

a) vid. Alting. Monum. piet. & literar. pag. 24. Borosnyai Diss. de libr. Ref. Eccl. Symb. §. 1.

celeberrimis, eos fecit progressus, qui, pro illorum temporum ratione, singulares dici poterant. Postquam in illa musarum sede aliquot annos perdurasset, revocatus in Patriam fuit. Zvinglius autem, ne ab exercitio literarum cessaret, Basileam suam repetiit, & quae hactenus didicerat, ludo literario Martiniano praefectus, in alios effundere coepit; gradum denique Magisterii ex ista Universitate reportavit. Audivit Basileae Thomam WYTENBACHIUM, virum integerrimum, qui naevos Ecclesiae ut supra alios sui temporis cognoscere dicebatur, ita eosdem suis exponere non negligebat, & inter alia exserte docebat: *Sola nos divina gratia, absque ullis operum meritis, salvari.* Hoc semen cordi Zvinglii iniectum primus gradus ad rimanda Evangelii mysteria ei exstitisse dicitur. Etenim paullo post a Glaronensibus in Pastorem electus, unice animum applicuit, ut non e hominum traditionibus, commentisve, sed ex sola scripturarum collatione saperet; quam in rem earum lectioni inprimis Hieronymi, & Augustini scripta adiungebat, &, ne quid ad divinorum Scriptorum sensum percipiendum sibi deesset, omnem in ediscendas graecas literas posuit operam, qua & in parte, qua erat memoriae & ingenii felicitate, insigniter profecit. His subsidiis instructus Glaronensibus primo veram salutis viam ex ipsis fontibus exposuit, denique magno animo cum flagitiis, & maxime cum pensionibus, quae a diversis Principibus acceptae ruinam patriae minabantur, congredi coepit. Talis interim fuit Zvinglii Glaronae praedicatio, ut divinam gratiam ita promulgaverit, ut de Ecclesiae Romanae abusu nihil, vel ad modum parce commemoraverit, ne scilicet, irritato in se adversariorum odio, invidiaque, veritas prius amitteretur, quam abusus tollere liceret. Non poterat ea in exponendis divinis dogmatibus felicitas non quemvis ad Zvinglium audiendum pellicere; & illius amore inprimis tractus Theobaldus a Geroldseck, administrator Divae Virginis Eremitanae, (Einsiedlen) vir literatorum amans, illum anno MDXVI. ad tempus ad suum Monasterium pellexit. Et paruit illi Zvinglius; qui enim ad sanctuarium illud erat confluxus, ab omnibus fere mundi partibus, hominum spem faciebat divinae veritatis famam facilius, & latius per orbem spargendam fore. Toto morae illius, quae biennium fere explevit in dicto loco, tempore Zvinglius adversum humanas traditiones animose declaravit, diserteque docuit peccatorum remissionem, ac vitae aeternae praemium neutiquam a Virg. Mariae, aut alio-

aliorum Divorum meritis dependere: vana proinde esse indulgentias, peregrinationes, vota, donationes in Divorum honorem factas; vanam esse opinionem, quae uni loco magis, quam alii gratiam Dei alliget; vanum esse purgatorium, frustraque in defunctorum liberationem suffitus adoleri, & quae his similia. In ista mora cum dicto Geroldseckio, & Matthaeo Cardinale Sedunensi saepius de corruptelarum Ecclesiae multitudine, turpitudine, & modo illas abrogandi amice contulit; qua in re tantum abest, ab illis reprehensus, ut potius in sancto proposito alacriter pergere animatus fuerit. Inter haec obtigit, Ecclesiam Tigurinam Pastore primario orbari, fueruntque qui dies, noctesque laborantes obtinuerint, ut Zvinglius surrogaretur. Et quamvis minore, quam habebat, stipendio Tigurum migraturus Zvinglius erat, obtemperavit tamen, sub spe, quod loco tam celebri praedicata gratia Christi, & recepta non posset non reliquos quoque Helvetios in exemplum adducere, & bonam causam firmare. Tigurinus iam Pastor anno MDXIX., missis solitis postillis, & traditionibus Matthaei, Evangelium ex Dei verbo explanare adgressus est: & postquam ad hanc lucem Tigurinos suos arrigere aures conspexit, caeteros quoque Novi Test. libros eadem methodo exponere perrexit, animosque solida fontium cognitione imbuit, & ad abrogandos abusus praeparavit: sic Zvinglius merito primus, qui puritatem Evangelii contra abusus asseruerit, laudem meretur, & dudum ab aequi animi viris reportavit.

Verum avaritia Curiae Romanae circa idem tempus occasionem dedit, ut Ecclesiae vulnera acerbius resecari debuerint, & aperto Marte Pontificis malis artibus contraire necessum fuerit. Etenim anno MDXVII. Leo X. Pontifex nundinatores quaquaversum per Europam emiserat, qui pro bullis, chartulisque auri molem sibi reportarent: nundinatorum vero impudentia adeo exsecranda erat, ut cordato cuivis stomachum, & bilem moverit. Nil enim verebantur illi exclamare, ad pecuniolae enumerationem paratam indulgentiam esse cuivis latroni, parricidae, nec eo quidem excluso, qui vel Matrem Dei constuprasset: & plumas in aërem difflantes, explicabant, haud secus animas purgatorio evolaturas, quamprimum numi in mensa tinnitus exaudiretur. Tanta turpitudine commotus Martinus Lutherus, S. S. Theol. Doct. & in Acad. Witteb. Lector, Ordinis Augustiniani, vir animi heroici, statim

The-

Theſes XCV. de Indulgentiis ultima Octobr. anni 1517. Templo arcis affixit, & ab ipſo ALBERTO, Archiep. Moguntino, datis literis, ut impudentia praeconum coërceatur, expetiit. Et componi, ſedarique Lutheri animus tum potuiſſet, nam & Theſes ſuas ipſi Papae Leoni inſcripſerat, & ſe ad pacem pronum obtulerat: verum inflexibilis Curiae Roman. pertinacia, & dirus cum Luthero agendi modus Lutherum in pede coepto ſic confirmavit, ut poſtmodum omnes conatus in Romae ſubverſionem intenderit. Ex hac lite ortum eſt immane illud incendium, quo tota pene Europa poſtmodum conflagravit. Nec minus ſibi conſtabat Zvinglius, qui in religionem non caſu demum inciderat, ſed rite iam diſpoſitam mente gerebat. Nam quamprimum aeſtate anni MDXVIII., alpibus Gotthardi ſuperatis, in Helvetiam appulerat Bernhardinus SAMPSON, Franciſcanorum Mediolani Guardianus, Zvinglius ab huiusmodi inſtitoribus ſuos dehortatus eſt, inculcans remiſſionem peccatorum ſolo Chriſti ſanguine partam eſſe, nec eſſe datum medium per pecunias coelum adquirendi, ſed ſola fide, & obedientia nos beatitudinis participes fieri; & aequas paſſim aures expertus eſt. Quippe Hugo a Landenberg, Epiſcopus Conſtantienſis, cuius Dioeceſi urbs Tigurina inſcripta eſt, mox omnes ſuae dioeceſios Parochos, ne dictum nundinatorem intromittant, monuit: & Senatus Tigurinus Sampſonem, iam moeniis proximum, urbis acceſſu arcuit. Non ſubſtitit ad nundinationes Zvinglius, ſed hac occaſione Epiſcopum Landenbergium, literis datis, ut omni niſu ſeductionibus Romanis ſe opponat, & ut Evangelica veritas victoriam nanciſcatur, adiuvet, variis adhibitis incentivis, omni zelo monuit; & Antonio Puccio Legato Pontificio, qui blandis promiſſionibus adhuc favorem Zvinglii recuperare ſtudebat, libere repoſuit, ſe viribus a Deo conceſſis citius non deſtiturum, quam totalem in Eccleſia ſua ab abuſibus repurgationem perfeceſit. Nempe praemeditate cuncta, & bono cum ordine ſacrorum reformationem moliebatur fidus hic Chriſti ſervus; nec quidquam ex impetu, aut nimio fervore egiſſe accuſari poteſt.

Providae plantationi, & adeo aſſiduae rigationi dedit denique & incrementum Deus. Perſpecta enim ex limpidis fontibus doctrinae Evangelicae puritate, Senatus Tigurinus anno MDXIX. ſolenni Decreto ſancivit, ut *Parochi, Capellanus, & Eccleſiarum proviſores quivis, miſſis*

missis hominum traditionibus omnibus, unice doceant, quae ex S. Scripturis utriusque Testam. probari possunt, aut quod dictis Evangelicis, & Apostolicis scriptis consentaneum sit. Hoc vero semel stabilito, Babelis sensim, & in dies concedere muri coeperunt. Mox importati Helvetiae Lutheri libri oculos aliorum aperiebant, alios in agnita veritate confirmabant: mox Tiguri anno MDXXII. Missa, quae servatis cunctis eius caerimoniis hucusque celebrata fuerat, abrogata: mox usus carnium licitus pronunciatus: mox denique meretrices eiectae sunt, & Sacerdotes libertatem connubiorum sollicitare coeperunt: Asyla quoque, quae facinorosum hucusque receptacula exstiterant, non absque Caesarea permissione, occlusi sunt. Sic cum puro doctrinae semine etiam vitae castioris fundamenta ponebantur: erantque per omnes Helvetiae, & vicinas civitates tum ex ecclesiastico, tum ex politico ordine, qui Evangelii annunciatione beari cupiebant.

Ad exemplum Tigurinorum sane studuerunt etiam repurgationem instituere Basileae, Scaphusii, Sancto-Galli, & alibi sanctiores mystae, quibus vel paullo serius, aut uni difficilius, quam alteri cessit. Ut ad Raetorum terras propius accedamus, in Sarunetum ditione illis contermina, Monasterii Fabariensis Abbas Iacobus Russingerus insigni in Zvinglium, eiusque doctrinam amore flagrabat; cuius rei testes exstant plurimae in Archivis Tigurinis ad eundem literae, quas meis olim oculis lustravi. In metrocomia Ragazzio etiam Evangelici Papaeis superiores erant, stetissentque proporro, nisi demum, post infelicem pugnam Capellanam anno 1531., qua Zvinglius occubuit, a VII. Cantonibus Ministri in exsilium Missi, & missa brachio seculari denuo reducta fuisset. A Sarunetum Comitatu solo amne Rheno dividuntur Raetorum Foedera; quibus prout ab olim cum Tigurinis intima interceßit amicitia, per viciniam, & commercium in dies firmata, sic per has quoque terras fama Tigurinae reformationis pervasit, & eam plenius cognoscendi cupido plurimos illexit. Inter residuas adhuc ad Zvinglium literas plures habentur a *Martino Saegero*, praenobili viro *b*), & oppidi Masaevillensis Tribuno, (*Stadtvogt*) anno MDXXI., & dehinc scriptae, quarum argumentum est desiderium Evangelicae veritatis, & in illa confirmatio: hocque literarium commercium ad mortem usque Zvinglii dura-

b) Pall. Lib. VII. pag. 205.

vit, hocque ad auras superas evect), continuationem ab illius Successore Bullingero etiam expetiit c), Quo tempore Zvinglius Tiguri adversum corruptiones, & nundinationes Romanas omnem operam navabat, ex Raetia Curia Iacobus Alexander, Curiensis Ludimagister, eum animare non destitit, certumque fecit etiam *in Raetia plerosque esse, quos Romanae Simoniacae tedium ceperit d).* Hunc ego Alexandrum eundem existimo, qui paronomasia parum diversa se Salandronium dixit, & Iac. Salzmannus vocabatur, de quo plura habemus documenta suis locis inserenda. Iste vero Salandronius anno adhuc 1522. ad Zvinglium perscribebat, neminem *illi infensiorem esse pensionariis,* in quos ab olim acriter invehi solitus esset; *hos mendacia, & calumnias adversus Zvinglium nefandas evomere, spargereque, haud levi cum Evangelii detrimento: esse enim Zvinglium in Raetia plurimis notum, quibus sua quoque doctrina probetur: Parochum vero Katzensem* (est vicus Iurisdict. Tosanensis, qui Catholicis Sacris ad hunc usque diem adhaesit) *melioris informationis accipiendae gratia, propediem Tigurum discessurum, & eum conventurum e).* Quae de sua conversione in Biographia scripta reliquit Iac. Biveronius Samadaenus, postea de Evangelio bene meritus, in idem tempus incidunt, & prout Anhornius consignavit, nos etiam referre decet. *Circa tempus illud* sc. 1521; vel 1522. inquit, *aetatis meae anno circiter XVI. ope divinae gratiae corruptam, & veneratam Papismi superstitionem animo meo radicitus eieci, e contra salvificam Evangelii doctrinam suscepi, a qua me nunquam passus sum abduci, quamvis eius causa in varia discrimina coniectus fuerim, & ipse parens meus caligine, ac coecitate tum quidem totus obrutus, multis minis absterrere tentaverit, quem vero divina cooperante gratia Ego tandem Christo lucrifeci. Ipsi Proceres severis mandatis, Sacerdotes blandis pollicitationibus, omni nisu me a sancto proposito abducere allaborabant; erat quippe salvifica Evangelii doctrina tum adhuc nova, ab omnibus reiecta, quia astutae Sa-*

c) *Martin Saeger, Stadtvogt zu Meyenfeld 27 Ian. 1533.* ad Bull. —— *Da mir vom frummen Minister Ulrich viel guten Willens erzaiget —— als sie in sein stell gesetzt, bitte auch ihre Freundschafft zu erkennen geben, und was neues in Druck kumt, zu überschicken. Die Costen werde mit samt Dankbarkeit ertragen.* d) 18. Aug. 1518. citatae etiam Cl. Hottingero, Helv. *Kirchgesch.* Tom III. pag. 37. e) Salandr. ad Zvingl. altera post Barthol. 1522. v. Hotting. Tom. III. pag. 94.

Sacerdotum persuasiones hominum animos in illam odio impleverant. Sed cuncta multa cum patientia pertuli, tuissemque Evangelii causa adhuc maiora, si clementissimo Deo collubitum fuisset. Immortales vero Deo benignissimo habeo gratias, qui suos nunquam deserit f). Invenio etiam *Andream Sigfridum*, Ecclesiae Davosianae, plusquam XXX. annos Pastorem, circa idem tempus Evangelicam veritatem & cognovisse, & aliis instillare ausum fuisse (*). Quibus addo etiam *Laurentium Moerium*, quem inter alia Zvinglius laudat ceu *virum pium iuxta atque doctum, dignumque, qui magni gregis dux sit; cuique Tigurum venienti auctor fuerit, ut ad Raetos redeat, & istos Christum docere pergat g).* Ex allatis vero edocemur Evangelium Tiguro, ceu Sione egrediens, sensim in Raetiae provincias subintrasse; & in multorum cordibus radicem concepisse.

Sed remeandum nobis interim Turicum est, ubi cum abrogatione abusuum occupatum Zvinglium reliquimus, ut divini conatus complementum contemplemur. Ibi strenuus, ac indefessus Zvinglii labor fructum in dies haud vulgarem proferebat in aliis; ab aliis vero tum eius doctrina, tum persona gravissimis probris, non privatim modo, sed publicis quoque vocibus traducebatur. Ab omni ergo opprobrio se purgaturus, & obstacula cursui veritatis amoturus, Zvinglius a Senatu publicum colloquium expetiit, in quo articuli controversi, Legatis Episcopi, Senatu ipso, & quibusvis aliis praesentibus, discuterentur; ad quod omnem docilitatem, si qua in parte lapsus esse convinceretur, promisit, sin secus tum sui, tum veritatis patrocinium adversum malevolorum spicula sollicitavit. Senatus postulatum hoc aequissimum iudicans edicto publico affixo in XXIX. Ian. MDXXIII. ad solitam Senatus con-

f) Anhorn Paling. pag. 45.

(*) Comand. Bullingero 6. Decembr. 1552. *Es ist ein land by uns Daclas genant, ist ein fürnehm namhafftig ort der dry Pündten, und eine grose kilchhöre. Ihr Pfarrer ist vor 3. wochen von diesem zyt geschiden, mit grosem leyd siner kilch und unser aller, dan er gar ein redlicher Mann was, der meer dan vor dryssig Iahren har, gar wohl und flissig im Evangelio gearbeitet hat; ist ob 70. Jahren alt gsyn.* Noletur interim hic sphalma Clar. Hottingeri Tom. III. p. 94. Conradum N. substituentis.

g) 3. Kal. Ian. 1523. ap. Hotting. K. G. Tom. III. pag. 210. not. g.

sessus horam omnes suae ditionis Ecclesiarum Parochos, & Sacerdotes in Curiam condixit, ut qui adversum doctrinam, quae a Zvinglio docebatur, quidpiam excipiendum, aut opponendum haberet, prodeant, & germanica lingua omnibus vernacula indicent, & ex S. Script. comprobent. Item Senatus etiam Constantiensem Episcopum sollicitavit, ut collationi huic vel in persona, vel per delegatos interesset, quandoquidem accommodatissima ea videatur via afflictis Ecclesiae rebus succurrendi: Zvinglius interea primarias Christianismi veritates LXVII. Thesibus complexus est, eo modo conceptis, ut errores oppositi in illis simul annotati, & confixi essent, eas denique ceu futurae collationis obiectum typis exscribi, & quaquaversum spargi curavit *h*). Ubi dies Disputationi datus illuxit, comparuit Cleri Tigurini ingens turba, cuius numerus ad sexcentos censebatur: advenerant etiam a Constantiensi Episcopo delegati aliquot. Sed hi in omnia alia ibant, ne se Disputationi immittere deberent; nec enim se in alium finem accessisse aiebant, quam ut controversiarum, quae Tigurinos vexarent, informationem acciperent; aut partes, si possent, componerent. Et quando Zvinglius urgebat disquisitionis necessitatem ob impactas sibi calumnias, reponebant eiusmodi inquisitionem, in proxima Imperii Comitia, aut Concilium differendam, aut Colonienſi, sive Parisiensi, vel cuipiam alii Universitati committendam esse. At Senatus nil curans eiusmodi effugia ad elabendum solum conficta, disquisitionem articulorum intimavit. In tota vero illa actione Zvinglius tam fortem se praestitit, ut propugnatores partis adversae tandem nil habuerint, quod eius verbis opponerent; & ipse Faber de se fassus est: idem evenisse sibi quod scriptura dicit, (nempe de fatuo) verbis se intricatum esse. Nunquam veritati illustrius Tropaeum statutum fuit. Resultavit inde Senatus hocce Decretum: ut quia, qui Zvinglio haereseos notam *intentaverant, accusationem ex Scriptura Sacra comprobare nequiverunt, iuberetur Zvinglius in divini verbi praedicatione animose pergere: iniussumque omnibus Ecclesiarum Antistitibus, ne, sub gravissimae poenae intimatione, alia ulla doceant, quam quae ex Sacra Scriptura evicta dare possint.* Hic eventus optatissimus, solennis, ac celeberrimae Disputationis fuit, qua veritas firmata, & fundamentum ad ulteriora stabile positum comparuit. Merito, iureque de hac Disputatione, seu (ut cum Bullingero loquamur)

h) v. Zvingl. Opp. Tom. I. p. 1.

rum) prima Synodo Tigurina iudicavit celeberr. Hoornbekius: *haud sibi ullam notam esse Disputationem, quae ordine meliori, & successu adeo felici peracta sit, ut Tigurina ista, qua omnia pacifice pertractata, maturo cum iudicio excussa, & adversarii ad incitas redacti fuerint i).* Ex eo tempore abusus unus post alterum abrogari coepit; & primo quidem numerus religiosorum, qui longe maior pro religionis usu erat, ad usque tot personas diminutus est, quot satis erant officiis Ecclesiae peragendis. Canonicorum ordo retentus est, sed cuivis illorum horae destinatae fuerunt instituendae bonis artibus iuventuti, sic ut nemini amplius liceret esse otioso. His de initiis ortum cepit Illustris Schola Tigurina, quae tot orbi, in omni literarum genere, dedit Viros praecellentissimos. Monachorum tres ordines in locum unum coacti fuere, cucullis abiectis, ex quo exire poterant ad laborem, ad coniugium, ad literas, quibus animus erat: nullus enim illorum electus est, aut Sacerdotio privatus: Sed quod cuivis hactenus in singulos annos dabatur, possedit usque ad mortem: mortuo autem nullus surrogabatur. Cui non arridebat doctrina fidei, migrare licebat, quo libitum erat, adeo nemini gravabatur. Reditus Ecclesiastici quoque vel Ministris Ecclesiarum, vel literarum doctoribus adiudicati, vel in pauperes, aliosque pios usus conversi sunt; nec quidquam in forum seculare alienatum. Tum lex coelibatus abrogata, Sacer cultus lingua vernacula institutus, baptismus quoque, inutilibus cerimoniis abiectis, ad divinae institutionis normam redactus. Missa valere iussa, & in eius locum communio sub utraque specie introducta est. Supra exturbationem imaginum solennis iterum circa anni dicti finem Disputatio habita fuit, cuius concluso iudicatum e Templis eiiciendas esse: interim vero sollicitati fuerunt Constantienses, Curienses, & Basilienses Episcopi, reliquae item civitates Helveticae, ut si quae in adversum consultum factum ex Dei verbo haberent, illis exponerent *k*): Sed cum nihil exceptionis advolaret, anno secuto MDXXIV., & illae Templis expromptae; Reliquiae visitatae, & terrae honeste repositae; organa, pro defunctis sacrificia, processiones, aquae lustrales, & aliae extra Dei verbum in cultu supervacuae caerimoniae electae sunt. Sic Tigurina Ecclesia ad Apostolicorum temporum, & divinae institutionis normam divino beneficio reformata comparuit.

i) Summ. contr. pag. 251. *k*) Hotting. K. G. Tom. III. pag. 176.

Nihil equidem intentatum reliquerunt caeteri Cantones, Pontificiae Sedi mordicus adhaerentes, ne abrogatio antiquorum rituum in Ecclesia Tigurina procedat, nec una eam in rem ad Senatum Turicensem legatio comparuit. Boni hi mox exclusionem ab Helvetico corpore Tigurinis interminati sunt, si veteres caerimonias abrogare auderent: Mox concedebant, Helvetios a Pontificibus, Cardinalibus, Episcopis, & omnibus in universum Ecclesiasticis, per emissos curtisanos, nundinationes beneficiorum, impostoras Indulgentiarum, usurpationem Iurisdictionis Ecclesiasticae, aliaque plura, gravia, & indigna passos esse: Sed ad istorum abusuum sublationem, & in melius reformationem, nonnisi communi consilio procedendum esse suadebant: Mox ne defuisse causae veritatis viderentur, Badenae Disputationem indixerunt, ad quam Ioh. Eccium, Ingolstadiensis Academiae Cancellarium, cuius in disputando habilitas in collatione Lipsiensi cum Luthero, & Carolostadio innotuerat, accersiverant. Verum Tigurini, quibus stabat propositum bonam causam non deserere, ad *illud* reponebant pro accensa apud se lucerna Evangelii, se Deo ingratos esse nec velle, nec posse, quidquid inde fiat; eius quippe tantum esse momentum, ut ad temporalium commodorum modulum tractari nequeat: *ad istud* interea, non abusus modo in regimine Ecclesiae, & cultu defoedasse Ecclesiae faciem, sed quam maxime aberrationes in doctrina a verbo, praeceptoque Dei; iam vero a longis temporibus expetitam esse horum malorum abrogationem, sed spem nunquam apparuisse, siquidem Pontifices, et Clerus in lethargo iaceant, et corruptione delectentur: *ad hoc*, adduci se non posse, ut fidum Pastorem extra sua iura in manus hostium coniiciant; is enim si illorum scopus non sit, accessissent ad Disputationem Tiguri habitam, aut quando petitum est, ut vel Abbatiscellae, vel Basileae, vel *Curiae Raetorum* Disputationes hebeantur, non denegassent. Caetera enim, quando locus sit aequus, se discussionem non subterfugere, omni occasione monstraturos; ut quod postea cum Disputatione Bernensi, & colloquio Marpurgensi reipsa declararunt *l)*.

Videntes itaque caeteri Cantones, Tigurinos loco movendos non esse, necessarium existimarunt providere, ne Turicensium exemplum alii quoque sequantur, verum Catholica religio, ut hactenus, retineatur, et ob-

l) Idem loc. cit. p. 198. sq.

obſervetur. Congregati itaque anno MDXXIV. Lucernae IX. Cantones, et Valeſianorum delegati (deerant Tigurini, Baſileenſes, Scaphuſiani, et Abbatiſcellenſes) de modo medelam gliſcenti haereſi adhibendi conſultarunt. In ea vero conſultatione comperientes, omnes ſeculi motus ex Eccleſiaſticorum vita inordinata derivari, quosdam ad graviorum abuſuum correctionem articulos compoſuerunt. „ In illis, praevie facta ſtipulatione adhaerendi doctrinae ab Eccleſia hactenus traditae, cultui quoque B. Virgini, & omnibus ſanctis debiti, ſancirunt: Ut Clerici officio ſuo ad mercimonium, & quaeſtum non abutantur: ne pluribus quam uni Eccleſiae praeeſſe poſſint: ne in res politicas iudicia pronuncient: ſed vitam agant quietam, & honeſtam, nec, ut hactenus, plebi ſcandalo ſint: moribundis ſuccurrere teneantur: indulgentias absque pecuniis tradant: oneribus Reipub. ut alii cives ſubſint: moribundos ad legandas donationes non adigant, & quae huius generis ſunt plura: ex quibus Cleri illius temporis mores cognoſcere datur *m*). „

Sed eadem cura tenebat etiam Proceres Reipublicae Raeticae, qui itidem videntes paſſim per Iurisdictiones exſiſtere, quibus doctrina Zvinglii, & conſtitutio cultus Eccleſiae Tigurinae arrideat, antequam haec opinio in animos plurium pervadat, de ratione antiquam fidem a nuperis innovationibus ſartam, & illibatam conſervandi conſilia inire ſtatuerunt. Ad hanc deliberationem datus ſolennis conventus locus Plantio urbi fuit, quo Raeticae Reipublicae oratores menſe - - - confluxerunt. Fueritne hic confeſſus ad Helvetiorum, qui Lucernae convenerant, impulſum indictus dicere non habeo: id ſolum video Spiritum, qui illorum Synodum rexerat, huic quoque concilio praeſediſſe. Etiam Raetorum oratores unamini conſenſu iudicaverunt, omnes ſui temporis turbelas ex Eccleſiaſticorum turpiſſimis moribus ortum trahere: quare novaturientibus omnem adimi obtentum, & peſſulum gliſcenti Reformationi obverti, ſi Eccleſiaſticorum vita in ordinem honeſti, & decori coërceatur, Eccleſiis ſufficienti paſtorali cura provideatur, & graviores, qui in omnium oculos incurrunt abuſus, tollantur. Stabiliti itaque, & Dominica Quaſimodogeniti dicti anni MDXXIV. ſignati ab

m) Id. loc. cit. p. 201. ſq.

ab omnibus articuli fuerunt; ex quibus quosdam in rem noſtram, veſte romana donatos, totidem en! verbis exhibemus.

I. Circa abſentes, quibus Parochiae in multis Ligarum noſtrarum locis oneratae ſunt, ut Eccleſiis cum habilibus ſubiectis proviſum ſit, & verbum Dei, ac Chriſti doctrina tanto fidelius proponatur, nec populus in errorem ducatur, decernimus: ut ex hinc nulli Parocho, Capellano, Monacho, Curtiſano, ſive cuiuscunque nominis, & conditionis eſſe poſſit, abſentias ullas pro Parochiae officiis accipere, aut erogare liceat: verum omnis Sacerdos ſiquidem aptus fuerit, Praebendae, ſeu Parochiae, quam habuerit, miniſterium, fixo ibidem loci domicilio, ipſe peragat. Quod ſi vero quis id facere renueret, aut non poſſit, neutiquam ad illum ſtet Parochiam, ſeu Praebendam illam cuiquam alii tradere, aut alienare, absque Communitatis ipſius, vel Eccleſiae, cuius fuerit Praebenda, conſenſu & permiſſu. Itidem prohibitum eſto, ne quisquam circa abſentes Parochias, Praebendasve ſecretum ullum pactum cum quopiam ineat aut ſervet: & qui tale quid feciſſe comperiatur, eo ipſo iure in Parochiam deiectus eſto, ſtabitque penes Parochianos alium, qui ſibi placuerit, ſuae Parochiae praeficere.

II. Quando igitur aliquam Parochiam, aut Praebendam contigerit vacare, honeſtum, & habile ſubiectum illi praeficitor, perſona, quam collator, quisquis ille fuerit, & parochiani ſibi aedificationi fore exiſtimaverint.

III. Omnis Parochus teneatur Parochianis in mortis articulo adeſſe, eisque fideliter, & pro poſſe ſuccurrere ac ſolari ſub poena privationis officii.

IV. Statutum eſt, ut quando in Ligis noſtris Sacerdotem morte decedere contingat, tum eius bona alii nemini, quam proximis, ac legitimis haeredibus ipſius cedant, ſecundum ſtatuta, & conſuetudines in illa Iurisdictione, ſub qua Parochia fuerit, obſervari ſolitas.

V. Quan-

V. Quandoquidem hucusque in usu fuit, Sacerdote aliquo vita defuncto, ad aliquod tempus, interdictum, quod dicitur ad probos viros, qui nullius culpae peti poterant, indicere: ea vero de causa celebratio & cultus divini numinis intermitteretur: statuimus, ut interdictum illud ex hinc abrogatum habeatur, & nihilominus Missae, caeteraeque cultus divini partes administrando continuentur.

VI. Serio decernimus, ne, ubi personam quampiam morbo corripi, aut in agone constitui contigerit, spiritualis persona ulla, Sacerdos, Monachus, Monialis, aut quaepiam alia, dictam personam ad testanda ulla sollicitare aut adigere, nisi in legitimorum haeredum praesentia, tentare praesumat. Quod si vero nulli moribundo noti essent propinqui, advocetur iudex cum duobus ex numero Magistratus, aut alii tres honesti viri, qui aegrotantis voluntatem dispositoriam excipiant; tumque pro rei conditione, quod aequum videbitur, Testamenti dispositio expleatur.

VIII. Ordinamus etiam, ne ullus Ecclesiasticus politicum, aut Politicus ecclesiasticum, vel Politicus politicum coram Iudicio Ecclesiastico citare, reum agere, aut excommunicatione gravare tentet ob ullam causam, crimina, debita, aut cuiuscunque naturae esse possint, exceptis causis matrimonialibus, aut reditibus Ecclesiae. Verum quicunque adversus alium quampiam causam habuerit, teneatur reum petere, & procedere in eo loco, ubi domicilio fixus est, ibi censetur forum competens, a quo ius detur, & accipiatur; & Magistratus fuerit ordinarii, secundum Iurisdictionis, in qua crimen commissum fuerit, statuta a reo poenas accipere.

IX. Quoad annuos reditus in Ecclesias, Parochias, aut Collegia exigi, & dari solitos constitutum est, ut quorum exstant literae disponentes, aut contractuales, liceat ad earum tenorem coram iudice, sub cuius iurisdictione hypotheca existit, exigere.

X. Volumus etiam oborta inter secularem, & Ecclesiasticum unum, pluresve, aut viceversa, lite, seu dissidio, ut utraque pars vadimonium dare, & accipere teneatur secundum consuetudines.

XII. Et siquidem varia nobis delata sunt gravamina, quae ab Episcoporum Factoribus, Vicariis, Sigillatoribus, Fiscali, Notariis, & Procuratoribus, hominibus nostris inferantur, statuimus, ne ullus Episcopi Factorum, nostros, supra quam exigere ius concedit, gravare praesumat; sed aequo, & honorabili salario contenti sint, & partes quantum potest, ad concordiam disponant. Statutum etiam esto, ut Procuratores non amplius latina lingua, ut ab olim factum, verum germanica causas tractent, quo & illi, quorum agitur causa, processum percipere valeant.

XIII. Circa abusus in vestitu, quibus videmus Ecclesiasticos luxuriari, est mens nostra, & statutum, ut Sacerdotes, caeteraeque personae Ecclesiasticae in Ligis, et ditionibus nostris degentes, habitu, personis, et statui sacris decoro utantur, et tam vestibus, quam armis, nec non tota conversatione, honeste se gerant, ut populo bono exemplo praeluceant, et aedificent. Quod si vero ab inolitis abusibus non desistant, et Episcopi Factores huic malo medelam non adhibeant, nostrum erit incumbere, ut intolleranda haec finem aliquando accipiant.

XIV. Ad Episcopi Vicarium quod attinet, quum ob lustrationes, et consecrationes Basilicarum, Sacellorum, Altarium, Ornatuum sacrorum, aliorumque expensas maximas in computum trahere consueverint, concluſum est, ut quando per terras nostras quispiam eius operam desiderat, aut necessitas id postulat, teneatur, desiderans Vicarium, quoad itineris molestias, iudemnem praestare, et pro opera dare honorarium pro Ecclesiae, aut civium ratione, vel possibilitate. Vasa autem et ornatus his usibus adhiberi soliti ex in peculium Ecclesiae declarantur.

XV. Quod si ob causas matrimoniales, aut bona Ecclesiae sacra, quis a Iudicio Ecclesiastico Romam, aut alio appellare voluerit, haud gravatim concedimus, ea tamen lege, ut deligendus Iudex, seu Commissarius sit homo ex tribus nostris Ligis, aptus, et partium studio vacuus, non extraneus, item ne Processus aliorsum trahatur.

XVII.

XVII. Quoad Inducias, quas Sacerdotes pauperiores ob Capellani officii administrationem annuo dare constringuntur, nec a longo tempore exigi coeptae sunt, statuimus nemini ea de causa faciendam molestiam esse.

Et his articulis tota stabat abusuum Ecclesiae adeo diffamatorum, quantum mente conceperant, reformatio! Sed quantum conferre potuerint ad tantam vim morbi levandam, ignorare nemo potest, qui corruptionis amplitudinem, crassitiem, et profunditatem vel obiter tantum cognovit. Verum nec ipsi Ecclesiastici huiusmodi vinculis se constringi voluerunt; quo factum, ut omnes pro correctione morum conatus in fumos, et auras iverint. Patuit id statim ac vel levis articulorum exsecutio coepta est urgeri. Ecclesiae D. Martini, quae primaria, et frequentissima in civitate Curiensi est, Parochum agebat, proindeque, et reditus illius, qui tum temporis in decimis consistebant, sedulo percipiebat idem, qui Capituli erat Decanus, sed sacra semper per aliquem substitutum administrari curabat. Hic, quando Senatus eum obligare voluit ad munia Ecclesiae in persona obeunda, citius quam se onere gravari pateretur, facta quidem prius inhabilitatis confessione, stationi renunciavit. Hinc Senatus Praepositi Vicarium, Nic. Buendli, accersi curavit, ut communi consilio ad provisionem primariae in oppido Ecclesiae deliberando concurreret: verum quia insueta haec erat ipsi invitatio, qui beneficia Raetiae pro animi lubitu distribuere solitus erat, absentiam excusavit. Itaque in se devolutam Ecclesiae curam rite exsoluturus Senatus, vocationem obtulit IOANNI DORFMANNO, Sacerdoti pro seculi more eruditione praestanti, & vitae inculpatae. Hic non invitus oblatam spartam suscepit, et ea fide exornavit, ut sedula opera non Curiensem modo civitatem, ad puriora sacra deduxerit, sed causam Evangelii publice saepius fortiter vindicaverit, et plurimis per Raetiam salutis causa exstiterit. Eo die meritissimum adquisivit CURIA Antistitem, tali sane theatro dignissimum, cuius opera totos XXXIII. annos gavisa est; et hic ipse est, qui nomine pro more illius seculi in Graecum converso COMANDER dici voluit, quo et notus est.

Sic Comander Zwinglio 21. Aug. 1524. —— *Wyter als nun die III. Pündt in der*

CAP. IV.

Evangelium prorumpit in Valle D. Antonii, & Faliſii praedicatur a Miniſtro quodam Tigurino: turbae ea de cauſa natae. Idem praeco concionatur Malanſi. Et paſſim per Raetiam reperiuntur Sacerdotes, qui manus Evangelio tradunt, & aperte libereque annunciare incipiunt.

Prout ex continuatione caloris maturatur Meſſis: ſic poſtquam a tempore iam bene multo, Evangelii doctrina per Raetorum montana, vallesque perſonuerat, tandem aperta etiam praedicatio prorupit. Initium factum dicitur in Valle quadam incultiore tractus Raetigoii, a Divo ANTHONIO appellata, quam Rucantii, ut eos Strabo vocat, incolunt, et FALISCIS vico ditionis Raeticae ad Eſtiones confini ex-

den erſten artiklen gemacht hatten, das all penſionen ſollen ab ſyn, und jeder Pfarrer ſyn Pfarr ſelb verſächen ſollte, ſo ward der Thum Dechant erforderet, als der den titel der pfarr innhat, das er die pfarr ſollte und möchte beſitzen, das er aber ſelb perſönlich alle ding, ſo ein Pfarr thun ſoll, jedem ſchuldig wäre, und auch den Cantzel zu verſähen, do bekomt er vor dem groſen Rath ſyn untuglichkeit, und das ers nun fürohin nit thoun, noch lernen verhoffte. Uff das beruffiten ſy den lehnherren, M. Niclaus Buendli, des Thumproſt Vicari, das er mit Ihnen niederſäſſe, und die Pfrundt mit ſamt Ihnen nach innhalt der artiklen verlüche. Das ſchlug er ab und wollt mit gwallt haben; und hatte doch vorhin all ander Pfrunden verlehnet &c. Darnach bſchickten myne Herren von Chur mich, und endſchluſſen ſich ihres willens gegen mir und ob Ich begärte, ſo wären ſy gutwillig mich zum Pfarrherren uffz'nemmen; als auch bſchah. Nun us dem, ſo ſich der Dechan der Pfarr oder titels antzigen, und aber ſy anderſt nüt um den zehenden haben damit ſy Rechtſam erzeigen mügen, dann allein die Preſcription, ſuſt wollen ſy keinee grund erzaigen. —— —— Die 300. Jahr haben ſie die zehenden eingenommen, und dieſe alte Ruwige Beſitzung iſt ihr gwahrſame. Die 300. Jahr haben ſy einer Pfarr ni e Heller gäben. Du bekämeſt aber wohl in was gwerd und gwald der Antichriſt mit ſynen glidern geſeſſen iſt: und wa ſyn gwalt alſo blyben, hätten ſy noch 300. Jahre den zähenden ingenommen, und ein Pfarrer laſſen ſyn Nahrung ab armen lüthen kratzen. Den Botten hab Ich den Handel auch gſeyt, darum bitt Ich, du welleſt dinen Rath mir zuſchryben, und dich mit dem Botten underreden, was ze thuon ſeye. Gott ſy mit dir.

extremo, Majaevillanae Eccleſiae filiali: hi duo popelli primi circa annum MDXXIV. vel MDXXV. auſi fuerunt Miſſam cum reliquis Romanenſis Religionis caerimoniis abrogare; quantumvis a vicinis, & reliquis in circuitu populis diris imprecationibus impeterentur, & omnis generis convitiis infamarentur *a*). Primam hanc praedicationem ipſi Comandro adtribuit Illuſtris Fortunatus Sprecherus *b*): verum quantum mihi evolvere datum, non conſtant huius rei indicia. Videtur ſola claritas nominis Comandriani, ceu qui palmarius, & ex primis inter Reformatores utique exſtitit, eximio viro, generaliter tantum de ſacrorum immutatione loquenti, terminos illos expreſſiſſe, aut credibile hoc ei feciſſe. Enimvero ſi ita fuiſſet, certo non diſſimulaſſet Campellus Hiſtoricus ad minutias ſollicitus, neque ignorare potuiſſet Barth. ANHORNIUS uterque, qui Faliſcis, & in Raetigoia aetatem egerunt, & priſca relata ſummo ſtudio ruſpati ſunt; quorum tamen iunior poſt lecta Viri Illuſtris Chronica, ſaltem annos octo poſtquam edita fuiſſent, avi ſcripta non mutavit, quod in plerisque fecit, ſed repetiit: *nomen illius, qui in Valle S. Antonii Evangelium praedicaverit, ignorari, temporumque iniuria interiiſſe c*). Si vero coniecturis dabitur locus, hanc in Valle S. Antonii primam annunciationem edidiſſe, opinor, IACOBUM SPREITERUM, patria Sancto-Gallenſem Druſianum, & Davoſii, vel ut alii annotarunt, Conterii in Raetigoia Sacerdotem; huic ſiquidem, ob viciniam natalis loci ſui, cum his colonis facilis potuit interceſſiſſe familiaritas; & ſemotior a populorum frequentia Vallis illius ſitus, timidum adhuc iſtum Dei ſervum, ad manifeſtandos doctrinae, & cultus abuſus, inſinuandamque correctiorem Eccleſiae inſtitutionem invitavit (*). Quae vero FALISCIS in rem Chriſti acta ſunt, rumorem maiorem excitarunt. Eſt Faliſium, (quod in Inſtrumentis antiquis appellatur Faliſci) dominii Majaevillani vicus, Raeticae ditionis extremus; dominium quippe ſolo

a) Camp. Lib. II. cap. LI. pag. 994. *b*) Rhaet. Chron. Lib. V. pag. 205. *c*) Paling. pag. 19.

(*) Si quidem coniecimus olim cum haec ſcripſimus. Poſt illud tempus probatum venit in manus noſtras Topographiae Campellianae Apographon, ex cuius Cap. XL. diſco HENRICI SPREITERI nomen fuiſſe primo praeconi apud Sant-Antonianos Evangelico, eundem IACOBI SPREITERI apud Davoſianos Parochi fratrem germanum exſtitiſſe.

Rheno ab Helvetiis Sarunetibus, & Clivo D. Lucii ab Eſtionibus Auſtriacae ditionis diſterminatur. Eo contigit dicto ſupra anno, transmiſſo Rheno, devolaſſe Miniſtrum quemdam Tigurinum, qui apud Chriſtianum Anhornium colonum ex primis divertens, non deſtitit hoſpitem familiaribus colloquiis de Papiſticarum ſuperſtitionum ſuperfluitate, inutilitateque edocere, ſolida econtra Evangelii puritate imbuere. Idem poſtquam patronum ſuum in fide firmaſſet, & forte etiam aliis divina myſteria aperuiſſet, a paganis veniam petere auſus eſt proximo die ſacro illis de rebus divinis pro ſuggeſtu ſermonem habendi; perſpexerat enim in plerisque illorum eam ad verbum propoſitum adtentionem, quae amplioris Meſſis ſpem faciebat. Haec vero facultas concedi non poſſe videbatur inſalutato Sacerdotio Majaevillano, cui Eccleſiae filiales erant; metus quoque erat, ne aſperiora in antiquam religionem evomens, malis conſequentiis praeco anſam praeberet. Deliberatione ea ſuper re facta, praeconi ſermonem ſacrum apud ſe habendi tandem ſub exſerta lege conceſſerunt, ut ab omni contumelia, & convicio abſtineat, nihilque in medium proferat, quod non ex evidenti Dei verbo comprobare ſtatim poſſit; addentes, quod ſi id fecerit, nullo ſe metu ab odio vicinorum corripi patiatur; paratos enim ſe fore, & inſtructos ad eum ab omni iniuria defendendum: caeterum cavere de iniuriis non poſſe, quae ipſi ab extraneis poſſent inferri. Ad haec praeco, primo conditionibus prompto animo adſtipulatus eſt; de caeteris nullatenus ſe eos timere, qui occidere corpus, non item animam poſſint, ſed eum, qui perdere utrumque valeat, dixit. Interea totum Majaevillae dominium, Comitatum Valledulciam, & Sarunetum fama pervaſerat, proximo die dominico novae fidei (hoc titulo reformatio traducebatur) praeconem (*ein Neugläubiger*) Faliſcis concionem habiturum; ſic ut condicta die ingens prorſus populi, & ſacrificorum multitudo, quos vel curioſitas nova audiendi, vel odium, vel diſcendi cupiditas moverat, Faliſium adcurrerit. Quo confluxu conſpecto, vicani reputantes apparatum defenſivum omnino ſuperfluum non eſſe, Evangeliſtam ſuum armis inſtructi ad Templum deduxerunt, & concionaturo ſecuritatem praeſtare promptos ſe exhibuerunt. Sed nihilo territus hic Chriſti Apoſtolus, ad altare, unde recitare conciones mos erat, progreſſus, Divi Pauli ex priori ad Corinthios Epiſt. cap. XI, 23. verba: *quod accepi a Domino, idem dedi vobis*; & quae ſequuntur

quuntur, sibi in thema orationis eligens, doctrina, & suada potenti docuit, *in rebus ad fidem & salutem pertinentibus, nihil a nobis recipi oportere, nisi quod divina S. Scripturae comprobari possit auctoritate; differentiam item inter Missam Pontificiam, & Eucharistiam a Domino institutam fortiter ursit* (*). Tanto autem cum zelo Christi causam zelans hic Dei servus egit, ut aculeos in omnium cordibus relinquerit, ut, quod stupuerint omnes, quod opponerent nulli haberent. Fructus vero concionem secutus fuit, quod auditorum plurimi animis compunctis domum reversi sunt: alii propositum fecerunt, idolis missis, convertendi se ad Deum vivum. Et huius propositi tenax maxime fuit unanimis vicinia Falisiana, quae, efficaci adeo propositione mota, Papisticarum superstitionum abrogationem, & Eucharistiae secundum divinum mandatum, institutumque administrationem protinus decrevit, ratamque habuit, & in sui confirmationem eximii huius viri ulteriorem operam expetiit, & facile obtinuit.

Dum in Falisianorum suorum animis fidus hic Christi Evangelista confirmandis pergebat, communitas MALANSIANA eius audiendi desiderio incensa, ab eo itidem petiit, ut dominico die uno sibi quoque sacram haberet concionem: cum enim nonnisi Missis pasti fuissent hactenus, mirum in modum explicationem religionis Christianae audire anhelabant auditores. Erat, quantum ex variis indiciis colligo, tunc temporis Malansii Sacerdos, IOANNES BLASIUS, cuius strenuam ad propagationem Evangelii operam in sequentibus saepius habebimus laudandam *d*): qui, ut praegustum veritatis apud se habuisse merito creditur, sic quo eundem spiritualem cibum auditoribus suis praelibandum offerret, Falisiensem advocandi, & audiendi auctorem suis fuisse mihi quidem fit credibile. Malansiensium voto promptus se obtemperaturum annuit praeco, & ad dictum diem itinere se dantem Falisiani sui, ne quid forte adversi impingi possit, comitantur. Ad novae autem invitationis famam commota erant cuncta: ipse Austriacorum in Raetigoiae arce Castellana confidens Praefectus ad impediendam

(*) Exhibet elaborationem dicti thematis ad suam methodum Anhornius p. 5. & ex eo assutis suis laciniis dialecto Oengadinensi Clar. Dn. Otto a Porta Chron. Raet.

d] vid. Salandron. litt. ad Zvingl. 15. Maii 1525. & alias 1526.

dam functionem Malansium devolaverat. Ast irrito conatu; bene ampla quippe Ecclesia novum praeconem audire proposuerat; iamque aedis sacrae fores reclusae sunt. Id igitur cum repellere non posset Praefectus, suis, quos secum adductos praesto habebat, in mandatis dedit, ut ad primum a se datum nutum praeconem invadant, ad Castrum deducendum, indeque Oeniponta Archiduci transmittendum. Interea concionator perorando strenuum agebat athletam, & orationem producens, adversum imaginum adorationem magna cum parrhesia, & zelo fortiter detonabat, monstrans, quam huiusmodi cultus sit Gentilium idololatriae parallelus, quam Dei honori, & praecepto iniurius, qui se solum, semotis figuris omnibus, coli mandaverit. Ad ista verba sacrificulus quidam insurgens praeconem inclamavit mendacem, & mendaciorum doctorem. Verum nihil impetuosam interpellationem moratus Minister, cum modestia reposuit, ea, quae adversum imagines, Sanctorumque cultum dixerit, edoceri nos Dei verbo mentiri nescio, & ipsissima veritate: in eamque rem protinus educto sacro codice formalia divini Testamenti verba praelegit *e*). Sed ad interrumpendam tantum orationem Praeconis de industria interpellaverat sacrificus, ut per eam haberet Praefectus Castrensis initium, & occasionem, quae cogitaverat, exsecutioni dandi: quare Praefectus nutu primum, tum elata voce, & cum his nil proficeret, adiunctis comminationibus a suis, ut mandaverat, exsecutionem exigebat. Sed hi prae populo, concionem ad finem usque attentissimis auribus excipiente, praeconi nullam vim intentare ausi sunt; oratione demum finita Domino suo in os dixerunt: tantum abesse, ut eius hac in parte mandatum exsequantur, ut sanguinem potius proprium ad tam eximii viri defensionem profundere parati sint; nec enim, per totam vitam, doctrinam divinam ea perspicuitate, & efficacia propositam, qua hunc loquentem audiverint, unquam percepisse. Eventus sane admirabilis, & ei fere similis, qui Christo Doctori sine comparatione summo accidit, de cuius etiam praedicatione ad capiendum eum missi lictores, sed re infecta reversi Dominis suis, qui eos miserant, adtestabantur: *nunquam hominem esse locutum, ut iste f). Scilicet vivus est sermo Dei, & efficax, penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens ad divisionem animae, & spiritus, imo vero compagum, & medullarum g).*

Ve-

e) Anh. Paling. MS. *f*) Ioh. VII, 46. *g*) Hebr. IV, 12.

Verum non defuit Romanensium persecutio, qui molesto novitio mox liberari tentaverunt. Erat praeconi, seu habitatio, seu commoratio, nonnisi Falisii apud primum suum hospitem Christianum Anhornium, virum primariae inter suos existimationis, loci quaestorem (*Seckelmeister* vocant) opibus pollentem, & statura magnum, qui eapropter magnus Anhornius vulgo dicebatur. Huic aliquando circum aedes suas domesticis negotiolis occupato contigit audire pulsum campanae Majaevillensis, qua usitato Senatus oppidi convocari solitus erat; & quia tempus insolitum erat, facile animum subiit suspicio, a Sacerdotio Maiaevillano quidpiam in Evangelistam suum esse molitum. Dictum factum! tollens enim oculos Praefectum eminus conspicit cum assessoribus Maiaevillanis, & aliqua manu civium, passibus haud lentis, versus Falisium gressus promovere: quare ad domum festinans sine mora praeconem praehensa manu, loco, quem festinatio, & aedium commoditas obtulit, abdidit. Quando advenientes in Ministrum inquisiverunt, respondit Anhornius, non ita diu esse, quod in coenaculo fuerit, iam vero secessisse. Sed illi hoc responso non contenti, domum armati cinxerunt, referarunt cuncta, cistam nullam, angulum nullum inexploratum reliquerunt, nec tamen invenerunt: In cellae quippe voragine tenebricosa, in qua pro regionis more rapae hyberno tempore asservabantur, stramine obtectum, oculis sanguinem sitientium subduxerat, & recondiderat Dominus in latibulo faciei suae ab omni conturbatione hominum. Quare cum domatim studiose quaesitum non expiscarentur, venatores ad sua reversi sunt. Tantum cum videret illorum esse furorem Anhornius, fidelem Ministrum super montem Falisianum comitans, bono cum Deo dimisit. Caetera vero nec Dominii Praefectus, nec Sacerdotum turba, qua minis, qua promissis, & exemplis nil reliqui fecerunt, ut Falisianos a proposito deiicerent, & ab omni innovatione absterrerent. Sed illi in agnita veritate firmi persistere, nec ullis blanditiis cedere constituentes, Eucharistiam statim ad divinae institutionis normam administrandam restituerunt, opportunitatem exspectantes, qua & reliqua cultus *abominia* eiecturi forent; quae etiam, post lustrum unum, quando in uberem campum divina Messis exundaverat, ipsis, ut suo loco dicemus, obtigit. Et hoc primum fuit Reformationi in Raetiae terris erectum Tropaeum, quod Evangelii apud Raetos instaurati merito primitias nuncupaveris, tanto magis notandum, quod nulla auctoritatis via,

& absque tumultu, praecone mirabiliter conſervato, erectum, & ſtabilitum ſit.

Indidit, probe novi, Barthol. ANHORNIUS nepos, praeconi huic Tigurino nomen Io. IAC. BURKLINI, quae florens hodiedum, & honeſtiſſima apud Turicenſes familia eſt; & ad inſtaurandam ante CLVI. annos inter abavos credo contractam amicitiam, uni ex ſtirpe Burkliniana ampliſſimo viro, fautori ſuo PALINGENESIAM, quam ſcripſit, RAETICAM dedicavit. Verum utinam fontes idem, unde hac luce donatus fuerit, nobis ſimul deſignaſſet. Habuerit equidem iunior Anhorn. ſuas rationes, ob quas Burklinum titulo primi Evangelii in Raetia praeconis cohoneſtare voluerit; mihi in origines, & fundamenta cuiusvis relationis curatius, & ſtudioſius inquirenti paullulum de hoc adſerto dubitandi cauſa ſubnata eſt non una. Unam ſuppeditavit mihi ipſum BARTHOLOMAEI ſenioris, ſeu avi *Avtographon*, quo Palingeneſiam Eccleſiarum Raeticarum deſcripſit, & ad annum uſque MDCXX. perduxit, ab ipſomet CONSULI SENATUIQUE Sangallenſi inſcriptum, & pro fideli aſſervatione ſub X. Febr. Maiaevilla MDCXXI. eorum publicae Bibliothecae donatum; cuius duplex in Archivis Tigurinis habetur apographon: unum ipſius nepotis Anhorn. ſtudio, in Celeberrimi Ioh. Henr. HOTTINGERI uſus per Chriſtoph. Scherer ad originale anno 1641. confectum: alterum ipſa Ampliſſ. olim Conſulis Io. HENR. WASERI manu deſcriptum. Autographon illud ea ſerie enarrat Eccleſiarum reformationem, qua edidit Palingeneſiam ſub ſuo nomine iunior Anhorn., & praeter quaedam omiſſa, quaedam correcta, quaedam ad ſuam uſque aetatem, producta, fere ipſa verba omnia originalis illius Mſcti retenta ſunt. Ediſſerit idem *Avtogr.* praeconium Faliſii factum ſecundum omnes circumſtantias, dudum in publicum emiſſas, & a nobis etiam repetitas: ſolum nomen praeconis illius deeſt, quod tamen exſcribendi crebra occurrebat occaſio. Nunquam aliter ille, quam Miniſter Tigurinus (*ein Prediger von Zürch*) vocatur. Quare ſi Barthol. ſenior ſolers actorum in Ref. cauſa ruſpator, quique relationem ſuam ab ipſis fere *avtykoois* haurire potuit; ſiquidem anno 1586. Miniſtrorum Raetiae albo inſcriptus eſt, & per omnem vitam Faliſianae, ac Maiaevillanae Eccleſiae inſervivit, ſi, inquam, ſenior ille Bürklinum ignoravit, qui fiat, ut illius nomen nepos, ſecu-

seculo fere iunior, nobis tam confidenter dicere queat? Volvimus, ac revolvimus ULR. CAMPELLI, scriptoris sane solertissimi, & coaevi, volumina, quorum insignem partem divina providentia ad nos delatam ipsius actoris manu scriptam possidemus: Sed Bürklini nec vola, nec vestigium. Verum nec ullum de aliquo Bürklino ea aetate ex Tigurinis Ministro in Ecclesiae Turicensis monumentis exstare indicium, fidem mihi fecit diligentissimus, & indefessus in his sacris Apollo Io. IAC. SIMLERUS fautor nobis, & amicus singularis, qui in pervolutandis antiquitatis Eccl. Reform. scriniis ad stuporem versatus est. Verum idem sedisse celeberrimo HOTTINGERO dubium, video ex modo, quo dictam pericopam refert, qui hic est: „ In Raetia, Malan„ sium & accepit Evangelii semen a pio quodam, nec indocto viro, cu„ ius Balingus nomen non exprimit, simpliciter scribens: *habemus ho„ minem non indoctum, qui primus in tribus Ligis, Malanz &c. omnes „ abominationes Papisticas proscripsit: certe est homo pius, constans, ne„ que Hebraicae linguae prorsus ignarus.* Alii volunt, Iacob. Bürkli „ primum praeconium edidisse: an hunc indigitet Balingus mihi certum „ non fit.„ Haec Hottingerus *b*). Sed praeter Anhorn. iuniorem nemo id orbi persuasit. Crediderim vero Ego, forte ab ipso Cel. Hottingero patre olim Anhornio monstratas quaspiam literas antiquas fuisse, de re Ecclesiae Fallisianae differentes, & ex signatura nominis forte minus distincta, hunc vocem I. Bürkli exsculpsisse. In istam ego opinionem deveni, quando apud allegatum Hottingerum filium, ex *anekdotois* produci vidi quandam *U. Bolt*, praeconis verbi Dei Falisii, epistolam, ab ipso ad initium anni 1525. relatam, quibus narrat se (Boltium) a probis Falisianis receptum esse ad annum: Sed hactenus fuisse sibi pericula multa perpetienda, interim vero se progressum sperare *i*). Heic enim a Boltio narrata de se, Bürklio tribuuntur ab Anhornio! Concordant tempus & fata. Linearum vero maxime in antiquis *avtographois* flexuras, vocabulorumque ductus saepius tam obliquos, vagos, & ancipites esse solere, ut lectorem etiam peritissimum in varia trahant, sic ut ex iisdem ductibus diversissima saepe nomina deducantur, quis non novit, si modo in hoc laboris genere vel modicum temporis impendit? Hac via facile evenire potuisse, ut unus Bürklium exsignaverit, quod alius Boltium, vel Bultium legit, fere suadent utrique vocabulo communes & exstantiores ductus B, u, l, t, maxime si characteribus germanicis scripti

fuerint, &c. Nolim tamen meam coniecturam quisquam sibi obtrudi credat, ipsum namque *anekdoton* allegatum, meis oculis lustrare datum non fuit, quare pro certo asseverare nolim. Edoceri semper meliora sum promptus; & qui melius coniecerit, vatem perhibebo optimum. Quidquid interim huius sit, & si fallax sit mea coniectura, & progenies illa labori sancti viri, & memoriae eius nominis ingrata fuerit: certum est illius nomen esse inscriptum libro vitae; cuius licet ignoti in nos merita grata mente recolere decet.

Glacie ita fracta, statim per omnem Raetiam visa est Sacerdotum cordatiorum copia multa, qui de luce ad se divinitus demissa mirifice laetati sunt; & iidem hi eius usuram auditoribus suis communicare non neglexerunt, officii sui esse existimantes, eadem salutari gratia eos beare, pro quibus Deus se tanto beneficio dignatus esset. Hi vero non tam in abusus initio invehebantur, quam veritatis certitudinem ex Dei verbo eruebant, explanabant, & suis persuadebant; hinc nec Missa uno impetu abrogata, nec imagines Templis eiectae fuerunt. Sed fiebat haec repurgario demum, quando omnium animi rite instructi, ipsi inutilium superstitionum abrogationem postulabant, quod alibi serius, quam in alio loco factum est. Hoc modo ad Falisios, & Sanct-Antonianos popellos mox accesserunt plerique populorum in FOEDERE X. IURISDICTIONUM, nominatim vero DAVOSSIANI, MAIAEVULTIANI, MALANSIANI, atque in Corvantiis UMBILICII, & Scanavicana valle SANCTPETRINI & PRALONGIANI; quos viam salutis docuere praecipue IAC. SPREITERUS, ex Estionibus, seu Drusiana valle oriundus Sacerdos, ab eruditione simul, & eloquentia haud vulgariter commendatus, qui tamen non supra annum 1526. vixisse videtur, ANDREAS FABRITIUS Davosianus, CASPARUS SCHOLASTICUS (*Schuler*), HIERONYMUS N., ANDREAS SIGERIDUS, SAMUEL FRICKIUS, &c. In CATHEDRALI autem FOEDERE erant IOANNES DORFMANNUS seu COMANDER, & IOANN. BLASIUS, item NICOL. BALINGIUS *ii*), IAC. ALEANDER, S. SALANDRONIUS proprie Salz-

ii) Licet Balingii praeter unam & aliam Epistolam nil habeamus, neque de eius vita, morteve aliunde quidpiam conquirere datum sit, haud tamen leve fuisse eius

Salzmannus, & IOH. PONTISEELA olim Canonicus, & in Aula Episcopali Archidiaconus, omnes tres Ludimagistri, qui CURIENSES; GEORGIUS MARMOREUS, qui IGIENSES; VLDRICHUS MARMOREUS, lib. art. Mag., qui CERANTINOS, & SELIENSES in valle domestica, seu Tomiliasca; IOH. RODULPHUS, qui AVERSANOS; & intra montes primum quidem in OENGADINA inferiore CASPARUS DIETEGANUS a PORTA, qui SCOLIENSES; VUOLFINUS a PORTA, qui REMUSSIANOS; LUCIUS SDRAZZIUS, qui VETTONES, & ARDEATES, PETRUS FLURA, qui Guardenses, item LEO BISATZIUS, & PHILIPPUS GALLICIUS, instituerunt. In VALLE MONASTERIENSI soli Sancto-Mariani Reformationi adhaeserunt, IACOBO MONTATIO, patria Sentino, eorum sacrifico authore. Ad PRAEGALLOS serius penetravit Evangelium, ut suo loco docebitur, interim primi locum illi fecere VICOSUPRANENSES. instituti a BARTHOLOMAEO MATURO Cremonensi ad Raetos profugo. Quae in FOEDERE GRISAEO inter primas receperunt Evangelium, recensentur ANTIUM S. Ilantium VURZIUM, germanis Valtenspurgum, CASTRISIUM, RIGENIUM, PITASIUM, LUVINUM, DUINUM, VALENDAUNUM, TENNA, STUSSAVIA, FLEMIUM, ALTOTRINIUM, TAMINIUM, FAGONIUM, aliquot vici in monte Tomiliascae, HEINZELIO, THOSANA cum MASSENIO, CEPINA, in Sexamnis duo saltem tum vici GIRANUM, & ANDERA, item SPELUCA, & ortum RHENI Posterioris incolentes; quibus sequentes Sacerdotes facem veritatis praetulisse, proditum est, PETRUM BRUNUM Antinum, CHRISTIANUM HARTMANNUM, HIERONYMUM MATHIAM, IOANNEM CONCINNUM, BLASIUM PRADERIUM, GUILIELMUM GRAVERIUM, CHRISTIANUM IACOBUM, CLEMENTEM RAGUTTUM, CHRISTIANUM MARTINUM, IOANNEM CONRADUM, CONRADUM IACLINUM, non minus erudita pietate, quam maiorum imaginibus clarum, CONRADUM EPISCOPUM, BALTHASAREM

cius operam censendum est, nomenve obscurum: nam in Catal. Haereticorum postremo Romae conflato & edito a. 1559. inter Auctores, quorum libri & scripta omnia prohibentur, exstat etiam noster *Nicolaus Balingius.* opp. Verg. fol. 298.

ARTOLFIUM, FELICEM N., GEORGIUM TSCHUGGIUM, CHRISTIANUM DIETEGANUM, LEONHARDUM SEYLERUM, &c. praeter alios, quorum adinvenire nomina non quivimus. Qui vero ad istum numerum non obstupescat? & siquidem omnes Sacerdotes erant in specula super greges constituti, statim non sibi amplam messem promittat? in cumulum eos, prout reperi, adducere necesse fuit, ne etiam eximiorum athletarum nomina interirent: Sed in quo locorum quisque superstitiones debellaverit, expiscari, quantumvis sollicite tentaverim, non licuit. Praeterea in ea Sacerdotum paucitate, non cuivis Ecclesiolae sui erant Pastores; sed saepe tenebatur unus pluribus providere Ecclesiis, quas more fere Apostolico obambulabat, & divino verbo pascebat. Interim Spreiterum sibi adscribit matricula Eccl. Davosianae; alii Conterio in Raetigoia Sacerdotem fuisse, & Scanavicanos etiam docuisse prodiderunt. Andreas Fabritius Ecclesiam Davosianam aut plantavit, aut vix plantatam coluit supra XXX. annos. Andreae Sigfrido, & Sam. Frickio debet suam repurgationem Ecclesia Maiaevillana; Petrus Brunus docuit Ilianti, ubi & obiit: Christianus Hartmannus primo Thusciae, postea Alto-Trinii, ubi mortuus est: Ioannes Concinnus Waltenspurgi: Blasius Praderius Valendauni: Conradus Ieclinus Thosanae: Georgius Tschuggius Prezii in monte Heinzeliano: Leonh. Seylerus Spelucae, ubi anno 1552. extremum clausit diem. Ex omnibus memorabilis maxime est conversio Samuelis FRICKII. Is quippe per plures annos Parochus in oppido Maiaevilla Sacerdos multi nominis vixerat, & quantum ad repellendum Evangelii cursum alloboraverit, scimus, si modo ea, quae primo Falisii praeconi eveniisse diximus, memoria recolamus. Hic quando omnem suam operam in contrarium inutilem vidit, & passim per Raetiam ipsos Sacerdotes dare manus Evangelio, rabie plenus ministerio renunciavit, & protinus Romam se contulit ad implorandam sanctissimi Patris adversum haereticos opem, aut petendum consilium, quo Ecclesiae ruina in dies hiscens sistatur. Ast quando Romam appulit, & longe aliter quam existimabat, Curiam Pontificalem conspexit, luxui totaliter immersam, urbem, & quaquaversum Italiam ignorantia, & superstitione sepultas, demum in seipsum descendit, trutinans ea, quae ab haereticis contra Romam proclamari audivisset, plus nimium de vero trahere; tandem a propria conscientia victus Babylona deserere & ipse statuit. Sic extemplo derelicta

licta cum indignatione Roma, in patriam redux Evangelicis se adiunxit, & tanto dehinc maiore zelo promovendae doctrinae & cultus reformationi incubuit, quanto illam antea odio prosecutus fuerat; unde de se dicere solitus erat: *Factum se esse Romae Evangelicum* (*). Relata haec (inquit Anhorn. sen.) a fide dignis senibus pluribus haec mihi sunt, qui id ex ipsius Sam. Frickii ore acceperunt, quorum aliqui adhuc vivunt, alii in Domino obdormierunt *k*).

Verum omnes supernominatos Sacerdotes longo intervallo superasse dicitur PHILIPPUS GALLITIUS, qui etiam Salutius, (licet se fere nunquam Salutium scripserit) iuvenis equidem tum adhuc, sed plus quam senex quivis acerrimus doctrinae Evangelicae adsertor. Filius is erat Adami Salutii Ardeatiani; anno natus MDIV. Puntvillae, obscuro Vallis Monasterienſis pago a dextra Rhami fl. parte sito *kk*): mater vero Camogasco Oengadinae superioris oriunda erat. In eximii huius viri animum, siquidem mature admodum, delapsum, radicem concepit semen Evangelii, & uberrimos fructos produxit. Iuxta eruditionem, qua excellebat, ingenita ei fuisse quaedam agendi dexteritas, & moderatio dicitur, qua nihil cum impetu agebat, sed provida tractatione omnium in se oculos convertebat; mira quoque eloquentia, sic ut quae vellet, non tam dicere, quam hominibus instillare videretur: tanta erat illius labio gratia, maxime quando idiomate Raetico verba faciebat, aut etiam latino. Ille Lavinii, ubi Ecclesiae Ministrum egit, & Guardae intra eundem mensem, ut suo loco referemus, Missam suis concionibus abolevit; sed & eius labori immane quantum debent Susienſis, Cernetienſis, Zuzienſis, Campovastenſis, Madoleinenſis, Sumadoenenſis, Pontresinenſis, & Coelinenſis in Oengadina Ecclesiarum plantationes, rigationes, & tandem expurgationes: id quod etiam de Malansiana, Pralongiana, Cerantina, et ipsa Curienſi dici debet. Nulla sane illo vivo cum Papaeis, aliisve fidei puritatis adversariis habita Disputatio est, cui adhibitus non fuerit, & maximas partes semper cum laude egerit noster Gallitius. Unde et longe maximos supra alios, Evangelii causa, tollerandos

(*) Id lucrum etiam Lutherum, aliosque e peregrinatione Romana quondam cepisse, simul in censum vocata Frikii nostri conversione, erudite notavit Clariss. Schelhorn. Amoen. Hist. Eccl. Tom. II. p. 237.

k) Paling. MS. p. 22. *kk*) Camp. Tapogr. cap. XXXIV.

randos habuit labores; nam et sententia lata a Magistratu in exsilium missus fuit, et passus est penuriam, esuriem, nuditatem: horrendissima quoque maledicta, blasphemias, et convicia plusquam devorare coactus fuit; summa durissima omnia, una morte violenta excepta, christiana semper patientia, et mansuetudine pertulit: sic ut nulli alii magis Raetica nostra Reformata debeat Ecclesia.

Interea vero quantumcunque in dictis Sacerdotibus vineae Domini adcreverint operarii: non desierunt in contrarium oriri, et insurgere in professores Evangelii furibundi hostes *l*). Inprimis male habebat Curiensem Episcopum tot Sacerdotum, eorumque probatissimorum ad contrarios defectio: igitur obicem malo isti positurus, a quocunque, quem sacro ordini initiabat, sequens praestari volebat iuramentum, his formulis conceptum: „ *Ego N. de N. Clericus Curiensis Dioeceſis, in maiores* „ *ordines ordinandus, abrenuntio omni haeresi hactenus per quosdam tum* „ *veteres, tum recentiores in Sanctam Ecclesiae Christi fidem introductae.* „ *Promitto bona fide hoc meo chirographo, me perpetuis futuris tempori-* „ *bus cum Sancta Ecclesia Catholica in omnibus, & per omnia sensurum,* „ *honeste, sobrieque, ac quemadmodum decet probum Sacerdotem, tum* „ *victu, tum amictu vixurum, antistitique meo, ac ab eo delegatis Magi-* „ *stratibus in omnibus licitis, & honestis obediturum, hac quidem lege, ut* „ *si huic meae promissioni contravenero quocunque pacto, fuco, vel colore,* „ *convictus, ac manifestus censear haereticus, haereseosque poenae subie-* „ *ctus m*). „ Erant qui novam sectam horrendissimis convitiis proscindebant, perditos, et seductores inclamantes omnes illos, qui ab inolita superstitione diversum sentire profitebantur. Sed omnis generis molestiae fidelibus creabantur, siquidem omnibus insusurrabatur: haeresi maculatos esse omni civili consortio indignos; sic ut tumultibus, et ejectionibus in eos saeviri coeptum sit. Hinc bonus ille Ulr. Bolt, quem Ecclesiae Fallisianae operam addixisse supra audivimus, ad Tigurinos de multiplici discrimine, in quo sibi versandum quotidie esset, conquerebatur *mm*), et Salandronius Tigurum quoque perscripsit, Evangelii rem in arctum in dies adduci, collapsam esse eius causam in tota Raetigoia, et se exilium a patria eligere coactum esse *n*). Eo res devenerat,

l) ap. Hott. Tom. III. p. 251. adducendas infr. c. VII. *m*) Salandr. ad Vadian. altera post Laetare. Dat. 1526. *mm*) Zinst. in Pfingst. 1525. *n*) ap. Hott. Tom. III. p. 255.

venerat, ut ipsi Comandro aut discessus videretur intimari, aut silentium super causam religionis imponi. Convitiis proscindebatur inprimis Zvinglius, & tota Tigurina Ecclesia, ceu fons omnis mali: qui illis adhaerebant teterrimis omnis generis convitiis petebantur, quasi seditionum causa essent, & reliqua. Imminentem igitur procellam, antequam imbres effundat, discussurus Zvinglius, sui, & Tigurinae Ecclesiae apologiam perscripsit, ad Senatum Curiensem literis datis, quibus causam Christi tuitus est, & a trium Foederum prudentia postulavit, ne calumniatoribus faciles aures praebeant ad piorum suppressionem: quantum item tum Politiae, tum Ecclesiae damno semper exstiterit superstitio, & dominatio Papismi, exposuit: denique, ut docto, & pio Ioh. Comandro, Parocho ad D. Mart. Curiae, & reliquis Evangelium Christi libere praedicare concedatur, enixe petiit, ni contemtus verbi divini a Deo luere poenas velint *o*).

CAP. V.

Anabaptistae exorientes Reformationis cursum sufflaminant, tum in Helvetia, tum in Raetia. Eorum Coryphaei, dogmata, conatus, Disputationes cum illis, eventus denique infelix.

Fraeter Romanensium oppositiones, progressui Reformatae Doctrinae haud parum obfuere Anabaptismi Zizania, ipsis illis temporibus in Germania primo sparsa, in Helvetiam, singulariter in Tigurinorum agrum, deinde & in ipsam Raetiam sensim invecta, pullulantiaque. Anno quippe circiter MDXXII. apud Thuringos surgens THOMAS MÜNZERUS libertatem Christianam tali modo interpraetabatur, ut aequales doceret esse debere quotquot Evangelio nomen darent, clamando, illicitum esse Magistratus officium; decimas a nemine iure exigi posse, proindeque reditus, ac vectigalia nulli pendenda esse. Id dogma avidissime arreptum a Rusticorum in Germania inferiore,

o) Zvingl. ad Senat. Curiens. 14. Iun. 1525.

Gente, Principum, Nobilium, Monachorum, Abbatum, Episcoporumque exactionibus forte rigidioribus pressa, horrendae seditioni ansam dedit: negato utpote dehinc Dominis obsequio. A seditiosis istis emittebantur in quasvis oras homines, qui in consilii societatem pertraherent, quos possent: ad Vennones Athesinae Regionis populos, & ab his ad Raetigojae Vallis incolas penetravit, GAISMAIERUS quidam, e turbonibus illis unus a), qui illos ad arma adversus Magistratum suscipienda, communemque cum Anabaptistis Thuringiae causam agendam concitare allaborabant, irrito licet successu, eo quod seditiosorum exercitus a Saxoniae Brunsvici, ac Hassiae Principum, aliorumque armis, intra breve temporis spatium fuerit devictus, & ipse Münzerus capite truncatus: id quod ex Germanorum Historiis fusius cognoscitur. Non adsunt indicia, ex quibus certo sciri possit, ipsum Münzerum Tigurinorum ditionem fuisse ingressum, in eaque docuisse: tantum tamen factionis eius homines profecerant, ut vigilantia adversum conatus eorum fuerit oppido necessaria ad doctrinae Evangelicae, & Status Politici conservationem. Inter Ecclesiae Ministros bene multi in ea versabantur opinione, Christianos per legem Christi ab omni iugo exemptos esse, & ex ea causa nec ad Decimas, solitum vectigal, pendendas amplius teneri b). Ea opinione Coryphaei Anabaptistarum abutebantur ad lucrandum animos ea irretitos, omni nisu contendentes tantum sectariorum numerum colligere, cuius ope tandem praevalerent, & ex suo hominum genere senatorium ordinem constituerent c). Antesignani Anabaptistarum erant BALTHASAR HUBMEIERUS, Waldishutanus Ecclesiastes, & cum eo CONRADUS GREBELIUS, ac FELIX MANZIUS, ambo Tigurini, viri caeterum eruditione praediti eximia, at quod uni ex tribus linguarum professionibus, in Collegio Carolino nuper institutis, admoti non fuissent, ZVINGLIO inprimis infensi, & ob eam solam causam in aliam sententiam euntes, aliique coetui faventes. Duobus istis adiunxit se GEORGIUS IACOBI, patria Curiensis, excucullatus Monachus, fervidissimi ingenii, ac linguae impotentis homo (*), a suis ob elo-

a) Campel. Lib. II. cap. 52. b) Conf. Cl. Füesl. Bnytr. Tom. III. pag. 258. c) Id. Tom. III. pag. 343. & Otto Annal. Anab. pag. 21.

(*) Ad Blaurokü istius genium cognoscendum apprime facit Cl. FUESSLINI ob-

eloquentiam alter PAULUS, aut *der ſtarke Georg*, i. e. *vvegen des*

ſervatio, ex ſecretioribus Archivorum Scriniis eruta, quam totam tranſcribimus, ex Tom. I. pag. 265. ſq. *Dieſer Blaurok war der erſte, der ſich zu Zürich von Conrad Giebel hat tauffen laſſen, und hernach wiederum andere getaufft hat. Von dieſem an wurden Sie Wiedertäuffer genandt. Wie Sie die Tauffe zugedienet, und auch etwan nach derſelbigen das Abendmahl gehalten haben, erhellet aus folgender Auſſage Rudolph Thomanns von Zollikon, die er in dem Gefängniſſe gethan hat. Die Relation, die die Nachgänger vor Rathe davon gemacht haben, lautet von Worte zu Worte alſo: Rudolff Thomann von Zolliken antwortet: „ er hätte die Letze [i. e. das Abſcheids-„ mahl] mit dem alten Helffer [Joh. Brödlin] und dem von Wytiken „ [Wilh. Rublin] eſſen wollen, und dieſelbigen zu dem Ende in ſein Haus „ geladen. Er hätte von Niemand anderen gewüſt, es wären aber nach „ und nach ſo viele andere Leuthe darzu gekommen, daſs die Stube voll „ worden. Unter anderm hätte ſich zugetragen, daſs da ſie mit einandern „ geredt, und lange geleſen, Hans Brubbach von Zummiken aufgeſtanden, „ geweinet und geſchrien: Er wäre ein groſer Sünder, und ſie ſolten Goit „ für Ihn bitten. Hierauff hätte Ihn Blaurok gefragt: Ob er der Gnaden „ Gottes begehrte? Jener hätte geantwortet: Ja. Da wäre Manz aufgeſtanden, und hättt geſagt: Wer will es mir wehren, daſs Ich dieſen „ nicht tauffe? Auf dieſes hätte Blaurok geantwortet: Niemand. Darauf „ hätte er ein Gätzi, [Waſſerſchöpfer] mit Waſſer genommen, und Ihn „ getauffet in dem Nahmen Gottes des Vatters, des Sohns, und des H. Geiſtes. Nach dieſem wäre Jacob Hottinger aufgeſtanden, und hätte der „ Tauffe begehrt. Denſelbigen hätte Manz auch getaufft. Endlich wären „ die andern alle hinweg gegangen: Manz und Blaurok wären alleine bey „ Ihme über Nacht geblieben. Am Morgen wären ſie früh aufgeſtanden. „ Da hätte Blaurok zu ſeinem Tochtermann geſaget: Marx! du biſt bisher „ ein junger frölicher Mann geweſen, du muſt ein anderer Menſch werden, „ den alten Adam von dir thun, einen andern Menſchen an dich nehmen, „ und dich beſſern. Marx hätte geantwortet: er wollte das beſte thun. „ Hierauff hätte Ihn Blaurok gefraget: Begehreſt du der Gnade Gottes? „ und als er ja geſagt, hätte jener ferner geſagt: ſo komme her, daſs Ich „ dich tauffe! Da wäre er hinzugegangen, und Blaurok hätte ihn getauffet. Fehrner hätte Blaurok zu Ihm [Thomann] geſprochen: Er wäre „ ein alter Mann, der dem Tod nahe wäre, er ſollte ſich beſſern, und „ wen er der Gnade Gottes begehrte, wollte er Ihn tauffen. Er hätte Ja „ geſaget, und Blaurok hätte Ihn alſobald getauffet. Derſelbige hätte auch „ keine Ruhe gehabt, bis er ſein ganzes Hausgeſind getauffet hätte. Er bäte meine Herren, daſs Sie Ihm Gnad bewieſen, dan er hätte weder zuvor noch darnach mit dieſen Leüthen zu thun gehabt, er hätte dieſelbi-*

„ gen

ſtarken Glaubens, trito vero axiomate a Chlamyde, qua veſtitus incedebat colore caeſio BLAUROKIUS dictus. Hic primus fuit, qui novum a Grebelii manu baptiſmum ſuſcepit, & ad conquirendos aſſeclas multo ſtudio per Helvetiam, ac Raetiam a MANZIO comitatus oberrabat.

Variarunt quovis fere tempore Anabaptiſtarum placita, nec una erat tunc omnium illius ſectae opinio. Praeter rebaptizationem enim, profitebantur alii bonorum communionem, alii officium Magiſtratus illicitum Chriſtiano pronunciabant, illicitum fontes capitali ſupplicio, aut

„ *gen auch nicht gekandt. Er ſagte auch fehrner: Als ein Brod auf dem* „ *Tiſch gelegen, hätte Blaurok geredt: Wer glaubt, daſs Ihn Gott mit* „ *ſeinem ſterben, und Roſenfarben Blut erlöſt habe, &c. derſelbe komme* „ *und eſſe mit Mir von dieſem Brodte, und trinke mit Mir von dieſem* „ *Wein. Solchemnach hätten einige davon geeſſen und getrunken.* „ *Uebrigens war dieſer Blaurok ein kühner und ungeſtümmer Mann. Hiervon zeuget folgende Begebenheit, die wir nach der Auſſage Nicolaus Kienaſts von Zolliken, die Er vor dem Nachgängern abgelegt, hieher ſetzen wollen.* „ *Er ſagte: Geſtern, als Sontags Morgen frühe, hätte er geſehen, daſs* „ *Felix Manz, und ſonſt viele andere Männer und Weiber in Felix Kienaſts Haus* „ *gegangen. Nicht lange hernach wäre Manz mit den Männern aus dieſem* „ *Hauſe in ein anders gegangen, die Weiber hingegen wären daſelbſt geblie-* „ *ben. Nach dieſem wären ſie in die Kirche gezogen, und als der Helffer* „ *hätte auf die Kanzel gehen wollen, wäre Blaurok neben Ihn ge-* „ *ſtanden, und hätte den Helffer gefragt, was er machen wolte? Jener* „ *hätte geantwortet: er wollte Gottes Wort predigen. Hierauff hätte Blau-* „ *rok weiter geſprochen, du biſt nicht geſandt zu predigen, ſondern Ich.* „ *Der Helffer hätte geantwortet: Er wäre von ſeinen Obern geſandt, &c.* „ *Da nun Blaurok von ſeinem Fürnehmen nicht hätte abſtehen wollen, wä-* „ *re der Helffer von der Canzel gegen der Thüre gegangen. Es hätten Ihn* „ *aber einige zuruk beruffen, und als er angefangen zu predigen, und nach* „ *Ableſung des Evangeliums, das Volk zu vermahnen, daſs ſie ſich vor Un-* „ *ruhe hüteten, und welcher Ihn eines Ihrtums beſchuldigen wollte, Ihn in* „ *ſeinem Haus und nicht vor dem ganzen Volk anreden ſollte, indem hier-* „ *aus leichtlich etwas böſes entſtehen könte: wäre ihm Blaurok in die Rede* „ *gefallen, und hätte geſprochen: Es ſtehet geſchriben: Mein Haus iſt ein* „ *Bethaus, Ihr aber &c. Hierauf hätte er mit einer Ruthen drey oder 4-* „ *mahl an ein Brett geſchlagen, währender Zeit wäre der Untervogt zu* „ *Ihm gegangen, und hätte Ihn bedrohet, wann er nicht ſtill wäre, wolle* „ *te er Ihn gefangen nehmen.* „

aut quavis alia poena afficere, illicitum iuramentum, illicitum bellum, illicita ipsam necessariam iniuriae depulsionem. Hinc nulli integrum faciebant ullum teli, aut armorum genus gestare, nullum contagiosorum morborum devitabant, imo medicamina potius adspernabantur, aiendo: quod si Patris voluntas sit, ut quis moriatur, effici nullis posse remediis, ut caduca diutius producatur vita. Aliis ex hoc hominum genere accidebant Enthusiasmi, quibus correpti interdum, velut somno sopiti, decumbebant, tunc sudore ingenti oborto immoti tantisper, ac muti iacebant, indeque oculos paulatim aperiendo gemebant, dein respirantes aegre se tandem in pedes erigebant; tum demum oculos circumiicere, & magna, quae per id temporis vidissent, tragicis verbis iactare, arcana etiam revelare, alicubi etiam imminentia Dei iudicia, & diei novissimae adventum praedicere. Haec & plura alia, ceu communio uxorum &c. de Anabaptistis ex rei veritate dicuntur, & postea a Monasterienſibus Anabaptistis fuere perpetrata, sed nostris antenominatis sectae Anab. in Helvetia coryphaeis, eorumque asseclis imputari non possunt. Isti Baptismum infantium damnabant, adultos vero ad flumina, fontes, ac rivulos, aut etiam in domibus privatis tingebant: S. Synaxim ad vulgaris coenae usum revocabant: decimas sublatas cupiebant, caeterum Ecclesiae Ministros ob negligentiam, ac tepiditatem arguebant: tantumque suae causae praefidebant, ut de ipso Magistratu inclementer, ac temere iudicarent, quando ad eorum adtentata paullo attentius invigilabat, aut pro merito animadvertebat. Ipsi se solos sanctos, ac irreprehensos haberi volebant, caeteros omnes, ut terrae pondera, alto supercilio despiciebant: se solos puram illam, ac nativam CHRISTI Ecclesiam, ad quam qui non occurrat salutis fieri expertem ingeminabant: qui eos erroris convincere audebat, hunc cane peius & angue vitabant.

Indulgenter per aliquod tempus fanaticis opinionibus connivit Senatus Tigurinus, sperans a meliori mente eas brevi emendatum iri: verum illi contra in contraria omnia ire, & in quibusdam Praefecturis, Dynastis decimas denegare coeperunt. Facile erat visu Münzerianam de novo agi fabulam. Ex Senatus itaque Mandato d. XXV. Ian. An. MDXXV. Tiguri, inter Anabaptistas, & Ecclesiae Ministros, publicum colloquium habitum est, in quo a Paedobaptismi propugnato-

ribus ita fuere illi in extrema compuſi, ut non habuerint, quid reponerent. Nec tamen ab opinionibus conceptis diſceſſere, ut potius licentioſe oberrando, paſſim retinxerint, quos ad ſuas partes pertrahebant. Quo ab errore ut retraherentur, & Zvinglius cum Hubmeiero per literas egit, quod literarum commercium poſt Zvinglii, & Oecol. obitum typis editum eſt, & habitae ſunt Turici inter utramque partem plures diſputationes, quarum maxime memorabilis fuit Menſ. Nov. An. MDXXV. Senatu toto inſpectante in Templo Cathedrali, Praeſide IOACH. VADIANO, Conſule Sancto-Gallenſi eruditiſſimo, celebrata. Diſputabant cum ZVINGLIO, LEO IUDA, ac MEGANDER ab una, GREBELIUS, MANZIVS, ac BLAUROKIUS ab altera parte, per tres continuos dies irrito ſemper conatu. Ita enim obdurati perſeverabant Anabaptiſtae, ut ad ſilentium licet redacti, opinionem deſerere nolle profiterentur. Imo actione finita veritus non eſt BLAUROKIUS confeſſui dicere: *Quod ſi Magiſtratus, & caeteri in partes ſuas abeant, ſolvendas ipſis decimas eſſe; ſin minus denegandas.* Ab obdurata adeo pervicacia permotus Senatus Tigurinus Edicta primo in rebaptizantes, ac Decimas ſolvere recuſantes promulgavit, eisque ut ſua ſtaret auctoritas, illico in transgreſſores, in obſtinacia perſeverantes, carcere, exſilio, tandem, & morte animadvertit; quo pacto malo obex poſitus fuit. Enarrare haec fuſius ad nos non adtinet; reperiunturque in BULLINGERI, OTTII, FUESSLINI ſcriptis erudite, ac ſolide eruta, ac deducta.

Pulſi Tiguro MANZIUS, ac BLAUROKIUS in Raetiam ſe receperunt, cum maxime in urbe Curia, ac locis vicinis ſibi aſſeclas quaerendo, eoſdemque rebaptizando. Volebant iſti nova orbis lumina credi, clamabatque Blaurokius: *evicturum ſe, quod Zvinglius maiorem ſcripturae vim afferat, quam ipſe Romanus Papa* (*). Urgebant neceſſitatem

(*) Ex Act. Senat. Tig. ad An. 1525. fol. 33. *Jörg vom Haus Jacob von Chur ſagt, er vvüſſe nüt anderſt, dan daſs er der erſt gſyn ſyge, ſo ſich habe laſſen tauffen [von Cunrad Grebel] und vom Tiſch des Herren geeſſen, vvie es Gott ſeinen Jüngern im letſten Nachtmal geben habe, und ſeyge auch allen Begehrenden ze Willen vvorden in beyden Stüken. Des Zvvinglins halb ſagt er, vvie daſs Zvvinglin der Gſchrifft Gvvalt anthüe, und die mehr fälſche, dan*

sitatem se a mundo separandi, suosque coetus commendabant. A speciosо hoc colore inducti aliqui, Curiae conciones Comandri, & publicos conventus vitabant: horum quidam libere clamabant, se cum Comandro, & Evangelicis nihil commune velle, nisi hi Anabaptismi causam defendendam suscipiant. Gaudebant in sinu Romanenses, ex sententiarum his divortiis occasionem arripientes clamandi: Manifestum nunc fieri, cuius indolis sit Evangelium novum, esse nempe aliud nil, nisi, defectio nempe a vera Ecclesia, dissidiorum, seditionumque fons. Querulas ea de causa ad Zvinglium scripsit literas Comander, in quibus dolet a Proletariis illis Anabaptistis, Romanensibus tibias inflantibus, talem tragoediam excitatam esse, ut nunquam peius Evangelium audierit in tota Raetia d). Senatus Curiensis ad Tigurinorum exemplum, omnibus, qui rebaptizare auderent, & pernicioſas Anabaptistarum opiniones pertinaciter tuerentur, exsilium indixit. Manzium ipsum graviora licet commeritum tractare durius noluit, verum ex amico in Tigurinos animo, eundem suis remisit, cum adnexa prece, ut hospitem molestum inter suos limites contineant, ne graviora in eum statuere cogantur (*). Blaurokius urbe patria, Raetiaque ipsa eiectus ni-

dan der alt Pabst; das erbeüt er sich vor myn Herren, oder vvo man vvill Antvvort ze geben. —— Da ist vor Rath erkant, den Jörg auszulassen, da auch M. Zvvingli soll für M. H. gstellt vverden, und soll der Jörg ervveisen, vvas er gesagt. Conf. Füsl. Tom. II. pag. 344.

d) D. 25. August. 1525.

(*) Literarum Exemplum En! *Den Edlen, festen, frummen, fürsichtigen, vveisen Burgern, und Rath der Stadt Zürch, unsern bsonders guten Freünden, und lieben getreuen Burgern, unser freundlich, vvillig Dienst, und vvas vvir Eeren liebs und guts vermögen, allzeit zuvor. Edel, fest, frum, fürsichtig und vveis, sonders gut Freünd, und getrevve liebe Burger. Wir habend unter uns einen Zeit lang einen gehabt, der sich nent Felix Manz, der hat unter den Unsern viel Widervvärtigkeit und Zvvytracht gmacht mit dem Wiedertauffen der alten Lüthen, und mit den Winkelpredigen, dermassen, dass vvir Ihn einmahl von unser Stadt habend heissen gan. Darüber ist er vviederum in unser Stadt kummen, und gethan, vvie vormahls über ein offnen Ruff und Verbott, so vvir in der Kilchen offentlich habend lassen thuen, und bey Leib, Eer, und Gout verbotten; deshalb vvir ihn fänglichen ingenommen, und etlich Tag behalten, und do vvir Ihn für einen eigensinni-*

gen

nihilo remissior factus est, quin potius, ceu flamine plenus, per agrum Tigurinum, Tauriacum, & Abbatiscellanum passim vagabatur, rebaptizando, fraterculos visitationibus, ac mendaciis confirmando, phantasia, ac furore omnia, quocunque veniebat, implendo (*). Doctrina

gen und vviderspannigen Menschen achtend, habend vvir Ihn vvider us dem Gefängnis gelassen, und Euch, als denen; daher er kommen und bürtig ist, zugeschikt, mit freündlichen begehren, Ihr vvellend Ihn versehen, und by Euch behalten, damit vvir sein entladen, und unser Volk durch desto ruvviger blybe, und vvir auch nicht geursacht vverden, vvo er vviederum herkäme, ströng mit Ihm ze handlen, und begehren vvir um Euch fründlich zu verdienen. Datum Zinstags nechst S. Margrethen Tag Anno M D XXV.

Burgermeister und Rath klein und gros der Stadt Chur.

Conf. Füsl. Tom. I. pag. 269.

*) Act. Senat. Tig. fol. 39. *Jörg Blauroks Antvvurt ist, er vvölle bey dem Touff Christi, den er angenommen habe, blyben, und alle die, so Kindli touffend, sygend Mörder und Dieben gegen Gott, und vvölle man viel Antvvurten han, so solle man synen Brieff lesen, den er zu den Predigern im Kerker geschriben habe, dabey vvill er blyben bis in den Tod.* Vim asserti Blaurokiani adpono verbis Cl. Fuslini Tom. I. pag. 264. „ *Dass die Reforma-*
„ *toren Diebe und Mörder, oder vvelches eben so viel gesagt ist, falsche*
„ *Lehrer vvären, vvollte Blaurok, als er nachgehends von den Nachgängern*
„ [hoc nomine Examinatores delinquentium, Turici appellantur] *befraget vvur-*
„ *de, folgender Gestallt bevveisen. Er sagte: Christus spricht, vvelcher zu*
„ *einer andern Thüre eingehet, als durch Mich, derselbige ist ein Dieb und*
„ *ein Mörder: Die Kindertauffe ist von Menschen erdacht; dasselbige ist*
„ *aus dem Teuffel. Da sie* [*die Reformat. Zvvinglin und Luther*] *lehren,*
„ *vvas von den Menschen erdacht, und aus dem Teuffel ist; so sind sie fal-*
„ *sche Lehrer, Dieben, und Mörder.*

Item fol. 31. *Jacob Bleuler von Zollikem* deposuit: *er habe in's Conrads Hottingers Haus zum Fenster hinein geluget, und gesehen, dass die Stube voll Leüthe vvär, und der Blaurok ein Gätzi* [Haustrum] *hatte, und di Wyber tauffte,* ——— *Item habe dorten 2. Predigten gethan, eine am Morgen, als der Helffer sunst in der Kilchen, die andere nach Imbis, in des Maurers Haus* ——— *Habe 8. Frauen getauft.*

Adhuc ibid. *Ist ein Brieff zukommen, darinnen stund, wie 2 von Wyl* (est oppidum Tauriacae ditionis) *zu Mag, Ulrichen* (*Zwingli*) *kummen, und Ihm*

ctrina, zeloque alter Paullus, fortitudine Petro par cupiebat haberi. Somniabat nescio quod regnum, aut quam Jurisdictionem; quare solerter in fraterculorum numerum inquirebat, identidem rogans, num copiis Senatus Tigurini, casu quo ad domandos contumaces, extorquendasve decimas illae emitterentur, pares mox essent futuri. Quanta confidentia de se, doctrinaque sua loqui solitus fuerit, patet vel ex Epistola ad suos data; cuius inter alia haec sunt verba: *Ego sum ostium, qui per me intraverit, pascuum inveniet: qui vero aliunde, fur est, & latro. Sicut scriptum est: Ego sum Pastor bonus. Bonus Pastor vitam ponit pro ovibus: ita Ego vitam meam & animam meam pono pro ovibus meis, corpus meum in turri, vitam in gladio, vel igne, aut in torculare exprimente sanguinem, & carnem, sicut Christus in cruce. Restaurator baptismi Christi, & panis Domini Ego sum, una cum dilectis in Christo fratribus Conr. Grebelio, & Fel. Manzio. Ergo Papa una cum suis fur est, & latro, pariter & Lutherus cum suis, & Zvinglius, ac Leo Iudae cum suis: hocque in asserto persistam, usque quo verum esse agnoscent. Petii, & adhuc peto a Dominis meis Tigurinis, efficiant, ut cum Huldrico Zvinglio, & Leone Iudae disputare detur; quod impetrare hactenus non potui: exspecto autem horam, quam coelestis Pater meus constituit &c.* Haec quam hominis fastum, & spiritum Anabaptisticum produnt? Caeterum ad disputandum cum Zvinglio, caeterisque Symmystis promptitudinem quam iactat, exercuit ex Senatus Tig. permissu, sed suo vituperio, ut ante dictum. Multa extant in Scriniis Tigurinis de hoc homine documenta, ac iuridicae depositio-

M nes

Ihm einer von wegen Bruder Iörgen vom Hans Iacob, wunderbarlichen Schreiben und Gesichten zu erzellen anfieng, in welchem Ort sich die dem Iörgen erzeigt hatten, und zu verstaan geben, was groser Durächtigung die Gläubigen (i. e. die Täuffer) lyden würden, und wie Iörg wider die Feind gern streiten wurde, und wurde man an Ihm einen tapfern Mann setzen, und wiewohl er Paullum und die Profeten gelesen, so hätt er funden doch an Iörgen warlich einen andern Paullum, und den Geist Paullum in Ihm. Er hätte auch die abgefallenen Brüder im Oberland und Appenzell wiederum aufgericht, den Kranken pflegen, und die Todten vergraben, auch darbey gesagt, wie noch viel Gfängnüssen zu Zürch und Chur, von denen er bey beschlossenen Thüren erlediget worden sey. . . . . Item, alle Menschen, so sich nit widerteuffen liessen; sygend Heyden. Conf. Füsslin. Tom. I. pag. 262.

nes, ex quibus quasdam infra exhibemus (*). Eorum nonnulla mentem distortam, omnia vero animum, in opinionibus obfirmatum, condo-

(*) *Bittschrift Ge. Blauroks an den Rath von Zürich aus dem Gefängnisse.* „*Liebe, gnädige Herren! Christus Iesus ist, nach heiterer Anzeigung Gottes und Verordnung dessen, der alle Dinge schaltet und waltet, gekommen, den Fall Adams wieder zu bringen, indem wir alle tod waren. Dann deswegen hat Gott seinen Sohn gesandt, und Ihm alle Gewallt im Himmel und auf Erden gegeben, dass ein jeder, der seinen Nahmen anrieffe, und in Ihn vertraute, das ewige Leben hätte. Dem zu folge hat Christus seine Iünger ausgesandt, und Ihnen befohlen, dass sie hingehen, und alle Völker lehren sollten, dass Ihm solche Gewalt von Gott seinem Vatter gegeben worden, solchemnach alle, die seinen Nahmen anruffen würden, durch seinen Tod Nachlassung der Sünde empfiengen, deswegen er Ihnen ferner befohlen, solchen die Tauffe, als eine äusserlicke Anzeigung, mitzutheilen. Da nun auch Ich solches gelehret, haben sich einige mit weinenden Augen zu mir gefüget, und mich gebetten, dass Ich sie tauffete. Dieses habe Ich Ihnen nicht abschlagen können, sondern nach Ihrem Begehren vollstreckt: anbey habe Ich den Nahmen Christi über sie angerufft; sie auch weiter Liebe und Einigkeit und Gemeinschafft aller Dinge gelehret, wie auch die Apostel Act. c. II. und damit sie des Todes Christi in allweg eingedenk wären, und sein vergossen Blut nicht vergässen, habe Ich Ihnen den Brauch Christi angezeiget, den er in seinem Nachtmal gehalten hat, und zugleich mit Ihnen das Brod gebrochen, und das Trank getrunken, damit wir uns erinnerten, dass wir alle durch den einigen Leib Christi erlöst, und durch sein einiges Blut abgewaschen seyen, auf dass wir alle eins, und je einer des andern Bruder und Schwester in Christo unserm Herrn wären. Von diesem allem bin Ich überzeuget, dass es der steiffe Wille Gottes seye. Darum bitte Ich Euere Weisheit, dass sie sich an dem Eckstein Christo nicht verstosse. Gott bewahre alle diejenigen, die seinen Nahmen anruffen in der Wahrheit.* Ex Füsl. Tom. I. pag. 265.

Act. Sen. Tig. fol. 21. *Wegen Felix Manz ist bekantlich worden, auch aus seinem Gspräch mit D. Sebastian (Hoffmeister) von Schaffhausen, dass seine Meynung allweg gewesen und noch syge, dass kein Christ ein Oberer sey, und nit mit dem Schwert richten, noch jemand tödten oder straffen soll. - - - Wyter ist Ihne fürgehalten, wie er und sein Bruder Jörg vom Hans Jacob zu Wyl gewesen, und sich allda berühmt sollen haben, wie und was grosse wunderbarliche Zeichen und Gsichten Ihnen begegnet, sy wärind auch durch beschlossne Thüren aus den Gefängnissen kommen - - - -* Ibid. *Jörg vom Hans Jacob von Chur, der genannt wird Blaurok: sagt erstlich der Oberkeit halben also, dass wir in uns selbst gan sollen, als Paullus spricht. Demnach der Kilchen halb sagt er: syn Meynung sey allweg gewesen, und noch nüt anderst, dann alle die, so für und für in offnen Lastern*

docent. Sunt & alia, ex quibus patet eundem facta, quae confessus fuerat, negasse, aut refinxisse, prout nempe e re sua fore existimabat. Nihil interim durius in eum statuit Tigurinus Senatus, verum unice fidem ex eius ore accepit, ne quenquam amplius baptizet, aut oberrando doceat, sed tota ditione Turicensi discedat. Pollicitus id quidem ille facile est; ast, statim ac vinculis liberatus, fidem fefellit, novo zelo baptizando, docendoque, ac profitendo se a functionibus a Deo sibi demandatis nec cessaturum, nec Tigurinorum terris egressurum; Domini enim esse terram. Cum ergo isti homines abutendi indulgentia Senatus finem non facerent, iniectae illis manus fuere, ac MANZIUS quidem d. 5. Ian. An. 1527. ad statuti diu ante publicati tenorem, Tiguri aquis suffocatus est (e): in BLAUROCKIUM vero decretum, ut virgis caedatur, ad urbis portas deducatur, & si adhuc Turicensi ditione egredi recuset, in vincula reducatur perpetua (f): quo demum facto Senatui discessum pollicitus est, ac fidem praestitit. Act. A. MDXXVII. Non ita benignos expertus est hic IACOBUS iudices Austriacarum terrarum Praefectos. Nam quum compertus esset, doctrinam suam in Comitatu Tyrolensi disseminare, in vincula coniectus, & una cum HANS VAN DER REVE, Clousae apud Vennones (Anabaptistarum Martyrol. Harlem pag. 24. ait in Etschlandia) anno MDXXIX. vivus combustus est, & iam insignis Catabaptistarum Martyr cluit g).

stern und Sünd lebbind, als nemlich Sauffer, Hurer, Ehebrecher, Spieler, Rasiler, Wucherer und dergleichen von Ihnen auszuschliessen, und dass dieselben gar nit unter die Christen wandlen solltind. Wann aber einer sollichs heimlich in seinem Herzen truge und nit öffnete, denselben liessen sie bey Ihnen bleiben. - - - Ferner ist Ihm fürgehalten, wie er geredt, und einen Täuffer von Zolliken soll gefragt haben, wann Ihrer so viel wärind, dass sy ein Widerstand thun möchtind, wann man sie schon mit dem Panner überzöge: denn, wie alle Ding gemein seyn sollind. Darüber er gesagt: das sey seine Meynung auch nicht; aber welcher ein guter Christ sey, der soll das Seinige austheilen. - - - - - Wyter sagt er und redt öffentlich, myne Herren Predicanten verführend myn Herren, habend Sy verführt, und werden sy verführen, thugend auch der Schrifft Gewallt, und falschend sie, seygend auch samt Ihren Anhöngern Dieben und Mörder Christi etc.

e) De Manz. supplicio accurate egit Cel. Füslin. Tom. I. p. 270. sq.
f) Zvingl. Opp. Tom. II. p. 28. b.
g) Vid. van Bracht. It. *die Hist. von der Trennung der Tauffgesinneten* p. 87.

Inter Anabaptiſtas Raetos, Tiguri vinculis detentos, extat nomen etiam ANDREAE CASTELBERGII, qui eam poenam, circumferendo, vendendoque anabaptiſticos libros ſibi acceſſiverat. Huic in morbum incidenti Senatus, ad valetudinis recuperationem, medicum conceſſit; reſtituto exſilium e ditione ſua indixit, & ut cum libraria eius merce colonis ſuis, dehinc gravis eſſe deſinat, ſevere iniunxit h). Nunc quid in ipſa Raetia iſti homines auſi ſint, contemplemur.

Inter Anabaptiſtas a Magiſtratu CURIENSI Edicti publicati tenore urbe, ditioneque Raetica eiectos, erat etiam Protonotarii Urbani coniux; quae exſilium lubentiori animo ferebat, quam ut opiniones deſereret. Id detrimentum familiae ſuae indigne cum ferret maritus, vir quantum credere fas, ſpectatae fidei, aliique plures, partim ſanguine, partim amicitia iuncti, ob Edictum promulgatum invidiam COMANDRO conflabant, clamando, eum ſolum ſtatuti adeo rigidi ſanciendi, Senatui Auctorem exſtitiſſe. Iſtorum clamores adiuvabat THEODORUS SCHLEGELIUS, Epiſcopi Vicarius, homo acutus, inque omnem occaſionem intentus, qua Evangelii cauſam, ſectatoresque labefactaret; hic Protonotario, tum conſilio, tum libris, ac ope aderat, quibus ſuffultus Comandrum ad diſputationem provocare, eumque vincere poſſet. Id advertens Comander, mitis a natura, ac tractabilis ingenii vir, totus in eo fuit, ut furori cederet, animumque illius mitigaret; veritatis interea, ac iuſtitiae cauſam ſcripto defendit,

h) En ſupplices huius literas ad Senat. Tigur. d. 22. Febr. 1525. datas, quarum mentionem iniicit Ottius Annal. Anab. pag. 29. in compendium miſſas. *Strenge, gnädige Herrn!* —— *Ich bitte, Ihr vvollet mich vernehmen. Dan es Euch vvohl zu vviſſen* —— *vvie Ich heur um mein Armuth kommen ſey, das iſt 60. gl. jadem, ſo Ich gehorſam bin gſin euvverem Gebott, den Ihr über mein bisher hand lahn gan: Daruff dan kommen iſt dieſe Krankheit, an deren Ich dieſen Winter geherbet han, und noch kein End vveis* —— *Darum bitte Ich, Ihr vvollend anſehen den groſen Schaden des Guts halb, und voraus mein Krankheit* —— *und vvollend mir den Eyd nachlahn, den Ihr mir aufgelegt hand. Und vvan es nit anderſt ſyn mag, ſo lahnd mir doch alſo nach, vvan ich auf komme, daſs Ichs vvandlen mag. Und ſo Ihr meinend, Ich ſey Euch ſchödlich, ſo heiſſendt mich weggahn ohne ein Eyd. Dan will Ich Euch gehorſam ſeyn, als fromm ich bin;* —— *und wurde dan etwas verſchulden, ſollen ſie mich ſtraffen.*

dit, dubiisque satisfecit. Et hac agendi ratione Abbatis spem elusit, Evangelicorum animos confirmavit i). Solebat quavis occasione dubia sua ad ZVINGLIUM, Virum in palaestra sacra prae aliis exercitatum, referre Comander perscriptis literis; & ex causa cum Anabaptistis Curiensibus nata esse videtur ad Comandrum, ac Nic. Balingium Epistola ZVINGLII locum illum, 1. Ioh. V. 4. 5. explicans, quae inter huius Epp. edita conspicitur k). Utcunque vero Comandri sedulitas Anabaptistarum studia depresserit; opinionem tamen, ac pervicaciam multorum mentibus eximere non potuit; reperiebanturque sem-

 per,

i) Comand. ad Zvingl. die 8. Aug. an. 1525.

k) Epp. Zvingl. & Oecolamp. lib. I. fol. 29. b. Et sic sonant. Ioanni Comandro, & Nicolao Balingio Curiae Rhaetorum Evangelii, Scholarumque Praefectis Huldrichus Zvinglius, Gratiam & Pacem a Domino. Locum Divi Ioannis 1. Epist. cap. V. Sic intelligo *paraphrastikos: quod natum est ex Deo*, hoc est divina soboles vincit mundum: *& haec est victoria*, id est victrix, vel speratrix (ut victoria pro victore accipiatur) *quae mundum vincit, nempe fides nostra.* Qui enim vinceret mundum nisi is, qui credit Iesum Christum esse Dei Filium? Is enim videt se ad meliorem vitam esse vocatum, quam praesens est: Sed & hoc videt, nihil negari sibi a Patre posse, quum filium dederit pro nostra redemptione. Nam hic *Iesus venit per aquam, & sanguinem*, hoc est venit docendo sapientiam coelestem, quae per *aquam* significatur, (quemadmodum Ioan. III. & IV. videre licet) & sese pretium pro peccatis nostris faciendo, quod per *sanguinem* significatur. Sed haec omnia nemo accipit nisi *Spiritu* intus docente collustretur. Spiritus ergo intus in corde fidelium verum esse docet, quod Christus & docuit, & praestitit. Nam spiritus errare aut decipere nequit, cum sit ipse & veritas. Sunt igitur tres, quibus testimonium, id est, doctrina salutis (nam & Christus ad discipulos ait: Vos testimonium perhibebitis de me; hoc est, ea docebitis, quae ad salutem sunt: & saepe in scripturis tam testes, quam testimonium & pro doctrina, & pro doctoribus accipiuntur) constat. *Aqua*, hoc est coelestis doctrina; nam humana huc pervenire nequit: *Sanguis*, hoc est expiatio, quam filius Dei gratis tribuit, citra quam iustitia Dei placari nequivit: & *Spiritus*, quem Deus in corda nostra mittit, ut intelligamus & credamus. *Et hi tres unum sunt*, aut *simul* sunt; hoc enim potest *eis to en eisi*, hoc est coelestis sapientia, redemptio ipsa, ipseque spiritus idem sunt, aut simul conveniunt, ut victrix fides fiat, quae mundum superat. Plura de rebus aliis dare prorsus nequeo, ita me urgent occupationes. Reliqua egi cum Christophoro (intellig. Froschouerus Typogr.) is respondit in in Michaëlis esse rationibus; se ignorare omnia, tamen conventurum esse homunculum, ut non temere urgeat. Valete, & vigilate. 1. die Martii, anno 1527.

per, qui expulsis consilium, ac opem suppeditabant, sive ex sortis commiseratione, sive animorum in dogma catabaptisticum inclinatione l).

Recens erat memoria motuum in Germania ab hominibus istis causatorum; huiusmodi quidpiam ne ex superstitibus in Raetia degentibus timendum foret, a Tribus Raetiae Foederibus delegatum Censorium Tribunal fuit, vulgo STRAFFGERICHTUM appellatum, cui iniunctum in Anabaptistas inquirere, reosque ad Edicti promulgati tenorem mulctare. Adsunt Documenta, ex quibus certum fit, Tribunal illud ineunte anno MDXXVI. MAIAEVILLAE consedisse, e Iudicibus XVIII. constitisse, satellitibusque sexaginta stipatum actus iudiciarios exercuisse. Intercidere Iudicii istius acta, quantum mihi scire datum, ni forte fato quopiam e caligine aliquando prodeant: caeterum si eius acta metienda sint ad modum, quem reliqua huius nominis tribunalia sequiori tempore servarunt, mitia certe non fuere. Consimi-

l) *Comander dem Frummen Huldrich Zwinglin, Hirten zu Zürich, seinem lieben Bruder*, Gratiam et Pacem per Christum, *Allerliebster Bruder. Ich hab zweymahl geschrieben zu dir, und keine Antwort empfangen, darumb hab Ich lassen fragen, wie es zugange, nit dass in der Meynung, dass du bessere Geschäfft unterlässest - - - Wir müssen jetzt alle unsere Kräfft wider die Catabaptistas bruchen, die hand sich bey uns versamlet, und sind unter den Bürgern viel, die heimlich oder öffentlich Ihnen glimpfend, und der hinkend Andreas hat sein Wäsen auch in unserer Stadt. Der verwirrt uns viel, und henckt die Burger an sich, und Ich muss also unter denen Luthen arbeiten und geengstiget vverden. In dem wäret noch der Pabstum; doch stadt Niclaus* (credo Balingius) *treulich by der Wahrheit, und han gute Hilff von Ihm. Man hat jtzt etlich gefangen; da schreyend die, so Ihnen gunstig sind: der Pfarrer ist schuldig, er durächtet sie, er will das unschuldig Blut in Tod bringen. Nun frout mich Ihr Tod gar nit: Mich bedauret aber, dass sie nit uflhörind zu verführen. Item das Gespräch von Bärn hätt Ich gern; Ich han aber jetzt nicht Geld: wenn mir Stoffel* (Froschofer) *beitete bis nach Ostern, so wird mir Geld, und gäb mir ein tütsch und ein latinisches, das wollt Ich unter die Welschen schicken, dann jetzt Sontag wird ein grosser Tag werden mit den kayserschen: da trösten wir uns, das Gespräch solle uns wohl dienen. Ich hab vormahls um VI. geschrieben, Ich hab aber kein Botten, der mich fertige, darum muss Ichs anlassen ston; man vvird villicht sust zufuhren. Gott sy mit dir. Geben zu Cur Zinstag vor Mitfasten.* 1528.

similem vero fuisse observatum, documenta exstantia, quae exhibemus, suadent. SALANDRONIUS quippe in literis ad VADIANUM ipso, quo illa tractabantur, tempore exaratis, scribit: omnes illos qui Anabaptismi rei acti fuerant, errorem confessos esse, palinodiam ceciniſſe, & ad exsolvendas impensas factas pecuniariam summam bene grandem subire iussos esse, nihilque gravius in quemquam statutum esse, nisi quod unus illorum exsilio mulctatus sit. Idem Auctor est, fuisse Multos, qui contenderint, ut & Sacerdotes Missam habere recusantes, i. e. Evangelici, illi Tribunali subiicerentur: ast praevaluisse sententiam eorum, qui istorum causam in medio relinquendam esse suadebant: hac tamen cum explicatione, ut qui contra hos actionem intendere cuperet, is integro Trium Ligarum Senatui causam aperiat, & ab hoc deliberationem exspectet m). Tali ratione factio Anabapt. in Raetia suppressa

m) Salandronius ad Vadian An. 1526. Epistola integra exhibebitur cap. VII. Huc pertinent sequentia: *Es ist ain Gricht besetzt zu Mayenfeld über die Töffar von 18 Mann, und von 60 Huter: hand all all vviederrufft, und Ihr Irrung bekandt, und ist nit mer dan einer ans fayl gschlagen. Ihr Hobtman vvollt allvveg en tusend Tod liden, ist gstrafft um C. und XX. Cronen, die andern unglich, C. oder LX. gl. oder XX. Kronen, XV. Kronen, etc. Wolff Ulimann hat die Pestilenz gschaiden,* (credo hac phrasi indicari fugam) *sust vvär er gericht vvorden. Ihm sind die III. Pundt verbotten. Ist vvohl die Sag ason, die Pfaffen, so nit Mess vvollend han, och vor Rächten han gvvellt stellen; doch allein den von Melans bschickt, aber nit gstrafft, noch Ihm nutz verbotten, sunder ghaissen vor dem nächsten Tag zu erschinen, und Ursach sagen, vvarum? Gott kere es och zum besten.*

Idem Salandr. Zvinglio an. 1525. nonis 13. Maii. Dominus tecum. Convenerunt fratres super oratoribus, arbitrisque ex liga nostra mittendis, si quando opus fuerit nominare eos in nomine Domini. Eligendos convenimus pro collatione, & nominandos a te volumus infrascriptos, *us dem Oberpund, Junker Wolff Paul zu Flümbs, alter Landvogt zu Mayenfeld, 2. us dem Gottshus,* Lucium Tschœrnar *zu Chur, 3. als von den Grichten Ulrichen Wolffen zu Mayenfeld.* De caeteris Christi, & mundi negotiis communis noster frater Lucius te certiorem reddet. Comander noster te salutat. Grebeliani, & Manziani spiritus & in nostris montibus spirant. Si per otium pares aliquid, vel librorum, vel literarum, mitte, ut tales adhuc minime nobis placentes spiritus intimius & examinare, & probare possimus. Atque interim in Christo Iesu vive. Salvum esse percupio Leonem, atque uxorem tuam cum scitissima, ac festivissima prole, in tui animi, & corporis solatium bene vivere opto. . . Inscriptio: *Unserm getreüwen Vatter Ulrichmi Zvingli.*

pressa fuit. Post tempus illud reperti identidem sunt, qui in dogma inclinaverunt, ast tum ab Ecclesiastarum operis, tum a secularis brachii ope continuo sic repressi fuere illorum conatus, ut cristas erigere nunquam ausi fuerint n). Post lustra aliquot quando SCHVENFELDII nomen inclaruit, quotquot antea Anabaptismo favebant, placita huius adoptarunt, & quasi a prioribus diversi novo dramate prodire tentarunt, infelici rursus successu, ut suo dicetur loco.

CAP. VI.

Acta Disputationis Ilantinae inter Evangelicos, & Romanenses, mense Ian. A. M D X X V I.

Videns Capitulum Curiense labescere in dies Romanae Ecclesiae causam, & adversum Sacerdotes Evangelium amplexatos, & ipsum Evangelium nil profeciſſe, quae in oppositum molimina tentata hucusque erant, iam ad sistendum illius cursum apertum Reformationi bellum indicere, & brachium seculare ad haereseos, ut vocabant, exterminium implorare statuit. Eum in finem in Comitiis proxime ante

n) Comander Bullingero Kal. Jan. 1544. Gratiam & Pacem a Domino. —— Nunc tabellarios nactus tam idoneos, Consulem nostrae civitatis, & Tscharnerum iuniorem Bernam petentes abstinere non potui, quin literis meis negotium tibi facerem. Nam hi duo praecipui sunt apud nos, qui Evangelio adsunt, & favent, & quamvis currentibus ultro non sit addendum calcar, tamen exhortari per te alacriores reddet. Nam apud Nos omnia sarta tecta sunt, quae ad Evangelii gloriam spectant. In corrigendo scelera sunt segnes, Episcopo nimis familiares: catabaptistas non cavent, sed alunt potius. Exhortatio tua de his plurimum posset apud illos, & prodesset, tamen dissimulando, quae per me scripta, sed tanquam aliunde accepta. Caeterum de rebus Germanicis & Caesareanis per te certior fieri cupio. Caesarem Evangelii hostem esse non dubito, imo acerrimum. Pontifex est totus, cum nactus fuerit ansam, sive gladii manubrium apprehenderit, saeviet nimirum. Attamen D. N. Iesus Christ. omnia in manu sua habet, is te conservare dignetur superstitem in multa tempora. Ex Rhaetiae Curia Kal. Ian. anno salutis nostrae A544.

te natalem Domini MDXXV. a), Curiae celebratis, coram integro Rhaetiae Procerum, S. oratorum conſeſſu, comparens Epiſcopi (Paulizicgleri) nomine, una cum Abbate Monaſterii Divi Lucii, ordinis Divi Benedicti, atque cum Decano, ſimul & toto Curienſis Epiſcopatus Capitulo, ſive Canonicorum Collegio, illius Vicarius, Parochum Divi Martini, Iohannem Comandrum, & omnes cum eo Evangelicae doctrinae in Rhaetia Profeſſores, ſeu Concionatores, quorum numerum ad quadraginta aſſurgere aiebant; atrocium criminum, & immanis impietatis, ceu haereticos ſeditionum concitatores, atque ſectarios, qui Sacroſancta Sacramenta everterent, aut convellerent, Sanctae Miſſae Sacrificium contemtui haberent, ſcripturas lacerarent, ſanctum ieiunandi, ſacrificandi, orandi, item & peccata confitendi ritum ne pili quidem facerent, quique Sanctae Catholicae Eccleſiae, quae per annos mille quingentos, & viginti ſex intemerata ſubſtitiſſet, inſtituta, nunc ad limam revocare & emendare conentur, reos egerunt; plurimis inſupra ſolitis conviciis novam fidem onerantes, & vituperiis lacerantes, hic referri minime neceſſariis: cum ergo nullae Eccleſiaſticae poenae horum haereticorum crimina eluere, aut pro merito condigno caſtigare valeant, poſtulabant, ut accuſati pro ſuo merito ſeculari brachio, & gladio protracti puniantur. Tanto magis hoc Rhaetis curae, cordique eſſe volebant, ut quorum oculis recens obverſetur in Svevia nuper in ſeditioſos id genus homines edictum, & factum, docens quo pacto, & in iſtos animadverti conveniat, qui illorum veſtigia inſequentes, perinde ut illi doceant, & praedicent, ne quis alteri quod debet perſolvat.

Ad usque adeo diram a memoratis Antiſtitibus factam accuſationem, quae tota humanum ſanguinem ſpirabat, & quandam homines iugulandi libidinem minaretur, nihil praecipitanter, & ad Epiſcopalium furores agendum rati ſunt Rhaetici Senatus Oratores; illos quippe videbant furore extra ſe raptos facilius permiſſuros, & procuraturos, ut citius media totius orbis hominum pars interiret, quam res ſua privata in diſcrimen adduceretur: ſed memores illius: neminem indicta

a) Sprecherus notavit accuſationem hanc factam eſſe an. 1525. dies Iohannis Chron. pag. 205. minus accurate.

causa damnari oportere, Iohannem Comandrum, Parochum ad D. Martinum, praesente adhuc parte, audiri curaverunt. Comander quam primum ea quorum a tergo ipse cum Symmistis insimulatus fuerat percepit, ex templo & intrepide respondit: „ Tantum abesse, ut quidpiam haereticum, aut veritati, ac Christianae Religioni adversum, unquam quidquam docuisset; quemadmodum falso arcessatur a malevolis: ut potius mandatum Procerum in binis, non ita pridem celebratis provincialibus comitiis, publico edicto promulgatum, scilicet ut nemo quidquam praeter purum Dei verbum doceat, et praedicet, exquisitissima fide observare studuerit. Nec esse ignotum posse, se jam saepius promptum obtulisse ad ostendendum ex Scriptura, rationemque reddendam eorum, quae Populum edoceat. Nullatenus tamen se ferre posse insimulationem sibi, et Symmistis factam, quasi in docendo illos imitentur, qui in Svevia, nuper, tum ob pernicioſas doctrinas, qualis esse et illa potuit, non persolvenda suis creditoribus debita, tum ob motas in Principes revolutiones a Magistratibus suis morte mulctati sunt; cum nihil simile sibi unquam mente conceperint, nec sibi cum huius generis hominibus commercium unquam voluerint: prout ignorare id Abbas ipse non possit, a quo saepius consilium, et subsidium illi proletarii Anabaptistae adversum se expetierint. Suam enim quam populo tradant Doctrinam, ut nihil erroris, sic nec quidquam seditionis spirare; sed nihil nisi veram solidamque pacem sonare, maxime conscientiarum, & Reip. quietem. Quod si quid inde, vel illius occasione tumultus oriatur, illos fore in culpa, qui veritatem ac lucem fere non possint, sed ut Dominus in Evangelio dixit: *tenebras diligunt supra lucem, eamque ideo oderint, et fugiant, quod ipsorum opera sint mala, verentes continuo, ne arguantur, quam e contra qui operentur veritatem veniant ad lucem, ut conspicua fiant ipsorum opera, quod per Deum sint facta.* Tantum abesse, ut commune quid cum seditiosis actis, aut dogmatibus rusticorum in Germania habuerint, ut inter illos Principes, qui in dictos seditiosos animadverterint, haud postremi fuerint qui suam, ac Sociorum, vel Symmistarum in Raetia suorum doctrinam teneant, & suae sint Religionis; et proinde non nisi cum perfricta fronte in communionem trahi posse, prout huic rei tum suae doctrinae Capita propediem typis in lucem Deo volente emittenda, tum Conciones suas, ipsos denique qui-

„ quibus docendo praesunt, populos fidem idoneam facere posse. Unde
„ jam se in praesentia, et nomine etiam plus quam XL Concionato-
„ rum, qui omnes intra Rhetiam confoederatam, Ecclesiastas publicos,
„ sive parochos agunt, augustum confessum, Patriae Patres, per Deum
„ & omnia sacra, per novissimum extremi judicii diem, propter pacem
„ denique, & publicam gentis concordiam orare, ne falsæ isti, & im-
„ piissimae accusationi contra se institutae fidem adhibeant: sed sibi, et
„ parti adversae locum, & diem ad amicum, & Christiano nomine
„ dignum colloquium decernant, in quo ipse suae, ac suorum fratrum,
„ seu Symmistarum doctrinae, concionumque Summam, certis Capitibus,
„ aut vero propositionibus breviter comprehensam, propositurus sit, et
„ cum Symmystis suis defensurus: Quo tempore adversariorum nostro-
„ rum erit, inquiebat, has sigillatim impugnare, refellere, mendacii ac
„ falsitatis arguere, & si pote haereseos convincere. In eo igitur quan-
„ do adversa pars me fratresque meos, inquiebat, authoritate Divinae,
„ ac Sacrae utriusque veteris, ac Novi Testamenti scripturae, alicujus
„ erroris convincere, aut vero meliora, & potiora ex iisdem sacris
„ libris ostendere potuerit, promptos nos offerimus ad cedendum, at-
„ que dociles; gratiam illis magnam habituros, qui nos meliora edo-
„ cuerint. Quamdiu autem nullius erroris convicti, aut nobis conscii
„ fuerimus, potius quam ab agnita veritate desistamus, bonamque illius
„ causam deseramus, paratos, Deo (quod benigne avertat) permitten-
„ te, non modo probra, & vituperia pro Christi nomine ab adversariis,
„ sed vero mortem ipsam, & cruciatus vel atrocissimos pati: Spem vero
„ se in Deum habere, nunquam Rhaetorum Proceres permissuros, justa
„ amantes, ut causa inexplorata condemnetur; ut potius sanguino-
„ lenta mala, quae adversa pars cudit, & sistit, a suis, & insontium
„ cervicibus amolituros, nec admissuros, ut fideles Patriae filii ob stu-
„ diose quaesitum animarum, & corporum bonum indigna, aut imma-
„ nia patiantur. „

Comandri hanc petitionem Rhaetorum oratores justam judicantes, approbarunt; huicque fini in septimum Idus Januarias Anni proximi sequentis MDXXVI. diem disputationi publicae utrique parti aequum dixerunt, quo omnes Rhaetiae Sacerdotes utriusque partis Antium, sive Ilantium superioris, sive Grysaei Foëderis oppidum, solitis Foëderum

conventibus destinatum, sub vesperam occupatis hospitiis adessent. Fide etiam publica pro omnibus indigenis pariter, atque advenis, facultas libere, tutoque illuc veniendi, ac rursus inde recedendi per publicum edictum solenni more denunciata, & promulgata est.

Ad hoc vero Rhaetici Senatus decretum, ut edictum est, praememoratus Episcopi Vicarius, indignationem celare non potuit, verum aperte coram confessu declaravit: *Existimasse se, quod illi longe aliter hac in re acturi fuissent*: satis hoc innuens, se alias non tam acriter fuisse adversarios incusaturum. Unde plerique dictum ejus ita interpretabantur, quod arcum ideo tam acriter intenderit, quod sibi persuaderet, ad sui respectum, accusatos Evangelicos Sacerdotes, ad unum omnes, ad minimum in exilium relegandos fore, quum extra brachium seculare iudicaret non aliud superesse medium mitius, per quod a peste haereseos liberentur. Addidit Vicarius: *non esse quod de fide sua ipse cum suis quidquam disceptet, aut disputet, quae tot secula imo annorum Chiliades immota duraverit, et quam tot Sanctorum Martyrum miriades fuso sanguine signarint.* Unde quum Praescriptio, & Possessio jus & vim sibi tribuat, non esse suam fidem disputandam, quia sit certa et indubitata, *cum disputare sit, et significet dubitare.* b) Sed ad hoc fuit a quodam extraordinario interpellatus dicente.

Ubel

b) Fere solita haec erat Romanensium Responsio ad provocationes 6. Reformatorum, ab ipsis defensoribus Concilii Tridentini, quod mirere, repetita. Acri sale eam perstringit P. P. Vergerius in scripto satyrico, cui tit. *Secretarii Pontificii actio prioris diei: An Paullus Papa IV. debeat cogitare de instaurando Concilio Tridentino*, ubi praeter alia hunc in modum Vergerius: „ Denique Sanctissime Pater cum legis Protestantes, sive adiunctos confessionis Augustanae „ debere in Concilio adesse, hoc non potest aliter intelligi, nisi quod possint „ esse praesentes ad audiendam eam condemnationem, quam Episcopi Summi „ Pontificis Vicarii in sessionibus contra eos pronunciare voluerint. Insuper „ quando Comitia addunt, illos audiendos esse, hoc etiam sane modo intelligendum est, nimirum ut tum demum audiantur, si voluerint retractare, & „ supplices veniam petere; alioquin nullo modo erunt audiendi. In hunc modum, Pater Sancte, nostri interpretantur Decreta illa Comitiorum. Quin „ possum vere dicere, etiam praedecessorem tuum IULIUM III, ita fuisse „ intetpretatum, praesertim duo haec capita posteriora, quae omnium gravissima „ sunt. Nam cum unus ex nostris Italis eius iudicio, & censurae summisisset „ librum

Ubel tütſcht, quo innuebat perperam vocabulum eſſe germanice verſum. Curienſium Paſtor autem Comander, ubi interpellationis illius extraordinariae occaſione, locus ſibi loquendi fuit, repoſuit: id ipſum quod „ Vicarius de fidei ſuae vetuſtate et indubitata certitudine jactet, „ in diſputationem venire, eique dicti ſui probationem omnino incumbere, cum vetuſtatem non a Vicarii cauſa, ſed omni jure a ſua ſtare, „ et contendat, et plene perſuaſum habeat, qui aliud nihil credat, et „ doceat, praeterquam quod prima, et antiquiſſima Religionis fundamenta jubent; quod Chriſtus, et Apoſtoli tradiderunt; quod Apoſtolorum, et Athanaſii Niceno, Conſtantinopolitano, Epheſino, et Calcedonenſi Symbolis, oratione Dominica, et Decalogo ipſo, in quo „ totius verae Chriſtianae, et Catholicae Religionis, ſeu fidei ſumma „ contineatur; quam fidem inde a Mundi exordio, ipſo vero Deo autore, opera Sanctorum Angelorum, et unigeniti Filii ſui traditam „ omnes pii in primitiva Eccleſia Doctores tenuerint: Dum e contra „ illa, quae Vicarius cum ſuis pro certis, et ad ſalutem neceſſariis velit haberi, neutiquam verbo divino innitantur, ſed majore ex parte „ hominum figmenta, additamentaque ſint. Aliquot demum poſt Chriſti, et Apoſtolorum aetatem ſecula, ſuperſtitione, et ignorantia Eccleſiam innundante, ſubingreſſa, et ab iis introducta et excogitata, qui „ non, ut ex officio debebant, Dei gloriam, et publicam hominum ſalutem curae, et cordi habebant; ſed auram popularem, imo vero dignitates, et lucrum captarunt, ut qui ex Religione queſtum facere, et „ nundinationem exercere nullo non tempore dubitarint. Quae ſiqui-

„ librum, quem de his maximis rebus, in quo inter caetera de Lutheranis, „ qui non eſſent audiendi, niſi recantaturi, differebat, illum, inquam, Iulius, „ credito Brevi, approbavit, qui & palam circumfertur. Sed verba eius libri „ audiamus. RECITA. *Ex his, quae ſupra dicta ſunt, in hanc devenio „ concluſionem, quo ut aliquod eorum dogmatum, ſuper quae haeretici diſputare contendunt, diffiniatur, Concilium convenire minime neceſſe ſit, „ quippe quae olim diffinita fuerint: Secus enim ſi ageretur, tot Sacroſanctorum Conciliorum autoritas (quotquot in Eccleſia Dei fuerunt) in dubium „ revocaretur. Non tamen dico Concilium non eſſe convocandum: at non in „ eum, ut ſupradictum eſt, finem. Quin potius ut qui temere locuti ſunt, „ aut dicta recantaturi veniant, aut eorum INAUDITA CAUSA, in „ executionem iam ordinatarum conſtitutionum haeretici declarentur & condemnentur.* „ In Primo Tomo Opp. Vergerii adverſus Papatum. Tubingae, apud Viduam Ulrici Morhardi anno 1563. fol. 6. 7.

„ dem omnia, tum ex verbo Dei, tum rationibus sufficienter probare „ paratos se offerant: Eadem vere Vicarius cum parte sua impugnet, „ et in contrarium se, atque Symmystas suos Hereseos, et omnis generis „ conviciorum plaustris proscindat et incuset; aequissimum esse, ut „ detur disputationis, aut amicae collationis dies, quo haec aequae „ Lanci super imposita ponderentur, et justitiae causa enitescat. Nec „ esse, quod Vicarius de suae fidei certitudine (vt jactat) adeo confi- „ sus, disputationem tantopere declinet, quum bonae causae certus, „ qui veritatem operatur, Lucem non refugiat, sed ad eam lubens ve- „ niat, quemadmodum dixit Dominus, ut conspicua fiant opera ipsius, „ quod per Deum sint facta.„ Ad dicta Comandri Vicarius respondet: Neutiquam ea, quae cum suis dixerit, eo tendere, quod sibi a Disputatione metuant, vel illam quidquam reformident; sed quod sit justum judicarent; et haec via sibi compendiosior videretur, qua se et turbis explicarent, atque exoptatam quietem Respublica hoc citius perveniret, et Veritas nihilominus salva et certa maneret. Quod rursus quidam ex turba quae aderat hominum extraordinarie excipiens, sublata voce dixit: Ita sane, *veritas quidem, et certitudo vestri privati Commodi:* Vicarius vero in instituta responsione, nihilominus pergens, verum quandoquidem, inquit, ita Dominis placet, se fortiter, intrepideque, atque ut strenuos Christi milites deceat, in istam cum Comandro, et fraterculis ejus arenam velle descendere, et satis in tempore eis venire. Modo videat ipse Comander, ut se ibi strenuum praebeat Virum, atque tam fortem se praestet, utque plus satis insolenter jactet. Haec sunt, quae in illo Rhaetorum consessu publico agitata atque transacta ea super re fuerunt.

Consessu soluto, et dimisso, Comander re cum Symmystis communicata statim summa doctrinae suae, dogmatum saltem controversorum capita in propositionum seu thesium formam composuit, quae typis imprimi et excusa passim per Rhaetiam dispergi curavit, quo omnibus volentibus earum copia fieri posset. Sunt autem hae theses numero octodecim hujus sensus.

1) Ecclesia Christi genita est ex verbo Dei, et in eodem debet manere, nec audire vocem cujusquam alieni.

2) Ec-

2) Ecclesia Christi nullam condit legem extra verbum Dei, sed audit quod maritus ejus Christus sancivit et mandavit, secus ipsa judaica Synagoga inferior foret.

3) Inde sequitur, quod confessio auricolaris, et alia id genus, quae Ecclesiasticarum traditionum nomine venditantur, non ultra obligent, quam in quantum verbo Dei nituntur, et in illo praecepta inveniuntur.

4) Quidquid de igne purgatorio hactenus traditum est, divinitus non est profectum.

5) Prohibitio matrimonii, et rerum, quas Deus in cibum creavit, mandata sunt ab iis, qui a fide desciverunt, instinctu Daemoniorum.

6) Qui comperiet, se donum continentiae a Deo non habere, is debet, et potest libere Matrimonio jungi, cujuscunque ille status fuerit.

7) Simulacra facere, quae ad cultum prostent, pugnat cum verbo Dei veteris, et novi Testamenti.

8) Omnia hominum praecepta et Leges ad hominum conscientias irretiendas comparatae, abolendae, et penitus tollendae sunt, cum iis Deus frustra colatur.

9) Episcoporum est, ut ipsimet praedicent, haud seculari glodio praesint, aut opes immodicas possideant: sed decenti alimonia contenti, pro Christi ovibus, verbo Dei illas pascendo, vigilent.

10) Sacrae Personae, seu Clerici, Spirituales vulgo dicti, cujuscunque ordinis, vel dignitatis, potestati seculari, seu profano Magistratui subesse debent.

11) Christus Iesus est unicus Novi Testamenti Pontifex aeternus et semper vivens; proindeque nullo, qui vices ejus gerat aut supleat, indiget.

12) Me

12) Ille summus Pontifex unicus est noster Mediator, inter Deum patrem, et nos ejus Fideles: quare omnes alii intercessores et advocati hac vita defuncti, citra ullam Scripturae authoritatem, illi adsuuntur.

13) Hic noster Pontifex unico aeterno omnia perfecit sacrificio, quo circa omnia alia pro peccatis Sacrificia seu victimae expiatoriae simul sunt sublatae, et propter ejus perfectionem a nullo potest hominum iterari.

14) Missa, qua Christus Deo Patri pro peccatis vivorum, et mortuorum offeri dicitur, sacrae scripturae adversatur, et in sacrosanctum Christi supplicium injuria, et blasphemia est.

15) Missa item est Sacrosancto Evangelio, et toti novo Testamento incognita, et ex transmutatione *Eucharistias* S. gratiarum actionis in oblationem (sub hoc novo Missae nomine, pro sacrificio) recentioris est inventionis.

16) Quod Christus asseritur, substantialiter vel carnaliter, quo modo ad dexteram Dei patris sedet, vel ex crucis stipite pependit, esse in pane Eucharistiae, error est nullo unquam modo ex sacra scriptura probandus.

17) Sacra Domini Coena, prout in memoriam, et gratiarum actionem mortis Christi instituta fuit, et juxta cum Disciplinae, et Censurae Ecclesiasticae exercitio olim celebrabatur: nunc quidem abolita est, et in ejus locum commentitium Missae sacrificium intrusum.

18) Petenti a nobis rationem, et mentem circa decimas, promtos nos daturos spondemus.

Pervolitarunt theses omnes Rhetiae valles, et prout anxius quivis disputationis instantis exitu tenebatur: sic cum dicta colloquio dies adfuit, ab utraque parte ingens Sacerdotum (nondum alio nomine concionatores Evangelii distinguebantur) multitudo, aliorumque Antium, sive Ilantium, locum constitutum, confluxit. Sed ipsum tamen Disputationis

nis negotium ſtatim haerere coepit. Nam die lunae poſtridie nempe quam eo ventum fuerat, quando animis undique ſuſpenſis avide exſpectabatur, ut partes congredientes confeſtim diſceptationem cauſae adgrederentur, illa expedite, ut putabatur, procedere nequaquam volebat. Primum enim quum Sex Raetorum nomine viri, ex quovis ſcilicet trium Foederum bini, denominati et electi fuiſſent, qui diſputantes audirent, et colloquio praeſiderent, non omnes illi advenerunt, hinc qui aderant aliquid prius inchoare vel partes audire, quam qui aberant etiam adeſſent, renuebant. Facile vero erat obſervatu id data opera et ex compoſito fieri, ut diſputatio non procederet, aut penitus ſuſtolleretur; maxime quum diceretur unum ex ſex viris illis nullo alio excuſare abſentiam, quam frigido hoc reſponſo: *Non usque adeo ſevere ſibi mandatum eſſe, ut ibi adeſſet; proindeque ſatis idoneam ſe habere cauſam domi manendi.* Deinde eodem die ſummo diluculo Vicarius Curienſis ſupradictus, omnes utriusque partis Presbyteros, qui diſputandi gratia acceſſerant, in ſummam ſive Parochialem aedem juſſit convocari. Unde ex multitudine quidam inter ſe muſſitantes, et indignantes: Nos quidem, ajebant, diſputationem de fide audiendi cauſa huc acceſſimus, verum quantum apparet, diſputatio in Synodum degenerabit, et ex colloquio diſceptandi de fide gratia inſtituto, capitulum, quod vocant ſacrificulorum, opinamur, fiet. Alii ex Evangelicis concionatoribus dicebant: Quid? Arbitraturne Vicarius iſte nos in ipſius gratiam huc veniſſe, aut formoſorum ipſius crinium cauſa? et non potius ut ſcripturas inter ſe cum illis conferamus, et ut audiamus, quo pacto ſuam illi in nos accuſationem probare velint, nosque erroris aut haereſeos convincere? Nihilominus tamen et ipſi Evangelici presbyteri omnes, non minus atque Pontificae partis aſſeclae una cum Comandro Curienſium ad D. Martini Parocho, etſi ab initio ire recuſarent, ſimplici animo iverunt, auditum quid D. Vicarius ſibi dicturus aut propoſiturus eſſet.

Omnibus ergo ſimul congregatis, cum intermixti interfuiſſent Laicorum plurimi, protinus edixit Vicarius: Ut quicunque ibi ſpirituales non eſſent, foras egredientes ſecederent, per non ſpirituales (uſitato termino) notans perſonas ſeculares, ſive non raſas, aut in Sacerdotes non unctas: Sed qui eo tempore Davoſienſi Eccleſiae praeerat Sacerdos

(Iacobus Greiterus, an Andreas Fabritius haud satis scio, inquit Campellus) voce elatiore, illud excipiens dixit: omnes filii Dei, qui quae spiritus sunt, curant, et spiritu Dei ducuntur, sunt spirituales, Paulo ad Romanos teste. Unde omnes nos sumus Spirituales, quos Christus suo sanguine a peccatis lavit, si in Christum credimus; et ita qui Christianus est, spiritualis recte dicitur. Cui a nemine responsum fuit. Stabat autem ibi Vicarius; Suffraganeus item dictus Episcopus; Dominicanus alius Monachus; Sanluciensis Abbas; Tres Decani; duo Dominicani Monachi Curienses, et caeteri Pontificae Religionis Sacrifici una ex parte seorsum. Qui quum tumore quodam inflati viderentur, seque torquentes mutuo se se inspicerent, haud secus atque si omnes alii propter ipsos adessent, ut quod ipsi tantum dicerent, audirent, fuit qui diceret, eos sibi videri stare similes, qui malae causae conscii, cupiunt compositionem conditionibus, quamtumvis etiam iniquis, fieri. „ Tandem exorsus Vicarius ad Coetum orationem habet eo tendentem, ut „ disputandi necessitate ac molestia declinata, persuaderet partes, de „ tota controversia benigne inter se transigerent. Hic multis expositit, „ quid gratiosus suus Dominus Praesul, et Princeps sibi in mandatis de„ derit, quam is omni studio inde a sua Episcopali functione inita eo „ unice incubuerit, ut omnes suae dioceseos presbyteri eandem doctri„ nam unanimiter traderent, eandem vitam viverent, nempe juxta S. „ Catholicae Rom. Ecclesiae decreta, ritus item antiquos et priscas con„ suetudines; Concionibus nimirum eodem modo habendis, Sacerdota„ libus item iisdem vestibus gestandis, atque sacerdotali denique oeco„ nomia: Id vero complures eorum nunc non facere, sed sanctum „ ordinem subvertere et ipsis sedibus convellere, in sua contumacia „ magis magisque nova docendo pergere, dissensionem quoque mag„ nam in populo serendo et excitando; unde sane metuendum, ne suis „ illi concionibus turbas, seditiones ac tumultus in totum Sacerdotum „ ordinem, unctorum Christi gregem, excitaturi sint; atque ita sibi cala„ mitatum acervum, et nihil non aerumnarum conciliaturi, et tandem „ exitialem perniciem in seipsos derivaturi, qua suo ipsorum judicio, „ ut sorex, pereant. Quare clementissimi sui Domini et Principis no„ mine se ejus Ministrum adesse omnesque ut dilectos dominos ac fra„ tres orare et obsecrare, ut rebus adhuc Salvis per omnia viverent „ catholicae Romanae Ecclesiae exemplo, missificando, scilicet, con-

„ cio-

„ cionando, babtizando, et non se convitiis inquinando: omnes enim, „ inquit, eadem sumus Ecclesia, quo circa decet, ut omnes eandem quo- „ que vitam agamus. Quod si fecerint, dicebat, posse se vitam reti- „ nere, et ita etiam fore, ut optata item concordia et Pax publica „ obtineatur, Deus ipse colatur, et animarum salus denique pro- „ moveatur. „

Ad dictam Vicarii orationem silentium semel omnium fuit: Sed inter Sacerdotes Evangelio faventes, tacite inter se capita conferentes, num Vicario quidpiam responderent, nec ne, subnata opinionum varietas est. Alii quippe consultius judicabant hunc Vicarii sermonem dissimulare, et silentio praeterire, ut qui ob mitiorem paullo modestiam ferri posset, quam cum simplicium forte offensione ex praecoci fervore aut praecipantia, rixis initium dare. Quod si quis existimet, amicis dicebant, prolata esse quaedam in Christi veritatem minus tollerabilia; commodiorem ad illa respondendi opportunitatem in ipsa disputatione oblatam habituri sumus. Alii intempestivam hanc esse interpretabantur civilitatem, nec ullam sibi meliorem offeri posse occasionem dicebant, qua cavillis, quibus cotinuo impetiti essent, responderent. Esse sane in memorata oratione mitia quaedam verba, quae satis populariter sonent. Quid tum postea? Etiamsi amoenum sit audire: Christiana Ecclesia, Sacerdotalis ac religiosa vita, Sacerdotalis item oeconomia plausibile itidem quid sonet ac populare: Sacer vel spiritualis ordo, dilecti fratres, Deum pietate coli, animarum salutem promoveri et augeri, et id genus alia colorem amoris et caloris caelestis habentia, quid si sub istis venenum contra veritatem occultavit astutia, et spicula calumniae nihilominus torsit impudentia? Quale hoc nempe est, quod Vicarius imprimis urget, ut qui Sanctam Evangelii doctrinam docent, et vitam vivunt, studere debeant, ut per omnia iis similes sint, qui neglecto Dei verbo, humanas traditiones, Christi Evangelio contrarias et sequuntur, et ad eas retinendas, aliis auctores aeque impii ac vesani sunt. Tum etiam quidquid crepaverit de vita Sacerdotali, nunc plane locum esse illis larvam detrahendi, cum id facillimum factu sit, si vel Evangelio paulatim sepositio, inter eorum vitam, et caput juris Canonici, *quod est de vita et honestate vel conversatione Clericorum*, paralellismus instituatur, qua ratione in auras tota ejusdem oratio disparet. Vicit tandem eorum

Sententia, qui modestiores esse propter bonum pacis judicaverant, potius dissimulandam injuriam, quam rixis initium concedendum. Fuerunt interim alii qui vix sibi silentium imperarent, quin Vicario in os dicerent: Qui fieret, ut qui nuper in Procerum consessu evangelicos concionatores absentes, atrocissimis probris laceraverat et infectatus fuerat, paratissimum item se et socios, ut cum Comandro ejusque fraterculis in arenam descenderet, jactaverat, nunc obducto Episcopi, Principis sui mandato, coram tam comiter cum ipsis loqueretur, et latebras, ne Certamini disputationis se immiteret, circumspicientem, eam intra privatos parietes componere studeret? Haec, inquam, notantes voce duriore dicerent: *Vicarium ante extra periculum ferocem fuisse*: *Nunc autem decere, ut eandem animi fortitudinem praestaret.*

Tandem Vicarius ad Silentium illud allioquin ab aliis custoditum sententias sigillatim rogare incepit, et peculiariter quidem D. Theodorum Schlegelium ad D. Lucii Curiae Abatem jubet ut in medium consulat, et an non quam ipse dixisset sententia ipsi probaretur? Ad quod ille in hanc sententiam respondit, ut diceret „*se ex nullius mandato,* „ *sed sua sponte tantum ac libere eo accessisse ut recentiorum* concionatorum propositiones, quae sibi obscurae utique et inauditae viderentur, audiret, qua ratione explicarentur et discuterentur. Caeterum „ nullum se dubitare, Dominos Proceres Rhaetorum tanta sapientia per „ se pollere, ut facile intelligant istam disputationem supervacaneam fore, „ quandoquidem quidquid hic transactum fuerit, et ab alterutra partium, ex scriptura obtentum, nullius tamen id futurum sit momenti, „ cum imperialia immineant comitia, oecumenica item concilia celebranda, ibi demum rite decisum iri, quid Catholica Ecclesia tenere, „ quid minus debeat; ad haec plurimas esse Academias, quibus haec „ exactius excutienda committi oporteat, illisque adquiescere, credique „ conveniat.„

Neminem emunctioris naris latere jam poterat, haec omnia eo dirigi, ut instituta semel diputatio bello quodam modo sustolleretur. Debebant quippe Evangelici Sacerdotes cogitare, dum tali modo res agitaretur, quidquid lucrentur, se nihil tamen proficere. Hinc Evangelici dolum advertentes inter se ajebant: Num cui fit verisimile, Abba-

Abbatem Sanlucienſem audiendi duntaxat motum admiratione eo veniſſe, quum ejus maxime id de quo agabatur negotium intereſſet, et ipſemet primarius fuerit, qui cauſam coram Procerum conſeſſu dixerit? Deinde ſi ſibi animus non fuiſſet diſputandas propoſitiones impugnare, quorſum, ajebant, pertinebat, Argentoratenſem Monachum alias apoſtatam ſecum adducere, quem a ſe iterum cucullatum in hoc ipſum ſubornavit, alioquin melius domi relinquendum? Sed et mentio Imperialium Comitiorum, Conciliorum, et Academiarum longe diverſa in mente ejus arguunt conſilia quam verbis praeſefert. Tum vero quid horum apud nos valeat exſpectatio, cujus a nobis cura requiritur? Ubinam, dicebant inter ſe, Imperialia Comitia, Concilia et Academiae olim erant, quando Chriſtus ad Judaeos dicebat: *Scrutamini Scripturas, quia videmini vobis in ipſis vitam aeternam habere:* Et nunc ubi animarum ſalus manebit, dum in Comitiis, Conciliisque quid credendum ac tenendum ſit definiatur?

Eodem nempe ad tollendam diſputationem (quod animadverſu facile erat) collimavit *Suffraganei Epiſcopi* oratio, et Conſilium. Hic Sententiam rogatus, palmis complicatis, ſupplex oranti ſimilis dixit: „*Chari Domini, Chari fratres!* per Deum vos obſecro, ut apud priſtinam „ maneatis, et ſervetis fidem! *Vos eſtis luminara mundi;* penes vos „ eſt paſcuum Dei veſtrarum ovicularum. Vivamus, quaeſo, quem„ admodum hactenus viximus! Hoc ſe Conſilii dare, ut Curienſis ad „ D. Martini parochus tres a ſua parte, vel quatuor ſumeret, atque „ totidem D. Abbas Sancti Lucii a ſua; his totam hanc cauſam com„ mitti debere tranſigendam: Sicque concordiam promovendam.„ Tres praeterea Decani et ipſi Sententias rogati, omnes priſtinam ſervare ſuadebant religionem, ſeu, ut loqui conſuetum erat, fidem vetuſtiorem. Quod erant qui interpretabantur idem valere: ac ſcortis adhaerere, imperitos naſo aduncо ſuſpendere, vel dolis eludere, vigilias, quas vocant, Sacra prima, tertia, ſeptima, triceſima anniverſaria, ne obſoleſcant, ſalva tueri. Hinc enim illas eſſe lacrymas; et ibi illos manum tenere, ubi vulnus doleret, fidem ergo etiam ſentiebant, fidem jam diu ſatis eſſe diſputatam, nec amplius eſſe diſputandam. Quod rurſus alii ita excipiebant. Ecce ut veſpertiliones noctu volitantes lucem fugitent, quum tamen usque adeo delectentur lardo, aut oleo veſci.

Ad ultimum etiam Parochus ad D. Martini a Vicario sententiam dicere jussus, ab eo admonetur, ut dissensionem per novam istam doctrinam in Rhaetia exortam probe perpendat, qui Sanluciensem audierit Abbatem, quod etiamsi praesens haberetur disputatio, nulli loco esset habenda, atque item Decanos unanimiter censentes vetustiorem retinendam consuetudinem Sacrorum. Ad quod Iohannes Comander respondit: „*Quod quae inter ipsos esset* dissensio sibi, et omnibus Evan„ gelium profitentibus ex animo doleat, nec quidquam laetius auri„ bus posse suis accidere, quam audire; bonam pacem, optatamque „ concordiam salva in Deum pietate, et vero verbi Dei sensu passim „ in Rhaetorum ditione coli: ad ejus promotionem omnes, quibus va„ lerent, vires se a sua parte impensuros, ut conscientiarum pax cum „ Deo verbo divino plantata omnibus constet. Quod vero ad prae„ sentem deliberationem attinet, eam omnino sibi supervacuam videri, „ et superfluam, quum omnium memeriae obsversetur recens probrosa, „ et periculi plenissima incusatio, vel verius criminatio, qua D. Vicarius „ se et Confratres apud Celsissimos Poceres incessisset, et ob quam in „ hunc diem esset indicta disputatio: Ejus agitandae gratia frequentes, „ et praesto se accurrisse omnes, et de parte Vicarii esse, ut ipse una „ cum sua factione quod dixerit, praestet, hoc est suam doctrinam, „ prout a Papaeorum corruptionibus diversa est, Capitibus nuper edi„ tis comprehensam refellant, et erroris, mendacii, hereseos, quod diu „ criminati sunt, si possunt, convincant: se enim ei fini adesse praesto, „ ut ad DDD. Procerum decretum, rem ipsam cum ipsis, divinis sub „ auspiciis, adgrediantur, scripturas tractent, et ex illis cum agant, tum „ se erudiri patiantur: In consilium vestrum anima nostra, inquit, non „ veniat: Nam satis constat, quale consilium vestrum sit.„

Ad hanc Comandri Sententiam Vicarius respóndit, id sibi omnino non posse probari, qui putaret, ipsos inter se non debere in partes scindi, sed in commune consilium capere; quum enim eadem essent Ecclesia, omnes quoque idem consilium inire debere, et unanimiter consultare.

Ita post aliquantam verborum concertationem, satis utique jejunam, et hinc non hic referendam, illud quidquid erat conciliabuli dis-

solu-

solutum fuit. Male vero habuit Vicarium, quod repellere Disputationem non potuerit, ut indignatus diceret, *se adversarios accusasse, et ad finem usque vitae accusaturum esse*; cui responsum fuit: Debuisse illum vel hac ipsa vice sibi temperasse; et si suo honori consultum velit, expedire, ut in posterum etiam ab ulterioribus accusationibus sibi temperet, quum plurium et majorum jam accusarit, quam unquam probare queat. Hic suspensae rixae cessarunt, et utrinque undique ad prandium est discessum.

A prandio vel meridie, eodem adhuc lunae die, quum altum esset silentium, Vicarius cum grege suo ordinarios sex viros, qui Disputationi prefecti, partes disceptantes audire debebant, adeunt, acturi, ut omnis disputatio tollatur. De hoc ubi certus factus Comander est, sumpto secum Magistro Iohanne Pontisella Canonico olim, atque in Episcopali aula Archidiacono, nunc autem indigno Christi servo, sex viros adiit, eisque haud lepide causam praesentiae suae, et confratrum, ob atrocissimas, et indignissimas in se vibratas criminationes repraesentat; Decretum Procerum, et Collationis necessitatem fortiter urget; utque se doctrinae, et concionum rationem reddentes, et super ea conferentes patienter audiant, per Deum, et omnia Sacra orat. Sed si minus fiat, addidit, nolle se frustra, aut otiose Ilantum deveniisse, sed statim postridie, omnes se Evangelicam doctrinam profitentes in unum coituros, et publice coram tota, quae adesset, multitudine suae doctrinae rationem declaraturos, et ostensuros: Cui disceptationi etsi pars adversa adesse renuerit, coram mundo ipsi respondeant; Se enim quod penes se staret, facere velle, et per hoc coram mundo testari, nihil se deesse, quo minus veritas in lucem producatur. Viso hoc animi proposito convenit inter sex viros, ut postridie, qui dies Martis erat, partes audirentur, etsi illorum aliqui deessent; deliberatum ubi innotuit, turba curiositate mota, et boni omnes laeti audiverunt.

Die Martis igitur convenitur in unum, in Curiae, seu Domus Senatoriae hypocaustum, ut fuerat constitutum. Ibi postquam omnes consedissent, ex ordinatis sex viris unus exorsus causam commemoravit, ob quam causam hic decretus esset conventus, disputationemque aperuit, dicens: Cujus est incipere in nomine Dei incipiat. Exspectan-

tantibus heic omnibus, ut D. Comander in medium procederet, qui et in eo erat, ut causae initium daret, exsurgens Vicarius haud sine fastu pridianam Cantilenam rursus cecinit de „eo scilicet, quod sibi a Prin„cipe suo esset injunctum, deque fide vetustiore salva custodienda, et „ retinenda; adjecitque nondum se ea esse mente, et proposito, ut dis„putaretur, quum haec ardua res esset, et magni ponderis, quae jam „ nunc magno constitisset, et nunc demum si procedere debeat, multo „ majores postulatura esset sumptus. Quare antequam ad ullam aliam „ rem procedatur, cavere se, quod ad suam partem pertineret, Princi„pis sui nomine, si sua causa succubuerit, sex, septem, octo, aut de„cem Florenorum sive aureorum millibus, aut pro tanta summa sa„tis dare velle, hinc aequum poscere se, ut et pars adversa pro tanta „ summa caveret, aut idoneis praedibus satisdaret; quando id factum fue„rit, se porro dispicere velle, quid facto sit opus.„ Hic rursus silentium; Sex viris Praesidentibus, in se invicem conjunctis capitibus, super Vicarii forsan proposita stipulatione tacite deliberantibus. Ad hoc vero non temperavit sibi Thuscienſis Ecclesiastes D. Christianus Hartmannus dicere: „Admiratione plane dignum esse, quod tam opi„mis pollentes Sacerdotiis Sacrifici, atque Antistites de sumptu pro eru„enda veritate faciendo tantopere essent solliciti, et pro ipsa veritate „ expiscanda adeo nullo aestuarent zelo, ut glacie magis frigerent; „ Episcopum enim non ultra unum in confessu hominem habere, quem „ suo aleret sumptu.„ Item Georgius Tschützius Praetzienſis in Heinzebergio monte Ecclesiae Minister in hujusmodi verba prorupit. „Do„mine Vicarie, et vos reliqui obesiores Sacerdotes, finite nos, quaeso, „ macilentos pauperculosque pastores queri; vos enim nec pecunia, „ nec opibus deficitis, et cum Missa vobis sit quaestuosa, satis vobis „ suppetit, unde hos ad sumptus sarciendos comparetis, quum nos e „ contra, qui omne ex illa proveniens lucrum missum fecimus, omni „ ejus spe destituti sumus.„ Ad haec Rusticus quidam in turba paulo remotior voce sublatiore inclamat: Absit istud consilium Vicarii a nobis! quod enim Episcopus tantis opibus pollet, ut decem aureorum millibus ad sumptus in hunc actum faciendos caveat, id a nobis miseris agricolis corrasum et compilatum habet: quod si istis etiam egestate tenuibus Sacrificis seu concionatoribus demum tantumdem largiri oporteat, nimis care ista nobis constabit disputatio!

Tan-

Tandem Comander respondit: Nullius pro sumptibus cautionis, vel satisdationis meminisse Illustrissimos Proceres, cum ad disceptandam religionis causam conventum indixere, quare confidere se, ut huic decreto stetur. Esse se viros probos, et animo ad eruendam veritatem intenso; nec per somnium vero sibi in mentem venisse, ut crederent, sumptus posse exigi pro ejus investigatione, ad quod ex officio tenentur, et id omnium minime a suae parti addictis, quibus pro tenuo jusculo vix unde solvant suppetat, nedum ut pro florenorum miriade caveant. Sic haec disceptatio tandem desiit, quum cautionis pro tot aureorum millibus efflagitatio, fere ab omnibus, cachinnis atque sannis explosa fuerit. Ita etiam hoc refugium bono Vicario inutile exiit! Inde eo se convertit, ut diceret, advenas ab auditorio et Confessu esse arcendos, cum disputatio duntaxat pro indigenis esset instituta. Quo dicto, ambo Curiensis civitatis Tribuni (*Stat-Vögt*) spectatae integritatis, et prudentiae viri, (qui eo a Senatu missi erant ut Ecclesiastae suo, quando opus foret, consilio, et ope adessent) se perstringi rati, dixerunt: se, si Vicarius ipsos reformidet, facile secessuros, quam per eorum praesentiam disputatio impediatur; paratos proin aequo animo inde digredi. Sed explicuit Vicarius, minime se eos intendere. Suspicati ergo *Sebastianus Hofmeisterus* Scaphusianus, et *Ioh. Iac. Ammanus* Tigurinus sunt, a Vicario se notari, id quod et reapse erat. Erat ille a patria tunc temporis profugus et Tiguri exsul, una cum isto, terse eruditi viri, atque huc a Tigurinis missi ut Evangelicis adsisterent; quare Sudes in oculis Pontificiae factionis erant, quae eapropter omnem movebat lapidem, ut hi a Disputatione arcerentur, et abigerentur; id quod facile patuit. Nam cum duo ipsi a tribunis Curiensibus postularent, ut a sex Viris facultatem impetrarent exponendi causam ob quam accessissent, et id quod in mandatis haberent, denegata eis audientia fuit, quod haud dubie a Vicario profectum erat. Deinde quum nihilominus inter reliquam promiscuam turbam ad Disputationem accessissent, rursus exterorum mentio facta est, ut inde arcerentur, primum a Vicario, deinde ab aliis quoque. Heic ergo occasionem nactus, Hoffmeisterus, prodeuns exposuit nullius se aut in gratiam aut offensionem accessisse; verum amico simplicique animo duntaxat ut auscultent, quo pacto Scripturae tractarentur; et ut si bona cum ipsorum venia fieri queat, et res ipsa poposcerit, amice comiterque in contro-

„ versia suam sententiam dicant, et partes si pote componant, aut cau-
„ sas dirimant: Quare et in eum ipsum usum Graeca simul atque He-
„ braica Biblia secum attulisse, quorum ope nullam Scripturae vim pa-
„ terentur inferri. Quod si vero sua minus grata foret praesentia, po-
„ tius se locum facturos, et discessuros quam quidquam remorae insti-
„ tutae disputationi injiciant; licet amice orarent, ut sibi bona cum
„ ipsorum venia interesse liceret, siquidem id bonorum Tigurinorum
„ Dominorum suorum maxime referret, qui postea quam sanctum Dei
„ verbum amplexi sint, a plerisque exterorum haereseos, et aliorum cri-
„ minum praeter meritum insimularentur, quamtumvis nemo etiam post
„ multiplices preces veniat, qui eos saniora doceat, ipsi vero fidelem
„ desiderent institutionem undecunque accipere, et maxime ubi id ge-
„ nus Disputationes publicae habentur: Proinde orarent, ut suam prae-
„ sentiam in meliorem acciperent partem. „

Ad haec dicta Praesidentes inter se consulturi conferebant, num instantes voti redderent compotes: interea vero sacrificus quidam nomine Magister *Thomas* Parochus Tinetionensis vociferans dixit: *Si Graeca et Hebraica lingua nunquam in partes nostras venissent, plus felicitatis, et quietis in terra extitisset, nec unquam tantum errorum et haereseos exortum fuisset!* Id Hoffmeisterus rudi Asino condonare non potuit, sed liberius effatus, bonus hic Dominus, inquit, insectans linguarum peritiam, suam ipse incusat insciticiam: Praeterea a proprio jure Canonico redarguitur, quod docet, et permittit, oriente controversia de scripturarum genuino sensu, tum sensum ex originalibus eruendum esse, quum ita in illo habeatur: *Ut veterum librorum fides de Hebraicis voluminibus examinanda est, ita novorum veritas graeci Sermonis normam desiderat.* Sed nihil juvabant hujus modi argumenta: Etenim nisi Ilantinus Signifer (*Panner Herr*) pro eo intercessisset, opportuisset, Hoffmeisterum una cum socio discedere. Sed hic fortis edixit, quod si qui Tiguro accesserunt, a disputatione arcerentur, fore, ut Populus esset interceSSurus, et in medium consulturus. Ita permissum est, ut interesse eis quidem liceat, sed ne ad ullam rem verba faciant.

Interea ne sine crisi demitteretur Tigurinorum propositio, dixerat Barthol. Castromurius, Praegallienſis, et ex Canonicis unus: Biblia

sacra

sacra esse satis bene conversa abs Hieronymo, ut jam nullis amplius indigeamus Judeorum libris: Sed huic non minus prolixa responsione, quam apposita similitudine satisfecit Mag. Joh. Pontisella, et ipse olim Canonicus, et Archidiaconus, allegans morem, ab ipso politico Magistratu in rebus momenti longe minoris observari solitum. Quod si enim hi orta de fide transcriptorum exemplarium inter partes controversia, ipsas tabulas archetypas adire jubent, adversum quas nulla valet exceptio: tanto magis id in S. litterarum causa praestandum, cum fides interpretum venit in controversiam, et quae ipsa divini Mandati sint verba explorandum est, quo cuivis doctrinae puncto sua constet fides. Indigne exceptionem tulit Castromurius, regerens Pontisellam earum quas laudibus efferret linguarum esse penitus ignarum, indignum insupra, qui in hoc actu sedem occupet: Inde scilicet, fuit qui Pontisellae loco regessit orta indignitate, quod Pontisella praeclarae olim in aula Episcopali famae Sacerdos, et Archidiaconus, omnibus illis pro Christi nomine renunciaverit, et veritatis partem sequi eligere maluerit!

Altercationi isti finem imposuit surgens in pedes Joh. Comander, qui sermones interpellans dixit, tempus esse veniendi in rem ipsam: et protracto Exemplari primam doctrinae propositionem alta voce praeiegit, hujus tenoris: *Vera Christi Ecclesia ex verbo Dei est genita, eademque in illo manere debet, nec cujusquam alieni vocem audire.* Quam thesin quum adstruere, et scripturae testimoniis roborare pergeret; in contrarium ferri pars adversa omni nisu coepit, et contendere, ne illi concederetur propositionem ad eum modum diducere, et confirmare. Ita mox Vicarius nimium temporis in ejusmodi diductionem exigi clamabat; Suffraganeus autem dicebat, quod si Comander pro argumentari vellet, teneri etiam contra arguere, scil. Pro et Contra. Ex tripode Abbas D. Lucii: Non ita in scholis rem geri; et ad hoc fidem Sebastiani Hoffmeisteri provocabat: proinde sufficere, quod propositiones assertive posuisset. Ad Vicarii vero temporis angustiam praetexentis instantiam erant, qui hac in parte ad frugalitatem ejus toti obstupescerent, quod illi alias, ad Cantilenas Tibicinum, quos ad mensam, et plerumque penes se habere solitus erat, nulla mora longa erat.

Verum Comander alternationibus, et interpellationibus, quas ad praepediendum colloquium data opera inſtrui noverat, nihil motus pedem fortius figens perrexit, b) ſuumque illud thema, petitis plurimis ex utroque teſtamento teſtimoniis, ea vi adſeruit, ut praedictus Hoffmeiſterus ſcribat, totum ſe in admirationem raptum, ut qui nunquam exiſtimaſſet tantam in Comandro reperiundam ſcripturarum peritiam: prolata his ceu Epilogo clauſit: adeſte jam et ſi qua polletis virtute, haec Scripturae auctoritate convellite!

Licuit heic videre eximiis iſtis Eccleſiae Antiſtitibus aquam haerere, et in omnem ſe partem torquere, ad declinandam moleſtiam in hanc arenam deſcendendi. Abbas D. Lucii cauſari: „Propoſitiones haſce „ Rhaetorum Proceribus non fuiſſe exhibitas, et inſciis illis raptimque „ impreſſas; imo vero ſi impreſſae non fuiſſent, nunquam eo deve„ niendum fuiſſe, ut ſibi haec evolvenda, et pertractanda imponi pati „ debuiſſent. Quod ad ſe pertineret Reipublicae ſibi negotiis diſtracto „ tantum otii non fuiſſe, ut quidquam ſuper themata iſta legerit, quo „ ad impugnandum inſtructus, paratus acceſſiſſet; praeterea theſes ſero „ nimis ſibi in manus traditas fuiſſe; tum Comandrum, et Socios Sa„ cramentorum aut Miſſae abrogationem quam urgerent criminari; „ ultimo varias ad eos interrogatiunculas inſtituere. „ Stupuit ad tot latebras Comander, repoſuitque omnino mira ſibi videri haec effugia, cum theſes per omnium ora et oras ac tempore bene multo volitarint, et finis hujus conventus a Celſiſs. Proceribus indictus ſit, ut ignorare potuerit nemo, niſi qui voluerit. Ad imputationes ſibi circa doctrinam de Sacramentis factas fieri ſibi injuriam, ſed ut nunc ad eas reſpondeat non videri neceſſarium, quum easdem circa finem ordo advolvat Theſes in hanc rem definientes, quo loco et iſta diluentur. Quod ad ejus interrogata pertineret, extra omnem ordinem, et agendi modum ad turbandam actionem ea adduci. Adeſſe ſe ad reddendam ex Scriptura doctrinae ſuae rationem, et adverſariorum argumenta, et gravamina

b) *Der Pfarer zu St. Martin druckt für, gab nüt umb Ihren bgh traht dem fuſs wie ein müder Ochſs, bewerd ſein ſchluſsred mitt die geſchrifften ſo gründlich und wohl, daſs Ich mich ſein verwunderet, hät es auch nicht hinder ihne geſucht.*

vamina in contrarium propoſita ponderanda; hoc non decere negligi, et tempus ei deſtinatum quaeſtiunculis (alii explicarunt Captiunculis) abſumi. Ad hoc dictum Pontificiorum pars in ſannos ſoluta et cachinnos tollens, ajebat: Tanto in Iſraele Magiſtro cuncta rectificanda, et reformanda ſibi ſumenti, omnino incumbere ad allatas queſtiones reſpondere. Sed Comander inſtans, *Domine San Lucienſis*, inquit, *ſcripturam adducito, pugna ex ſcriptura.* Abbas vero: me quaeſo fratrem potius in Chriſto vocate, quum omnes fratres in Chriſto audire vultis, indignatus ſcilicet, quod non honorificentiore, ceu *gratioſi Domini*, aliove titulo, ſed nomine plebejo compellatus eſſet: pergitque, quum propoſitio prima ſit de Eccleſia, quaero ex te quando Chriſtus dixit Matth. XVI,: *Tu es Petrus, et ſuper hanc petram* (*auf dieſem felſen* germanice enim verba faciebat) *aedificabo eccleſiam meam*, num quid per petram illam intelligis, num quis eſt petra illa? Reſpondet Cumander: *Petra illa eſt Chriſtus*, allegatis locis Math. XVI. Eſaj. XXVIII. Dan. II. Math. XXI, 1. Petr. II. 1. Cor. X. in quibus omnibus locis manifeſtiſſime perhibetur lapidem illum absque hominum manibus de monte exciſum; et factum lapidem angularem ab aedificantibus reprobatum eſſe Chriſtum, praeter quod fundamentum aliud ponere nemo poteſt: illa vero nemini quam Chriſto propria ſunt.

Quaerit ad haec Abbas: quamobrem genus hic eſſet immutatum? ſibi enim videri quod extare oporteat: *Tu es Petrus, ſuper quem aedificabo.* Eidem Suffragans Vicarius etiam affirmabat exſtare debere: *ſuper quem.* Comander autem: Si Chriſtus, urgebat, Eccleſiam ſuam ſuper hominem Petrum extruere voluiſſet, dixiſſet utique: *Tu es Petrus ſuper quem, vel ſuper te Petrum aedificabo etc.* Verum ſuper hominem noluit is aedificare Eccleſiam, qui dixit: *Maledictus confidens homini, et carnem ponens brachium ſuum:* Sed ſuper lapidem voluit aedificare immotum, qui eſſe nullus homo poteſt: Quare ſolus Chriſtus Jeſus ea eſſe petra paſſim in ſcripturis perhibetur, ut adducta loca demonſtrant, et prout in hymno ſacro exſtat: *Quis eſt Deus praeter Dominum, aut quis eſt petra praeter Deum noſtrum?* Verum eſt in voce *Petra* alludi ad Petri nomen; ſed ea alluſio non niſi in fide, et confeſſione facta conſtantiam Petro notare, aut promittere potuit, ut ſaxeus, et vere immotus omine denotaretur futurus, qui nomine ſaxum erat.

Verum petra cui inaedificata est Ecclesia alia esse debuit, talis omnino contra quam portae inferorum non essent valiturae: ea vero non fuit Petrus; nam fragilitatis humanae indicia plurima dedit, et Jesus precari debuit ne labasceret ejus fides: ea igitur petra alia esse non potuit, quam ipse Christus; quem esse Messiam, proinde salutis authorem, Petrus paulo ante tam animose confessus erat. Ad haec Abbas: Ego vero edoctus eram nec aliter credidi, quam quod Petrus graece, valeret latine: *Petra*, et germanice: *Ein Felfs*. Continere heic aut sibi silentium imperare non potuit Sebast. Hoffmeisterus, quin in haec verba prorumperet: vos linguas fortiter contemsistis, et statim in limine offenditis, nescientes quid vox *Petros* significet: sed protinus jussus est verba sibi retinere.

Conclusit tandem Abbas D. Lucii, primam propositionem sibi probari, illud quidquid esset thematis recte habere, esse Christianum, et antiquorum Patrum doctrinae consentaneum; quod Abbatis dictum etiam Vicarius suo calculo facile comprobavit.

Nemo non videbat, abjectis armis, pronos jam, et captos datos adversarios esse; semel enim eam demum veram Christi Ecclesiam, quae per verbum Dei colligitur, nec ullius quam Christi vocem audit, atque in eo manet, concesso, concidit uno in ictu omnis traditionum farrago, omnis rituum cumulus, omnis Romani Pontificis usurpatoria potestas; imo vero citius Coelum, et Terra praeterierit, quam vel una subsequentium thesium falsitatis argui queat. Quare etiam inter Evangelicos ovatio quaedam audiri incipiebat. Senserunt hoc boni viri: Igitur ne herbam projecta hasta dedisse viderentur, ad Castra recurrere videri voluerunt, ad dictum thema, post concessionem, quasdam moventes, aut objicientes quaestiones.

Interrogavit ergo Abbas: Num etiam peccatores pertinerent ad Ecclesiam? Responsionis loco Comander parabolam Evangelicam de Sagena omnis generis pisces complectente, cui regnum Dei assimilavit Christus, protulit, et ex ea docuit verorum Christi fidelium Characterem esse veram fidem, sincera obedientia in Dei praecepta comitatam, quae quamvis imperfecta in eis hac in miseriarum valle sit, ob mundi consortium,

fortium, et Carnis infirmitates, a Deo tamen propter Christum acceptari, ut nulla amplius in eis sit condemnatio: Interim externo coetui etiam accenseri infideles, quamdiu et ideo quod eandem religionem profitentur, iisdem signis, quibus vere fideles, fraternitatis tesseris, utuntur, nec ob publica scandala, decretorio judicio communi coetu indignos se reddiderunt.

Dicit ad hanc responsionem Abbas: Illud non est solvere: et loqui pergens, in eo erat, ut adstrueret fidem non facere in rem, atque fidem solam inutilem esse. Evincebat id exemplo a Rege Galliarum petito hocce. Credo Ego, inquiebat, esse Regem Galliae; ecquid vero conduceret hoc Regi si illum non interim diligerem, nullo eum beneficio afficerem, vel nullum ei officium praestarem; quamvis, hoc ut faciat, penes se non stare? Ex dictis his patebat, ab eo in Regem Galliae aliquod beneficium redundasse: Hoc ex eo constitisse erant, qui explicabant, quod ipse inter alios etiam auctor fuerit, ut ager Insubriae, cui Franc. I. Galliarum Rex inhiabat, Rhaetico etiam cum Helvetico fuso sanguine rigatus et foecundatus esset. Item pergebat Abbas, quid si Rex sibi vel alii cuipiam magnam auri copiam dono dedisset, ego vero non redamarem, quamvis infensus illi neutiquam sim, quid hoc Regi profuerit?

Perrexisset bonus Abbas argumentando, sed advertens alios ad paradigma prolatum invicem se aspicere, alios subridere, vis argumenti in vado haerentem reliquit. Unde Comander: quid San Luciensis Domine, quid isto sermone tibi vis? Quid rei nobis cum Rege Galliorum est? Mens erat quantum apparet illud similitudinis ad Deum transferre, atque innuere, quod quamvis in Deum quis credat, nec tamen ulla re de ipso mereatur bene, non sit futurum, ut ejusmodi fide ullam apud Deum gratiam ineat, aut quod Deus ei quidquam gratiae habeat: sed conscius suum se ulcus tetigisse, deductionem, et apodosin suspensam reliquit.

Quare liberius jam Evangelici dictitare: ignorare Abbatem, quid sit fides vera, quid opera bona, quis inter fidem, et opera nexus, imo quid Deus denique sit, erga quem nemo beneficus esse queat, sed a quo,

quo, ceu fonte omnis boni, in omnes creaturas beneficia manarent. Tum Comander: Iam si nemo quod primam propositionem impugnet, habet, pergamus ad reliquas.

Sed intervenit Magister ille Thomas supradictus, Parochus Tinetionensis quaerens: Num etiam Christus e Synagoga sua expulisset peccatores? Cui Comander: quam mihi dicis Christi Synagogam? Puto te esse judaeum. An non legisti Matth. XVIII, quali processu et quem Dominus Christus praeceperit excludi, aut ejici? Nempe qui post unam et alteram fraternam admonitionem, etiam ipsam Ecclesiam contempserit. Ad haec te haud utique latet, ut ementes, et vendentes, flagello ex templo ejecerit. His obstupefactus bonus Magister siluit.

De novo Abbas: Domine Plebane, dic quaeso mihi, quae est vox Pastoris? Resp. ei Comander, ignorare haec non posse qui decimum Evangelistae Johannis Caput perlegerit: In eo quippe docere Dominum, se bonum esse illum Pastorem qui suam ponat pro ovibus animam, ubi quemadmodum pastoris titulo ipse Christus notatur, ita et vox pastoris quae ovibus regula quam sequantur est, haud aliud potest significare quam ejus doctrinam, regulam fidei et vitae omnium eorum, qui ad Ecclesiam Christi, stabuli Symbolo indicatam, pertinent et profitentur. Profiliit inexspectatus in haec loquentem Bartholomeus Castromurius Canonicus supradictus, et qua valebat voce crassiore, intonat latine locutus: „ Oportere audiri etiam quod Evangelio non adver„ setur, nempe traditiones. Siquidem jubeat Apostolus 2. Thess. II, „ *Tenete traditiones*, scilicet non modo institutiones scripto traditas, „ verum etiam quas viva voce et coram ab eis accepissent: „ et reliqua ex *Roffensi* hausta prolixius edisseruit. Cui Comander minime se negare tenendas esse traditiones quas certo constaret esse ab Apostolis profectas: sed sole clarius esse non omnes pro talibus habendas, quae Apostolicarum traditionum nomine venditentur; itaque si traditiones illae cum verbo idem sunt, tum auctoritatem a verbo habent; et sine verbi suffragio superflua sunt; quum nec aliam voce docuerit doctrinam Paulus, quam eam quam scripto reliquit, unde eum cum emphasi monere potuisse, ut doctrinam tum voce apud eos annunciatam, tum scripto

scripto consignatam, custodiant. Valere hic Christi regulam Math. XII. *Qui non est mecum, et non congregat, ille est adversarius, et spargit;* ex quo sine controversia sequatur: Omnem doctrinam vel Dei verbo esse consentaneam, vel minus, nec ullum heic esse medium. Quare si eaedem cum verbo sint illae traditiones, esse prorsus superfluas: si adversae, eo ipso rejiciendas, quum contraria sibi homines docere non potuerit Spiritus Sanctus. Id quod ex ipso Apostoli contextu appareat lucide, et exemplum confirmet, qui haud unquam alia suos docere voluit, quam quae a Christo se accepisse profiteri poterat.

En vero! Christianus Berreus Scholae Pontificiae in aula Magister homo luscioſus et oculis nictans, manicis solutis et agitatis, fronte et corrugata et perfricta, ut qui modestiam et verecundiam omnem exuerat, modo tam importuno, quasi verberaturus, ad Ioh. Comandrum prorupit, ut Hoffmeisterus saepius laudatus, sancte affirmet, se putasse illum mentis non satis esse compotem. Equidem nemo ab initio praedicationis Evangelii, ex Rhaetis contumelioſius unquam illo in vicarium et canonicos loquutus erat; etenim hic ipse lascivos eorum mores et salacem libidinosam vitae conversationem Tigurum perscripserat, litteris (sunt verba Hoffmeisteri) ejus adhuc exstantibus: Sed cum esset mirae levitatis quivis facile advertit Scurram in hoc ipsum, ex composito, ut rem ne procederet turbaret, fuisse subornatum et immissum; unde etiam notatum est: neminem fuisse qui vel verbo hominis impudentiam compescuisset, vel aliorum exemplo sedere, et quietum loqui jussisset. Tandem ex universo hominis apparatu audita est ejusdem in Comandrum vox: querens se saepius ad Comandrum cedulas misisse quibus nonnullas ei quaestiones moverit, ad quas quum hactenus nullum responsum accepisset, nunc ab eo respoſcere. Hic mus ex montium partu natus est! In mentem sibi ea occasione venisse ait saepius laudatus Hoffm. illud Syracidis: *Ut prae foëtu gravida, ita prae sermone parturit stultus, et quod est telum infixum Femori, id est verbum in Corde stulti Eccl. XIX. neutrum, quoad liberetur, quiescere posse.* At Comander: Nae tu mi Christiane solus plura quaerere posses, quam mille Sapientes, necdum ego respondendo aut solvendo sim: Sed ut sis Sciens, haud propter tuas quaestiones hic sum, sed duntaxat propter doctrinam meam et Conciones. Si ea tibi non probatur, licet eam ex scriptura

impugnare: id vero si non possis aut nescias sedeto quietus, molestiam nemini facessens, et absoluto operis mei penso, si quid deinde habeas scrupuli quod te torqueat, prompte tibi satisfaciam. Fassus se in hoc responso aquiescere, in suum rursus locum resedit; sed quod tam cito cessaverit Comandro obstrepere, nec perrexisset ut caeperat respondere, protinus a suis alta voce increpatus est, jamque de novo ut telam resumeret, rixasque unam ex alia traheret, incitatus est, prout haec facile ab omnibus exaudiebantur. In eas angustias malitia causae Patronos conjecerat, ut nunc etiam urbanitatis oblivisserentur. Interim tantum effecerunt ut rursus Berreus: Domine plebane, Doctores (Ecclesiastici S. Patres) *an non etiam illi sunt audiendi? locutus tamen ex illis est Spiritus Sanctus?* Respondit ei Philippus Galicius Sacerdos juvenis Oengadinus, sed habilitatis juxta Comandrum primae, quem idcirco pars Evrngelica, ut et ad excipienda adversariorum tela praesto esset, illi ad latus collocaverat. Respondebo ego, inquit, tibi, frater Christiane, est namque mihi animus tecum congrediendi. Vox Spiritus Sancti quid ni audiatur, quando utique constat eam per vere Christianos doctores sonare. At quo pacto cognoscat, quis eos ex Spiritu S. loqui nisi ex certa et falli nescia Sancti Spiritus regula, nempe ex scriptura sacra libris biblicis et canonicis comprehensa, quam Sp. S. instinctu Sancti Dei homines exararunt. Nam ab illis docemur probandos esse Spiritus, num sint ex Deo: illa vero probatio nulla alia via rite et tuto institui potest quam ad Lydium Scripturarum lapidem. Nunc siquidem Dei Eloquia in formam non mutantur aliam quam qua semel posita sunt, non possunt qui ex Spiritu loquuntur alio modo loqui quam quem Scriptura ostendit.

Sed secandi filum heic tempus esse videns Petrus Petronius, Bardus dictus, Altipontanus Oengadinensis, Sacrificus tum Vazensis, homo magniloquus in alium Campum oratione digressus est: Multa loquutus de fructibus fidei *extra oleas vana et cassa*: apparere satis ex fructibus, intonabat, cujusmodi Evangelium istud esset, unde tantum ubique tumultus ac seditionum oriretur. Ast interponebant ejus verbis crisin ii, quibus dicentis vita paullo notior erat; dicentes, omnium minimam habere Petronium criminandi tumultus causam qui quotidie gladio perinde uti carnifex accinctus incedere solitus esset. Et num ex Bardi

ore,

ore, ajebant, talia audiuntur, qui, ut id vitae genus subiret, difficillime passus est sibi a parentibus persuaderi; quo nemo ferocius in totam simul pontificiam religionem ceu omnium maxime impiam superstitionem invectus est, et tum Missam tum Missificantes atrocissimis probris passim proscidit; Evangelicam vero doctrinam saepe laudibus veris in Coelum extulit. Sed compescuit hominis linguam Comander, acriori paullulum sale perfricans; in eo quippe cum esset ut monstraret, neutiquam Evangelio originem motuum turbulentorum, et seditionum tribui posse, inter alia excidere sibi passus est: manare eas abs nequam et avaris hominibus, totis scortationi addictis et ipsis Satyris lascivioribus Sacrificulis, qui videntes culinae Bachi, Veneris, et *Typhi* detrimentum, lumen ferre nequirent, et tumultuantes turbas darent.

Sed plus satis dixerat Comander: quare ne in hujusmodi argumentum se diffunderet oratio, surgentes omnes ad prandium discessere.

Post prandium, eodem adhuc Martis die, ubi conventum est, prima cura fuit Sebast. Hoffmeisterum Disputatione excludendi. Id quod facile effecerunt; causa facto illi obducta, quod non Tigurinus, ut praesetulisset, sed Scaphusianus esset, et a patria relegatus exsularet vagabundus. A quo crimine licet sufficienter se responso purgaret, ostenderetque ob nullum facinus se a patriae solo exsulare: c) irritum tamen id fuit, nec concessum ut amplius disputationi interesset. Tanti intererat molesto hospite liberari, qui eis non semel insciti am exprobraverat! Tunc orsus unus ex Praesidentibus Sex Viris; totum dimidium diem, proponebat, (quantum tempus) „super unicum de Ecclesia dogma, nec „ id absque altercatione odiosa esset transactum; quum tamen colloquium hoc amicum esse deceat; partes igitur disceptantes monebat, „ ut in posterum modestiae studerent, et brevitati; id si minus praestiterint, se surrecturos, nec quemquam amplius audituros.„ Ad id vero quod Vicarius circa Satisdationem pro sumptibus moverit, totum in praesenti a se in medio relinqui. Non mutus ad haec Abbas Sanluciensis prompte eisdem suffragans spondebat se equidem a sua parte pro virili daturum operam, ut propter bonum et commodum publicum

c) Vid. Hotting. Tom. III. pag. 249.

negotium hoc cito ad optatum finem perduceretur; quantumvis vero irrepserint varia in contentionem, et ipse Sessione antemeridiana adversae parti primam propositionem concesserit, declarare tamen se nihil per eam concessionem velle admissum, quod Christianae seu Catholicae Ecclesiae detrimento, aut Papae ullo modo praejudicio esse possit. Denique questus est propositiones controversas ab adversa parte editas, sero demum sibi redditas fuisse. Interim vero quia res ipsa per se ardua sit et seria et quam ibi loci tractare sibi sit religioni, offerebat suam operam, Curiae, vel in aedibus suis, vel domi Comandri super controversis articulis ad amicam collationem, maxime de Sacramentis (altaris) quod ut saepe antea sumpserit, sic et dehinc saepius participare cuperet: In spem desinebat nunquam Deum permissurum eum rebus successum, quem adversa pars aut sibi promitteret aut habere contenderet.

Abbatis verba suo suffragio firmare volens Iohannes Burcella, Parochus Camogasci, at totius Oengedinae Decanus, et ipse negavit se controversas illas theses unquam vidisse: sed mendacii eum arguit Philippus Galicius provocans ad ejus conscientiam, obtestatusque theses illas Campovasti in Sacrarios prostitisse. Haud secus Barth. Castromurius aequo serius sibi earum copiam a Collegii Decano factam esse conquerebatur.

Erat vero mens Abbatis, ut reliquis capitibus missis omnibus, solum illud de Eucharistia ventilaretur: unde Sacrifici urgere, *hoc* thema in partes vocandum; *hoc* disputandum esse. Prodierant haud ita diu ante Lutheri in Carolostadium scripta bilis plenissima; ea lectitaverant boni viri, et jam se depromtis inde telis fortes viros fore persuadebant. Haud reluctabantur voto Evangelici Sacerdotes, sed ea lege ut reliquae antecedentes propositiones, sibi ut verae ortodoxae Christianae et Catholicae concederentur, et pro talibus agnoscerentur, faterenturque adversarii nihil se in contrarium habere, ob quod illas damnarent. Minus ad Abbatis gustum! qui repostuit: Non deesse quidem sibi, unde illas impugnarent, sed nimium ad id temporis requiri; quod si quid lucri vel mercedis sibi prout Communitatum oratoribus in comitiis sedentibus destinatum esset, aur redundaret, haud invitos se ibi moras tracturos et onus sustentaturos. Super hoc post contentionem haud exiguam

exiguam pronunciatum a Sex Viris fuit: „ut Comander theſium ca-
„ pita recitaret ordine, liberum deinde adverſae parti maneret, quam
„ impugnare, et a qua inchoare luberet: quod et factum eſt, jamque
„ folia Theſium omnibus ſigillatim diſtributa ſunt ab integro.

Adgreditur ergo Abbas adſtruere purgatorium, hoc modo: „ indu-
„ bium eſſe dari bonum, melius, et optimum; et quemadmodum gra-
„ dus eſſent in bono et malo: ita eſſe etiam diſcrimen oportere in
„ praemio, ſiquidem in eam cauſam diceret Chriſtus ipſe Ioh. XIV, *in domo Patris mei manſiones multae ſunt.* Idem per oppoſitionis legem eſſe debere etiam quoad poenas, ſic ut medius detur cruciatus, inter tartarum et poenitentiam: Adpellent eum, ajebat, quocunque vocabulo velint, nec enim de neceſſitate eſſe ut vocetur purgatorium: quamvis ſub hoc nomine ita hucusque nuncupatus ſit. Hoc dicto omnia protulit argumenta, quibus *Roſſenſis* contra Lutherum, pro adſtruendo purgatorio, utitur, quae volentes praeterimus. Caeterum dum gradus illos in bene operando vel proemio afficiendo recenſebat, *adoleſcentem illum* in partes traxit interrogantem Dominum, *quid ſibi ut vitam aeternam adquireret faciendum eſſet*, et cui Dominus reſpondit ut ſibi caveret a furtis, a falſis dicendis teſtimoniis, ſuam addebat paraphraſin *hoc eſſe bonum*, tum vero ſi voluerit eſſe perfectus, vendat quae poſſideret etc. En exclamabat, *hic adhuc melius.* His Abbatis verbis praeſto ſacrificulorum quidam adjunxit: *Ne foenerare etiam, quod etiam eſt prohibitum*, hoc veluti ſcommate procul dubio Curienſes perſtringere volens Comandro Curienſium antiſtiti aſſiſtentes. Sed fuit ex eis qui protinus retorſit. Et num qui majores impudentioresve foeneratores ſunt ipſis Sacrificis, qui mercantes ſingulas miſſas in ſemidrachmam ſive batzenum vendere et diſtrahere conſueverint; at ſi emtorem poenituerit aut piguerit, reſtituenti Miſſam ne teruncium quidem remittunt: Id frumenti et pannorum ſuorum mercatura Curienſes minime faciunt. Non dimittenda haec verba ratus alius ſacrificulus regeſſit: Non ſinere ſe quaeſtum ſuum otiari vel merces ſitu obduci. Sed audivit etiam: Ejus bibliorum codicem craſſiore obſitum eſſe pulvere quam librum adverſariorum apochas et ſyngraphas.

Missis his verborum altercatiunculis, et spiculis, telam resumere tentat Barthol. Castromurius, orsus latine loqui, sed ab aliis vociferantibus: *Tütsch, Tütsch* interruptus: verum his ille non moratus eis germanico ore respondens, *ego latine loqui*, inquit, *didici, id si vos minus intelligere potestis, ita etiam vos et discite.* Tum sublata voce inclamat Comandrum: Domine plebane sancte Martine audite me. Quo dicto in cachinnos solutus est quisque latini labii ignarus non fuit: Mirabantur omnes stupendum hominis supercilium qui Prisciano in ipso limine vehementes impingere alapas non vereretur, et tamen latina tanto fastu creparet. Sed his nullus succensens aut ea propter irritatus, quaedam ex *Stapulensis* commentariis in Matheum protulit, quae ibi consulat qui volet; nec enim ea exscribere est animus, quum in rem meam sufficiat, unde ea sit mutuatus, indicasse.

Vix finem fecerat Castromurius, quum instat Abbas, ut audiatur etiam homo quem apud se habeat nequaquam imperitus. Fuerat ille Monachus professione, qui prope Argentinam egerat, et Curiam veniens ad Comandrum et alios Evangelicae sectae homines haud infensos diverterat, eosque in sancto instituto confirmaverat: At mox relictis his ad Abbatem Sanlucium se contulerat, qui eum nunc rursus cucullo ornatum secum Ilantium ad disputationem duxit. Sed quod aventitio huic concessum esset disputationi interesse, exclusis probatae eruditionis viris, veris Helvetiis, foederisque Sociis a Tigurinis missis, non potuit non Evangelicos male habere, unde et in querelas proruperunt; fuitque super eam rem non nihil altercatum. Inter alios Parochus seu Minister Malanzianus, Hieronymus nomine, *Evangelicorum mensae*, inquit Monacho, *haud satis oppiparae et ad luxum erant; sed ubi ad Sanlucienſem in argenteas pateras, inter quas usque versatur, incidit, magis eae ad palatum fuerunt, ut in quibus forsan plus sapit quam animo.* Ad haec Monachus se mire purgabat et contorquebat; *miros nunc*, inquiebat, *circumferri rumores*, ac periculosa esse tempora propter quae quis identidem cogatur simulare et dissimulare. Sed quum trepidans haec loqueretur peritus ille vir, ex eis verbis plerique suspicabantur in nulla re hunc hominem ingenue et candide versari, maleque sibi esse conscium.

Adgressu.

Adgressurus igitur articulum de Eucharistia dicit Abbas se in horrorem totum conjectum esse, tractaturum de hoc articulo, religioni sibi ducere de Eucharistia agere. Vicarius autem se crucis signo munit, ingemiscens tam indubie in Ecclesia creditum articulum in disputationem trahendum esse: „Sed ne exhorrescito tantopere, inquit Comander, Domine Sanluciensis; sumus enim parati ut vobis intrepide respondeamus.„ Fuerunt protinus qui eminus clamarent, ut quandoquidem articulum de Eucharistia adeo horreret, ad manus acciperetur Articulus de Conjugio Sacerdotum. Sed vero, Domine Iohannes, inquit Vicarius Comandro, nondum me in eas quas velles angustias adiges. Hic D. Iacobus Spenglerus, et ipse vitae instituto Sacrificus, Ilantiensis Signiferi filius in medium prodeuns indicavit se non adeo pridem a Rhaetiae Proceribus propter conjugem a se nuper ductam ad Vicarium relegatum fuisse: hunc autem voluisse sibi absolutionem impertiri, sed per separationem a conjuge, dicendo: *Tollerabile esse, et transire, quod amasiam penes se teneat; minime vero, quod contubernium cum illa habeat;* contubernii voce matrimonium intelligens. Et cum ex illo quaesiviſſet, ecquid esset contubernium ergo? Responderit: tantundem esse atque si cum ipsa matre aut sorore germana vel amita proximo sibi sanguinis vinculo juncta incestuose misceretur: Eflagitabat ergo a Vicario ut evinceret, sacerdotum connubium tam immane esse scelus, cum stupro matris aequiparandum. Ingrata Vicario narratiuncula fuit, nec calculo suo veritati addicere volebat: sed D. Iacobus ad ipsa tormenta se offerebat, obtestans, quae sibi a Vicario dicta essent, verissima esse. Exceperat Rusticus quidam arrectis auribus hujusmodi materiae tractationem, qui etiam commodum existimavit locum, quo et ipse suam qua premebatur necessitatem exponeret. Bonus iste Vir prodeuns querebatur, quod Sacrificulus nescio quis ex familiaritate quam cum uxore sua contraxerit, eam sibi praereptam, totum quadriennium interverteret: petebat ergo divortium ab illa, facultatemque aliam cum libuerit ducendi. Responsum ei fuit ex verbis Domini Math. XIX. *Marito conjugem adulteram habenti, aperte liberum facientis ducendi aliam.* Adjecit Vicarius: et ut liceat viro uxorem ob stuprum repudiare, in nullo tamen Evangelio reperio licere ei aliam ducere.

Interea

Interea Christianus Berreus supradictus de novo prorumpere parabat; id advertit, Comander, et paullo longius adhuc a se remotum stare hominem jussit, quia eum sat bene sit auditurus. Berreus vero: se non posse quidquam cum Comandro agere, ganniebat, qui nullo se responso dignetur. Respondet Comander: Thema se suum de Eucharistia ex S. Scriptura et argumentis confirmaturum, eo absoluto etiam ipsi satisfacturum. Tunc petita creta, Berreus annotando locos pergebat, quos Comander allegabat. Inter annotandum vero ex simulata ignorantia exponentem Comandrum interpellat rogans, quo pacto verba Domini: *hoc est corpus meum*, explicuerit: Impatiens insolentiae concionatorum unus, puto te dormivisse, dixit; Comander vero: Berree Clarissime! num quo pacto illud Domini intelligis: *Iohannes est Helias*? Respondet Berreus in omnem malitiam capturus scil. Comandrum, *illum vere atque substantialiter esse Heliam*. Reponit Comander: Cur ergo Iohannes Pharisaeis, Sacerdotibus, et Levitis se ea de re interrogantibus, negavit se esse Heliam? Stupuit Berreus primum, dejecta magis quam victa pervicacia; mox vero se recolligens: Iohannes, inquit, noluit id honoris quod nempe Helias esset, sibi tribuere. Tam inficeta omnibus visa exceptio est, ut omnes etiam qui hominem subornaverant, riderent: quam proinde nec Comander ullo responso dignatus est.

Oppugnaturus interea articulum de Eucharistia rursum accessit Magister Thomas Tinnetionensis; urgebat iste: Mannam, panem illum in solitudine a Deo populo Israelitico caelitus missum, in Arca foederis pro aegrotantibus servatum fuisse; Non secus panem Eucharisticum hodie in *riscos* reconditum, in templis pro aegrotantibus servari debere. Resp. Comander; nihil hujus in suis bibliis contineri, appositque Magistro, sacrum codicem, ut locum, in quo id scriptum sit, ostendat. *Potest equidem fieri*, replicat D. Magister, *quod ista biblia haec non contineat, habetur tamen in mea.* Vah scientiam tali Magistro dignam et quae Berrei prope eruditionem aequat! Adeo hi homines Magisterii elogio ornabantur, ut annulo aureo nares Porci: etenim simia semper apparet simia, vel si aurea gestet insignia.

Hinc Malanzsiensis Ecclesiastes Vicarium, diu jam pisce magis mutum, ad aliquid etiam dicendum hortaturus, Domine Vicarie, inquit, loquere

loquere etiam ipse nobis aliquid, qui te quoque audire cupimus. Heu Sacrificule respondet ei Vicarius vultu indignabundo: satis in tempore tibi veniam! Sacerdos vero replicabat, tempus nunc esse maxime oportunum. Colorem igitur causae affricaturus Abbas Sanluciensis, in amplum diffusa oratione, sextum Evangelistae Iohannis caput perlustrat usque ad illam Domini sententiam: *Spiritus est qui vivificat, caro non prodest quidquam, &c.* quam eisdem fere exponebat verbis, quibus Lutherus adversus Carolostadium scripserat. Praeteribat Paraphrastes et illa Domini: *quid ergo si videbitis filium hominis eo* ascendentem ubi erat, cum vellicat aurem Comander, et haec verba ex ordine sequi, nec vulgariter ad rem facere. Sed non erat e re Abbatis, indulgere moram oppositionibus. Unde dissimulatis illis, resumpto filo longum de eo quod possibile esset, item de manducatione Spirituali et Sacramentali, texuit sermonem, sensu cassum, et quod nostri probe ex verbis cognoscebant, totum ex Magistro sententiarum, et de Conf. Dist. 2. desumptum. Tropus, inquiebat inter alia, significat inversionem, ut quod post longam tandem investigationem deprehendi, (conversio aut inversio scilicet tantundem valebant huic in literis giganti) et qui eo se exercent, Scripturas invertunt et pervertunt, quam in partem offenderit maxime Zvinglius, atque tum sibi tum aliis illusit. Deinde per quaevis excurrens, servata mordicus sibi orationem prolatandi occasione, sermonem, adusque donec consurgeretur ad coenam, protraxit. Et quum ex omnibus conspicuum esset tum Abbatis propositum actionem abrumpendi, tum ex ejus instigatione Sex Virorum consilium partes ambigentes ultra illum diem non audiendi, nemo ignoravit sermonem haud alium in finem tam in longum ab eo protractum fuisse, quam ut hoc plebis oculis glaucomate objecto, opinio plebi insideret ab Abbatis parte stetisse victoriam. Ubi itaque consurgi undique coeptum esset, et Disputationi finem semel imponi appareret: Comander in haec verba est protestatus. „ Domini honorandi! Dominus Abbas Sanlucienſis do-
„ ctrinae capita controversa XVIII. mea prolixa oratione infectatus est;
„ jamque rediit ad me ordo loquendi, eique respondendi, qui sum Dei
„ favore et auxilio fretus, ad ea defendenda paratus, ut cuicunque
„ hac in parte satisfaciam, et sacrosancta Sacramenta ad veram suam ac
„ nativam institutionem reduci possint. Sed quia necessaria mihi negatur
„ responsio, atque colloquium hoc vel disputatio solvitur, volo hic esse

„ publice poteſtatus et conqueſtus, me ad competentem reſponſionem „ pervenire haud potuiſſe. „ Ibi Diſputatione ſoluta omnes conſurgunt et abeunt. A Coena Comander ordinatos Rhaetorum nomine Sex Viros adit, eosque ut ulterius audiant per Deum obſecrat et obteſtatur; verum fruſtra fuit, quum ei ſit denegatum.

Iam vero expoſita Diſputatione, quam ignorantes ſacrificuli cauſae imbecillitatem prodiderint, et quod emicuerit veritatis robur, ex his minutatim de Authenticis fontibus productis, et neglecto omni orationis lenocinio relatis, cuivis judicare proclive eſt. Ea finita ſeptem miſſifici Sacerdotes, qui theſium ventilationem avide exceperant, renunciatis prioribus ſuperſtitionibus quibus hactenus mordicus adhaeſerant, protinus Evangelico nomini ſe addixerunt d): tantum eluxit Evangelicae cauſae fortitudo! Quare quod his addam nil ſupereſt niſi judicium quod ſuper diſputationis ſucceſſum et acta tulit Sebaſtianus Hoffmeiſterus, qui *'αυτοπτης* illi adſtitit, et Illuſtri viro Ioh. a Waldkirch Scaphuſia gaudio plenus perſcripſit: Id autem hujusmodi eſt: „ Quum ad Diſputationem „ a Sacerdotibus III. Rhaetiae foed. nuper Ilantii ob controverſias in „ cauſa religionis inter eos ut et alibi exortas habitam, una cum per„ docto D. Ioh. Iacobo Ammano ut ei interveniremus, ablegati eſſe„ mus, dicere non poſſum, teſtis eſt mihi Deus, an majori laetitia fue„ rim ſuffuſus, an admiratione perculſus; laetitia, quod daretur videre „ ab Evangelicorum parte tot pios, modeſtos, et doctos Sacerdotes „ ſtare, quantum vix unquam crediturus fuiſſem; rurſus a parte Papi„ ſtarum tot ſenes, ſtupidos, indoctos, et audaces ſacrificos, gerras et „ naenias ſuas adeo crudas protrudentes, ut mirari ſatis non potuerim. „ Excipio Abbatem D. Lucii, cujus mihi perplacuit modeſtia et Eru„ ditio, et utinam is ſuis donis ad divinam veritatem oppugnandam „ non abuteretur, id quod mihi contra ſuam Conſcientiam viſus eſt fa„ cere, quantum (niſi me omnia fallant) ex geſtibus et ex ſermone mihi „ obſervaſſe viſus ſum; licet nullum velim eſſe hac in re meum judi„ cium; quum Deo ille ſtat et cadat. „ Patuit ſane ipſo facto quanto immaniores erant Evangelicorum adverſarii in accuſando et perſequendo, et quanto faciliores in provocando; tanto inferiores eos diſceſſiſſe;

d) Pall. Libr. VI. pag. 68.

fisse; quando in arenam descendendum et pro justitiae causa pugillandum fuit.

CAP. VII.

Nova tentamina Episcopi ad eliminandum Evangelium occasione interpositionis Helvetiorum ad tractationem inter Rhetos et Ioh. Iac. Medigninum. Gallicio intimatum in Oengadina superiore exilium. Castelmurii actio adversus Blasium. Malansii libertas religionis tandem Diplomate stabilita.

Quamvis autem per disputationem pejori jam loco staret Romanensium causa quam unquam, haud tamen eam deserere ratus Episcopus, in omnes occasiones attentus vigilabat, si quam pote nanciscereturaptam ad Evangelii semen ejaculandum, ejusque professores exscindendos. Spem ei quandam facere visa est calamitas inopina quam ipso illo tempore Rhaetorum subditis terris intulerat Ioh. Iac. Medicaeus Castellanus Mussiensis, et per quam Respublica distracta et suspensa, imo et afflicta tenebatur. Debebat invasio illa Medicaei ortum indignationi iraeque Ducis Mediolanensis, et ipsius Caesaris in Rhaetos; eo quod hi minus curata Imperatoris et viciniae utilitate, Gallorum Regi Francisco I. praetensiones suas in quasdam Italiae provincias armis propugnanti et Paviam obsidenti, delectum militum concesserant, quo delectu Francisci exercitus haud leviter auctus, (prout clara tunc temporis Helvetiorum Rhaetorumque fortitudo erat,) arma in Italia cum successu vibrabat: quare communi Caesaris et Ducis Mediolanensis consilio Rhaetis negotium facessere statutum fuit, quo saltem suos e militia Galli revocare teneantur. Istud negotium creandi Rhaetis molestias commissum, in se receperat Ioh. Iac. Medicaeus Dux animi audacis, cuique per similia attentata turbida non una felix piscatio contigerat; namque Castrum Mussium una cum ditione ad Larium bene ampla in peculium obtinuerat, cui caeterum tanta non suppetebat haereditas,

ut condignam natalibus, haud adeo splendidis, vitam ducere potuisset. Hic istud commissi tanto facilius imponi sibi passus est, quod spe forte teneretur ipsa occupata Caesaris favore retinendi et suae ditioni, quum contigua esset, adjiciendi. Ejus interim quidquid fuerit, Medicaeus praevie astu immissis in Castellum Clavennense militibus, prompte cum manu subsequutus, Castrum et oppidum Clavennense uno die cepit, cepissetque sine dubio etiam Telinam Vallem, nisi praesto Ioh. Traversii tunc Capitanei, viri strenui accurrisset fortitudo, qui irruentes hostes celeritate antevertit nec uno praelio fugarit. Notatus et laudibus in Coelum elatus inter eos motus, fuit amor in patriam valorque Bartholomaei Salicaei Archipresbyteri Sondrienſis et Berbennenſis; qui pluribus velitationibus interfuit, et in uno conflictu hostium undecim bipenni armata manu sua peremisse dicitur, non sine summa indignatione et dolore Ioh. Ang. Medicaei fratris Castellani praedicti et t. t. Mazzi Archipresbyteri; cujus postea Papae sub nomine Pii IV. alienum a se animum in competentia pro successione Mitrae Curiensis abunde sensit. Ad hanc Medicaei invasionem concursum ad arma undequaque per Rhaetos fuit; recuperaverantque Rhaeti non sine levi jactura oppidum Clavennense: sed quum ingentibus prorsus dispendiis bellum protraheretur, accedente quorumdam interventione et consilio, Oeniponta recursum est ad Ferdinandum Archiducem rogatum, ut praedonem suis a finibus ire jubeat. Sed non erat e hujus consilio tam celeriter Medicaeum Rhaetorum cervicibus dejectum ad sua amandare: igitur quum Rhaeti interim copias suas e Franciſci exercitu revocassent, et post eorum discessum Galli ingenti clade a Caesarianis affecti fuissent, spem alicujus compositionis Rhaetis fecit Archidux, qui eum in finem inducias utrique parti indixit aliquot mensium, intra quos maturatio quaedam sperabatur, et eo exeunte termino, eundem in alium produxit. Respirium per eas inducias equidem habebant Communitates: sed quum nulla ponendi belli via interim sterneretur, obsessis Medicaei in Castro Clavennenſi victum intercluserunt Rhaetorum Copiae in oppido castra metantes. Intollerandum hoc Medicaeo erat, quum ejus obsessi aut ultro dedere se se, occupata deserere, aut penuria interire cogerentur. Quare vim astutia eludere adgressus est. Ita communi capto cum Mediolanenſi Duce consilio, missis bonae spei pro compositione ad Rhaetos litteris, eorum Legatis ad Ducem Mediolanum ad tractationem, ultro etiam

etiam salvi conductus, quas vocant, credentialibus submissis evocavit; revera autem ut iter facientes interciperet, eorumque captura suis in Castro relaxationem procuraret, id quod ei ad votum successit. Quum enim Rhaeti adhibita blanditiis fide suos Mediolanum delegassent; Legati vero vana spe delusi re infecta redire cogerentur; dum Domum remeaturi prope Castrum Mussium praetervehuntur, illico a Medicaeis Satellitibus omni fide data procul habita comprehensi in vincula conjecti duriterque haberi coepti sunt. Nova jam rerum facies! nec enim citius se Rhaetis Legatos libertati restituturum, quam suos in Castro Rhaeti cibari permitterent, Medicaeus intonabat: Rhaeti vero nulli haec audire volentes, jus gentium, salvi conductus litteras, et sancta Legatorum corpora allegabant, horumque liberationem nulla cum stipulatione contendebant. Ad extrema ventum erat, quum non minus immitem se captivis ostenderet Medicaeus, quam duros se gerebant Rhaeti in obsessos; dumque hi fame tantum non enecabantur, illi se a suis desertos, et hostis immanitati permissos conquerebantur. His ergo componendis Cantones Helvetici operam suam obtulerunt, iisque etiam se adjunxit Episcopus Curiensis. Vix autem Helvetiorum Legati pedem intulerant Rhaetorum finibus, quum Episcopus illis auctor exstitit, ne citius operam tractandi et componendi in se susciperent, quam adstipulationem a Rhaetorum populis extorsissent, cujus vigore haeresi nuntium mitterent, ejusque confessores ferro persequerentur. Hac commendatione Legati haud segniter perfuncti sunt; namque ex eis Richmuot et Heckensteinius in Comitiis trium Ligarum intonuere „se habere a XII. „pagis in comissis, Rhaetos dehortandi a nova haeresi Lutheri et „Zvinglii, qua aliquibus in locis eos infectos scirent: postularunt igitur „ut ea infecti funditus deleantur et extirpentur, et inprimis Comandrum, ut cujus conclusiones scandalum essent orbi, prae caeteris velle „Helvetios ut Rhaeti proscribant ceu omnium errorum Caput: id „vero ni facturi sunt, addebant, nec amicos in posterum se fore, nec „quidquam acturos de pace inter Castel. et Rhaetos. Supra haec „omnia sibi litteras Sigillo munitas extradari postulabant, quas ad Do„minos suos transmitterent, cupidos suae petitionis complementum „audiendi.„ Ancipiti heic periculo graviter se premi senserunt Rhaetorum Proceres. Etenim negata *Rabsacibus* istis petitione, metus erat ne omni illo beneficio destituerentur, quod abs Helvetiorum interposi-

tione et tractatione sperari poterat: Concedere vero et promittere adeo tutum non erat, quum nemo non perspiceret illata conscientiae vi, vinculum jam sustolli confoederationis omniaque turbellis impleri; nec sine sui ruina totali quidquam hujusmodi suscipi posse ad evitandum utrumque scopulum. Prudentiores itaque in eum sensum responderunt, non stare penes se petiti adeo ardui decisionem: sed esse illud omnino ad Communitates devolvendum. Id vero dum faciunt, decernunt et orant, ut Legati Helvetii itinere se dent, et cum Mussienſi de pace aut induciis, prout e re visum fuerit, tractent. Sic profecti quidem illi sunt, et cum eis Abbas D. Lucii pluresque Rhaetorum tractationem utcunque promoventes. Sed de cujus successu Abbas, Litteris ad Rhaetos Clavenna datis, certos reddit, haud alio pede spem compositionis dari a) quam ut quaevis Communitas haereticam, Zvinglianam et Lutheranam fidem abroget et exterminet, stipuleturque auxilium suum Episcopo, consilio et opibus, ubi id opus fuerit; praeterea XI. M. Ducatorum in redemptionem captivorum exsolvantur, praeter alia huc afferi non necessaria. Interim ad consultandum super Religionis punctum Comitia indicta fuere Davosii, eo quod is locus magis idoneus judicaretur violentis Statutis, quam Metropolis Curia, in qua aperte Evangelio favebatur. Sed quum montes nive praegraves aditum negarent, convenire rursum Curiae necesse fuit. In illustri illo consessu urgebant Episcopi fautores et priscae fidei, concedendum in vota Legatorum Helvetiorum esse: Abolenda et eliminanda dogmata nova esse, siquidem absque illorum exterminio nec amissa possint recuperari, nec conjunctio cum Helvetiis staret salva: quo tempore Rhaetos et Castellani saevissimi dirique praedonis, et cujusvis vicini injuriae fore expositos: Tantum valuere metus futurorum et operae Episcopalium, ut hujusmodi cuderetur Senatus consultum: „*Quoad Religionem, observanda esse,* „ *Missam, Sacramenta, cultum matris Dei, et honorandorum sanctorum* „ *paedobaptismum, item confessionem auricularem et caeteros ritus Chri-* „ *stianos; et cum eis etiam praedicandum esse Evangelium et verbum* „ *Dei. Qui vero his non adstipuletur, poena mulctetur quae nobis visa fuerit;*

a) Extant hae litterae hucdum, datae Clavenna 18. Febr. 1526. & subscriptae a Theodoro Abbate D. Lucii, *Hans Mohr Capitanto Fürstenb. Moritz v. Uebersaxen alt Landrichter, et Lienhart Meyer von Schiersch.*

„ *fuerit; reservata tamen meliori informatione, quam edoceri possemus* „ *seu per Disputationes, Concilia, aut aliam viam.* „ Renuebant multi in hujusmodi statutum concedere, et omnium minime urbs Curia, Vallis Rhenana, et Domestica, atque major pars tertii Foederis: verum victi majoribus suffragiis cedere compulsi sunt inviti. Certe adduci nunquam potuit civitas Curia ut sigillum suum, quod idem totius Foederis est, appenderet, quantumvis omnibus technis oratores illud extorquere anniterentur; minarentur quoque vi ablaturos et vexillum et sigillum; nisi circumventus tandem Praefectus quidam ab Episcopolis, (Ianus Andreas nomine) Cathedralis Foederis sigillum appendisset. Eam convulsionem animorum, ubi resciverunt Helvetii, ab Ægidio Tschudio et Abbate machinationis illius capitibus certiores facti, facile successum impetuosae postulationis inter Rhaetos praesagiebant; unde majus ne malum inde sequeretur, major Helvetiorum pars a petitione cruenta et minatoria illa prima destitit; nec de Comandro aliud conquesti sunt Legati, quam advenas ab eo appellatos esse *sanguinarios*, iniquissimo honori suo dicterio, utpote qui nil nisi pacem per omnia quaesiverint: sed Legati Curienses hoc Comandro inique imputatum fortiter et denegarunt et mendacii convicerunt. Quod vero oratoribus inter se ad illius Decreti stabilitionem convenerit et literas sigillatas ea super dederint, id aut ambitu Episcopalium extortum erat, qui omnium vota ancupati erant, aut privato consilio factum, quo promptiorem sibi astringerent Helvetiorum opem; caeterum enim Oratores ad sigillandum ejusmodi Decretum nunquam publica authoritate instructi fuerunt. Hinc postquam *emanatum* in vulgus est, datas et sigillatas contra Evangelium litteras esse, populus mire insanire et furere coepit, et parum abfuit seditio; imo vero (sunt verba Salandronii) si multi non negassent, se se de sigillandis litteris Suffragia non dedisse, vita fuissent privati, aut in eos gravissima mulcta animadversum fuisset. b)

Caete-

b) Salandronius ad Vadian. „ Permitte quaeso rerum omnium Scientiss. et prudentissime vir, me tecum de variis quae nuperrimis diebus apud nos acta sunt, prolixius ac *inconnius* quam par est confabulari ac garrire; nam insperato sic arreptum nuncium iis vel ineptis litteris visum fuit onerare ne perpetuo me tacere accusares, & putasses eum quem nuper nobis commendaras fratrem non fuisse ex tuis hnmaniss. & doctiss. litteris quam commendatissimum. Verum satius

Caeterum quum lippis et tonsoribus notum esset, Medicaeo religionem ne per somnium quidem in mentem venire, verum quae ageret, sola

satius est ille ipse de nobis loquatur, quam ego scribam. Adhuc vigilamus tui causa pro eo, ut si contigerit Missam papisticam missam fieri, radicitus in Ministerium aliquod intrudere possemus: nam quando nobiscum fuit, fieri non potuit, adeo multa monstra aluerant apud nos Helvetiorum Legati affixis Squamis Behemoth hoc aulicis & nobilibus nostrae patriae, quare Tigurum concessit. Audi prudentissime Consul quid tentarint apud nos Rapsaces isti duo: *Richmuot* ex *Fläkenstein* in Comitiis trium Ligarum, plenis buccis minis additis si non obsequeremur, ajebant se in commissis habere a XII. pagis dehortandi ab ista nova haeresi Lutheri et Zvinglii, qua in aliquibus locis nos infectos scirent, quos omnes funditus deleri, & exstirpari peterent, & inprimis nostrum Pastorem, cujus conclusiones Scandalum essent orbi, hunc prae ceteris mandarent — Helvetii e Rhaetia proscribi ut omnium errorum caput, & desuper peterent litteras sigillatas dari, nam eas exspectarent caeteri Helvetii. Quod cum renuerent Rhaeti, se in posterum nec amicos fore, nec quidquam acturos de pace inter Castellanum in Müs & Rhaetos. Verum miraculose responsio impedita, & paucorum Suffragiis obtentum ut ad Communitates negotium devolveretur; interim ipsi equitarent, de pace aut induciis cum Castellano in Müs tractaturi, cum quibus & Abbas S. Lucii subordinatur, Vir nec Helvetiis nec Rhaetis, nec Christo in minimis fibris amicus. Verum sic fieri debet. Induciis impetratis & conclusis & sigillatis peioribus quam Rhaeti soli impetrassent, videlicet ut sic imponere vulgo possent impii. Ecce hoc impetrarunt, hoc fecerunt. Cur nos contrariae vellemus, cur non in omnibus obaudiremus Helvetiis? Et dum erant in via litteris longis, fraudulentis, blandis, & mellitis ex Klaesen scriptis convocarunt Comitia ad Davaus locum idoneum pro impiis. Verum & in hoc frustrati; nam montes nive tam plurima onerati transscendi non poterant; quare iterum in nostra Churia Comitia celebrantur. Interim Helvetii certiores facti cujus animi essent, major pars destiterunt a petitione cruenta & minatoria illa prima sic instructi & admoniti per ludo: *Tschudin* & Abbatem, (hic dictum hoc sit) hujus machinationis capita. Nec de nostro Pastore aliud conquesti, quam esse advenas nominatos sanguinarios. Quod ut mendacium nostri Oratores fortier convicerunt & excusarunt, petentes de Baptismate, &c. ut sequitur mox & aliis litteras sigillatas dari. Verum de litteris sigillatis dandis nunquam mentio facta a quoquam in Concionibus, quare populus mire insanit & furit, nec parum abfuit seditio, eo quod pro fide Helvetica & contra Evangelium, litterae ipso inscio datae sint & mendaciis publicis impetratae. Nam & hoc manifestum factum est, vix VII. pagorum Helveticorum mentem fuisse, hoc sic a nobis petere. Deus O. M. sua gratia & sapientia omnia moderetur, nam si multi non denegassent se se de sigillandis litteris Suffragia non dedisse, vita fuissent privati, aut in eos gravissima mulcta animadversum fuisset. Curia, Rhinvald, Domlaesch, & major pars octo judiciorum *der acht Grichten* noluerunt consentire: verum victi maioribus

sola infestandi et adquirendi libidine fieri, nemini non indignus videbatur Episcopi impetus per hanc occasionem domestica omnia turbandi.

ribus Suffragiis cedere compulsi sunt inviti. Tamen appendere Sigillum civitas nostra, ut caput illorum de Casa Dei, noluit: verum Epistolis quidam Praefectus Janus Andreas nomine illorum de Domo Dei Sigillum appendit, et quamvis minarentur a nobis rapere et Vexillum et Sigillum, adhuc noluimus: quanquam mirificis technis a Senatoribus circumventi; at non capti nec victi qui Christi erant. Proh quot falsos fratres in hoc negotio expertus! Confortet et corda vestra Dominus ne ab aratro respiciatis, cum in has angustias (ut publice minantur quidam) deveneritis.

Articulus in negotio fidei Helvet. Sigillatus, is est. *Zu dem andären, des Globs halben, so wöllen Wir in unsern Landen allenthalben die Mäss, die Sacramenten, Eerung der Muter Gotz und der lieben Hailigen, darzu den Kinder Toff, die Bycht, und ander Christentlich Wäsen bruchen und halten. Auch das hailig Evangelium und Wort Gottes predigen, und verkündigen lassen. Welicher oder Welcher aber sollichem nit globen und nachkommen welltend, diesälben wöllend Wir straffen, wie sich zimt und gepürt, doch hierinnen vorbehalten ob Wir aines anderen und bessären bericht und underwiesen wärden möchtend, es wäre durch ein Disputation, Concilia, oder andere Wäg, wie sich das fügte, dasselbig anzenemmen.*

Uff das ist ain Gericht besezt zu Mayenfeld über die Toffär von 18. Man, und von LX. Hüter, hand all all widerrüfft, und ir Irrung bekandt, und ist nit mer dan ainer ans sail geschlagen. Je Hobtman wollt allweg en dusend tod liden, ist gestrafft um C. und XX. kronen; die anderen unglich C. oder LX. gl. oder XX. kronen, XV. kronen &c. Wolff Ulimann hat die pestilenz gshaiden, sust wär er gricht worden. Im sind die III. Pündt verbotten; ist wohl die sag gsin, die Pfaffen 80. nit Mäss wellend hem, och vor Rechten hom gwellt stellen, doch allain der von Mallans beschick, aber nit gstrafft, noch Im nütz verbotten, sunder ghaissen vor dem nächsten Tag zu erscheinen, und ursach sagen warum. Gott kehre es och zu dem besten.

Et ut tandem omnia impia habeas prudentiss. Consul, lege et hic Chirograph. quem dare coguntur Vicario ex Examinatoribus ordinandi, prius tamen oportet verbo abjurare Lutheri et Zvinglii dogmata et libros ut haeretica:
» Ego N. de N. Clericus Curiensis in majores ordines ordinandus abrenuncio
» omni haeresi hactenus per quoscunque tum veteres tum recentiores in San-
» ctam Ecclesiae Christi fidem introductae. Promirto bona fide hoc meo chi-
» rografo me perpetuis futuris temporibus cum Sancta Ecclesia catholica in
» omni-

di. Potius in id consilia a prudentioribus dirigebantur, quo pacto Episcopus intra officii sui cancellos coerceri, Legati captivi duris vinculis eximi, amissa recuperari, et perpetua quaedam inter se concives confoederatosque concordia stabiliri queat. c) Ei fini dimissis libere

„ omnibus et per omnia sensurum, honeste, sobrieque, ac quemadmodum decet
„ probum Sacerdotem tum victu tum amictu vixurum, Antistitique meo, ac ab
„ eo delegatis Magistratibus in omnibus licitis et honestis obediturum. Hac
„ quidem lege, ut si huic meae promissioni contravenero quocunque pacto fuco
„ vel colore, convictus ac manifestus censeatur haereticus, haeresesque poenae
„ subjectus. Datum An. 1526. „

Ecce Theologicum et Berreanum latinum cum participiis suis.

c) Salandron. ad Vadian. Hodie Decanus cathedralis Ecclesiae obiit, vir mire contra Christum dum in vivis fuit belligerans, amicus Otmari Lieb. Subordinarunt Articulos suos Communitates Patriae, quos confirmari petiturae sunt in proximis Comitiis, et inprimis volunt Episcopo et omnibus religiosis adimi omnem potestatem secularem, et omnes officiales Ecclesiasticorum volunt e Senatu ponere. Veterem Episcopum habere nolunt amplius, ut qui in periculis Rhetiae abfuit, nunc perpetuo absit, nec alius eligatur nisi Rhaetus, et Episcopum agat Christianum, non gentilem, aut Principem. Quid eventurum sit Deus scit. Quae resciero ad te, si voles, et gratum tibi esse intellexero, dabo.

Castrum Maasax solo aequabitur, et omnes aliae munitiones Rhaetiae, a quibus pericula aut proditiones timenda suspicantur. Hoc pessime habet Helvetios, et nunc fama est eos cum Castellano in *Müss* convenire, laborareque ut in manus et potestatem eorum deveniamus: sed nihil certi. Tu si quid certi audieris per Christum admone.

Coniice tu virorum sapientiss. quae prae se habeant Urani, qui per tres nostras Ligas, nuncios miserunt ad sciscitandum de rumore veteri, et nuper a quodam (sic conqueruntur) Tigurino renovato, scilicet an vetus Liga nostra, *der Oberbundt*, cum caeteris Uranos vexillo justo bello exuerint et quondam sic vicerint, ut posthac semper coacti sint suum Urum depingere circulo in naso imposito in signum suae deditionis. *Soll es wahr syn, begarends sy darvon uff offentlichem Tag Frag zehalten. Ob es aber nit erfunden wurd, begarends sy des och Brieff und Sigäll.* Esto Tu hac in re Oedipus.

Paro-

libere Medicaei ex Arce Clavennenſi hominibus, ſuos Legatos exſolutione XI. m. Ducatorum redemerunt, compoſitionem etiam belli, opera Claudii Ducis Guiſii facile obtinuerunt: d) qua facta Caſtella omnia tum in Rhaetia tum in ſubditis terris dirui curarunt, ne quid horum praedonibus ſubterfugio eſſe poſſit; e) animis ſenſim ſe praeparanti-

Parochus propediem reſpondet tuis litteris, quibus mirifice confortatus eſt et gaudio affectus, nunc ſalutem et pacem in Chriſto Jeſu peroptat, cujus gloriam et veritatem Tibi unice cordi eſſe peroptat, eamque, ut potes et debes, officio tuo, honore, et auctoritate a Deo tibi tradita promoveas, cui te ex corde commendo. Salvos eſſe cupio omnes fratres, inprimis Joannem Vogler coadjutorem, et *N. Keſslär*. Tu virorum amantiſſime has litteras *aequi bonique conſide*, dulces et elegantes ad te alius ſcribere poteſt. Ego ſatis fecero, ſi tibi quam ſitiens ſim veritatis et libertatis quomodocunque monſtravero. Excuſet me temeritatis et ineptiae pietas in Deum et erga te ſincerus et candidus amor. Feſtinantiſſimo calamo ita ut relegere non quiverim. Altera poſt laetare inter ſtrepitus puerorum. Anno 1526.

Tuus congerro Salandronius Jacobus.

d) Sprech. Pall. lib. IV. pag. 128.

e) Mendacium proinde eſt Bucelini impudentiſſimum ſcribentis, caſtra nobiliſſima quaevis in Valletelina et Com. Clavennae de Groſio, S. Fauſtini et alia, juſſu trium Foederum *diruta fuiſſe ſub titulo omnimodae libertatis, quam nova dogmata populo pollicita ſint.* pag. 331. Bone Deus! Quid religioni Evangelicae unquam fuit cum caſtellis, quae diruere ſuaſit publica ſecuritas? Erat caeterum Raetia ab olim arcibus et caſtris refertiſſima, quorum alia Hetruſcis primis, ex opulentia exſtructa, alia a nobilioribus diverſo tempore, alia ab Epiſcopis exaedificata fuerant. Ex illis collapſa erant plura, ſed longe plurima hoc anno dejecta et diruta ſunt. Lubet vero omnium arcium et caſtrorum nomina quae quidem aut collapſa aut illo tempore everſa ſunt, ſecundum Conventuum, in quibus ſita ſunt, ſitum et ordinem heic adponere.

In Foedere Gryſaeo.

Supra Sylvam. In Conventu.

Deſertino.
1 Brulſum.
2 Rigiſium.
3 Putmenga.
4 Creſtazia.
5 Freyberga.

In Vurtiano
6 Alto-Balconum.
7 Pinkenberga.
8 Mons S. Georg.
9 Vogelsberga.
10 Grünfels.
11 Kropfenſteina.
12 Fridberga.
13 Schlans.

In

bus etiam ad Episcopi furorem coercendum, et concordiam inter cives suos firmandam.

Attentio

In
Supra Sax. 14 Moreck.
15 Saxenstein.
16 Heidenberg.
17 Schwarzenstein.
18 Langenberg.
In Leguntinae. 19 Lombarenum.
20 Supta Castrum.
21 Blumenthal.
21 Solverum.
22 Castelberga.
In Foveano. Leuensteina.
24 Grüenek.
25 Brunek.
26 Vallendaunum.
27 Castrisum.
28 Engelberg.
29 Scheidberg.
30 Fronsberg.
31 Montalta.
32 Amazia.
In Slevenian. Leuenberg.
34 Spilberg.
35 Vildenberg.
In Flemiens Bellmonium.
— — *Alto-Trinium.*
38 Bovisia.
39 Richenovia.
In Rhetiensi 40 Raetium stat.
41 Vackenovia.
42 Amades.
43 Fagonium.

Infra Sylvam.
In Valle domest. Tagstein superius,
45 Tagstein inferius, adhuc stat.
46 Montera.
47 Schauenstein.
48 Raetia ima.
49 Heinzeberga.

In Sexamn. 50 Haselstein.
51 Bernburgum.
52 Fardinum.
53 Rinkenstein.
54 Vergestein.
55 Oberstein.
In Valle Rheni 56 Speluca.
In Mesauc. 57 Misaucum.
58 St. Lucium.
59 Calancha.

In Foedere Cathedrali.
Curia. Marsola et Spinola in sedem Episcopalem cesserunt.
61 Planterra est vrbis emporium.
IV. pag. Marschlins in splendidam habitationem conversum.
Aspermont.
64 Fridnovia.
65 Früeaus.
66 Faklastein.
67 Trimontium.
68 Aspermontum Superius.
69 Rappenstein.
70 Neuenburg.
Ortensteina 71 Ortensteina adhuc habitatur.
72 ima et ⌈
73 alta ⌊Juvalta.
74 Casa nova.
75 Altensins.
76 Cerantium.
77 Ehrenfelsa.
78 Baldensteina stat.
79 Campbellum.
80 Almenium.
81 Hasensprunga.
82 Bietberga stat.
83 Rhaetiumaltum.

Vatium:

Attentio ad hujusmodi medium excogitandum tanto magis necessaria comparebat, quod fulmina in Evangelicos Sacerdotes vibrari non desisteretur; quae res non nisi acerbationem, et motus ciere poterat. Notandus hic imber venit, quem ejusmodi turgida nubes in Philippum

 Galli-

Vatium: Nivallum.
85 Grüphensteina.
Supra Sax. 86 Marmorea.
87 Raetia ampla.
88 Rauschenberg.
89 Imum Castrum.
Praegallia 90 Muri.
91 Vicosupranum.
Oengadina 92 Castromurum.
93 Guardavallum.
94 Ardetium.
95 Ortueina.
96 Serviezelium.
97 Schroffenstein.
98 Rychenstein.
99 Rychenberg.
100 Churberg.
101 Fürstenburgum, Episcopi peculium adhuc stat.
Peſclav. 102 Olzatium.
103 Motta de Pedenale.
In Foedere tertio.
Coenob 104 Sontium.
Caſtels. 105 Castellum, habitatio Praefecti Austriaci adhuc Sup. Sec. fuit.
106 Stadionum.
107 Valeria.
108 Straleck.
Acerium 109 Montaccia.
110 Solaversa.
111 Castellonum.
Dominium 112 Fragsteina.
Majaev. 113 Ruchenberg inferior.
114 Klingenhorn.
115 Veineck.
116 Aspermonzium.
117 Graffenberg.

Bellfort 118 Bellfortium.
Corvandii 119 Strasberg.
Scanavic 120 Bernegg.
121 Summerovia.
122 Undervega.

In Valletelina. In Tertiario,

Tirani 123 Castrum Homodeorum.
124 Castrum de Grosio.
125 ——— de S. Faustino. ibid.
126 Bedenale Mazzi.
127 Bellaguarda in Tovo.
128 Castrum Capitaneos in Stazzona.
Tilii 129 Tilium.
130 Ripa.
131 Carona.
Sondrii 132 Castrum Capitaneorum in Caspoggio.
133 Satium.
134 Trixivium.
135 Pendolasca.
136 Grumellum.
137 Mancapane.
138 Rocca Scissa.
139 Mingiardinum.
Morbennae 140 Turzatia.
141 Otonia.
Trahonae 142 Castrum Capitaneorum.
143 Arx St. Lucii.
144 Arx Dalii.
Clavennae 145 Arx Clavenn.
146 St. Andreae.
147 Piperellum.
148 Fraziticum.
Plurii 149 Scilani. &c. &c.

Gallitium sub hoc tempus effudit. Hic Anno MDXXIV. quum Camogasci (vico Superioris Oengadinae) Matris suae patria, Sacellanum ageret, paucis post mens'bus quam primam celebraverat Missam, pauca quaedam nec nisi laevicula, tollerabiliaque Pontificiae religioni adversa, de pretio et merito passionis Christi, de vera in Christum fide et ejus efficacia, atque de vere bonis operibus, et privatim insinuaverat et publice loquutus erat; licet nihil adhuc aperte damnasset, sed ne quidem perstrinxisset, et multo minus vel in Missam vel alias ejus ceremonias invectus esset, veritus nempe qua erat perspicacia et moderatione, ne veritas in ipso ortu suffocaretur; verum simplicem assertionem tantum adstruendo persuadere tentasset. Id ubi Sacrificuli vicini praecipue IOANNES BVRSELLA, totius tum Oengadinae Decanus Camogasci, IO. BAPT. SALICEVS Zuzii, atque IODOCVS RASERIVS Scantii parochi, caeterique subolfecerunt prospicientes et sentientes hominem plura majoraque animo fovere, quae tandem esset in populum eructaturus, eum odio plus quam vatiniano prosequi, maledictis palam et occulte ceu haereticum hominumque pernicioſissimum infectari non destiterunt. Isti videntes maledictis parum promoveri, auctores Senatui superioris Oengadinae fuerunt, ut Anno MDXXVI, Idibus Martiis in Gallitium Zuzii a Magistratu, omnibus nempe Iurisdictionibus Proceribus, juridica sententia lata fuerit; „ vt qua ipse ceu „ homo Erroneus, et ideo pernicioſus Sacerdos a terra totius Oenga- „ dinae ita relegatus sit, ut qui deprehenderetur illi vel obolum de- „ disse, mulctae centum florenorum absque ulla gratiae spe subjiciatur. „ Ita quidem pronunciatum jam judicium erat, quum coram confessu stans Gallicius clamabat se paratum esse ad dandam doctrinae suae rationem, vt qui nulla dixerit, quae non ex sacra scriptura, ex vetustissimis et olim impressis ipsorum sacrificorum bibliis petita sint, et demonstranda offerantur: decere illos qui se tam atrociter accusaverint, et Magistratum ad sententiam tam immanem permoverint, adesse, ac erroris convincerent; non modo enim si id sibi officii praestent, ab errore desistere sponte paratum, sed gratum quoque futurum. Prodierunt quidem i'li; verum se nihil contra ipsum publice agere velle, responderunt: erant spectatores plures mille, intenti in Sacrificulos, exspectantes eos in arenam, cum Gallicio descensuros, et congressuros: sed hi *agant*, ajebant, *quibus id commissum est.* Tanta igitur rei indignitate commotus Camo-

Camogaſcenſis quidam Martinus Adamus nomine, vir vehemens, et terrificus (nepos aut pronepos ejus qui ultimum Guardavalli tyrannum, qui parentes ipſos ad filias, et uxores ei adducendas, ut eas conſtupraret, cogere ſolitus erat, adducta in ſpeciem filia peremerat) at Philipo ſanguine junctus, et ab eo una cum plurimis aliis ſtans, licet ab Evangelica fide alienus, in judicii conſpectum prodiens inquit: *Sunt mihi non plures ſex cruciatis; eos dabo aedituo ut campanas pulſet pro ſalute, et anima juſtitiae quae mortua eſt.* Stupuit et Coetus, et Conſeſſus, virum tamen non mulctarunt. Philippus autem, mox diebus vix decem et octo, quam relegatus fuerat, elapſis, quum hic agendi modus paſſim improbaretur, ruſſus ab exilio revocatus eſt, et ſententia a Magiſtratu, ut cujus eum pigeret, ceu praecipitanter nimis in ſolam Sacrificulorum, qui ſane plurimum in jurisdictione valebant, gratiam pronunciatam, Summadoeni abolita fuit. Factum id Summadoeni PARCIPHALO PLANTA Praetore, qui illum accuſaverat, non modo praeſente, ſed etiam annuente, nec quidquam reclamante. f) Hujusmodi certamina ille brevi poſt in inferiore Oengadina non ſemel et in aliis Rhaetiae partibus ſuſtinuit; quae mature hunc Chriſti militem exercitabant, ut inde mox fortiſſimus in arena veteranus evaſerit.

Hoc eodem anno, haud diu ante Paſcha, BARTHOL. CASTROMVRIVS Protonotarius Apoſtolicus, et Curienſis Decanus, etiam BLASIVM, Sacerdotem Malanſianum, graviter coram Rhaetiae Senatu incuſavit, quod ejus inſtinctu Miſſa MALANSII abolita, et imagines exturbatae ſint, ſitque Faliſiano Praecone non minus perniciouſus; atque facile obtinuit Caſtelmurius concluſum: *ut ad imminens Paſcha Blaſius aut Miſſam habeat, aut ſolum vertat.* Verum elegit Blaſius poſterius, ne quae auditoribus ſuis moleſtia naſci poſſet, g) et videtur ad interim Tigurum receſſiſſe Chriſti exſul: et mox vero deferveſcente furore ad gregem ſuum rediiſſe: quo tempore paulo mitiores reperiens judices reviſionem lati in ſe judicii juſto durioris impetravit,

f) Campell. Hiſt. Tom. II. Cap. I. vide litteras Salandron ad Vad. inf. cap. VIII. Lit. c) et ejusd. ad Zvingl. hoc cap. aſteriſco 1).

g) Salandr. fer. paſch. ap. Hott. Tom. III, p. 288.

vit, ut qui quid quaestionis contra eum movere voluerint, appareant apud judices constitutos Majaevillae, (illos sine dubio, quos ad cognoscendam Anabaptistarum causam delegatos fuisse supra observavimus) et jam aliorum non suis expensis, et gratia ordinatos, quo vero sperabatur in adversum neminem compariturum, prout reapse nemo comparuit. Unde totus laetus, certum facit Zvinglium Salzmanus h), „ Blasium feriis Pentecostalibus, non minore quam antea fervore Ma„ lansii Evangelium praedicare.„ i) Scil. talibus de exemplis sapere debe-

h) Salandron ad Zvingl. 15. Maji 1526. Pax Domini Paucis scribo ad de doctissime mi Ulrice nam magna et plura nobiscum egit Dominus in proxima Dieta in Davaas, quae omnia tibi singulatim referre nuncius ille potest. Blasius frater noster, qui non satis fidem, pietatem, et humanitatem vestram apud nos extollere potest, tandem jus impetravit, ita ut si qui quid quaestionis contra eum movere voluerint, appareant apud iudices constitutos in Majafeld, et jam aliorum non suis expensis et gratia ordinatos. Speramus tamen neminem apparituram, aut apparuisse. Nam ista hebdomada dicta est ad audiendum. Philippo (hic est Gallicius) officium praedicandi et Patria adempta. Iterum adjudicatum a tota Liga vt neminem ad Thermas Diocletianas (Bada intelligitur) mittant: ob hoc insaniunt Paptistae. Verbum Dei magni atque magis incrementum apud nos habet, et amorem. Christi res jam jam omnino tuta in omnibus. Proximum Cacabus cum sua fece succubuit; det Deus diu jaceant victi. Nos sedulo monemus fratres ut in Spiritu orent Patrem, ne quid sinistri aut fraudis contingat Oecolampadio et Berchtodo (Hallero Bernensi Ecclesiastae) quos futurae Disputationi, Badensi adesse audimus. Velit Christus sua gratia piissimis mentibus adesse sua virtute, ut cum gloria verbi sui redeant. Amen. Salutant te Comander, Lucius, et caeteri fratres si quid editurus est Sebastianus contra Cacabum, aut Scurram Christi Christianum Berre fac sciam, nam sunt apud me multa quae ad rem facerent, quae transmittam: Vale et vice in Christo Jesu, doctissime Ulrice, et fratres omnes nostro nomine salutato. 15. Maji 1526.

Salandronius, mpr.

i) Salandr. ad Zvingl. Ao. 1526. *Der Abbt wollt einen Frömden der neülich ankommen war, zum Schulmeister und Consistorii Procurator machen — dieser fieng an graece et hebraice lesen, stand Im warlich nit also übel an, als Wir uns daruff verstunden. Doch ward er gleich müd. — Man kante bald ihren protheum und nugigerulum. Er ist ein Schwatzman.* Vita et doctrina impiissime est, *so das Ihn der Abbt selbst zu letst urlob gab, bis erst kürzlich hat er die lectur zu Tübingen überkummen. . . . . Der Joannes Brüstli wird des Abbts Schulmeister — er sagt mir wie Faber den Abbt treffentlich gerümt hab, und gesterkt das er einen so tapfern Widerstand thüge der nüwen ketzerey.*

bant Evangelii praecones nil disputationibus hic profici: et ni expilationes, confiscationes, calamitates quasvis cum exsilio subire velint, nuncium mittendum Evangelii novae doctrinae esse, et prisco mori se conformandum.

Vbi tempus adfuit accipiendae rationis eorum, quae in publica Disputatione Ilantii agitata erant, ex iis, quae deputati Praesides, tum de ipsius actionis successu, tum de disceptantium habilitate retulerunt, Optimates Rhaetorum ex paucis illis, quae acta erant, longius prospicientes, omnium minime modum probarunt, quo cum Evangelicis agi initium datum esset. k) Erant eo aevo in Optimatum numero plures magna prudentia integritate et fortitudine viri, et inter caeteros in Foedere Cathedrali Illustris ille IOHANNES TRAVERSIVS, Zuzienſis, et PETRVS ENTZIONIVS Ardeatienſis, Oengadini; FRIDERICVS GERSTERVS, et LVCIVS HEIMIVS Curienſis Civitatis Consules; NICOL. CORNVS a CASTROMVRO; DIETEGANVS a SALICIBVS, et HERCVLES a SALICIBVS, junior, licet Praegalienſes: In superiore vero WOLFIVS a CAPAVLIS, Flemenſis; MARTINVS CABALZARVS, Leguntinus; et --- GEORGIVS Spelucenſis ad Rhenum posteriorem: In tertio denique PAV-

rey. . . . . Ich schik dir hie ain Briefli die hat Jacob Jonas ainist min Schuler hie z' Chur mir zugshriben vergangne Fasten ain Jahr, aus sein Herbärg, da er vernam wie Ich nit mee Schulmeister was der stifft. Als mich ducht ist er kum über die rudimenta in linguis, *aber überaus* expeditae linguae; in litteris et rebus Sacris *nit aines Hällers wärth. So er denn Mann worden ist, will Ich wyter nachfrayen. Ich glob er wärd ein Ehr zu Baden einlegen wie Christianus Berze zu Flantz. Hüt acht tag hat Castelmur im Tumleshg zu Katz geprediget so unghür und schandlich, das es ist ausgshsiben, das er ins Rächt ist kommen mit ganzen Tunleshg. Das wird ain hüpschen Handel geben— uff zinstag morgen. In den Pfinostfyrtagen hat Blasi zu Melans prediget vast als vor je: Warum uff dem Rächten ist niemand wider Ihn erschinen. Es stath noch wohl. Gott der hälff synen Wort. Ao.* 1726.

Dir gantz ergebner:

Jack. Saltzmann.

k) v. Salandron. ad Vadian. die Pasch. 1526.

PAVLVS BVOLIVS, CASPARVS MVTNERVS, PETRVS MYLLERVS, et IOANNES GVLERVS, quamvis aetate adhuc juvenis Davoſienſes, denique BARTHOLOM. EVGENIVS, Coenobienſis, Rhaetionici pagi; ex quibus plures in Communione Rom. Eccl. multos annos vixerunt, multo Zelo ejus commoda promoverunt, et in ea denique vitam clauſerunt: hi inquam cum caeteris animum applicandum ad media cenſuerunt, per quae pax domeſtica ſtabiliri, violentiis, et injuriis anteverti poſſit, ſicque ſuus juſtitiae curſus conſtet. Accomodatior vero alia ei fini conſequendo reperta non fuit via, quam ſancita utriusque religionis Libertate, et utriusque ſuſcepto patrocinio. In eam ergo faciles omnes conceſſerunt Sententiam, et repoſitam jam inter fundamentalia Reip. ſtatuta publico Diplomate legem promulgarunt, cujus tenore: „ Singulis utriusque ſexus, et cujuscunque conditionis, et ordinis hominibus, intra foederatorum Rhaetorum fines incolentibus, liberum ſtet ex his duabus Romana et Evangelica religionibus utram quis velit, aut ſpiritus boni inſtinctu admoneretur, eligere, amplecti, et profiteri religionem; adnexo ſevero interdicto, ne quis alterutrius dictarum religionum quenquam adverſae partis, religionis nomine, neque publice, neque privatim odioſius inſectetur, vel ullo contumeliae aut probri genere (prout hactenus a numeroſiore parte factitatum erat) afficiat, ſub ſancita arbitraria poena, contravenientibus irroganda. Ad haec Lex etiam antea edicta, qua religionis Antiſtites jubebantur, haud etiam populis proponere doctrinam, quam quae a S. Scriptura V. et N. Teſt. edocebatur, et ex ea comprobanda erat, confirmata, et inſtaurata fuit; fuitque Eccleſiarum Parochis de novo indictum, ut ſtudio unicae hujus fidei, et vitae normae, S. Script. diligentem operam navarent. Quod vero ad Annabaptiſticam, aut alias cujuscunque generis, vel nominis ſectas, ſunt, illae ſimul, ſemelque pro ſemper, eodem Decreto interdictae, exſilio iis ſine diſcrimine indicto, qui lege inſuper habita, poſt idoneam Erroris confutationem et fidelem ſedulamque adhibitam informationem, errorem praefracte retinere, vel malitioſe etiam aliis affricare praeſumpſerint. „

Statim ſucceſſus comprobavit, quantum ad felicitatem totius gentis contulerit bimembris decreti ſevera, et ſtricta *tutatio*, et quantum fuerit

fuerit per illud publicae paci consultum. Nam dum antea magnum imminebat publicae rei periculum, si (ut coeperant) Romanenses conviciis Evangelicos continuo lacessere, eorumque Ministros calamitatibus, et exsiliis male mulctare perrexissent, quippe metuendum erat ne in furorem laesa patientia degeneraret; nunc odiis positis, omnes mutuo se ferre, tranquille inter se vivere, moderationi studere, et fraterne sua procul habito omni de ea ratione partium studio, tractare coeperunt. Imo vero ea mox concordia inter partes coaluit, vt in morem iverit, quod Romanenses nostros, et Evangelici vicissim illos pro testibus ad S. Baptismum adhiberent; id quod nec ipse quidem Curiensis Episcopus identidem rogatus, (quod mirere) facere non gravabatur. l) Sic unus dies amissam Concordiam recuperavit simul, et Conscientiae libertatem dedit, et Evangelio portam aperuit.

Posito semel fundamento, progressi illustrissimi Proceres sunt ad formationem quarumdam aliarum constitutionum ad internam status tranquilitatis conservationem, communem utilitatem, et abusuum quorumdam abrogationem directarum. Atque heic ordo facile tetigit Episcopum Curiensem, qui ea aetate erat PAVLLVS ZIEGLERVS a Ziegelberg, Dominus Barri, Bavarus natione, et frater Nicol. Ziegleri, qui Imp. Maximiliani a Secretis erat. Multipliciter hic autoritate sua, qua inter Rhaetos pollebat, per illorum temporum motus abusus fuerat; multa etiam perfide egerat; unde et dudum antea integrum Helvetiorum corpus Rhaetos monuerat, et ab his petierat, ne dicto Episcopo, quem sibi male faventem ex propriis literis comperissent, vel ejus Vicario in Comitiis publicis, quum de rebus Helvetios spectantibus consultatio ageretur, sedem, aut suffragium ullum concederent. m) Erat autem Episcopo in Reip. regimine pars haud exigua. Penes Episcopum erat, Zuzienſem superioris Oengadinae Praetorem a populis seu Communitatibus designatum approbandi; Praefectos vero Suprasaxeum et Fürstenovienſem etiam designandi, praeter aliarum quoque jurisdictionum Cathedralis Foederis quarundam, judices seu Landamannos

l) Gallic. 17. Octobr. 1551. ad Bull. adduc. infer. lib. II. cap. 3.

m) *Absch.* Luc. 10. Apr. 1522. ap. Hotting. pag. 76.

confirmandi. Praeterea illius officiales Miniſtri, videlicet Fürſtenburgenſis et Eremuſianus Caſtellani; Supraſaxenſis et Fürſtenovianus Praefecti ſeu Praeſides; una cum Architriclino (*Hoffmeiſter*) in omnibus Rhaetorum Comitiis una cum Communitatum oratoribus perinde Senatores ſedebant. In more quoque hactenus fuerat, vt promiſcue ex Canonicorum numero eligeretur Epiſcopus, nulla rationis habita ratione, ſive Raetus fuerit ſive Germanus ſive extraneus quivis. Inde vero tum Collegio Canonicorum, tum Reipublicae non parum detrimenti accedebat, eo quod extranei facile Raetorum commoda negligebant, et plerumque in Epiſcopatus bonis prodigendis, et in ſuos erogandis liberales erant. Saepius quoque, quando inter Raetos, et extraneorum aliquem, quaepiam contentio intercedebat, non ſemper tutum erat in Epiſcopalium praeſentia de re agitanda conſilia miſcere; obſervatum enim fuerat, vel minimo adverſario prodi, cui vel ob nationem vel relationem aliam, cum Epiſcopo quaepiam intercedebat conjunctio. Alia quoque levioris momenti erant, Oeconomiam publicam concernentia, quae limam poſcebant. Optimates itaque et populi Raetorum, moniti Helvetiorum memores, tranquillitati ſuae ſepem circumducturi, et utilitatem Status promoturi, Septimo Kal. Quinctiles dicti Anni MDXXVI. Statuta numero XX. ſanciverunt, omnium juramentis ſacrata: ex quibus quae Epiſcopum, aut Sacerdotes ſpectant, heic repreſentamus.

Primum quidem „ quod a nobis grandis et ineuitabilis poſtulat „ neceſſitas, ſancivimus ne intra noſtram III. Foederum ditionem, „ poſthac penes ullum Curienſem Epiſcopum, aut ullam aliam perſo„ nam ordinis Eccleſiaſtici, ſit ſecularium Magiſtratuum, ſive is Praeſes, „ Praefectusve, Judex, appellatur, aut quicunque denique Magiſtratus „ ſit, in noſtri Jurisdictionibus creatio et deſignatio: verum poteſtas „ creandi Magiſtratus eſto penes cujusque loci Senatum, Jurisdictio„ nem, S. Conventum, totumque populum, quando tempus aut res „ efflagitaverit; illi poterunt honeſtos, idoneosque viros ſibi in Judices „ praeficere. Sancimus etiam, ne ulli Epiſcopi Miniſteriales, quamdiu „ ejus functionibus aut officiis deſerviunt, ad ulla Comitia, aut alios „ conſeſſus, in quibus de publica re agitatur, amplius admittantur. „

Sic

Sic ad hujus articuli tenorem primum hoc anno Praetor Superioris Oengadinae ex Zuzienſibus deligi ſolitus, in publico Jurisdictionis conventu Samadaenae celebrato citra Epiſcopi approbationem conſtitutus fuit PETRVS TRAVERSVS, Simonis Traverſii filius, Traverſiorum Joannis et Antonii nempe inter ſe patruelium et ipſe patruelis, vir eruditione et prudentia rerum uſu adquiſita praeſtans: quo pede Magiſtratus electio in hunc usque diem continuatur.

Quarto. „Ad id quot majores noſtri olim quosdam annuos reditus pro anniverſariis ſacris faciundis, vel quotannis repetundis, cathedralibus ſeu collegiatis Eccleſiis, Monaſteriis, aut certis denique templis legarunt, perſuaſi magnum hinc defunctorum manibus ad illorum Salutem promovendam, ac aeternam felicitatem adquirendam ſubſidium adduci: quia vero de poſteriori hocce hactenus edoceri ſolido veritatis argumento non potuimus, decrevimus neminem bonorum piorumque illorum, qui ejusmodi anniverſaria ſacra legarint, vel illorum haeredes, nullo modo amplius obligari ad ejusmodi reditus pro ſacris illis legatos perſolvendos. Quandoquidem vero nonnulla praedia propter id genus anniverſariorum redituum onera illis impoſita, eo viliore pretio identidem empta ac vendita ſunt, cujusmodi oneribus noſtro hoc Statuto jam liberantur, ſancimus vt commoda illa ex ejusmodi onerum ſublevatione proficiſcentia proximis illorum qui legaverant haeredibus, ſeu poſteris ex illa ſtirpe et origine deſcendentibus cedant. Quod ſi vero nulli exſtiterint, ut quandoque ſit, certi illius ſtirpis poſteri, penes Magiſtratum ſtabit, quidquid illud inde provenientis utilitatis fuerit, in egenos et pauperos, vel alios uſus pios, qui neceſſarii et congruentes viſi fuerint, impendendum deſtinare: expreſſa cum declaratione et reſervatione nihil nos per hoc noſtrum Statutum velle, vt decedat reditibus aliis ſive fundis, per teſtamentum, Eccleſiis a moribundis derelictis; haec enim volumus vt Eccleſiis quibus legata fuerint integra permaneant: Verum intelligi volumus noſtrum Statutum, tantum de reditibus, fundis, vel aliis facultatibus in ſacra anniverſaria legatis, circa quae ad tenorem ſupradictum obſervetur.„

Quinto. „Statuimus, ne ulli amplius coenobiticae vitae utriusque Sexus homines, neu juvenes neu ſenio confecti, ulterius in „ Monaſteria ut novitii recipiantur ſupra illos qui jam in illis adſcripti „ ſunt; item ne id genus hominum deinceps amplius, oſtiatim mendicare et vagari permittatur: verum Magiſtratus decernunto idoneos „ ſpectatae probitatis viros, qui a coenobitis accepti et expenſi rationem exigant, ex quibus illis neceſſarius et condecens victus et amictus ad vitae ipſorum finem vsque vel proviſionem ordinationemve „ ulteriorem ſuppeditetur. Iſtis detractis, quando ex memoratis redi„ tibus aliquid reliquum ſupermanſerit, decernimus ut illud ad legiti„ mos germanosque haeredes, ſi quidem certo de illis conſtiterit; ſin „ vero illi minus fuerint comperti, ſtabit penes quamvis Ligam de illis „ utpote ad ſe pertinentibus, diſponere, prout aequum viſum fuerit.

Hoc Articulo innixum Foedus Cathedrale, poſt devolutos aliquot annos, Monaſterium D. Nicolai, in civitate Curiae a Dominicanis per tranſactionem accepit, et in Scholam publicam convertit, ut ſuo loco dicetur. Etiam Foedus Gryſaeum bona Coenobii Monialium CATZIENSIS, inter ſuas Communitates diſtribuerat, et in uſum Eccleſiarum Scholarumque converterat: n) In motibus vero ſeculi ſuperioris, Gallis arma admoventibus, Coenobium iſtud reſtitui oportuit. o)

Decimo tertio. „Decretum item a nobis eſt ut in poſterum cui„ vis Eccleſiae Paſtori ſuum decens et honeſtum Salarium pro cujus„ que merito ex aequitate pendatur, de effectis ſeu rebus quas uni„ cuique coetui deſtinare videbitur. Ad hinc etiam penes ſingulas „ parochias eſto ſuos Paſtores omni tempore eligendi, conducendi „ atque rurſus quando lubitum fuerit, dimittendi.„

Antea omnem poteſtatem dandi Eccleſiis Paſtores, eoſve translocandi, unus Curiae Epiſcopus uſurpabat.

Deci-

n) Guler Raet. Libr. VII. fol. 87. 6.

o) Fort Jowalta Hiſt. Mſſ. ſub fin.

Decimo quinto. „ In illis Foederis noſtri cathedralis Jurisdictio-
„ nibus, quarum Judex vulgo Praefectus eſt et dicitur (at Epiſcopi nomi-
„ ne jura dicit) ordinamus, ut quae mulctae pecuniariae dari contigerint,
„ eae ſunto populi cujusque Praefecturae, qui populus ex illis Praeſidi
„ debitum ſtipendium deſtinet: Reſiduum vero Praefecturae facultа-
„ tum cedat Epiſcopatui: et penes dictum cathedrale Foedus ſtabit,
„ officialibus ſeu Miniſteriis Epiſcopatus, ex hujus reditibus vectigali-
„ busque ſtipendia ſecundum aequitatem deſignare. „

Decimo ſeptimo. „ Nullus Foederis noſtri cathedralis conventus
„ ſeu Jurisdictio, ullam cauſae controverſae appellationem ad Curien-
„ ſem Epiſcopum (quod alias fere fiebat) vel ad aulae Epiſcopalis admini-
„ ſtratores deferat aut provocet: Verum quicunque litem adpellan-
„ dam habuerit, ei proxima Jurisdictio, ſi neutrae partium ſtudio addi-
„ cta eſt, deſignatur ad cauſam dirimendam: atque hujus judicio volu-
„ mus ſtetur absque tergiverſatione aut appellatione ulteriore ulla. „

Decimo octavo. „ Quando contigerit vel Collegii Canonicorum
„ Praepoſitum, Decanum, Canonicum, vel Plebanum, Sacellanum, aut
„ quampiam aliam ordinis ſacri perſonam, quae intra noſtrae ditionis
„ limites Sacerdotium poſſederit, morte decedere, decernimus ut bene-
„ ficium vacans, alicui indigenae, trium Foederum filio, ſi ei officio
„ aptus quis reperiatur, et minime advenae, ſeu extraneo cuipiam con-
„ feratur: hoc cum diſcrimine et lege, ut quando Curienſis Epiſco-
„ pus fuerit eligendus, debeat collegium Canonicorum ſive Capitulum
„ cum conſilio integrae Domus Dei i. e. Foederis cathedralis in Su-
„ periore (ſic habet littera) et inferiore Foedere, in electione proce-
„ dere. „

Vltimo. „ De introitibus S. Annatis eſto lex, ne quisquam apud
„ nos, earum nomine quidquam amplius ſolvat, vel titulo annatarum,
„ ad aliquid dandum adſtringi debeat. „

Quos omiſſimus articuli fere oeconomiam civilem ſpectant, qui quantum ad utilitatem publicam augendam conferebant, tantum crumenae privatorum, quos inter Epiſcopus primas obtinebat, detrahebant.

Talis

Talis erat Artic. VI. qui decimas minores abrogabat, VII. VIII. IX. et X. quibus inolita alias consuetudo exigendi decumas majores vel coercita vel correcta, et moderata fuit: sed hos in aliud forum exeuntes, in nostros commentarios non referimus. Et per haec quidem statuta, auctoritas Episcopi haud leviter constricta, licentia Ecclesiasticorum quadantenus coercita, populi auctoritas firmata, et legitimus bonorum Ecclesiae usus designatus fuit; is qui indictae sed pervicaciter abruptae Disputationis Ilantinae saluberrimus effectus esse censendus est.

Tantum decrementum avitae Religionis aegerrime ferentes (exceptis Tigurinis) Helvetiorum Populi plerique, Legatos suos ad d. XV. Jan. MDXXVII. Lucernam delegarunt ad communia capienda consilia, per quae cursus Doctrinae Zvinglianae, ut vocabatur, sisteretur. Lucernarum, Vranienſium, Suitenſium, Friburgenſium, et Abbatiscellaneorum Legati suadebant Disputationem. Probari id consilium sibi, ajebant Bernates, sed in re tanta, ad totum Nomen Christianum spectante, id ad Potestates supremas pertinere: declarabant ergo se, si consenserint omnes, dissentire nolle; locum vero Disputationi dicandum contendebant esse debere Basileam, praegnantes ob causas, quas allegabant. Sed Basilienses nec in Disputationem consentiebant; nec ut in urbe sua institueretur volebant, periculi nempe timore. Haec ad Principales suos postquam singuli retulissent, dies XIII. Martii data est, qua omnium Pagorum Tigurino excepto conventus, super eandem causam Lucernae rursus confluxit. In quo Subsylvanienſium legatus sententiam Pagorum plurium antenominatorum suam fecit; eoque pacto decernentium publicam Disputationem Suffragia potiora evaserunt. Reliqui negantes sibi datum, ut in id consilium consentirent, deliberatum ad suos retulerunt. Ex isto conventu antedictorum Pagorum Legati, Helvetiorum universorum nomen usurpantes, ad tria RAETIAE Foedera litteras hujus tenoris exararunt. „ Quamvis nos minime deceat, „ neque in mentem nobis venire patiamur, ut ullam in Religionis ne„ gotio immutationem instituamus, sed potius firmiter constitutum sit „ omnem ab sancta, catholica, ac christiana Religione separationem „ evitare; ut tamen Zvinglius ipsiusque similes Doctores Sectarii ad si„ lentium redigantur, et populus ab errore, et ad quietem revocetur, „ Principalibus nostris, et Nobis expediens visum est collationem utri-

„ usque

„ usque Partis instituere, ad quam confoederati omnes, ut singuli „ cum 2. 3. aut 4. Eruditis Viris in d. XVI. Maji currentis anni BA- „ DENAM conveniant, invitantur. Id quod et vos certos volumus „ per praesentes.„ p). Haec quidem tunc deliberata fuere, ratum vero consilium celebrandae Badenae Disputationis, demum d. XV. April. Eremi a XII. Pagis captum, statutumque fuit; fuereque ad eam peculiariter Constantiensis, Basiliensis, Lausannensis, Valesianus, ac CURIENSIS Episcopi invitati. Cui invitationi parentes Populi ac Episcopi, Legatos suos ad illam dimiserunt. Erat dies X. Maji, qua undequaque ex Helvetia, ac Suevia Deputati Badenam versus iter faciebant; Curiensis quoque Episcopus suos qui interessent misit: quorum tamen nomina non reperio. Non comparuit ad illam Zvinglius, non quod collationem refugeret, quam pluries inierat, sed quod vitae suae insidias strui, ac IO. HUSSI fabulam secum ludi indicia certa haberet; id quod per litteras etiam Helvetiis, antequam convenirent, significavit. Caeterum qui Badensis fuerit Disputationis exitus, enarrare nostri non est instituti.

CAP. VIII.

p) Ipsa eorum verba ex b. LAUFFERO Tom. VIII. lib. II. pag. 34. 35. adponimus. „ *Wiewohl Wir können ermessen das uns nicht gezimt, sind auch des Wil-* „ *lens nicht einige Aenderung im Glouben zu thun, sondern gedenken uns als* „ *gehorsame Glieder von der heiligen gemeinen Christlichen Kirche nicht zu* „ *sondern; aber damit Zvingli und seines gleichen verführische Lehrer ge-* „ *schweigt, und etlicher massen das gemeine Volk von dem Irrtum abgewen-* „ *det, ruhig gemacht werde, und Wir widerum zu Ruh, Frieden und Einig-* „ *keit des Glaubens kommen, so haben unsere Herren und Obern, und Wir* „ *auf ihren Befehl angesehen eine Collation &c. von jedem Ort der Eydgenos-* „ *schaft, und zugewandten jedes Orts, mit 2. 3. oder 4. Gelehrten zu Baden,* „ *auf den 16. Tag Meyen zu erscheinen.* „

CAP. VIII.

1526 --- 1532.

Sancitam utriusque Religionis libertatem sequitur conversio plurium Ecclesiarum. Russingeri Abbatis Fabariani inclinatio in partes Evangelicas. Disputatio habita Bernae rem Evangelii promovet. Diversae primorum Reformatorum in Raetia sententiae, circa Eucharistiam.

Stabilita et publico Edicto proclamata munitaque religionis Evangelicae libertate, statim Papismus ingenti hiatu labascere coepit; siquidem coercitis maligantium tum linguis tum spiculis, Evangelii candelabro undiquaque omnes ad suam lucem invitante, jam nihil obstabat quo minus salutis suae studiosus quivis, vel ad ejus lucem accedere, vel accensionem in suo tentorio procuraret. Caeterum quia in Democratico regimine omnia ad rem publicam spectantia, nullius ad auctoritatem valoremve, sed ex Suffragiorum numero constituuntur; hinc exturbatio imaginum, et inutilium aliarum caerimoniarum abrogatio, simul et semel non procedebat: verum demum promota fuit, quando praevalens fidelium numerus praedicationis Evangelicae puritatem ex ordine concessae sibi potestatis superstitionibus substituere valebat. Hinc aliae Ecclesiae citius in abrogationem Missae consenserunt, aliae serius: apud alias, in quibus diu superfuerunt avitis sacris mordicus addicti pro bono pacis, etiam in pauciorum gratiam, et imagines et totus papisticus cultus diu tolleratus fuit, imo alicubi tamdiu ut demum cum excessu cultorum arae ejectae et Baalim sublata sint. Et provido quidem consilio a Reformatis adhibebatur pro publici cultus possessione obtinenda ejusmodi moderatio; tanta enim avitae superstitioni addictorum erat contumacia, ut cedere nulli vellent, adulationibus et blandimentis simpliciores apud se retinere studerent, imo sumptibus et expensis haud levibus alios ad se pellicere non gravarentur, caeterum-

rumque in Evangelicas postulationes semper insolentes essent; tanto magis quod major nobilium pars in super et tertio Foedere in Episcopi gratiam omnem innovationem inhibere allaboraret; sic ut nulla fere arte quam extremo exitio domari posse viderentur. a) Interierunt si unquam litteris mandatae sunt, saltem meos oculos non subierunt, particulares de cujusvis Ecclesiae repurgatione notitiae, praeter nonnullas quas e tenebris erutas, suo quovis loco dabimus: interim quia jam ante indictam Ilantii Disputationem major tertii Foederis pars, plures quoque tum in superiori seu Gryseo, tum etiam in Cathedrali Foedere Ecclesiae, per fidos Pastores, quorum nomina supra expressimus, de via salutis informatae fuerint, proclive est credere, eas post promulgatum libertatis conscientiae diploma, minime longas texuisse moras in sacrorum puritate apud se instituenda, et cultus ratione secundum Tigurinorum exemplum ad divini verbi cynosuram informanda. Repurgatio vero ista maxime intra primos sex annos processit, b) et inter primas sine dubio collocanda est civitas ipsa CURIA; siquidem ejus Antistes Jo. Comander prae caeteris strenuus erat superstitionum debellator et veritatis assertor: metropoleos vero exemplum facile aliis exemplo servivit ad ijsdem vestigiis insistendum. De hac reperio non

 citius

a) Comander ad Vadian. 3. Febr. 1528. Nostri Pontificii quanto se a veritate remotiores vident, tanto contumaciores ac insolentiores se se exhibent, adeo ut plane non aliud mihi persuadeam, quam ut hoc hominum genus, (si homines sunt) nulla arte quam extremo exitio domandum fore. Unum hoc tandem per Dei gratiam obtinuimus quod conviciari desierunt: Sed adulationibus et blandimentis maxime student ignaviores quosque ad se pellicere, sumptibus expensisque non parcent. Confidimus tamen in Domino, qui propediem leni flatu eos penitus dispersurus sit. Abbas S. Lucii jam in nundinarum fine convivium magnum negotiatoribus apparavit; an ex civibus nostris quispiam interfuerit nondum compertum habeo. Sed isti homines ut sunt blandi et vani, ita cum Similibus commercium habere delectantur. Caeterum oculorum Scotomia continua laboro &c. &c. vid. et Salandr. ad Vad. die Pasch. mox adscribend. litt. c)

b) Comand. ad Vadian. 8. Jan. 1534. De Evangelii profectu apud nos scio sinceritatem tuam cupidissime audituram: at nihil habeo quod scribam. Eodem modo hactenus; nihil accedit Christi partibus, nihilque decedit; nisi quod tepidiores sumus indies. Deus sua gratia causae suae et nostrae subveniat, qui et Te conservare dignetur salvum anima et corpore. Amen.

citius innovationem quoad cultum tentaviſſe Comandrum, quam auditorum animos prius bene et ſolide praeparaverit, maxime in articulo de celebratione Euchariſtica, et Imaginum cultu, qui duo prae caeteris in oculos incurrebant, hinc et ab omnibus diſceptabantur. c) Sed et ipſe Senatus attente invigilabat, ne vel imagines locis moverentur, vel quidpiam novi quoad cultum ſtatueretur, citius quam omnium conſenſus repurgationem ſollicitaret, metuens ſcilicet ne quae turbelis anſa praeberetur: Tantum tamen ſedula ſua opera promovit Comander, vt vix unum poſt habitam Ilianti publicam Diſceptationem annum, idola omnia e Templo ſuo, quod D. Martino ſacrum erat, et (poſt aedem Cathedralem, aulae Epiſcopalis circuitui incluſam) in vrbe primarium, ejici potuerint; ad quod factum Senatus demum calculum ſuum adiecit, quando obſiſti nullis artibus poſſe proſpexit; et tamen debuit primariae arae una adhuc ingens lignorum ſtrues relinqui, quae aliquanto demum

c) Salandr. ad Vadian. die Paſch. 1526. Salve in Chriſto Jeſu optime et prudentiſs. Conſul. Brevibus tecum agam, ne perpetue meis nugis tuas ſeriis occupatas aures defatigem. Comander noſter tuus Janus gratus magis populo quam unquam prius. Vicini noſtri Deo gratia oculos recipere incipiunt. Hoc jejunio ſupra ducentos advolarunt, conſilium et ſcientiam Dei ab eo recipientes, et ex impiis pii redditi in omnibus locis Chriſtum nunc ſeminant, qui olim expellebant et conculcabant. Magna Spes eſt duos proſcriptos ex Rhaetiae fratres (Philippum Gallitium in Engadina, Ioh. Blaſii in Melans) contra jus Ligarum et litteras foederis, communitates *manu habituras:* adeo male habet facinus tam audax nobilium et primorum expellere et parochiis ſuis privare Evangelii praecones. Deus ipſis ſit adjumento. De menſa Domini quippe ſermones his diebus Comander habuit: verum inſtituere ſuis cerimoniis non eſt auſus; at panem et vinum et eſſe docuit et dedit. Exſpectamus in adjutorium non parvum fore articulos quos hic prudentiae tuae mitto ſigillatos et ordinatos ab illis de Caſa Dei. Fabricant et ſuos aliae Ligae, Vetus ſcilicet et VIII. Judicia; nam Nobilitas et primores eorum reſtiterunt hactenus. Placent et fratribus eo maxime quod ad abrogandam Miſſam occaſio magna ſint: qua Miſſa facta Coena Dominica facilius ſubſequetur. Vale optime et obſervande mi Conſul, et Deum cum fratribus pro nobis ora. Inter prandendum, Curiae, die Paſcatos, Anno MDXXVI.

Salandronius tuae prudentiae deditus amator et admirator.

Commendo tuae humanitati Rhetum pium et vere ſimplicem, M. Lucium Utz, nunc apud vos agentem.

demum post tempore amota fuit, quo sublatis missis sacra Domini coena ad Dominicam institutionem administrabatur. d) Omnes denique aras demoliti sunt, vestes denique histrionicas in celebratione sacri cultus indui solitas, una cum reliquo ineptiarum apparatu, aboleverunt Curienses anno MDXXIX. plane ante festum Paschatis; quo tempore in tota Bernensi ditione, apud Genevenses, item Constantienses, mox etiam apud Glaronenses, Rhenovallenses, Toggios & Basileenses Missae, arae, et statuae auferebantur. e) Adeo nil per vim et auctorita-

d) Comand. ad Vadian. d. 28. April. 1527. Gratia et pax per Christum. Eximie vir, si meis ad Te litteris vacuum dimisissem frustra esset ut dissimularem, quia ingratitudinis facinus in Virum optime de re Christiana meritum comisissem. Summam rerum nostrarum paucis scribo, non ut plane edocerem Te, sed ut percunctandi potius ansam praestarem. Senatus noster, ne invitus quidem in re Evangelii, quidquam aedificat, sed tantum cum obstandum esse nullis artibus prospexerit, aliqua aegre permittit, ut nunc tandem eo promoverimus, ut Idola omnia e Templo nostro ejecta sint, praeter ingentem lignorum Struem primariae arae incubantem; quae propediem quoque ejicietur, ut spero. Dominicam coenam exturbatis missis cerdonicis substituimus. Leones, Pardi, Tigres, Ursique, undique furiunt, ringuntur, ac utinam proximum sit, ut tabescant, si convertendi non sint. Basilisci, viperae, et serpentes sibilant, insidiantur, ac in antris suis maximas nugas conflant, quas deinde in omnia montana et finitimos pagos data opera spargunt. Sed putant forsitan suae teterrimae invidiae consultum, si nos vel ad horam priores deperiremus: at Deus optimus secundum suam misericordiam nobiscum agat. etc. Idem Com. ad eund. 12. Jun. 1528. De Evangelico negotio haec habeto. Indies augescit externe, abolentur Missae, confringuntur idola: tamen in civitate nostra duae abominationes adhuc erectae stant. Una, in excelso sacrificatur, eo quod civitati nullum sit dominium super Ecclesiam cathedralem. Altera, Franciae factionis Legatus sui Principis partes fovet, corruptionibus scilicet ut nosti. Cum igitur Senatus plerique his infecti sint, quid candidi, solidique inde sperabis obsecro? &c. Vide et Comand. ad Zvingl. litteris adductis Sup. Cap. II.

e) Comand. ad Vadian. 12. April 1529. Gratiam. &c. Accepi jam dudum litteras tuas, cum libello Erasmico, Vir ornatissime: ago igitur gratias super hac humanitate tua, interim cogitans quid tandem pro acceptis tot muneribus referam. De rebus nostris ac statu earum miraris forsitan nonnihil. Qui cum primis Evangelio favere coeperamus, nunc vero nec postremos comitamur, sed a longe sequimur. Aras demoliti sumus ante festum jam praeteritum: honestati consultum est in hoc, ne vestimenta turpia illa & scissa deinceps deferantur a quopiam. Foederi Gallico renunciavimus, Grandissum Regis Franciae partes foventem

ritatem in restauratione hujus Ecclesiae actum est, ut potius nihil agendum susceperit, aut permiserit Magistratus quam quod integer populus fieri postularet, et ipse populi voci obniti non posset. Erat autem populo Comandri opera grata valde, et fiebat indies gratior; unde et Curiensium exemplo vicini quoque ad veritatem cognoscendam, adque Ecclesiam pristino nitori restituendam invitabantur. Quin urbis eminentia et sollertissimi Pastoris sedulitas plurimum ad id contulerint, dubitare nos non sinit Sandr. ad Vadianum perscribens „vi„ cinos urbi Curiae, oculos recipere incipere: Jejunio elapso supra du„ centos advolasse, consilium et scientiam Dei a Comandro recipientes, „ et ex impiis pios redditos, quique in omnibus locis nunc seminent, „ quod olim expellebant et conculcabant. „

Circa idem quoque tempus perrupit Reformatio apud CORVANTIOS et SCANAVICANOS, populos ad binas convalles supra oppidum

tem e civitate ablegavimus, qui in proximum duntaxat pagum secessit, se se nimirum illico receptum iri sperat a nobis vel invitis. Nos vero firma spe ducimur corruptorem hunc nunquam ad nos rediturum. Circa medium quadragesimae praeteritae habita fuerunt Comitia Ilanti. Illuc citatus quidam frater italus ex Valle Telina, ubi Evangelium praedicare coeperat. Comparuit. Ibi coram Senatu trium Foederum accusatus falso! Etiam ejus apologia audita justa et pia. Condemnatus fuerat ut quantocyus terram illam exiret, nec amplius evangelizaret, nec ibidem moram duceret. Frater ille jam exsul factus a quodam pio viro Engadinam vocatus ubi evangelizare coepit, ubi hucusque nondum praedicatum est. Facta est Seditio magna, sed citra cujusquam detrimentum. Obtentum est publicis et communibus votis ut praedicare permittatur, jamque illis ipsis praedicat etsi ingratis, qui jam pridem eum in exsilium condemnarunt. Adeo quicquid hostes pro se conantur, et pro scuto sibi parant, Deus opt. contra eos vertit in jacula. Engadinensium Magnates ita caverunt terrae suae ut Evanglium nec per rimulam aliquam illaberetur: sed frustra, Deo gloria. Haec ideo Candori tuo scribere volui, quod sciam Te plurimam inde consolationem accipere; etiam quod regio illa ad nostram Ligam (ut dicunt) pertinet, Ecclesiae cathedralis particeps. Vnde nobis plurimum spei indies succrescit, in brevi futurum ut Templum hocce Baaliticum quassari incipiat, et ad interitum eo citius deventurum sit. Ex Insubria rumores pauci sunt, et quidem incerti, 6000. armati ex Gallia venerunt Landam. Veneti quoque exercitum parant. Tentabunt si Mediolanum expugnare possint. Si quid certius perceperimus, operam dabimus ut rescisces. Vale vir dexterrime. Ex Rhetorum Curia. 12. April. 1529.

Tuus ex animo Joannes Comander.

dum Curienſe ſitos; licet per multa demum obſtacula perruperit. Etenim quum quaedam ſpes eſſet hos populos lucrifaciendi, excurrerat ad fanum D. PETRI, quod in media Scanavicanorum tellure ſitum, atque parochiale eſt, Praeconum Evangelicorum unus, et expoſitionem Evangelii parabat. Id quando coloni inaudiverunt, e caſis ſuis quas ſparſim habitant evolantes, armis bipennibusque inſtructi ad commune ſanctuarium accurrunt. Jam confluxerat Seditio, et clamabant omnes abigendum ceu Salutis perditorem novum iſtum Praedicatorem, nec ullo modo aditum ad Sacra officia in publica aede ei concedendum eſſe. At furibundis interveniunt prudentiores alii, et expoſitionem novae ac famoſae doctrinae audiendi cupidi, conſulentes pacem, et ne humanitati ac viciniae deeſſent ſuadentes permiſſionem novo Praeconi intrandi S. aedem ſuamque concionem declamandi; addentes per eam admiſſionem nihil cujusquam libertati aut religioni detrahi, ut quum liberum ſtet cuivis, illius expoſitioni fidem habere vel minus. Sic aegre tandem ad Suggeſtum admiſſus Miniſter fuit. Verum dum curioſitate tantum illecti, aures concioni praebent, ita cor plurimorum affectum fuit, ut animo convicti, expoſitioni doctrinae aſſentiti ſint, dolentes quod ignorantes ea vehementia verbo veritatis reſtiterint, et Papiſmo nuncium miſerunt. f) Hoc modo plantatum ad illos Evangelii Semen concepit, et cum temporis brevi ſucceſſu eos progreſſus fecit ut mox tota illa regio in meſſem Domini evaſerit. Nempe magna erat ſitis et fames audiendi verbum Dei. Ob tale incrementum ringebantur equidem Evangelii hoſtes, et omnis generis calumnias in adverſum ſpargebant, et quaevis concitabant: Sed indies ſuper mendacia victrix evadebat veritas. Magnopere de hoc adverſariorum furore conqueritur bonus ille Comander, animi dolorem in Vadiani ſui ſinum effundens, dum ſcribit: „Leones, Pardi, Tigres, Urſique, undique furiunt, ringuntur, ac utinam proximum ſit ut tabeſcant, ſi convertendi non ſint. Baſiliſci viperae et ſerpentes ſibilant, inſidiantur, ac in antris ſuis maximas nugas conflant, *quas deinde in omnia montana et finitimos pagos data opera* ſpargunt, unde ſe ipſos atque nos in magna pericula ponunt, putantes ſuae teterrimae invidiae conſultum, ſi nos vel ad horam priores deperimus.„ Verum nihilo iſtis terre-

f) Bart. Anh. Senior. Paling. Mſs.

terrebatur fidus Comander, sed tanto alacrior in agro Domini excolendo pergebat; quare etiam ut e sacris fontibus tanto prius biberet, Hebraicae linguae studio totum se dedit, ea contentione, quae oculis hebetudinem, et alias infirmitates adtraxerit, ad quarum curationem Vadiani sui medici excellentis operam saepissime interpellavit; cujus testes esse possunt vel adhuc exstantes ad eum litterae, quarum *Avtographa* inter ejusdem Famigerati viri *leipsana* in Bibliotheca sancto Gallensi asservantur. g)

Quantumcunque Oengadinensium Magnates ita terrae suae caverint ut Evangelium ne per rimulam aliquam illaberetur, h) supprimere tamen illud non potuerant: atque semen quod jam anno MDXXIV. Gallicius i) et jam ante eum Luccius Stratius sparserat, tandem efflоruit. Etenim Gallicius impigro suo zelo tanto cum fructu rem Christi promovit, ut intra eundem mensem Decembrem anno MDXXIX. Missa tum LAVINII ubi Ecclesiasten agebat, et ejusdem adhuc monstratur habitatio, tum GUARDAE abolita fuerit, et abominationes exterminatae. k) Ad istas mox aggregatae sunt etiam SCOLIUM et REMUSSIUM oppida infra vallem Tasnam frequentia, et ob soli ubertatem felicia; illud quidem CASPARIS DIETEGANI A PORTA, hoc vero VUOLPHINI a PORTA sacerdotum ibidem locorum, et genere et virtute vere illustrium, sedula ac strenua opera. Erat autem Remussii olim nobile Sacrarium ob Divi cujusdam FLORINI exuvias, ad quas infinitae processiones, et frequens ex Raetia et vndiquaque ex Vennonibus concursus fieri assueverat. Dicebatur iste Florinus patre Anglo et matre judaica natus fuisse, et una cum parentibus ob religionis Christi professionem exsulem, ad Vennones profugisse, apud quos Mazzii aliquamdiu substiterit; postmodum vero inde prolato pede

g) Comand. ad Vadian. 23. Aug. 1527. vid. adducend. infr. Cap. X. asteriſc. *

h) Comand. ad eund. 17. Apr. 1529. Sup. litt. e)

i) Gallic. praef. in Pſalt. Campell. Supr. Cap. 11. pag. 43.

k) Campell. Lib. II. Cap. L. pag. 996.

pede Remuſſium aſcendiſſe, ubi ab Alexandro Eccleſiae Antiſtite benigne habitus, et pro re ſacra curanda retentus fuerit. Inter *davmaſia* ab illo aut propter illum facta, quae enarrare piget, etiam celebrabatur unum, quod quia tantam loco illi, et ejus perſonae adtulit famam, referremus. Factum nempe ajebant, ut quadam occaſione (ſic fere fabellae incipiunt) abs Principali ſuo, Divo (quidni enim etiam Magiſtrum Divis adnumeremus?) Alexandro in arcem, quae ad collegium Epiſcopale Curienſe una cum praediis pluribus ſpectat, mitteretur, ad adportandum in uſus quotidianos vinum. Fecit id Florinus pro ſua obſequioſa fidelitate: ſed quum redeunti ſupplex in via procideret mifera mulier, per Deum et omnes ſanctos illud quod ad manus haberet vini in ſui gratiam rogans, quo aegrotanti marito praeſcriptam conficere poſſit medicinam, is indigenti omne effudit, et in heri uſum ad recens vinum petendum denuo in arcem remeavit. Verum milites qui rem totam ut acta fuerat ſuis oculis viderant, de inutili profuſione indignati, non modo Florinum reverti vacuum juſſerunt, ſed etiam plagis male mulctaverunt. Ita tremulus adhuc a fuſtuario de fonte in via vas ſuum aqua replet; quae vero domi in pocula effuſa, vinum optimae fragrantiae factum eſſe comparuit. Id quando innotuit, maximam illi apud omnes pietatis exiſtimationem conciliavit, unde et defuncto Alexandro ſucceſſor absque controverſia datus fuit; quam ſpartam non minori ſanctitatis laude exornaſſe, diem quoque et horam mortis ſuae praedixiſſe dicebatur. Inde neceſſaria hominibus ejus temporis conſequentia, demortui Florini cineres coli coepti ſunt: lis quoque Mazzienſes inter et Remuſſianos enata, et agitata fuit de eo cui ſacrum funus deberetur; Mazzienſes enim apud ſe deponendum jure meritoque contendebant, eo quod primam moram inter ſuos egerit, nec paucis beneficiis cumulatus fuerit: verum Remuſſiani adduci non poterant, ut quem vivum venerati erant Antiſtitem, mortuum aliis concederent; et horum parti omnes juſtitiam cauſae adjudicabant. Dirempta tandem lis fuit, et convenit ſuperſtitio ut dicti Florini Sandapila Remuſſio cum proceſſione Mazzium quotannis tranſportaretur, et inde rurſum in locum ſuum reportaretur: quam transportationem idcirco die XV. Novembris per altiſſimum montis jugum aliquot leucarum iter, magna cum animi devotione, utraque pars celebrabat. Hujus nunc Divi FLORINI Sandapilam ut recluderent, ſuis quos veri-

tate divina imbuerat, anno MDXXX. VUOLPHINUS auctor fuit: at praeter panniculos repertum nihil, magno praesentium, qui summo antea zelo reliquias coluerant, stupore: l) simili fere casu quo olim Tiguri loco ossium D. Felicis et Regulae, lateres et carbones, alibi cineres reperti fuere. m) Sic quae prius coecitati et superstitioni nutriendae et augendae inserviebant, eadem nunc ad promovendam puri divini verbi veritatem incrementum dare, et instrumentum esse debuerunt: quare etiam in inferiore Oengadina post detectam infamem impostruram, populo oculi aperti sunt, et reformatio celerioribus gradibus processit. Ad Scoliensem Ecclesiam accensebantur tunc temporis etiam villae cis OENUM fl. sub Dominio TARASPIENSI, in quibus etiam non pauci erant Evangelio fideles; et fuisset absque dubio subsecutura totalis etiam in illo dominio repurgatio, nisi vesana quaedam, et Christiano Spiritu vacua contentiositas parochialium pauciores Templi communione arcuisset, unde sumpto obtentu Romanenses peculiarem sibi Ecclesiam fundarunt, quam et Austriaco subnixi subsidio, adhuc sustentant. Sed haec suo loco.

In tertii Foederis primario conventu, Jurisdictione nempe DAVOSIANA, alebantur quatuor sacrificuli missantes: n) verum ANDREAE FABRICII, ad aedem parochialem Divo IOANNI sacram sacerdotis, zelo promotum fuit, ut ad Pascha anni MDXXVIII. missae etiam ex illa regione exterminatae sint. Et quia conventus ille primarium obtinebat, illo quidem tempore adhuc pluribus quam nunc cum praerogativis, in eo Foedere locum, et Ecclesia esset ob Comitiorum tertio quovis anno inibi congregari solitorum confluxum spectatissima, perpetua renati Evangelii instauratoribus cura fuit, ut omni tempore Viri praeficerentur, eo theatro digni; unde primis illis temporibus in quibus

l) Campel. lib. 1. Topogr. cap. 28.

m) Hotting. *Kirchen-Gesch.* Tom. III. pag. 175.

n) Gallic. ad Bull. 12. Xbr. 1552. infr. Cap. X.

bus Miniſtri ad neceſſitatem et numerum Eccleſiarum non ſuppetebant, plerumque Tiguro ſubmittebantur. o)

In COENOBIO D. IOHANNIS (*zum Kloſter*) in Raetigoia, a quo integra Jurisdictio nomen ſortita eſt, agebat Praepoſitum BARTHOLOMAEUS BILGERUS patria Curienſis; hic quoque vitae monaſticae in otium et laſciviam projectae inutilitate agnita, apertam videns per Reformationem portam jam anno MDXXV, una cum Monachis ſuis dilapſus eſt; et Barthol. EGENII Provincialis eo tempore apud Coenobianos Praetoris Sorore in matrimonium ducta, Curiam in Patriam ſuam diſceſſit, cum qua Liberos genuit, quorum poſteri adhuc florent. Circa A. 1525. id factum fuiſſe ait Campellus. oo) Praepoſiti exemplum ſequentes dicti loci homines, a JAC. SPREITERO inſtituti, miſſa abrogata, Evangelio nomen dederunt. Super coenobii bona Jurisdictio ipſa manus injecit et rationes Oeconomiamque illius ſic diſpoſuit, uti e re ſua videbatur; quod quamvis aegre ferrent Auſtriaci, qui alios Monachos ſubrogatos maluiſſent, in conventione tamen Glurnae Vennonum Anno 1533. facta, Jurisd. illius arbitratui ſtare, tota res illa dimiſſa eſt. *) Anno deinde MDXLVIII. Gregorius Abbas Rockenburgenſis, ceu Pater domus Coenobii Churvaldenſis, et Florianus Abbas Churvaldenſis ceu Pater domus Coenobii

o) Comander ad Vadian. 18. April. 1528. De rebus noſtris quid ſcribam ferme ignoro, inculta ſunt omnia, nec adſunt qui dirigant, ſed qui conturbent non deſunt. Saepius tibi in ſinum, ut amico optimo, conqueſtus ſum, quo pacto corrupti homines integritati conſulturi ſunt. Si malum hoc bellorum ac Foederum ex avaritia natorum erueretur radicitus, ſpes eſſet reformationis; quamvis ſtatuerint proximis Comitiis Ilanti habitis ſe ex omnium Principum contractibus redempturos, ac libertate ſua fruituros: ſed contra graſſantur & fremunt permulti; ſpero tamen Dei auxilio non effecturos impios quod affectant.

Davas provincia noſtrae Rhetiae non ignobilis abominationem Miſſarum penitus exterminavit, ac quaecunque ad Dei gloriam ſpectantia in locum ſurrogare ſatagit. &c. &c.

oo) Topogr. Cap. XL. p. m. 197.

*) Inſtrum. habet: *iſt ihnen Gnad ertheilt.*

bii ad S. Jacobum in Raetigoia, cum assistentia Balthasaris a Ramschvag Praefecti Guttenbergici, et Petri Fineri Praefecti Castrensis ceu Commissariorum FERDINANDI Regis Romanorum conventionem et pacta cum dictis hominibus iniverunt, quibus omnia jura et bona, quae unquam Praepositus sive Coenobium in ea Jurisdictione possedit, vicinis ibidem in perpetuam et irrevocabilem emphyteusin, pretio et censu annuo CXI. librarum Raeticarum concessa fuerunt, ex quibus LXX. floreni Ministro ibidem, X. floreni Ministro in proximo vico Serneus, X. pro eleemosina annua, et III. cuidam Seni Reichli dicto attributi fuere. Reliquam summam quae XXX. circiter florenos aequabat pretio 535. flor. a Casp. Kekc Administratore Monasterii Churvaldensis Anno MDCXII. vicini redemerunt. p)

Postquam sedulo studio SAM. FRICKII Plebani olim Majaevillani, et ope ANDR. SIGFRIDI civis ibidem et viri doctissimi, idola ex auditorum cordibus ejecta essent, tum Anno MDXXIX. etiam statuae, imaginesque omnes ex Aede MAJAEVILLANA, FALISIANA, et de fano ad CLIVUM D. LUCII depromtae, et in singularum coemiteriis vulcano traditae sunt. Durante Papismi superstitione alebantur Majaevillae unus Plebanus, unus item Diaconus cum Capellano, quorum erat in dictis tribus Ecclesiis sacra facere: post sacra vero reformata, postrema statio ob superfluitatem vacare jussa est; Filiali vero Falisianae Ecclesiae, secundum ordinem avitum, Pastor Majaevillanus ad annum usque illius Seculi LXXmum sacra administravit, quo proprios sibi Ecclesiastas adscivit, et ex eo tempore ad nostrum usque continuavit. q)

Dum ita feliciter per Raetiam procedebat Ecclesiarum reformatio, eadem etiam trans Rhenum peragebatur, in plurimis locis ditionis Helveticae, et maxime Comitatus Sarunetum, qui VII. antiquis Cantonibus subditus est. Erat namque Missa exterminata RAGAZII vico amplissimo, atque vilipendebatur etiam in metrocomia Saruneti: ipse quo-

p) Tabular. Eccl. Coenob. It. Sprech. Hist. Mot. pag. 214.

q) Anhorn Palingen. MS.

quoque Monasterii FABARIENSIS opulentissimi Praesul JACOBUS RUSSINGERUS de Russikon Patria Rapersvillanus ad lacum Tigurinum, in castra Reformatorum transire, et suos secum trahere conventuales secum constituerat, allaborabatque. Intercedebat ei cum Zvinglio amicitia sincera, mutuo et frequenti litterarum commercio firmata, quare et toto animo in doctrinam Zvinglii inclinabat, id quod et neminem latebat. Is videns ob Cantonum Papaeis superstitionibus adhaerentium, qui etiam Monasterii sunt Curatores, resistentiam, spem nullam esse reformata sacra coenobio suo inferendi, fugam aliquando molitus est. Contraxerat is ab aliquo tempore cum Frickio et Sifrido familiaritatem haud exiguam, quare et Majaevillam sibi delegerat, ubi privatus vitam ad finem usque traheret: proin intempesta quapiam nocte, argenteis vasis, et auri argentique quae de propriis adtulerat, compactis, Majaevillam ad Senatorem quendam ab olim sibi amicum Laurentium Nouher nomine se contulit, asylum sibi expetens, quod et facile obtinuit. Sed mane quando Praepositus nusquam comparebat, ingens inter Conventuales orta conturbatio est, atque fuga Praesulis protinus ad Praefectum Saruneti residentem, ceu Cantonum nomine coenobii curatorem, delata fuit. Is igitur advolans, in Inventario conficiendo, et ablatorum elenodiorum damno aestimando occupabatur, quum fama Fabarias defert Abbatem Majaevillae latitare. Ex templo hic Abbati ut in conventum suum reductis etiam ablatis revertatur intimavit; a Majaevillano autem Magistratu postulavit id agat, ut dictus Abbas in Monasterium suum remeet, saltem nullum apud suos illi suffugium aut receptaculum permittat; id enim ni facturi sint, non defutura VII. Cantonibus Dominis suis media, quibus et Abbatem suo latibulo expellant, et de ejus protectoribus debitam poenam accipiant. Majaevillani intimationem sibi minaciter factam Abbati significant, et ut saluti suae alibi effugia quaerat, nec in suorum caput tantum malum accersat, suadent: unde Abbas derelictum se videns, fractus totus animo exstitit, et resumptis nobilibus suis in Monasterium remeavit, ubi benigne receptus mox cum Conventualibus suis, et cum Praefecto Sarunetum conciliatus est. Caeterum quamdiu is vixit cursui Evangelii in suo, ubi multa valebat potestate, districtu, nil quidquam unquam oppositum reperitur. r) Ne vero priores amplius spiritus resumeret,

r) Anh. paling. MS.

omni ſtudio invigilarunt tum Apoſtolicus Nuntius tum Curienſis Epiſcopus, illi galerum Cardinalitium, et neſcio quos aureos montes pollicentes, qua ratione demum illum ad finem usque vitae, quam anno 1549. adtigit, in obſequio retinuerunt: Diſſimilis ſane fratri germano Marco Ruſſingero qui religionis exercitii cauſa lubens patria valedixit, et A. 1529. Baſileam demigravit, et Anno deinde 1531. in monte Tugienſi vitam finivit. s)

Anno MDXXVIII. Magiſtratus Bernenſis, pro inquiſitione veritatis DISPUTATIONEM publicam, menſe Januario habendam indixit, et ad eam cum ex univerſa Helvetia, tum ex proximis Helvetiae civitatibus eruditos invitavit. Eo etiam ad percipiendam adeo dilucidam inter utriusque partis hyperaspiſtas, controverſorum articulorum diſcuſionem, (delegati fuerint an ſponte ſua exiverint haud habeo dicere) ſe contulerunt Paſtor Ilantinus, [qui an Petrus Brunus fuerit, ut videtur ex coaetanea Campelli de eo deſcriptione colligi poſſe, an Wolffgangus Battiſta, quem Eccleſiae Ilantinae matricula primum ſibi Reformatum Paſtorem perhibet, definire non ſcio, ſiquidem acta illius Diſput. edita nomen non exprimunt] et Melchior Tilmannus patria Lucernas, in Raetia Ludimagiſter. t) In celeberrima illa Diſputatione diſcuſſi ſunt graviſſimi illi articuli de Eccleſiae fundamento, verbo Dei, de Juſtitia operum, de praeſentia corporis Chriſti in Euchariſtia, de Miſſa, de Sanctorum invocatione, de Purgatorio, de Imaginibus, caeterique affines, ea cum veritatis palma, ut mox Magiſtratus ſolemni decreto, in urbe et reliquis provinciis, Miſſae, Arae, et Statuae ſublatae fuerint. Neque vero ullum eſt dubium, quod ſi Berna reduces, conflictus illius ſacri teſtes *avtoptai*, ſucceſſum ſecundum ſuas circumſtantias ſuis retulerunt,

s) Hotting. Annal. Tom. III. p. 132.

t) Dum Diſputatio illa covocabatur, haec ſcripſit Zvinglius ad Oecolampad. „ Accepi hodie litteras a Bertholdis, qui urſos verbi habenis regunt — Nos in „ eadem ſententia perſtamus, qua dudum. Berus cum Vadiano praeſidere „ jubentur a Senatu Bernenſi. — In Templo Minoritarum res geretur. Tu „ ſi modo adhuc hiſcis, adeſto. De Argentonatis incerta referuntur. Rheti „ Comandrum mittent, et S. Lucii Abbatem, imbellem, ſed procacem foeminam. Vale. Die 15. Decembr. 1527. „ Epp. Zvingl. fol. 199. 6.

lerunt, quin fideles omnes et cum maxime Symmystae in facta confessione confirmati, et ad perducendam latius sacrorum repurgationem commoti sint. Acta Disputationis illius mox etiam publici juris facta sunt, in quibus quia cum doctrinae expositione, etiam per thesin et antithesin veritatis robur vividissime eluceſcebat, passim desiderabantur, et cum multa aedificatione legebantur: Comander quoque a Zvinglio aliquot exemplaribus ditari petiit in spem, quod in Tractatione quadam Clavennae inter Raetos et Caesareanos habenda, Disputatio illa alicui usui esse posset, aut fructum aliquem efferendi apta esset. t)

Dudum observarunt viri in evoluendis annalibus Reformationis versatissimi, Lutherum, quando primum indulgentias tanta vehementia impugnavit, subversionem Papalis sedis, et tot errorum circa doctrinam Christianam detectionem minime intendisse: et fatetur ipse Lutherus in eam se cognitionem demum perveniſſe, ex quo impudentiae Papali cedere neſciae, et gnathonum ejus omni nisu se opponere coactus fuit. u) Hinc evenit ut illius Reformatio nec simul et semel, nec quoad omnes dogmatum partes primaevam integritatem assecuta sit. At Zvinglium semper simílem sibi deprehendimus, et duo singulariter de ejus Reformatione (sunt verba Altingii,) v) notanda veniunt: unum, quod non imagines tandum ex templis amovit, sed simul omnes cerimoniarum superstitiones abrogavit: alterum, quod errorem corporalis praesentiae Christi in Coena mature deprehendit et publice confutavit; eoque ipso doctrinam Sacramentorum plenius et dilucidius, quam ante alii, explicavit. Et Zvinglium quidem presso pede secuti sunt Reformatores Raetiae Comander, Blasius, cum reliquis. Solus Gallicius in principio inveteratam opinionem transsubstantiationis, aut si lenius velis, corporalis praesentiae Christi in Eucharistia exuere non poterat; sed eam mordicus tuebatur, licet cum moderatione de ea disceptaret. x) Demum altiore indagatione in absurdissimam sententiam inqui-

t) Comand. ad Zvingl. *Zinss vor Mitf.* Supr. Cap. V.

u) Ap. Hotting. Sec. XVI. Part. II. Cap. 3. pag. 223.

v) Comp. Hist. Eccl. p. m. 139.

x) Comp. Lib. II. Cap. L.

inquirens mentem mutavit, acriorique sale eam semper perstrinxit, quam olim zelo illam defendere solitus erat. Comander ad Zvinglii exemplum, abrogata omni privata communione, publicam tantum retinuerat. Super ea re querelae variae fiebant, eo quod ex advenis intelligeretur et Basileae et Constantiae vrbibus Famigeratis et opera Oecolampadii ac Blaureri summorum Virorum ad Evangelium conversis, Sacramentum per domos ad aegrotos deportari, hinc etiam erant qui eam Eucharistiae ad moribundos deportationem etiam in Raetia servatam, et reductam cuperent. Heic igitur antequam quidpiam innovationis susciperetur, Comander Zvinglii expetiit consilium. y) Zvinglius fratrem in priori sententia perstare jussit, ne majora de signorum efficacia homines opinarentur, quam Deus haberi voluit. Cui consilio attendentes

y) Comander ad Zvingl. 2. Octobr. 1526. Gratiam et pacem per Christum, carissime. Vrget temporis angustia ut vulgariter tecum loquar. *Ich hatt langist zu dir geschriben von der Communion wegen, Wie Ir zu Zürich mit den Kranken auch hieltind; und jetz mus Ich aber eineft schriben, ursach, das der Sterbent by uns inbricht. Ich hand die Meynung das des Herrn Nachtmal, oder Eucharistia in der Gmein gehalten gnugsam wäre, so mans zum Jahr offter begienge; und bedörffte der gesänderten nüt in den Hüsern von der Kranken wegen, so Sy doch in der gminsamen Wärind. Auch ist mins Bedunkens die Communion der Kranken wegen denjenigen hieringefürt, die durch ein fleischlich und unchristlich Leben usgeschlossen, und so sy mit dem Tod angefochten, wiederum in die Gemeinschaft der Gläubigen getrungen, und mit der Communion bezüget und geoffnet das Sie nit als die usgeschlossenen und verdamten nach ihrem Tod auch gehalten werdint, und us dem sie herkommind das man das Brod den Sterbenden zu Dienst habe inverschlossen, so Sy usserhalb der Mäss nieman consecriren liessen, und darum hab Ich nun uff die Communion der ganzen Gemein gedrungen, uud in den Hüsern by den Krankenen nüt anderst, denn allein das Wort Gottes zu Trost und Underwysung gebrucht. Jetz aber so kummen Ordnungen von Basel und Costenz, wie sie die Eucharistia bey den Krancken handlen; und das lesen die unseren und wettens etlich auch han, und in der Gemeind ist es noch nicht uffgericht, und stecken also in Aengsten das Ich ganz betrübt bin. Dan mich bedunkte viel gmässer der gschrifft und ordentlicher man bruchte kein privatam Eucharistiam. Es wurde diejenigen wohl viel härter bewegen und erschrecken: auch die Communion vil in grösseren Ernst behalten: doch will Ich warten auf die Bescheidung, wo Ich irrete hierin das du mich wysest. Gott sy mit dir, und streke dir dein Leben uns kleinen und übel berichten zu Trost und Underwysung. Ex Chur. 2. die Octobr. 1526.*

Tuus JOAN. COMANDER.

dentes primi Antistites omni cura caverunt, ne id superstitionis sub ulla praepostera pietatis specie reduceretur; quam in rem disertus ea super articulus in Confessione Anno MDLIV. confecta, insertus fuit, quo panem Eucharistiae per domos circumferre ea de causa inhibetur, quod publicum hunc actum non nisi omnibus congregatis celebrandum esse innuat Apostolus.

CAP. IX.

1529 ———.

PAULI Episcopi Curiensis irae conceptae super articulos stabilitos et Reformationis admissionem: ejus perfidia in patriam et machinatio cum Medighino detegitur: Abbas D. Lucii perduellionis reus capite truncatur. Episcopus ipse mala morte perit.

Nunquam existimasset Praesul Curiensis tantum in Raetis animi et concordiae futurum, ut absque suo consensu eam pacem religionariam inituri sint, quam adeo faciles contractarunt, neque per somnium credidisset eosdem de potentia suae sedis intra aequitatis leges cogenda, unquam conventuros: Sed ubi unanimi consensu vidit articulos Anno MDXXVI. confectos et promulgari et in exsecutionem mitti, prope ad rabiem actus est. Dolebant alae praecisae vehementem in modum, ob redituum imminutionem; dolebat amissio auctoritatis, quam principalem non in Ecclesiasticis modo, sed etiam in temporalibus hucusque tuitus erat; dolebat dioeceseos per tot Ecclesiarum a se discessionem restrictio; dolebat denique in vitam clericorum suorum a secularibus facta animadversio. Premebat eapropter mente indignationem: interim vero omnes nervos ad media excogitanda intendebat, per quae vel amissa recuperare, vel ruinam sistere, vel si neutrum fieri daretur, saltem vindictam in Optimatum capita effundere posset. Tanto autem liberius in hac parte cogitationibus suis indulgebat, quod sciret per omnia, quae forte adducturus erat in Raetiam

mala, nullum sibi, homini Bavaro, quique nec pedis plantam in Foederato Raetiae solo possidebat, aut suis decedere commodum posse; hincque vel Acheronta in subsidium vocare nil dubitabat. Non dissentiebat ab eo ulla in parte THEODORUS SCHLEGELIUS Abbas D. Lucii, vir alias acutissimus, qui non minorem de plagis inflictis dolorem testabatur, et ad illas medendas consilia communicabant. Hi dum alia non suppetunt, in partes vocare Medighinum illum deliberaverunt, quem scirent in Raetos animo esse infensissimo, ad inferendas injurias promto, et in involando rapaci. Contraxerat autem Theodorus ante quadriennium, quando ad Legatos Raetorum captivos liberandos cum reliquis Clavennam missus fuerat, amicitiam cum JOANNE ANGELO Castellani Mussienſis fratre, tum temporis Mazzii in Valletelina Archipresbytero, qui postea Archiepiscopus Ragusanus, tandem sub PII IV. nomine Pontifex factus est; ejus itaque in sinum omnes animi sensus effuderunt, et ut si cum fratre quam afflictis rebus medelam nossent per communia sacra exorarunt. Grata Mediceis haec cantio fuit, maxime Joanni Jacobo Marchioni Marigniano, qui nil avidius exspectabat quam occasionem belli telam, quam abrumpere jussus fuerat, resumendi, et Vallemtelinam Raetis quacunque via extortam suo dominio adjiciendi. Hanc igitur oblatam ipse occasionem haud praetermittendam ratus, mente vias rimabatur, per quas tum voto PAVLLI satisfacere, tum ipse scopo potiri valeret. Utrumque vero se haud difficulter assecuturum sperabat, si modo Paullus adduci posset ad resignandam fratri suo JO. ANGELO mitram Episcopalem; ita enim in medio Raetorum constituto credebat semper ad manus fore occasiones Raetorum animos distrahendi, aut invicem collidendi, eorum consilia expiscandi, oblatas denique circumstantias in sua commoda convertendi. Sic boni hi fratres spe jam Vallemtelinam et Comitatum Clavennae devoraverant, indubium assumentes, Raetos, quando externa vi fuerint impetiti, et in diversa studia tracti amissa recuperare non valere et satis bene secum actum esse reputaturos, si modo illis dimissis se suaque salva conservare potuerint. Quis credidisset conditiones adeo in Patriam pernicioſas, et sibi ipsi damnosas, nec ulli alii quam hosti spem praedae afferentes, potuisse a homine, cui sanum est sinciput, adprobari? et tamen Paullus vindictae cupidine caecus facilis in propositiones Medicaei concessit, paciscens eidem mitrae renuncia-

tionem

tionem contra annuam pensionem quadringentorum aut quingentorum florenorum, ad dies vitae solvendorum, praevia tamen cum declaratione, ut liberum Medicaeis maneat dictam obligationem per exsolutionem summae capitalis, de qua conveniretur, redimere. Tum de modo substituendi JO. ANGELUM tractatum est; et commodum visum fuit sororem germanam Claram Mediceam, Vuolffgango Theodorico Comiti in Hohenembs desponsatam, ad initium tragoediae dandum per Raetorum terras ad neogamum deducere, qua occasione eam comitaturus foret frater JO. ANGELUS, et Curiae sub hospitii colore diversans aulam occupaturus, et Episcopatus possessionem aditurus: de hoc enim itinere neminem quidpiam sinistri suspicaturum esse. Ordinandae quoque copiae Comitis Vuolffgangi erant, quae Raetis novo Episcopo aut Principi male affectis, aut alia molientibus invigilarent, et re postulante per clivum D. Lucii in eos irrumperent, dum interea Medicaeus subditas Grisonum terras invaderet, et ipsis Raetorum portis insultaret. Sic pulcre adornata fabula opportunitatem tantum exspectabat.

Verum diriguntur a JEHOVAH res mortalium. Ipsis illis diebus, quibus machinatio in executionem danda erat, sequenti occasione detegitur. Instabat dies conventus, et adcelerabat WOLFIVS cum suis: at sponsa morabatur ob nivem altissimam, quae commodum ceciderat. Nuncius ergo dimittitur ut festinent; qui in Splugenam vicum perveniens, itinere nivibus conturbato, grandem adeo pecuniam viam munituris pollicebatur, ut Hospes miraretur. Is itaque dum simulat se conductum ire queis via reparetur, effecit, ut Nuncius comprehendatur. Excutitur confestim, inveniuntur litterae, leguntur, cognoscitur proditionis consilium, quo Curienses Evangelici multitudine congregata noctu debebant ad unum interfici. Spulgenenses Curiensium Senatum de his certiorem faciunt, nominatim exponunt proditionis suspectos, hortantur, caveant, ne malum civitas a pessimis latronibus perpatiatur. Inter hos Principes nominabantur Episcopus, Theod. Schlegelius Abbas ad D. Lucium, Hercules Saliceus, et Georgius Schlegelius Abbatis propinquus. Curienses consilio habito capiunt Abbatem cum duobus aliis Curiae; postremi re nunciata prehenduntur ab Engadinis. In causae inquisitionem Tribunal Censorium ex omnium Communitatum delectis judicibus conscribitur et constituitur;

tur; quod ad Superiorum nutum, ineunte anno MDXXIX. Curiae congregatur. Tribunal istud in crimen accusationis sollicite perquisivit, Abbatem etiam torturae subjecit; fassusque est Abbas lubens et sibi semper constans: „Omnimode stabilitum fuisse se mediante con„ tractum inter Paullum Episcopum pro renunciatione infulae, et ho„ norario in compensationem dando; hujus autem consilii auctorem „ exstitisse GUBERTUM CASTROMURIUM olim a Raetis ad Me„ dicaeum, Clavennam obsidentem, perfugam perfidissimum simul et per„ ditissimum. Edixit idem: Castellanum Mussienssem in consilii exsecu„ tionem, indubiam spem fecisse auxilii a Caesare, Pontifice, et „ Helvetiis obtinendi, de quorum favore certam illi spem fuisse; et vel „ si illi non accurrant, esse ad sua servitia promptum exercitum duo„ rum aut trium millium Landsknechtorum, quem sibi necessitate postu„ lante submissurus sit affinis Comes Vuolffgangus; solos illos per cli„ vum D. Lucii in Raetiam immissos sufficere sibi ad Raetorum vires „ deterrendas aut plane confringendas: Suasisse interea ne quidquam in „ ea re praecipitanter suscipiatur, sed potius convenire, ut per annos „ duos vel tres animorum studia tententur, et reliquarum circumstan„ tiarum ratio et opportunitas observetur; quae si in favorem inclinent, „ bene quidem; sin minus aversa appareant, asperiora demum remedia „ admovenda esse.„

Facinus adeo perfidum, jugulum patriae libertatis impetens, a Religionis Antistitibus machinatum summam omnibus indignationem movit et iram, atque processu ad liquidum perducto Abbas sceleστissimus crimine proditionis patriae reus Judicum sententia die XXII. Jan. dicti anni carnificis manu securi plexus fuit: Propinquis datum quod extra Portas, loco solito, capite truncaretur. Reliqui post multa graviaque tormenta, quod nihil extorqueretur proditionem arguens, dimittuntur. Ipse Episcopus Paullus Zieglerus an de malo imminente monitus, ignoratur, certe sibi male conscius, ut in omnem eventum extra periculi aleam esset, Curia aberat, sicque procellae mature se subduxerat. Ex quo cum Medicaeo tractationem iniverat, compertum etiam fuit eum quaevis Episcopatus bona vendere et ex illis pecuniae summam colligere studuisse, unde quae ipsius fuerit intentio proclive est judicare. Is postquam sceleratissimae conspirationis detectionem et Abbatis supplicium

plicium intellexit, ad Comitia Ordinum Imperii, quae Spirae celebrabantur, se contulit, illa a quibus ferale in Evangelicos Decretum Vormatiae olim cusum renovatum est, adversum quod hi solenniter protestati sunt, et ab eo actu nomen Protestantium reportarunt. Ab istis Comitiis perscripta ad Raetos fuit Epistola atrocissima in eum tenorem, ut Evangelii libertas exsulatum mitteretur; quam sane non nisi Paulli instinctu perscriptam fuisse vel coeci vident. a) Post illam impii consilii propalationem lubens a Raetorum finibus abstinuit Paullus, nec adtingere eos frontem habuit, nisi demum circa vitae finem, ubi nescio qui a Raetis impunitatem pactus, in Castrum Episcopale Fürstenburgum, quod ad cathedrale tum quidem temporis Foedus pertinebat, sed intra Austriacorum fines situm est, revertit, ubi etiam longo, ut creditur, moerore confectus Anno MDXLI. 25. Aug. subitanea morte exstinctus est, in latrina mortuus deprehensus; quam plerique tali Praesule dignissimam mortem interpretati sunt. b)

Caeterum factas Zieglero promissiones de favore et auxilio tum Caesareo tum Pontificio et Helvetico, haud ita de vano fuisse, ut intra solas spes et verba steterint, credendum est. Etenim in Germania omnium ore proclamabatur, Raetos per hanc Abbatis trucidationem Caesaris iram neutiquam emansuram provocasse, et mox affuturum tempus quo Raeti Abbatem lubenter restituturi forent, si per fata liceret. *) Cui famae mox omnia fidem conciliare visa sunt. Constat

 enim

a) Comand. ad Zvingl. 20. April. 1529. ap. Hotting. Tom. III. p. 464.

b) Has memorias adservavit nobis Osvaldus Myconius in MS. de Tumultu Bern. intestino edito ex Biblioth. Civicae Tigur. MStis in 6. Lausseri Bnytr. Tom. IV. pag. 43. sq.

*) Jacob. Jonas Tübinga 13. Febr. 1529. ad Trav. Prae dolore Ego omnium miserimus vitam vivo satis insuavem: quid apud vos agatur nescio: Vestrorum autem consiliorum durissimos eventus perhorresco. Meum Abbatem, meum Patronum communi omnium sententia capite condemnatum audio. O factum, o facinus lamentabile multis! mihi perpetuo lugendum. Miserum est eos qui inter vos paullo ante honoribus florebant, mox autem in exsilium pelli, aut capitali subjici poenae. Sed nescia mens hominum, ut ille rectissime scripsit, fatâ

enim V. Pagos eo ipso anno cum Austriacis foedus conjunxisse; constat Tigurinos de eo magnopere conquestos esse, quod illi cum infensissimis nationis Helveticae hostibus foedera inierint; constat denique illos quinquepagicos, quando triennio post ad abigendum latronem Mussienſem a Raetis confoederatis, Helvetii opem ferre sollicitati sunt, illos, inquam, cum reliquis Helvetiis adversum Mussienſem opem ferre renuisse. Certe germanicus Chronographus qui Eusebianis et reliquorum Superiorum Chronicis continuationem ab anno 1512. ad 1542. adtexuit, in hanc periocham devolutus scripsit: *Proceres Comitatus Tyrolenſis cum quinque antiquioribus Helvetiorum pagis conſpirantes in cauſa fuiſſe, quod Raeti Abbatem D. Lucii Curiae capite plexerint.* „ Qui assertioni etiam omnia suffragantur.

Supplicio THEODORI videbatur conspiratio in fumos et auras iviſſe, sed mox docuit tempus, Medighinum ex sua parte adhuc a proposito non esse absterritum. Quippe mox observatum fuit ipsius quendam Emissarium sub habitu Monachi vagantem arcis cujusdam prope Tiranum loco *alla Raſiga* dicto muris destructis Sacellum in honorem D. ROCHI inaedificandum moliri, sed quod revera in fortalitium exibat. b) Neque ignorabatur fieri illi victoriae spem a perfidis nonnullis Valtellinensibus, qui in turbido isto piscari amavissent. c) Totum denique drama omnium oculis mense Martio anni MDXXXI. exhibitum fuit, quo dictus Medighinus ex copiis, quas Dux Mediolanensium Franciscus dimiserat, conductas novem fere centurias, clandestine, suorum subnixus favore, in Vallem Telinam immisit. Et faverat illi

fati sortisque futurae, et servare modum rebus sublata secundis. Veniet aliquando fortasse tempus, cum intactum optarint Abbatem; neque enim obscurum est omnium rerum esse viciſſitudinem. Verum quid ista ad Te, quem satis scio vulgi periculosis motibus tua sapientia saepe reluctari, et (ut sit) nonnunquam infecto negotio discedere. Ego meum mihi ereptum esse Patronum graviter fero: id vero ne factum sit, non plane compertum habeo; quo fit ut contriſter vehementius.

b) Pall. Lib. X. pag. 281.

c) Idem. Lib. IV. pag. 129.

illi initium, qui, opera fratris DIONYSII ordinis Praedicatorum ex Monasterio S. Antonii Morbenienſis, ipſum oppidum Morbennium noctu occupaverat; et jam ad reliqua properabat. Igitur de novo exciti Raeti, adventantes hoſtes ad interim viriliter depulerunt. d) Sed quia omnia dabant per hanc invaſionem, telam cum Epiſcopo Paullo et Abbate Theodoro orſam pertexi; et metus eſſet, his Medighini attentatis favere ipſos aliquos ex Helvetiis, Ducem Mediolan. et Caeſarem quoque, hinc antequam nova ulla aggrederentur, Helvetios ad depellendum communem hoſtem invocarunt. Hi pernicioſa videntes Medicaei molimina, conſiderantesque ablata ſemel Rhaetis Volturena non defore praetextum ad ea quoque ſibi adimenda, quae cis alpes armorum vi et donationis ceſſionisque jure obtinuerant, praeſto accurrerunt omnes, exceptis quinque illis Pagis ſupra memoratis, et hoſtem mox in anguſtias coegerunt. Tunc Medighinus Caeſarem, tunc Galliarum Regem inclamavit, cuivis eorum, omnia quae teneret et poſſideret, lubenter adjiciens et cedens, ſi modo ſe ſuaque ab Helvetiis Raetisque eriperent. Sed praedonis patrocinium ſuſcipere nemo voluit. Quare ſi compoſitionem turbarum a ſe motarum videre voluit, ditionem, quam ante adquiſiverat, omnem dimittere neceſſe habuit, ſatisque habere, quod ſibi et commilitonibus flagitiorum impunitatem impetrare potuerit. Concluſa fuit haec Tractatio Martio menſe A. 1532. mediantibus Auguſtino Epiſcopo Vercellenſi, Marino Caracciolo Legato Caeſareo, Jo. Angelo Medicaei fratre, ac duobns militiae ducibus JO. HENR. RHANIO Tigurino, nomine Helvetiorum, et JO. TRAVERSIO, Rhaetorum: poſt cujus ratificationem Medicaeus in agrum Vercellenſem, qui Dominii Sabaudici eſt, conceſſit. Sic in eo adimpletum fuit vulgi adagium: Cervus cornua quaerens etiam aures perdidit. Poſt tempus illud nunquam equidem nocendi illi animus defuit, ſed vana ad halitum usque ſemper ſine viribus ira ſtetit.

Caeterum jus ad occupandam Vallemtellinam et Comitatum Clavennenſis Raetis ſuppeditaverat Epiſcopatus Curienſis, cui donatio illa ampliſſima olim facta fuerat a MASTINO Vicecomite Barnabae filio, ob

d) Nomina pagorum qui auxilio accurrerunt, ſunt Tigurum, Berna, Glarona, Baſilea, Abbatiſcella, Scaphuſia, Friburgum et Solodurum.

ob beneficia in exsilio accepta; *) verum Episcopatui semper vires defuerant ad asserendum sibi terrarum illarum dominium. Demum anno MDXII.

*) Ipsae Tabulae sic sonant. Nos Mastinus Vice Comes Mediolani &c. Notum facimus universis praesentes litteras inspecturis, quod de Anno Domini Millesimo quadringentesimo quarto, die penultimo mensis Junii, attentis gratiis, et acceptis servitiis, quae Reverendus in Christo Pater Hartmannus Episcopus et Ecclesia Curiensis Nobis, Nostrisque progenitoribus hactenus impendit, et ad impendendum se promtum exhibet, et exhibere poterit amplius in futurum, dicto D. Hartmanno Episcopo et Ecclesiae Curiensi, solenni manuum traditione, deliberato animo, et consilio maturo, ex certa nostra scientia damus et assignamus, transferimus et donamus, tenore praesentium, libere et absolute pro nobis et posteris nostris, titulo proprietatis perpetuo possidendam totam Vallemtelinam, Commune de Bormio, Commune de Puschlavio, Castrum, Oppidum, et Vallem Clavennae et Plurii, cum omnibus suis Hominibus, Rebus, Dominiis, utilitatibus, pertinentiis, et proprietatibus universis, nullo jure ibidem nobis, neque Posteris nostris penitus reservato, et renunciamus omni juri in dictis locis, bonis, et Hominibus nobis competenti, pro nobis et pro Posteris nostris, his in scriptis transferentes in praescriptum D. Hartmannum Episcopum, et Ecclesiam Curiensem omne jus cum omni onere, quod nobis et nostris Haeredibus, et quibuscunque successoribus in praetactis Hominibus et Rebus competit, vel competere possit aliquatenus in futuro, volentes ex nunc ut praenominatarum rerum cum pertinentiis universis dicto Dn. Episcopo, et Ecclesiae Curiensi per Nos rite, et rationabiliter dati sint veri et legitimi Possessores: ad quorum quidem possessionem realem et corporalem, dictum Dn. Episcopum, et Ecclesiam Curiensem inducimus et mittimus per praesentes saluis juribus invictissimi Imperatoris, cui etiam nullatenus intendimus derogare. Adjicientes, quod si Altissimo concedente, Nos contingat, terram et Patriam nostram ingredi, extra quam expulsi injuste exulamus, et remanere ad eandem, vel saltem ad civitatem Mediolani, vel aequivalens, quod ex nunc totam Vallemtelinam, de Burnio, et Puschlavio Communia, Castrum, Oppidum, et Vallem Clavennae et Plurii, cum omnibus suis juribus, et pertinentiis, veluti nunc dicto D. Hartmanno Episcopo, suo Successori, et Ecclesiae Curiensi in signum firmitatis iterum titulo proprietatis, et Dominii dabimus, assignabimus, donabimus, et transferemus pleno jure perpetuo possidenda, in corporalem et realem possessionem eorundem dictum Dn. Episcopum, et Ecclesiam Curiensem inducturi, ac si per Nos rite et rationabiliter inductos fovere, defendere, per Nos et Nostros Successores et Haeredes perpetuo in eadem. Volumus etiam quod Capitula, Pacta, et conventiones suprascripta dicto D. Episcopo et Ecclesiae Curiensi in post faciendis inter Nos pactis seu Capitulis nullum debeant impedimentum seu praejudicium generare. In quorum testimonium praesentes fieri et regiſtrari jussimus, nostrique sigilli munimine roborari. Datum Curiae, Anno, die, et mense praedictis, Indictione 12ma. Et Nos Hartmannus Episcopus Curiensis praefatus ex donatione

MDXII. dictam vallem, et Comitatum Raeti armis occuparunt, qua in expeditione praesens semper adfuit PAULLUS Curiensis Episcopus, titulum armorum obtendens et referens: terrae occupatae sceptrum Raeticum, lubentes subiverunt, siquidem nec sub Ducum Mediolanensium, nec sub Regum Galliae dominatu, quies unquam ulla erat, sed semper ab aemulatione Principum deterrebantur. Ob illum titulum obtinuit Episcopatus in transactione cum Foederibus, jus quemvis quartum valli Capitaneum dandi: adnexa lege ut etiam quartam partem expensarum in expeditione illa commissarum elueret. Verum insecutis anno 1525. motibus quibus ex Valle depellendae fuerunt copiae Medicaei, arx Clavennae obsidenda, et Legati Raetorum de captivitate gravi lytro redimendi, Episcopatus nec obulum quidem contulerat, neque militem unum ad communis peculii recuperationem suis sumtibus miserat; qua de re Raeti primo conquesti sunt, deinde post finitum bellum compensationem damni postularunt. Petitionem istam omnes judicabant aequissimam: verum Capitulo tantum non suppetebat quo aeris alieni pondus exsolvere potuisset. Delata igitur ab utraque parte lis ad communes amicos Helvetios fuit, qui eam in rem arbitros designarunt. Horum judicio Vallis Tellina et Comitatus Clavennae Raetis in peculium adscripta fuit, Curiensi vero Episcopatui floreni DLXXIII. cum batzionibus VI. in perpetuos reditus exputati sunt, altero quovis anno trium Foedd. nomine ex telonio Clavennensi exsolvendi. Quae sententia ab utraque parte accepta fuit, estque Instrumentum manu et sigillo JOANN. EBLI, tunc apud Glaronenses Landammani, firmatum. Sic Episcopatus cum designatione proventus certi lucrosam transactionem litis sortitus est, qui antea amissionem perpetuam metuere poterat. Neque id vitio potuisset vertere quisquam, qui impensarum magnitudinem, fortissimorum virorum amissionem,

ne praefato committimus eidem Magn. Dn. Mastino praenominato observare illa pacta et conventiones, quae per nostram aliam patentem litteram permittimus eidem eodem Anno penultima die Junii. In quorum testimonium praesentes litteras sigilli nostri munimine jussimus roborari. Datum, ut supra, Anno, die, Mense praedictis.

c) Vid. la Valtelin. pag. 15 - 23.

sionem, et simul Episcopi ingratum ad omnia animum mente revolvit. Quis enim lubens in sinu viperam fovet? Ex dictis vero lector benevolus de assertione illorum judicare poterit, qui ad ravim usque inclamant, per intromissionem religionis Evangelicae in Raetiam Episcopatum ad incitas esse redactum.

CAP. X.

Incommoda plura in rem nascentis Evangelicae Ecclesiae ex stabilitione articulorum Ilantinorum derivata, nempe Ecclesiastarum paupertas, et inde orta paucitas. Subreptio pravorum operariorum. Institutio SINODI Evangelicae, et Monasterii D. NICOLAI Curiae in Scholam publicam conversio.

Interea vero quantumvis articuli a Proceribus lati communi Status utilitati permultum adtulerint, mox tamen docuit tempus per illos etiam aliqua in Ecclesiam nascentem derivata fuisse incommoda, per quae Evangelii progressus non parum sufflaminatus fuit. Primum fuit, quod post articulos in exsecutionem missos Sacrorum Mystae in extremam miseriam conjectos se viderunt; tantam sane, vt quo vitam traherent, aut familiolam sustentarent, plerisque vix suppeteret. Fieri id aliter non poterat Purgatorii igne exstincto, precibus pro mortuis abrogatis, legatis anniversariis ad primos testatores redeuntibus, auricularibus confessionibus abolitis, et funebri pompa, quae Ecclesiarum parochis lucrosa admodum erat, in aeternum valere jussa; quare obturatis omnibus fontibus, ex quibus olim in culinam Sacerdotum opima indidem spolia promanabant, nunc totum Ministri stipendium a mediocri quodam salario, quod quaevis Communitas ex effectis, ut illi videbatur proficuum, dependebat, sed quod ad familiam honeste et cum decore alendam plerumque tenue nimium erat. Inde evenire debuit necessario, ut in illis locis, ubi numero pauciores publicum exercitium cum paro-

parochiae reditibus non obtinebant, ille vel illi qui Miniſtrum cuperent, deberent propriis ſumtibus adquirere: quod quia impendioſum erat, abſterrebat facile bonos alioquin homines a novae doctrinae amplexatione. Neceſſitas igitur etiam ſaepius doctos et probos Myſtas bonis dentibus male comedere cogebat, et ad inediam propulſandam tenebantur alii manuarias operas etiam exercere, alii agriculturae taedia tolerare. Per hujusmodi vero diſtractiones non modo fervens ille, in primis Praeconibus ad annunciandam et inculcandam Evangelii doctrinam, calor ſenſim refrigeſcebat, ut pene interiret, ſed etiam tempus, meditationibus ſacris concedi debitum, auferebaur. Vileſcebat proinde etiam ſacri ordinis decor et dignitas, quum nemo paullo generoſior ei vitae generi ſemet filiumve ſuum addiceret, in quo praeter aerumnas et taedia innumera, etiam famem continuam tolerare cogeretur. Exprobrabant equidem ingratis cuculis avaritiam adeo deteſtandam ſatis libere boni omnes, indignantes quod in Sacerdotes qui fere nonniſi miracula, fabulas et mendacia crepabant, fuerint adeo liberales, nunc Miniſtros, omni ſtudio pro eruendo S. litterarum theſauro ſollicitos, inedia tantum non perire paterentur. Verum ſurdis plerumque canebatur fabula, et parallelae ſunt continuo Comandri, Gallicii, Fabricii, Eglini aliorumque querelae, ex quibus integrum volumen liceret contexere, ſi quid inde ad inſtitutum noſtrum redundaret. *)

*) Comander *ad Vadian.* 23. *Aug.* 1527. De Evangelio quid ſcribam? Serpimus humi, limace lentiores ſegnioresque. Pars bellis ſtudet infeliciſſimis, pars avaritiae, pars papiſticae impietati, pars placidae vitae ſtudioſa, nihil quod quieti officit, aſſumit; et quod peſſimum, non eſt in magnatibus noſtris ſtudium aliquod pietatis nec honeſtatis, nec juſtitiae ſaltem Ethnicae: ſed flavent omnia, marceſcuntque indies, ut non parum Eccleſiae noſtrae timeam, niſi Deus optimus ſua ſolita benignitate ſuccurrerit, fomentaque potiora praeſtiterit. Veſtrum itaque erit orare ad Dominum pro nobis, ne jactum ſemen ſpinis omnino ſuffocatum pereat. Ibid. ſcribit ſe animum ad Hebraicas litteras applicuiſſe, lippitudinem vero oculis adtraxiſſe, ea propter Vadiani opem implorat.

Gallic. ad Bull. d. 7. *Aug.* 1553. Res Evangelica in noſtris Foederibus frigida ubique ſit, partim noſtrum, qui Doctores ſumus populorum ſalque terrae, negligentia et injuria, partim mortalium nobili ingratitudine qui Miniſtros Evangelii tantum non enecant fame. Certe Ego hic vix diu ferre potero, quocunque me vocet Dominus. Sunt fortaſſis nunc tempora illa, in quibus frigeſcit caritas, abundet iniquitas, ſintque homines ſui amantes et avari, &c.

Id.

Adeo omnes Eccleſias pervaſerat haec calamitas, ut neque ſummi illi, quos adduximus in Raetico orbe, viri ab ea incolumes aut immunes eſſe potuerint. Certe indefeſſus ac prorſus adamantinus ille Gallicius cum omni ſua opera quam omnibus Eccleſiis navabat promereri tantum non poterat, ut familiam absque ruſtico labore ſuſtentare valuerit, et filios quorum quinque habebat ſuopte ad artem quampiam liberalem promovere. Is enim quando primogenitum Alexandrum domeſticis litteris imbuiſſet, deſtituebatur omni ſubſidio, per quod ad ſuperiorum artium culturam perduci debebat; demum opem imploranti adfuit Bullingerus, qui beneficium illi Baſileae impetravit: quo fruens vitam *adapanon* ducere potuit, et litterarum penu ſe inſtruere, cum quo

Id. ad *eund. d.* 18. *Febr.* 1553. Poſt plura adducta ſupr. Cap. II. Nos qui concionamur frigidiores ſumus nunc, quam fuerimus olim ab initio. Quidam totos dies manibus operantur, ac die Dominica cum eſt concionandum, libellum aliquem obiter ac paullisper inſpiciunt. Coguntur tamen operari cum Salarium ipſorum ſit Rhenenſium ſexaginta, aut 50. aut 40. Non deſunt apud nos qui avaritia madent: hi in omnibus quae loquuntur aut concionantur, diffluunt dormitantibus ſimiles, et protrita quaedam vulgariaque perpetuo volutant. Humano capiti cervicem pictor equinam, noſti Horat. carmen agitatum aliquando inter primores noſtrorum Foederum de abigendis omnibus advenis concionatoribus Italorum fratrum odio, qui importunius omnia agere videntur, ac vix nobis accedunt, homines ſemper cupidi rariorum et magis novarum neſcio quarum rerum. De his propediem forſan ſcribam plura, nam ipſe denuo Clavennam a Vergerio nunc vocor; quo tamen ire mihi conſultum non videtur pluribus de cauſſis. Epiſcopum Curienſem nondum deprehendimus aliquid contra Evangelium moliri, et nos hic humaniter alloquitur ac tractat, maxime Comandrum in conviviis, ſi quando deſcendit in oppidum noſtrum una cum civibus convivatum. Nobiſcum tamen haudquaquam ſentit.

Id. Eid. 6. Mart. 1553 litteras tuas accepimus quibus Vergerio reſcribis ac nobis conquerens de perniciosa noſtrum tenacitate. Certe crudeliter in ſeipſos ſunt avari, dum bonis paſtoribus carere malunt quam numerare quibus illi vivere poſſint. Proh hominum ingratitudinem! quibus olim pro mendaciis centum aureorum coronatorum liberaliter dabant, iis nunc pro veritate quam praedicamus maligne perſolvunt viginti. Nos quidem hoc ipſum clamamus ubique et quibuscunque poſſumus modis, ac quotiescunque datur inculcamus, fore propediem ut neque concionatores neque Miſſatores ſint habituri. Sed ſurdo quod dicitur narramus fabulam. Mittunt quidem nonnulli liberos ſuos in Scholas ut diſcant legere, poſſintque rationes ſuas ſcribere: pauciſſimi ſunt qui liberos in bonis artibus cupiant erudiri. Nos tamen monere Communitates noſtras non deſinemus. &c.

quo redux Eccleſiae patriae aedificationem paravit. a) De eodem Gallicio prodidit Campellus, illum Praelongo Scanavicanorum (ubi propter uxorem nuper in Oengadina ductam una cum illa exſulabat, nec tamen ibi quoque ſatis latebat, quum eſſent qui furioſe in eum debacchantes, eum ibi occidendum quaeſiviſſent) Cerantium vallis domeſticae commigraſſe, amplis promiſſis iſtorum victum; Cerantinis quippe octavo Idus Junias anno MDXXXI. ex peſte occubuerat HULDRICUS a MARMOREA A. L. Mag. Vir doctus et pius, et primus omnium habitus qui in Raetia doctrinam Evangelicam praedicare coeperant, licet non fuerit primus eorum qui Miſſae renuntiaverunt, et hic moriens parochianis ſuis ſuaſor exſtiterat, ut Philippum ſibi in ſucceſſorem accerſerent, certa utique ſpe nixus ejus opera demum Eccleſiae rem firmandam fore. Et paruit quidem Gallicius tanto lubentior quod ſub illorum patrocinio tutam ſibi ſedem promitteret: ſed quamdiu illic haeſit, (haeſit autem biennium) validam cum nova nupta eſuriem pati debuit, ſic ut famem arborum fructibus propulſare coactus fuerit. Conqueſtus is ſaepius eſt ea miſeria fuiſſe colluctandum, ut indumentis quibus ipſe et uxor interdiu utebantur neceſſe eſſet noctu ſe cooperire, pane per multos dies caruiſſe, et carnes raro adfuiſſe: et ſeptimanas plures ſe oleribus ſine oleo, aut butyro ſolo ſale conditis paſtos fuiſſe; verbo: ſe cum familia ſaepius inedia fuiſſe conficiendum, niſi identidem cibo potuque abs ANTONIO TRAVERSIO praenobili viro Rietbergi agente, nec non etiam a CONRADO JEKLINO fuiſſet refocillatus. b) Inſignem virum JO. FABRICIUM MONTANUM obtinuerant Curienſes a Senatu Tigurino, cui in Schola Abbatiſſana Proviſor ſerviebat, et dabatur illi a Curienſibus ſtipendium tantum, quantum in Raetia nemini, et tamen plus vicies querulas ad Tigurinos miſit litteras, obtendens inprimis quod ſalarium non ſufficiat ſibi ad expenſas in oeconomiam pro neceſſitate et decore erogandas, eapropterque tum a Curienſibus dimiſſionem, tum a Tigurinis revocationem expetiit. Verum exauditus a neutro fuit, ſiquidem et Eccleſiae, et Reipublicae per factionum ſtudia male ſciſſae ſtatus ejus praeſentiam exigebant: quod quia ipſe non ignorabat, animum tandem demiſit,

a) Gallic. ad Bull. 12. Mart. 1554.

b) Campell. Lib. II. Cap.

demisit, et remissus ad vitae usque finem in statione perduravit. c) Ingratitudine tanta fracti aliquando Blasius et Comander ambo Curiae Ministri, Ecclesiae valedicere, et sacro operi in totum renunciare voluerunt; ille quidem quia adversariorum telis impetitus nunquam non furori illorum expositus erat, hic vero quod a judicio quopiam Rhadamanteo salarium satis per se tenue ad tertiam fere partem imminutum fuerit: **) quum tamen Comander vix Curiae subsistere potuisset, ni ipsemet fuisset perdives et vixisset frugaliter. d)

Eadem

c) Fabric. ad. Bull. 29. Mart. 1563. et 27. Jul. 1562.

**) Comand. ad. Vadian. 7. Jul. 1528. Gratiam et pacem per Christum. Nactus Tabellarium commodum, meis litteris vacuum dimittere non decuit. Accipe ergo pauca quaedam, quae scriptu digna nunc censueram. Francica factio apud nos nondum exstincta est, quam severius increpare coepi quam antea: sed illi homines ut sunt corruptissimi, et ad pietatem plus omnibus Papistis ineptissimi graviter in me irasci coeperunt. Pontificiis se adjungunt potius pietatem persequentibus, quam ut quae prospere Deo auxiliante coepta sunt promovere studeant. Dein et is qui Regis Franciae partes fovet Legatus, eos qui bellis vivunt sibi adjungit, qui ipsum etiam seditionibus tueri parati sunt. Est et CATABAPTISTARVM colluvies qui se se illis omnibus potius reconciliant quam Evangelio vero. Pii interim quorum exiguus est numerus flaccescunt, et quaerunt quisque quae sua sunt. Ecce sub his oneribus et aerumnis anhelo, a solo Christo consolationem exspectans. Ego quidem si carni meae obsequerer, omnibus dimissis et infectis abirem quocunque, sed Deo propitio vocationi suae parere statui, et in ea vitam amittere satius esse putavi. Fiat voluntas Domini. Optimates mei jam jam Comitia celebrarunt, ex quibus haec sunt praecipua quae prodierunt. Bella indixerunt quantumcunque strenue potuerunt. Pontificiis nostris consistorium abstulerunt. Episcopo Dietam ad petitionem suam in primam Augusti Dominicam statuerunt etc.

Id. ad Bull. Kal. Febr. 1541. Commendata illi curta supellectile studiosi Pontisellae, inquit „quod Ego possum est perexiguum. Nam Sacerdotium meum ita est decurtatum ut mihi sit tenuiter et sordide vivendum, et nisi provectioris jam essem aetatis, resignata hac, aliam ubicunque mihi conditionem acciperem, quapropter sit ille vobis commendatus — Ministri verbi fame necantur et macerantur apud nos.

Id. Eid. 18. Febr. 1544. Gratiam et misericordiam a Domino. Litteras humanitatis Tuae quamvis non suo tempore redditas accepi carissime Bullingere

Eadem tempora quae ejectionem imaginum, et puri Evangelii praedicationem admittebant, eadem pleniſſima erant ſtudiis partium politicis, ab exteris Principibus, Caeſare nempe ipſo et Galliarum Rege fomentatis. Inter has animorum diſtractiones frigebat ſtudium pietatis, congelabat religio tota quanta, et nobiliores in populo majorem corruptionibus ac penſionibus quam Evangelii praeconio adtentionem exhibebant; hinc fiebat ut duplus piis viris accreſceret labor, unus contra ſuperſtitiones, alter adverſum invaleſcentes corruptiones et inundantem impietatem. Sed quantumvis illas haud infeliciter debellabant, tepida tamen dura et inflexibilia inveniebant corda, quando renunciationem corruptionum, ſtudium caritatis ad promotionem veritatis, et alia pietatis officia urgebant. Expreſſit tepor iſtiusmodi graviſſimas piis Reformatoribus querelas, quae indices nobis ſunt ſufficientiſſimi, eam quae facta eſt repurgatio, radiis coeleſtis lucis omnem vim et originem debere, nullam hominum ſtudiis, aut ad eam promovendam conatibus.

lingere, quibus me hortaris ne officio ſive vocationi meae renunciem, et ne oviculas Chriſti curae meae concreditas temere deſeram. De his multis verbis eſſet agendum, ſed vires mihi non ſunt, nec ad ſcribendum pro aegritudine capitis aptus ſum. Haec igitur prima cauſa eſt quod huic vocationi deinceps penitus impar ſum, effaetus fere omnibus viribus, nam curis et laboribus referta vires meas longe ſuperat. Alia cauſa ante annos ſex, quum me penſionariis nebulonibus opponerem pro concione, prout officium meum exigebat, illorum rabiem in me concitaveram, ut de Sacerdotio meo (quod alias exile erat et tenue) in ſingulos annos 33. aureos Rhenenſes decerperent. Ego hucusque toleravi injuriam hanc, ſed interim quantum decerpſerunt, tantum de meis et uxoris meae bonis aſſuere coactus ſum; adeo ut ſi diutius ferendum fuiſſet, liberi mei poſt obitum meum ad mendicitatem redacti exſularent. Tamen antequam molirer quidpiam, Senatui pauperratem meam et propoſitum meum indicavi, qui auctarium 20. aureos in ſingulos annos addiderunt. Ego his contentus, et quia tumbae proximus diem Domini in Vocatione hac exſpectabo. Caeterum collega meus frater dilectiſſimus gravi affectus injuria ut Tibi coram expoſiturus eſt, indeque offenſus ut renunciare propoſuerit, et in animo ſuo firmiter ſtatuerit. Rogo igitur atque obſecro charitatem tuam ut illum dehorteris et a propoſito ſuo quantum potueris abſterreas. Nam Ego niſi Deus meliorem valetudinem daturus ſit, quaſi defunctus reputandus ſum, et ipſo recedente, Eccleſia in totum deſtituta eſſet. Caetera ipſe tecum enarrabit. Vale ex Rhaetiae Curia.

d) Fabric. ad Bull. 9. Septembr. 1560.

bus. ***) Quis crederet potuisse Communitates, quae idola ejecerant, adduci ad eadem rursus refigenda et suo loco restituenda? et quis existi-

***) Comand. ad Vadian. 12. Mart. 1530. Gratiam et pacem per Christum. Quum de rebus nostris scribendum est, Vir prudentissime, consternitur animus meus. Nam quae delectant rara sunt, at quae exanimant frequentia, cum quod major pars Rhetiae Evangelio adversa, tum quod optimates (etsi indigni hoc nomine) fere omnes, tum plebs frigidior glacie, avaritiae studiosi, lucris inhiant, ut tandem nihil exspectem aliud quam Deum optimum ablaturum a nobis Evangelium suum et daturum genti alteri quae fructum ferat. Nec immerito. Ingrati enim sumus maximo beneficio, imo conculcamus et blasphemamus, ut pro nostro genio sumus populus audax, pertinax, et stultus, ut facilius ferissimas feras domares et dirigeres. Abrogamus missas dum libet, postea refigimus et restituimus: quidquid nostris stultis placet capitibus hoc bonum censemus, ita ut ex uno Papa prostrato multa millia surrexerint: ex uno Antichristo occiso innumeri enascantur indies. Sed quid Tuae Dom. aures multis obtundo? Sumus terque quaterque miserrimi. Deus optimus convertat corda nostra, et suo Spiritu imbuat. Nostrates timent Volturenae suae, ex hoc quod ferunt Mussio nebulonum Principi cum Duce Mediolan. satis convenire, sed quid parent non constat. &c.

Id. ad eund. 17. Aug. 1531. „Evangelium ita apud nos viget, ut penitus indigni simus Evangelico nomine appellari. Deus Opt. meliora praestet incrementa, qui et Te superstitem nobis conservet.

Id. ad eund. 5. Decembr. 1531. „De rebus nostris quid scribam? Omnia aegra ac titubantia conspicio, ac nisi Christus Dominus suffulciat citius corruent: Ego tamen bona spe ducor quod Deus et Pastor noster nos nondum penitus abjecerit, sed cruce salutifera nos exercendo, nos in statum optimum reducturus sit.

Id. ad eund. 10. April. 1532. „Novarum rerum, doctissime Vir, non puto quicquam esse tuis auribus dignum apud nos Rhaetos. In rebus divinis tepidi plus satis, in carnis cura nimis servidi, tamen per Dei gratiam inter Evangelicos et Papistas nullae admodum sunt turbae. Speramus itaque a Deo indies meliora qui etiam ad dandum promptissimus esset, nisi nos ad precandum segnes, et ad accipiendum ineptos ingratosque et insolentes in prosperis praesciret &c.

Item ad eund. d. 8. Jan. 1534. De Evangelii profectu apud nos scio sinceritatem tuam cupidissime audituram, at nihil habeo quod scribam: eodem modo habemus. Nihil accedit Christi partibus, nihilque decedit, nisi quod tepidio-

existimassет eodem plane modo solitam fuisse excipi tam concionem Evangelici Ministri, quam declamationem sacerdotis missifici? Et tamen haec duo plerumque piis Mystis causae erant tristitiae effusae, eo quod identidem daretur vanum suum fuisse laborem, et cursum omnem in vanum. Non potuit sibi temperare egregius ille Comander, quin exclamaret de cordis angustiis: „Ingrati sumus maximo Evangelii beneficio, quia conculcamus illud, et sumus populus audax pertinax et „ stultus. Abrogamus missas dum libet, postea refigimus et restituimus: quod nostris capitibus placet, hoc bonum censemus, sic ut ex „ uno Papa prostrato multa millia surrexerint, ex uno Antichristo occiso innumeri indies enascantur. Item alibi: In diruendis et demoliendis caerimoniis sumus satis prompti: sed in aedificandis et construendis iis quae Christiana caritas exigit, sumus plumbei et cochleis segniores. „

Ingrata ista atque nefanda in Evangelii Ministros tenacitas, mox tantum impedimentum cursui Evangelii adtulit, quantum vix ulla clades objicere potuisset. Quippe quando primos Praecones morte decedere contingebat, non reperiebantur novitii, qui eisdem in Ecclesiis sur-

tepidiores sumus indies. Deus sua gratia causae suae, et nostrae subveniat, qui et Te conservare dignetur salvum anima et corpore. Amen.

Et. d. 7ma Kal. Sept. 1535. De Ecclesia Christi, quae hic apud Rhetos degit, semper optima quaeque scribere gestirem, nisi tepiditas nostrae vitae calamum impediret. Accessit nuper Ecclesiola Christianae fidei, Missas abjecit papisticas, caeterasque caerimonias inutiles amovit. Ita in diruendis et demoliendis caerimoniis sumus satis prompti, sed in aedificandis et construendis iis quae Christiana veritas exigit, sumus plumbei et cochleis segniores. Ex Italia nihil fertur scitu dignum, nisi quod Caesarem ajunt victoria potitum in Cartaginem, de qua omnibus Christianis meritò gratulandum est. Sed Papistae nostri hoc anno gestiunt, ut Caesar confectis rebus transmarinis, omnem aciem omnia tela et tormenta in Evangelii cultores convertat. Quae tamen vere fideles minime terrent, quum divina Scriptura mentes erudiat et erigat. Prov. XIX. Multae cogitationes in corde hominis sunt: consilium autem Domini stabile est. Vale Vir eximie. Curia. Septimo Kal. Sept. 1535.

Cliens Tuus Comander.

surrogari e) potuissent, sed neque spes ulla erat quenquam ei vitae generi suos adplicaturum alicujus spei futuros, in quo praeter labores et aerumnas adhuc infanda inedia toleranda erat. Deficientibus igitur indies Pastoribus aliud medium ad conservationem Evangelii non supererat, quam ut qui residui adhuc erant, laborem inter se dividerent et fraterne exantlarent. Inde factum ut uni saepissime obtigerit tota inspectio integri alicujus districtus, sub quo quinque sex et plures adhuc Ecclesiae continebantur. Tanto vero difficilior omni Ministro dispersa ejusmodi cura erat, quando diversa dialecto quaevis illarum Ecclesiarum utebatur. Si enim Minister illarum linguam perite non loquebatur, barbarus illis erat, nec poterat semen concipere in corde, quod aures non penetraverat. Et vero vel maxime calluerit singulas Raetiae dialectos, nonnisi per vices, terna forte (si quando celerrime fiebat) dominica cuivis coetui obtingebat suum Pastorem audiendi occasio. Sed haec irrigatio erat justo rarior, et sensim hominum animos occupabat sopor, tepor, et totalis negligentia. f) Hanc calamitatem nullae magis Ecclesiae senserunt, uti Romanico seu Raetico idiomate loquentes. g) His etenim indigenarum vix unus aut alter suppetebat,

e) Jo. Trav. 12. Novembr. 1555. De Religione in nostra Rhetia parum possumus nobis gratulari. Messis est honesta, operarii vero pauci, et illi ut plurimum segnes atque inertes. Ministri Curienses Comander et Gallicius pro virili fideliter laborant: adjutores conatuum eorum perpaucos habent. Si Dominus non miserit operarios plures in vineam suam, vero sterilescet. Olfacio hoc apud plures Ecclesias, quae mortuis earum Ministris qui eas orthodoxe instituerunt, Successores autem aedificata potius demoliri patiuntur, quam bona fata colere vigilent. Hortor Te humanissime Bullingere, ut tuis Christianis monitis fratres et Symmistas nostros stimules, officiique eorum et concrediti Talenti memores, Ministerio fideliter praesint verbo et vitae exemplo. Novi quanta Tui apud nostrates omnes sit observantia et Majestas.

f) Vid. Litt. Fabric. ad Bull. d. 25. Jun. 1558. Supr. Cap. II. adduct.

g) Gallic. ad Bull. 16. Jul. 1555. „Filium meum Alexandrum, sub ea conditione ut ad aliquod annos operam eis addicat diutius Basileae relinquere non possum. Impius essem qui filio Rhaetiam privarem propter linguam cujus opera Patria indiget quam maxime. Penuria est maxima concionatorum Rhetice loqui valentium, alioqui Germanorum plus satis. Accurrunt ex agro Basileensi, Bernensi,

bat, qui tanto numero Ecclesiarum operam navasset, germanica autem lingua illis erat incognita, italica vero longius a plebis accentu distabat, quam ut ab advena quopiam exoptatus fructus sperari potuisset. Eo rerum statu Tigurinorum Antistes BULLINGERUS, qua Ecclesiam Raeticam amplectebatur cura, ad Comandri commendationem JO. PONTISELLAE Praegallo, bonae spei juveni Tiguri beneficium adquisivit, quo fultus studiorum inibi cursum perficeret, et in eo olim habitura esset Raetia virum, cujus humeris liceret Ecclesiae onus super imponere, et qui reliquos quoque suae gentis ad studia sacra informare aptus esset. Et fecit Pontisella profectus Turici haud sane leves, atque finito studiorum cursu Fabricii jam in collegio Humanitatis Ephori constituti, in Ecclesia Schvammendingensi prope Tigurum vicibus aliquamdiu cum laude perfunctus est, denique in patriam redux Scholae patriae nuper a Cathedrali Foedere in urbe Curiae erectae, multo cum fructu humaniores, necessitate postulante, sacras quoque litteras docuit. h)

nensi, et vestro, et alii aliunde plures quam vellemus, litteraturae omnis et pietatis penitus ignari. Quos etsi Synodus non receperit, receperunt tamen stolidiores Communitates quod linguaces sint, et salario parvulo contenti. Me hercle, constare non potest ut omnis potestas sit penes singulas Communitates. Libertatis nomine inducunt dissolutam quandam vivendi licentiam. Hunc volunt, quia (ut dicebant) compotrix ejus est: illum nolunt, severiorem gravioremque; superbus illis est. Istum animi vilis et abjecti amplectuntur, dicuntque humilem esse et quietum. Nos tamen in proxime futuris his Comitiis ex mandato Synodi nostrae agemus adversus illos, indicaturi quales recipiant pro concionatoribus, et quid ex iis sperandum, et quo tandem res deventurae. Ego ut ad me revertar parum pius essem, si puerum Rhetice loquentem aliis sinerem, alii non pii si qui eis minus usui esse possit, ipsi vellent sibi addictum, et non potius mittere in eum locum, in quo nemo alius commodus est propter linguam non intellectam. Item ad eund. 24. Septembr. 1555. Concionatorum nobis est inopia, non teutonice loquentium, iis non opus est nobis: Sed Raetice valentium loqui, et qui intelligantur ab omnibus &c.

h) Comand. ad Bull. 2. Octobr. 1537. Sane displicet nobis vehemens Lutheri animus, quem prodidit in scriptis contra Zvinglium. De Pontisella si fieri potest, rogo victum habeat apud vos; de amictu et libris providebo Ego et amici. Ad nos non est revocandus, nam nullum studium aut ludus litterarius est in quo possit proficere. Ego fere nihil possum. Nam Domini Curienses

Sacer-

Calamitas nunquam fere sola: Ita etiam paucitas ac penuria Ministrorum, malis operariis feneſtram aperuerat, imo portam in Eccleſias ſubintrandi. Scilicet quamprimum fama in exteras oras detulit orbatas ſtare in Raetia plures Eccleſias ſuis Paſtoribus, ſtatim undecunque ex Germania et Helvetia advolarunt plurimi, qui ſe Miniſtros Evangelii jactabant, ſed bonarum litterarum fere rudes erant. Novus igitur ſcopulus ad quem navis Evangelii impacta fuit. Etenim iſti ut nil aliud quam ſolam ſuſtentationem intendebant, ſic patiebantur ſe a paganis et ruſticis, pro levi pecuniola conduci; caeterum vero vino, gula, venere aliisque ſceleribus quia ſe polluere nil penſi haberent, majori ſcandalo, quam aedificationi deſerviebant. Attenti ſtabant Pontificis ſatellites, ad novorum Evangeliſtarum horum adventum, et inordinata eorum vitae ratione adverſa, inde occaſionem captarunt, per illorum vitia ipſam profeſſionem fidei diffamandi. Et revera videbantur boni illi diſſipatum ſuum corpus quadantenus reſtituturi, i) ſiqui-

Sacerdotium meum invidia moti inminuerunt per ſingulos annos 34. aureis Rhenenſ. eo quod gallicae factioni continuo contradicam.

i) Gallic. et Fabric. ad Bull. 4. Jul. 1558. Quod Rev. in Chr. Pater Eccleſiae Chriſtianae cauſam, non minus tibi curae cordique eſſe quam tuam ipſius ſalutem multis jamdiu argumentis edocti eſſemus, non dubitavimus Eccleſiarum quoque noſtrarum, quarum ſtatus nonnihil afflictus eſt, tutelam et patrocinium Tibi committere. Nunc Tu imagineris tibi neceſſe eſt, non nos ſed Eccleſiam ipſam ſupplices Tibi manus tendere, et obteſtari per eum, quem unice tecum colit, Dominum noſtrum Jeſum Chr. Principem Paſtorum, ne ejus cauſam ceu alienam, et ad Te nihil pertinentem, ſed communem et cum totius Patriae ſalute conjunctam aeſtimare et judicare velis. Non enim quemadmodum locorum intervallis, ſic animorum quoque votis Eccleſiae Chriſtianae a ſe mutuo disjunctae ſunt. Et ſi quae iisdem legibus ſub eodem Principe politiae continentur, unum idemque Reip. corpus conficiunt et conſtituunt. Cur nos qui multi per unum Spiritum in unum corpus baptizati ſumus, quorum idem in Coelis *polytevma* eſt, deteriore eſſemus loco et conditione? Nunc vero Eccleſiarum noſtrarum is ſtatus, ea forma eſt, ut timendum ſit niſi laborantibus ex eis nonnullis mature ſubveniatur, ne ſingulari Miniſtrorum inopia inſigne alicquod detrimentum accipiant. Nam indies et horas magis magisque comperimus Antichriſti ſatellites inquietos admodum, omni diligentia et ſtudio in ip incumbere ut laurum quaſi et diſſipatum Eccleſiarum ſuarum corpus in Foederibus noſtris in integrum reſtituant. Et certe quod jam ante vix ſemiviva membra

siquidem per malos illos operarios tantum jam iverat deperditum veritas Evangelica, ut coetus plures illorum vita offensi, alii imagines restituerent, alii dubii haererent, num priscae devotioni addictos sacerdotes advocare, an Reformatae confessioni nomen addicere deberent. Dolebant pii Ministri patriae filii collapsum Ecclesiarum statum, et ordinis sacri conditionem: sed deerat eis potestas lupos illos ab ovili abigendi; etenim Provisio Ecclesiae pendebat a Paroecianis, hi vero ajebant debere se illis esse contentos nisi omni praedicatione plane carere velint. Sed et Censura Ecclesiastica hucdum instituta nulla erat, quae enim ad aedificationem hucusque necessaria visa fuerant, Ministri fraterne communicatis consiliis peragere soliti erant; hinc fuci illi in angulis ubi se intruserant, tuti jacebant, scientes quod a nemine evocandi forent ad dandam de sui adventu, de vita anteacta, de doctrina,

membra trahere videbatur, nunc medicos suorum manus experitur, et vellet erigere aegrum alioquin et humi afflictum caput, nisi singularis Dei providentia hactenus obstitisset. Enitendum ergo nobis erit, ne adversarii plus operae Antichristo quam nos Christo Servatori nostro navasse comperiamur. Te ergo Pater noster in Christo Reverende enixe rogamus, imo quod amplius est obtestamur etiam per adventum Domini nostri Jesu Christi, ut quoniam Davosiana Ecclesia, quae tertii Foederis Princeps caput est, Ministro destituitur, ejus rei curam suscipere velis, et quam hactenus aliis Ecclesiis piam operam praestitisti, eam nobis neutiquam denegare velis. Is est Eccl. Davosianae status ut opus habeat Viro aliquo cordato, non novitio, et quod petitionis caput est, qui sit moribus integris et probatis, et omnium minime detestando ebrietatis vitio obnoxius. Atqui difficile est, dicat aliquis, patrio solo, cum conjuge et liberis avelli et difficillima via per invias Alpes eniti. Verum quidem id est: Sed illa tergiversatio quae hodie nimis frequenter quibusdam in ore est, non nos excusabit cum ad tribunal Christi ventum erit. Privatum commodum Ecclesiae utilitati merito est postponendum. Nec ita uni loco affixi ac addicti sumus, quin si aliorsum vocemur, vocanti Deo non sit reluctandum. Nec est quod exempla longe petantur eorum qui licet bene de Ecclesia meriti missi sunt, et non inviti, quia ita Ecclesia utilitas postulabat, obtemperarunt non sine rei familiaris jactura singulari. Tuum erit Rev. Pater, efficere ut appareat potiorem apud vos semper fuisse Ecclesiarum quam personarum rationem, ne qui hanc semel subierunt aleam perdi potius quam missi videantur, ne quod pietatis in vobis opus fuit, privati affectus suspicionem incurrat. Davosiani pollicentur stipendium centum et triginta florenos annuos; hactenus nonnisi centum fl. annuos expenderunt. Da operam vt, quae Tua est pietas, intelligamus preces nostras apud Te aliquod pondus habuisse.

de moribus, et aliis ad fidem ac *'evtazian* neceſſariis, rationem. Tantum potuit Democratia ſeu potius *Atazia* ſecum tuliſſe malorum.

Ne igitur ex inordinata iſta licentia Eccleſiae ruina metuenda foret, reſidui Miniſtri patriae filii, apud ſupremum Reip. Raeticae conſeſſum periculum Eccleſiarum expoſuerunt, et ut conſilium hanc in rem ſuum acceptetur ſubmiſſe poſtularunt. Conſiſtebat illud in eo, ut quotquot in Raetia Evangelium praedicant quotannis ſemel ſaltem in unum congregari jubeantur: illi vero congregationi, ſeu SYNODO, ſupremam facultatem demandandam eſſe extraneos quosvis in Raetiam advolantes Miniſtros, Proſelytasve audiendi, atque num ad docendum ſint apti examini ſubjiciendi; item ne Eccleſiae extraneis aliunde pulſis ſacerdotibus onerentur, a locis unde exceſſerunt, vitae teſtimonia exigendi; praeterea in officio Domini negligentes docendi, exhortandique; in ſcandaloſos denique benevola et amica reprehenſione non ſufficiente, excommunicationem exercendi, illisque omnem ſacri muneris functionem abjudicandi: eo enim Tribunali conſtituto futurum ut qui ſuam in docendo habilitatem non probaverint, aut vitae maculis offendiculo exſtiterint, ceu infelix lolium e Paſtorum Eccleſiae numero mature ejiciantur, effraenes coerceantur, negligentes impellantur, fideles denique et impigri erigantur et confirmentur: ne vero ſalubria inſtituta ruant, Eccleſiarum et Magiſtratuum eſſe in electione, ordinatione, et cenſura Paſtorum a ſanctae hujus Synodi diſpoſitione totos pendere, cavereque omnino ne ulla Communitatum quem retineat qui abs dicto Tribunali ſacro ordine indignus fuerit judicatus, ſeu ob malefacta Miniſtrorum numero excluſus: eo demum modo aedificationem ſperandam, et in Domini ſanctuario cuncta decenter et cum ordine peragunda fore. Placuit ſupremo ſenatui pientiſſimorum Eccleſiaſtarum expoſitio: proinde illorum poſtulationem quoad omnes partes ratam habuit, auctoritatem Synodi Diplomate ſancivit, ſupremum illi patrocinium addixit, et ad ſedulam pro Eccleſiis curam animavit. Exſtat Inſtrumentum ea de re confectum, appenſo cathedralis Foederis ſigillo roboratum, extraditum Anno MDXXXVII. die XIV. Jan. et poſtea recen-

recentioribus Edictis saepius confirmatum. k) Hic obex irruenti corruptioni positus Ecclesiarum saluti omnino consuluit semper: quare a dato illo Diplomate ad hunc usque quo vivimus annum, quotquot in Raetia Ecclesiarum Pastores agunt, in locum communibus votis destinatum, Junio medio fere mense quo montium cacumina meabilia fieri incipiunt, in Synodum confluunt, quam diebus aliquot celebrant, et ea durante in Ecclesiarum statum inquirunt, casus oblatos omnium ventilationi subjiciunt, abusus corrigunt, negligentes officii admonent, novitios sacrum ordinem ambientes, examini doctrinae et vitae subjiciunt, probatos sacra

k) Tabulae tales sunt. *Wir gemeiner dreyen Pündten gesandte Rathsbotten zu Chur tagend by einander versambt, bekennen und thün kund menklichem mit dem Brieff, das uff hüt sins datums für uns in gesessenem Rath kommen und erschinen sind die Ehrwürdigen, Wohlgelehrten Predicanten und Hirten des Evangeliums unserer dryen Pündten landen, und uns erscheint alsdann zu predigen das Evangelium nothwendig seyg, das göttlich Wort uffrecht und wahrhafftig fürzehalten, söllichs auch nit mindet mit züchtigem Wandel, frommen läben, guten Exempel vorzetragen, hierinn Ihnen ob söllichem ernstlich zehalten Insächen thun gebüre und zustande. Und ob aber jemand in söllichem Amt an der Lehr oder an seinem leben ergerlich, unehrbar, oder ergerlich in einem Stük oder dem anderen erfunden würde, demselbigen von söllichem zu wysen, warnen, ermanen und straffen, haben. Und wa aber söllich gütig, fründlich Warnung, Ermanung und Straff an Ihm nit ersprieſſen und Beſſerung bringen möcht, Ihn ganz und gar bannen und auffschlieſſen und des Amts untuglich und unwirdig schetzen und halten. Zum anderen so dann fremde Predicanten in unser Land ziehen und verfügen wurden, das sy dieselbigen zu verhören und examiniren gwallt habend, ob sy geschikt gnugsam in der Lehr, auch Kundschafft ihres Wandels und Läbens, von denen Enden und Orthen da sy vor gewohnet haben von Ihnen zu erfordern, damit man nit mit frömden anderswo vertribenen Lüthen betrogen und überfürt werde. Sollich ihr ernstlich Ansuchen und Fürbringen gründlich vernommen, und dasselb eigentlich bedacht und ermessen göttlich und billich geacht, und Ihnen in obgemelder Form und Gestalt zu guten treüwen, söllichs zu bruchen, üben, nachgelassen, veruolgt, vergunt, und befehlen darbey auch damit die göttlich Gerächtigkeit geüffnet, und das göttlich Wort mit der Gnad Gottes guten Fürgang haben möge. Ihnen guten Schutz, Schirm geben und sich darbey vestenklich zu handhaben. Dem allen zu wahren Urkund, mehrere stattene Sickerheit haben Wir gemeines Gottshus eigen Secret Insiegel hie auff diesen Abschaid getrukt, der gäben ist zu Chur, den vierzehenden Tag Januarii, als man zählt von der Geburth Christi unsers lieben Herren, fünffzehen hundert dryssig und siben Jahr.* Confirmatae sunt saepius uti 1560. d. 3. Febr. item 1567. d. 2. Jun. It. 1584. 29. Jun. etc.

sacra potestate et ordinis charactere inaugurant, et circa quaecunque alia salubria esse videntur, in medium consulunt. Post aliquot deinde annorum lustra, siquidem opera indigenarum Ecclesiis majori profectui servire et fidelior esse quam ulla aliorum extraneorum advolantium comperiebatur, Ministri ab Illustribus Proceribus expetierunt, ut injungeretur singulis Iurisdictionibus officium e propriis suis totidem divino Ministerio dicandi adolescentes dociles, optimaeque spei, quot ad provisionem seu curam Ecclesiarum sui districtus quaevis illarum necessarios haberent. Id vero ratum habitum fuisse non comperio.

Tandem fideles Christi servos tenuit cura, in ipsa patria bonarum artium seminarium erigendi, ut nempe ejus beneficio nunquam defuturi essent operarii in vineam Domini extrudendi, et bonae artes etiam ac disciplinae quae hucusque neglectae et incultae jacuerant caput adtollere possent. 1) Affulsit mox ad id quoque institutum spes quaepiam; existebat quippe in civitate Curia tota jam a superstitionibus expurgata Monasterium Divo NICOLAO sacrum, quod tenebant Dominicani dicti Praedicatores, sed qui mox defuturi erant, eo quod juxta legem Anno MDXXVI. ratihabitam novos incolas admittere non poterant, aut potius adscribere novos prohibebantur. Antequam igitur Foederis cathedralis Communitates, in dicti coenobii bona manus injecturae forent, et inter se divisurae, volvebant animo Ecclesiae studiosi consilia, qua ratione bona illa suo in statu conservari et ad pios usus converti possent. Offerebant etiam Monachi superstites semet pronos ad renunciandum coenobium una cum bonis ei pertinentibus, erga conditiones quaspiam haud iniquas. Id saxum ubi volutari intellexit vigilantissimus Tiguri Antistes Heinrychus Bullingerus, ne sub incude ferrum duresceret, captata occasione ad JOANN. TRAVERSUM, cujus tunc aevi erat inter Raetos auctoritas praeclara, et scientiae dexteritatisque fama singularis, sollerter perscripsit, et ad promotionem gymnasii publici stimulavit. Inciderunt eae litterae sane eximiae et sale multo conditae in manus meas, et eas a nemine sine fructu legi crediderim, quare illas lectori sisto contemplandas.

Cla-

1) Comand. ad Bull. Kal. Jul. 1538. — De Monasteriis hic igitur apud nos, in spem illam ut Scholae fundentur. Deus opt. convertat. Sed quousque jam ventum sit, Rodolphus noster ipse enumerabit melius, quam scribere possum.

„ Clariſſimo viro Jo. Traverſo inter Rhetos Viro primario,
„ Domino ſuo colendiſſimo.

„ S. gratiam et vitae innocentiam a Domino. Pietas et humanitas Vir Clariſs. quam omnes boni in Te praedicant, Deoque omnium bonorum datori unico gratias agunt, effecit, ut haſce ad Te litteras meas ſcribere coeperim. Volo autem iis Te in Domino hortari, ut quod diligenter facis pergas ſtrenue et ſemper agere, favere videlicet pietati, litteris ac litteratis. Nihil hic loquor de litteratis quibusdam oſtentatoribus et hominibus ſtolidis, quorum eruditio nemini prodeſt, adeoque ne ipſis quidem qui poſſident: ſed de illis loquor, qui ſcientiae ſuae conjunxerunt ſanctam et Dei et proximi dilectionem, atque ideo omnibus prodeſſe cupiunt, obeſſe nemini; qui gloriam Servatoris et dilecti Domini Jeſu Chriſti promovent, juſtitiam et innocentiam docent, veram religionem conſtanter tradunt: injuſtitiam, flagitia, libidinem et ſuperſtitionem impugnant, ſternunt, opprimunt. Hinc enim incolumitatem regnorum, multorum hominum ſalutem et gloriam, et vitam immortalem exiſtere videmus. Rurſus experientia docti certo novimus negligentia et contemtu litterarum et litteratorum perire leges, flacceſcere Res publicas, et totas peſſum ire Eccleſias. Viderunt hoc ante aliquot ſecula Pontificis Romani Conſiliari, religionem ſcil. et ritus Romanae Eccleſiae in Occidentis regna plane non poſſe transfundi, niſi inſtitutis ſcholis ex quibus prodirent, qui legibus, concionibus, et orationibus evidentibus hominum inclinarent animos. Conſtituta ſunt ergo Collegia et coenobia ex quibus prodiere Viri artibus et ad dicendum perſuadendumque inſtructi, qui uno atque altero ſeculo totum Occidentem Romanae ſubdiderunt Cathedrae. Niſi igitur inſanimus et male grati Chriſto redemtori eſſe volumus, ſcholas etiam noſtro ſeculo inſtaurabimus, in quibus artes quidem ſobrie, et in primis divina puritas religionis biblica adoleſcentibus diligenter tradatur. Ex his enim prodibunt haud dubie poſt annos aliquot qui ſuperſtitionem et omnem injuſtitiam accuſabunt et damnatam in exſilium deportari efficient, rurſus qui verae religionis et juſtitiae doctrina patriam ſalvam et gratiſſimas Chriſto Eccleſias conſervabunt. Vides pro tua prudentia, quantum patriae et Eccleſiae bonum exhibeant, qui litteras reſtituunt et litteratis adſunt. Jam vero quid

„ apud tuos possis non ignoras. Nec quid debes nescis. Quid „ igitur restat aliud quam ut totus e viribus omnino omnibus tuis ad „ studia reparanda et conservanda convertaris? Vivit enim, aeter- „ num vivit, qui pro hoc pulcherrimo et honestissimo instituto tuo „ lauream Tibi paravit. Dominus Jesus servet Te. Tiguri. 21. „ Febr. Anno 1539. Salutabis Antonium Traversum. „

Heinrychus Bullingerus tuus.

Quin haec litterae multi apud Traversium ponderis fuerint, mihi quidem nullum est dubium; reperio enim ex tempore illo inter duumviros illos litterarum commercium adeo frequens, quale inter conjunctissimos foveri solet. In aestimationis quoque *krityrion* servire potest Editio Epistolarum Orthod. Vadiani, quam Bullingerus Traverso suo paucos menses post inscripsit. m) Neque emisit vigilantissimus Antistes foetum litterarium ullum, cujus exemplar amico non submiserit, nec factum ullum in Ecclesia memorabile accidit, cujus Achatem non reddiderit participem. Interea Monachi Dominicani conventione cum cathedrali Foedere inita coenobium una cum reditibus resignarunt: quo facto Monasterium ex communi Foederis consensu in publicam scholam seu Gymnasium conversum est, omnibus simul ejus bonis ad Lu-

m) Transmisso exemplari sequentes stant annexae datae 28. Aug. 1539. Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Quae nomini Tuo dedicaverim vides vir Clarisse. Oro autem ut studium et munus meum qualecunque eo animo accipias quo obtuli amicissimo. Paratus enim sum Tibi Tuique similibus viris egregiis diligenter inservire. Pergite vos obsecro in via Domini sancta. Virtus immortalis est, vereque nobilitat. Conditi sumus ad imaginem et similitudinem Dei. Hanc referre debemus per integritatem et sanctimoniam in omnibus consiliis, dictis et factis. Hic scopus esse debet vitae universae. Aderit Dominus suis, qui ipsum scil. ex vero corde quaerunt et invocant. Hic satis roboris habet ut contra hostes tueatur. Hinc revera soli ii securi et invicti esse creduntur qui Domino inniti Dominum habent protectorem. Cupio Te cum omnibus Tuis in illo recte valere. Tiguri 28. Aug. 1539. Qui Tibi has offert Consul Curiensis mirum quam animum refocillaverit meum, mirum quam placuerit ejus pietas, sinceritas et modestia. Vtinam plures hujusmodi Cos. haberet Helvetia nostra. Commendabis me ei. Dominus adsit vobis.

Heinrychus Bullingerus tuus.

Ludimagistrorum seu Professorum, et aliquot scholarium sustentationem eidem adjudicatis. Dictam conversionem corpus trium Foederum ratum habuit, destinatique statim fuere viri fidei probatae, qui Gymnasio de idoneis docentibus, ut et de necessitate discentium prospicerent, et ejus Oeconomiae curam gererent; primique Praefecti curatores fuere Jo. Traversus ipse, et LUCIUS HEIMIUS Consul Curiensis. Difficile fuit in ea salarii tenuitate extraneos allicere huic oneri humeros supposituros: expetierunt igitur Cathedrales a Tigurino Senatu JOANNIS PONTISLLAE, quem illorum subsidiis elevatum fuisse supra memoravimus, operam ad annos binos, tresve n). Tigurini Ecclesiae servituri lubentes Pontisellam Raetis dimiserunt, neque amplius revocarunt: quare hic Ludimagistri seu Professoris in Gymnasio Cathedrali munere ad vitam usque cum laude et profectu defunctus est, quam beate finivit Anno 1574. o) Ei licet invito collaborator datus fuit SIMON LEMNIUS EMPORICUS, Monasteriensis Oengadinus, Poëta laureatus, Vir alias doctissimus, qui Wittebergae ad LUTHERI et MELANCHTONIS pedes, Musis litaverat, sed vitae minus probatae

n) Vocatoriae exstant nomine oratorum Foederis Cathedr. scriptae, et sigillo Curiensis civitatis corroboratae dat. 28. April. 1543. Archiv. Eccl. Tig. Th. B. Tom. XXXVI. fol. 34.

o) Ardüser Stemmatogr. p. 93. Johannes Pontisella *aus Bargäll ist im 24. Jahr seines Alters Fendrich auff des Steig gewesen, nachdem zu einem Doctor beyder Rechten promovirt, deshalben mit einem herrlichen Wapen verehret worden. Er ward Chorherr des hochem Gstiffts Chur, als darauff im 1526. Jahr aus Ansehung der Pundsherren ein Gespräch der gelehrten der Religion und Glaubens halben gen Ilanz bestimt und angesehen ward, hielte sich gemeldter Herr Doctor zu den Lutherischen, vermeint die Religionsenderung wär billich, Christlich und nothwendig, hat auch in eigner Person etliche Legationes zu Ihr Kayf. Majestät* Carolo V. *wohl verricht. Er ist Gott bevochen Anno 1529. Sein Sohn Johannes hat zu Chur die Jugend ob 30. Jahren in griechischer und lateinischer Sprach underwisen: er hielt die Jugend mit Vorleüchtung eines mässigen Lebens, hoher Gedult, Demut, Zucht, und Fromkeit in strenger Disciplin und guter Ordnung. Es sind vil vom Adel und sonst erhöcht im Regiment, und andere so der Kirchen vorstehen, so all von diesem Schulmeister gelehrt worden. Ich bin 3. Jahr sein Discipel und Tischgänger gewesen: er war auch des heimlichen Raths zu Chur, hat auch zu Zürich acht Jahr das Provisor-Amt versechen. Er hat sich allwegen schlechter und chr-*

batae et calami virulenti. p) Relegatus ille fuerat paullo antea ab Academia Wittebergica ob editos Anno 1538. Epigrammatum libros duos, Alberto Archiepiſcopo et Electori Moguntino dedicatos, ſed obſcoenitatibus et contumeliis pleniſſimos, eapropterque ſtatione carebat q): verum in ea fidelium operariorum raritate, vel qualescunque retinendi erant, dummodo litteris inſtructi et ad docendum apti. Caeterum Lemnius ſpartam ſuam ad vitae usque finem, quam illi peſtis Anno MDLXIII. adtulit, non ſine laude exornavit. Reperio quoque primis quibus ſchola fundata eſt annis tantum confluxiſſe undiquaque ex

ehrbarer Kleidung gebraucht; darzu ſein anerboren Wappen nie wollen führen. Er hat ein groſe Freud und Ergezlichkeit ab dem ſchön glänzenden neuen Stern ſo Anno 1572. neün Monat in aller Höche am Firmament erſchienen iſt; er ſtarb Anno 1574. auf welches todlichen Abgang am 23. Julii zu Chur 150. Häuſer, 14. Perſonen, und gros Gut verbrunnen iſt, was hinder St. Martin und hinaus bis gen St. Margrethen, dies und jenethalb der Pleſſur war, das verbran alles. &c.

p) Comand. ad Vadian. 4. non. Maj 1540. adduct a Goldaſt. Rer. Alam. Tom. III. p. 155. „Gratiam et pacem a Domino. Litteras humanitatis tuae per Leonardum fratrem noſtrum accepi, atque ea quae continebant cupidiſſime percepi. Nunc vero Tabellarium nactus adeo commodum abſtinere a ſcribendo non potui, quamvis argumentum fortaſſis minus dignum ſit tuis auribus. Duo habuimus Monachorum coenobia Curiae, (quemadmodum novit et vidit Reverentia tua) quae nunc Monachis evacuata et in uſum ſtudii novi converſa, initio quidem ſatis auſpicato. —— Rector ſtudii quem Ludimagiſtrum vocamus ſtipendio centum aureorum conductus eſt. Alius ſub illo et cum illo laborans quinquaginta; tertius quidam ex noſtratibus Poëta admodum doctus, quinquaginta quoque. De his omnibus tabellarius ille noſter, qui coenobiorum illorum redituum procurator eſt differere melius et commodius poteſt quam Ego ſcribere. Poeta ille Commentarios Caeſaris interpretari incepit, venitque jampridem ad hunc locum: Bojosque qui trans Rhenum incoluerant, et in agrum Noricum tranſierant, *Norejamque* oppugnarant, &c. Norejam Noribergam interpretatus eſt. Putant quidam ex auditoribus eum hallucinatum eſſe, nec in eo tractu, quem Geographi Noricum appellant, Norinbergam ſitam eſſe. Hujus itaque diſcretionem a Te Geographo peritiſſimo flagito atque obſecro. Ex Italia fertur res ipſorum indies melius habituras. Vale Vir eximie. Ex Rhetiae Curia, 4. Non. Majas 1540.

q) Vide Paragraphum hac de re prolixorem ap. Cl. Schelhorn. Amoenit. Litter. Tom. I. pag 857. ſq.

ex Raetia diſcentium numerum, ut illis docendis duo Informatores vix ſuffecerint. r) Mox etiam ſchola germanica erudiendis populi infantibus erecta fuit: et huic inter primos praefuit Vitus quidam eruditionis haud contemnendae, ſed qui ob negligentiam, et intemperantiam conditione ſua brevi privatus eſt; s) reliquos (quantum diſperſae notae produnt) obtinuere Curienſes plerumque Tiguro. Addendum et hoc, ipſo illo quo Curiae Gymnaſium cathedrale emergebat tempore, paſſim per Raetiam prominuiſſe viros doctiſſimos ex Italia nuper profugas, qui in inſtituenda juventute, praecipue nobiliorum, ſedulam et utilem praeſtare operam coeperunt. Hi erant Clavennae FRANCISCUS NIGER, Caſpani et Trahonae in Valletelina CAMILLUS RENATUS,

r) Pontiſella ad Bull. XI. Kal. Febr. 1545. „ Cum ad Te ſcribere ſuſceperim, (Scholae enim me Praefectum ſcis) ſtatum aperire tibi debebam: ſed commodius fore putavi ut eum ex D. Comandri Patroni mei ſingularis litteris, qui propediem ad Te ſcripturus eſt, cognoſceres. Inpraeſentiarum autem hoc tantum ſignificatum Tibi volo, Ludum litterarium noſtrum tanto puerorum numero eſſe obrutum, ut his docendis erudiendisque duo ſoli ſufficere nequeant. Vereor autem ne Lemnium, quem et prius adtentaverant, mihi obtrudere velint, ſi collaboratorem depoſcam. Te itaque Domine humaniſſime rogatum vellem, quo hac de re Conſuli noſtro Curienſi Lucio Heim, et Domino Jo. Traverſio aliquid ſcribere digneris. Idque ſi fiat, non eſt quod amplius mihi metuam, eos mihi Lemnio homine impuro moleſtos futuros. Authoritatem tuam (ſat ſcio) venerabuntur. Domini Commiſſarii, ut vocant, ad proxime futuras Paullinas nundinas convenient, ſi quid humanitati tuae ſcribere vacaret. &c.

s) Comander ad Bull. d. 24. Mart. 1544. Donum a munificentia Tua multis nominibus gratiſſimum accepimus, doctiſſime vir, pro quibus non quas debemus gratias referimus, ſed quas poſſumus habemus. Vitus propter ſuam in ſcholis negligentiam et extra ſcholas intemperantiam conditione ſua privatus eſt. Ad feſtum Pentecoſtes loco cedet, et ſi in illis vitiis perrexerit, citius abjicietur. Indigi igitur opis veſtrae erimus. Praefecti ſcholarum, nempe D. Johannes Traverſius cum caeteris, mihi injunxerunt, ut ad Te ſcriberem, quatenus nobis aliquem moribus et eruditione praeditum atque ad hoc officium idoneum exquireres. Et ſi talem nacti fuerint, ſtipendio centum florenorum et habitatione commoda ſuſtentabunt per ſingulos ſcil. Annos. Pontiſellam libenter acceptarent: Sed propheta non caret honore niſi in Patria ſua. Tu diligentiam ſolitam noſtri cauſa adhibeas, ac usque ad feſtum Paſchae nobis reſponſum dare digneris. Praeterea rogat Dominus Traverſus, ut lucubrationes tuas in Mathaeum et Joannem ſimul colligatas - mittas. Vale.

TUS, Pontresinae BARTHOL SYLVIUS, et alibi alii, quorum studium juxta cum Evangelii praedicatione etiam artium nitorem litterarumque lucem Raeticis terris paullatim adtulit, Deo sic bonorum conatus fortunante.

CAP. XI.

Acta DISPUTATIONIS super Mulierum baptismo habitae SUSII in Oengadina inferiore Anno MDXXXVII. exeunte.

Actorum series et temporis ordo deducunt nos jam ad enarrandam repurgationem Ecclesiarum in Oengadina; ad quam promovendam siquidem maximum contulit publica nec incelebris inter Pontificiam, et Reformatam partem, SUSII habita Disputatio, hanc nunc articulate exponemus. Quod vero partes invicem fuerint concitatae, origo et causa extitit HULDRICUS CAMPELLUS, vir de re Ecclesiae Raeticae postea optime meritus et Historicus celebris, cui litterarum studia peregre agenti, uxor domi relicta die Dominicae Ascensionis Anno MDXXXVII. filiolam enixa est; quae quia mox exspiratura videbatur, in varia consilia Casparem Campellum, Huldrici Patrem, hominem non minimi inter suos nominis et Evangelicae doctrinae addictum, conjecerat. Namque infantem absque baptismo relinquere morti proximum scelus habebatur ullo modo piandum: Evangelicorum vero Ministrorum nullus in vicinia haberi poterat, siquidem vel proximus ad tria passuum millia ut minimum distabat; ex divino autem verbo edoctus mulieribus nullam Ecclesiasticae functionis partem competere, ab obstetricibus collationem sacri roris accipere nolebat, et multo minus ab aliquo sacrificulorum, minimeque a loci parocho, qui secum ob religionis controversiam jam a multo tempore simultatem, cautione vadimoniorum inter utrumque intercedente, exercebat, et Campellum non alloquebatur, nec salutatione dignabatur.

Con-

Consilio igitur, quod festinatio et necessitas suadebant, in arena sumto, Casparus, filiolam, praesentibus aliquot mulierculis et obstetricibus, in nomine Patris, Filii, et Spiritus sancti, Annae nomine impositio, sacro rore ipsemet tinxit; ratus id factum a nemine eorum qui obstetricum admittunt baptismum sibi culpae dari; a suis vero se excusatum habitum iri, si id officii urgente necessitate praestitisset, siquidem etiamsi publico Ministri munere non esset initiatus, privatim tamen aliquot Susiensibus, qui domi suae congregabantur, verbum Dei, quantulacunque divinitus pollebat peritia, exponere soleret, Evangelicis concionatoribus qui frequenter per occasionem ad illum divertebant, invisebantque, institutum laudantibus. Sed secus omnia acciderunt. Nam quamprimum per mulieres, novis spargendis natas, baptismi a Caspare Campello nepti suae collati, rumor emanavit, omnes qui illi ob religionem novam susceptam tum Susae tum alibi infensi erant, ansam adversus illum tumultuandi arripuerunt, quo de hoc initio facto, exstirpare omnem sectam Evangelicam daretur. Igitur defunctae mox puellae sepulchrum in communi coemiterio negatum fuit, ipsa illa de causa quod modo supradicto infans fuerit baptizata; et ne id suo tantum aestu agere parochus videretur, aeris campani sonitu populus Susiensis in solitum locum, ubi publica exponuntur negotia, convocatur; quo et Campellum velut ad rostra, ad causam dicendam prodire oportuit. In eo conventu adversarii ejus quorum aliqua erat turba, Parocho instigante, et frigidam suffundente quiritare clamareque: „ Caspa-
„ rem, miserum animulam cui succurri facillime potuerit, sacramenti
„ baptismatis, et exinde salutis expertem, ex hac vita migrare peritu-
„ ram passum esse; vel si detur, baptismum ab ipso collatum non cas-
„ sum, sed ratum esse, tamen filii proprii, *nurusque* factum esse com-
„ patrem, exemplo mali ominis, inaudito, et abominando, siquidem
„ ob cognationem Spiritualem inter conjuges intercedentem causa di-
„ rimendi illius conjugii factus sit, aut si non dirimatur sceleris igne
„ piandi reum se feciisse: tot ergo rerum novarum Auctorem dudum
„ jam esse meritum qui luce et rerum natura indignus, e medio tan-
„ dem tollatur. „ Juxta verba, furore correpti, dextris gladio quisque suo admotis, jamjam stricturis similes, miserum Campellum unanimi impetu invadere, et quasi dentibus discerpere velle videbantur. Quare et Campellus imminenti periculo praestructurus in angulum

quemdam

quemdam fori, ubi turba coacta erat, se subducens, gladio et ipse instructus, vim vi propulsaturus erat, quamvis necessario succubiturus fuisset. Verum populi major pars, vita accusantium intemperie, mediam se interponens, irruentium impetum prohibuit, aperteque dixit, ut nisi placari se paterentur, se Campellum ab illata vi aperta manu esse defensuros. Ita Casparus qui ob constantem Evangelii professionem ejus generis discriminibus saepius expositus fuerat, hac quoque vice divino beneficio salvus et illaesus evasit.

Verum etiamsi Campelli Antagonistae tumultu sedato tandem se in praesentiarum placari passi sint, laeti non minus quam ille quiescere, mutuisque datis vadibus illi vicissim caverint: non destiterunt tamen procellam in Campelli caput effundendam movere. Jurisdictioni Ardeatianae eo tempore Judex praeerat Conradinus PLANTA Cernetiensis, qui cum primis Evangelicae religioni adversabatur; abs hoc in indicto quodam Communitatum dictae Jurisdictionis conventu, facile obtinuerunt, ut ad imminentia Comitia Cathedralis Foederis Curiam indicta, et Calendis Julii celebranda, publico Jurisdictionis nomine, Campellus accusaretur. Coram illustri illo Consessu postquam accusatores (namque plures ex adversariis se ordinario deputato adjunxerant) reum acerrime accusassent; et in contrarium Campellus post factam rei ut gesta erat relationem, ea protulisset, quae vel ad sui exculpationem, aut excusationem facere credebat, evincebatque se aut facto illo prorsus non peccasse, aut certe non tam enormiter, prout id a malevolis sibi exaggeraretur. Patres Foederis Cathedralis conscripti nihil certi hic decidentes, „ inquirendi distinguendi, et decidendi hanc controversiam ar-
„ tes, Joanni Bursellae, provectae aetatis Sacerdoti, Camogasci Paro-
„ cho, utriusque Oengadinae Episcopi nomine Decano, non nullius
„ auctoritatis Viro, ex jure et consuetudine commiserunt, exserta sub
„ hac declaratione decreto illi inserta: Quod si memoratus jam con-
„ troversiae huic destinatus judex compererit, auctoritate divini verbi
„ in sancta Bibliorum scriptura comprehensi, saepius dictum accusatum
„ facto suo peccasse, Magistratus Ardeatianae Jurisdictionis esse in
„ illum ex ejus merito animadvertere: sin autem ex supra dicta prae-
„ scripta lege judicarit illum ea re immunem esse a culpa, liberum
„ etiam esse debere ab omni a Magistratu irroganda mulcta. „

Equi-

Equidem dum hujus facti tractatio per ora virúm volitabat, bonus Burſella lubens dicebat, Campellum in eo, quod in Articulo neceſſitatis, infantem, neptem licet ſuam, baptizaverit, adeo non peccaſſe, ſiquidem dignior perſona ſit qualicunque muliere, et proinde rectius feciſſe, quam ſi neptem ſacro lavacro tingindi provinciam mulieribus permiſiſſet; ſuumque ipſius in medium allegabat exemplum, qui itidem Sorori ſuae genitae novae proli officium in ſimili neceſſitatis caſu praeſtiterit: ſed allato Dominorum Cathedralium ſibi mandato, accedente aliorum ſuggeſtione, dicta premere, deliberandi ſpatium ſumere, diu denique rem, antequam ad controverſiae diſcuſſionem veniat, trahere coepit. Etenim qui in Oengadina tum cum Auctoritate praeerant ſacrificuli, uti Evangelicae ſectae infenſiſſimi erant, ita cum hac occaſione de illa prorſus inde eliminanda conſilia agitare inſtituerunt; ex quibus praeter dictum Burſellam qui et mox decrepitus jam in morbum incurrit diuturnum, qui tandem in lethalem exiit, nominandi veniunt *Jodocus Reſinarius*, *S. Raſerius*, Scanfii ſacerdos, vir alias genere praeclarus et pacis ſtudioſus, et ſupra omnes Petrus *Bardus Petronius* (Pedrún) Altipontanus phalerato plane nomine dictus, Zuzienſium tum plebanus, homo omnium arrogantiſſimus, Moriaeque beneficio ſibi feliciſſimus viſus, cujus omnes conatus eo tendebant, ut ex odio et inſectatione Zvinglianae, ut clamabat, ſectae confeſſorum, ſibi nomen aeternum pararet. Habuerat circa idem tempus ſuper eodem Campelli facto, Lavinii et Guardae Petrus Flura Evangelicus Miniſter, in eum tenorem binas conciones, quibus aſſeruerat, nulla S. Scripturae auctoritate evinci poſſe, quod ſanctum baptiſmi Sacramentum a mulieribus, aut quopiam laico alio adminiſtrari liceat, vel ullo neceſſitatis obtento praetextu: Verum ut alias ſacras functiones, ſic maxime hanc a legitime ad Miniſterium Eccleſiaſticum vocatis et ordinatis eſſe adminiſtrandam; quod aſſertum quia maxime in oculos plebis incurrebat, eam maxime offendebat, quaſi plebei a ſecta Evangelica, impuri et indigni ad ſacra tractanda haberentur; hinc candente ferro cudendum arbitrantes ſacrifici, e manibus dimittendam nolebant occaſionem baptiſmi Campelliani recentis et publici ſtrepitus; ex quo etiam pateſcere ajebant, quam nulla de cauſa Evangelici ſacri ordinis dignitatem et functionis vilipenderent, et cum vel maxime poſſent, illius uti opera nollent, ſed dedita opera, privati quivis ſibi adminiſtrarent.

Hisce suis cogitatis non defore successum inde quoque animabantur, quod Philippus Gallitius, cujus industriam et peritiam ante exhorrescebant, nuper Lavinio ex Oengadina, ultra Alpes Malansium ad Rucantios migrasset, et in tota Oengadina qui Missam abrogaverant, duo tantum essent Evangelii Ministri Petrus Flura supradictus Guardensium, et Casparus Dieteganus a PORTA Scultinorum, Parochi, quorum uterque minus docti et celebres habebantur, de quibus minime ambiguam victoriae referendae spem conceperant. Et siquidem Pontificiam fidem sequentium numerus in Oengadina, longissime Evangelicorum partem superabat, ex Campelli facto, minus populari in disceptationem producto, certo sibi promittebant, futurum ut populus causae Evangelicae iniquiorem se declararet, et contra eam decreta et vires conversurus esset, ceu quae obstetricum vetando baptismum, causa esset ut multi infantes vel reapse perirent, aut cum salutis periculo decederent. Nec vana haec; nam ob dogma de obstetricum baptismate, in tantam invidiam apud plebem tracta fuit Evangelica doctrina, ut ceu saluti infantium praejudiciosa fere fastidiretur; et non modo multae communitates mordicus magis Missam tenerent: sed etiam primariis viris multis, qui Missam in suis communitatibus abrogaverant, in votis esset illam post liminio revocare. Haec consilia quando inter se statuerunt, eadem memorato Jurisdictionis Ardeatianae Judici, tum quidem morbo diutius et lethali decumbenti, communicant; cujus ut facile habent Suffragium: sic ejus auctoritate statim edictum proclamatum est, ut penultima Decembris, currentis Anni MDXXXVII. DISPUTATIO PUBLICA, SUSII, Loco ubi orta offensio fuit, ut ibidem eidem medela adhibeatur, et sic ex restincto fonte, maximo compendio cuncta curarentur, habeatur, et cum consensu statutum ut ex omnibus totius Oengadinae communitatibus dicto tempore nuntii seu Oratores adsint, qui audiant et judicent quae dicantur.

Dum haec aguntur LUCIUS STRATIUS. (luci Sdratsch) Ardeatiensium parochus, vir alias popularis et in pretio habitus, quique olim, Anno 1524. primus omnium in Oengadina inferiore Evangelicam fidem amplexus, eam intrepide praedicare coeperat; mox autem ad tumultuosum vulgi exortum strepitum, expavefactus languidiorque redditus inde ad hoc usque tempus siluerat, et adeo nihil adversus

sus Pontificiam fidem moverat, ut omnibus ab incepto destitisse videretur; is nunc ad secundum hunc populi ubique perstrepentem fremitum, insolentioresque ad suppressionem Evangelii conatus, spreto omni periculo impendente, fiducia et spiritu *desumpto*, alter, (ut se dicebat) Nicodemus prodiit, et Missam, quam breve adhuc tempus celebravit, simulque totam Papisticam superstitionem fortissime, si alius, impugnare coepit. Anthonius itidem Zanettus Cerneziensis, et Lucius Angelius, Coelinensis Ecclesiarum Sacerdotes, ostendebant etiam se nonnihil Evangelicae fidei favere, sibique illam probari, licet non tam constanter ut Stratius et longe frigidius. At Lucius Stratius iisdem supramemoratis a PORTA et FLURAE, qui soli tum in Oengadina Missa missa facta, Evangelicam religionem docebant, palam se conjungens illico litteris Malansium communi nomine missis, Ph. Gallitium, ut ad dictum Disputationi diem Susam advolet obsecrarunt, ne quod per ejus absentiam veritas detrimentum pateretur. Inaudientes caeteri per foederatam Raetiam Ministri serio rem agi, non modo Gallitio ut ad instantem Actionem se conferret Auctores et monitores exstiterunt, sed et PETRUM BRUNUM, Ilantinum, ANDREAM FABRITIUM, Davosianum, et JOANNEM BLASIUM, Curiensem, Pastores, illi Socios adjunxerunt: His quippe omnibus familiariter nota erat lingua Raetica Oengadinensis propria. Quamvis autem Disputationis dies de industria a promachis illis in Natalis Domini ferias constituta esset, ut tum a brumae immanissimo rigore quivis absterretur cui in mentem forte venerit suis auxilio accurrendi, tum et ut a montium jugis intercluſis, et circa eam tempestatem nullo plane modo meabilibus, itineribus, item labinis infestis, vel qui maxime vellet, aditu prohiberetur; quo praeterea temporis articulo ob solennitatem festi Natalis nemo Ministrorum Ecclesiis praesentiam subtrahere posset, felici tamen itinere praedicti septimo Kal. Januarias Susam appulerunt, a Flura, a PORTA. L. Stratio, itemque C. Campello, et aliis qui illos anheli exspectabant, summa laetitia excepti. Eodem etiam die adversae partis antesignani, supradictus nempe Petrus Bardus, et Jodocus Resinarius, caeterique accesserunt, ad loci parochum divertentes; quos iste Suighardus Scheggius nomine his verbis excepit: „ *Domini Presbyteri beneveneritis, et bono estote animo fratres di-* „ *lecti! quatenus enim scriptura pugnandum est vos facere finam: Quod*

„ *si vero ad manus ventum fuerit, aut armorum certamen ineundum,* „ *me finite facere; Ego gladium habeo (tractate eum quaeso) pugna-* „ *cissimi fratris mei* b. m. *Joan-Scheggii, utrinque novaculae instar se-* „ *cantem, En inquam ut scindat!* „ Eodem quoque die utriusque Oengadinae Communitatum Legati praesto adfuerunt, ad causae ventilationem audiendam prompti.

Cunctis ita dispositis, postridie coetus in Templo congregatur, coeptumque statim est de ratione disputandi disceptari; id erat cujusmodi scripturis in Disputatione uti, quarumve auctoritate niti liceret; tum et a quo controversorum dogmatum esset sumendum exordium? etc. Nam de eo jam ante convenerat, imo ita Disputatio indicta fuerat ut de omnibus inter utramque sectam controversis capitibus ageretur. Tantus autem statim apparuit in partibus dissensus, ut in quaestionem de modo et ordine disputandi, duo integri dies magna contentione absumti sint. Sacrifici contendebant praeter scripturam biblicam, in qua vulgaris translatio Hieronymi nomine nota sufficeret, etiam Apostolorum quae dicuntur *traditiones*, Patrum, seu Ecclesiae doctorum veterum dicta scriptave, *jus item Pontificium* sive liber Decretorum, pari cum scriptura auctoritate admittenda, et in disputando audienda esse. Ministri contra, licet debitum honorem laudesque Patribus, et eximiis illis Ecclesiae priscae Doctoribus, inter quos nominabant Tertullianum, Irenaeum, Lactantium, Epiphanium, Chrysostomum, Augustinum, Hieronymum, in plerisque Ambrosium, nec non in multis ipsum S. Gregorium I. R. P. etc. tribuerent; nec causae suae timerent, vel si illis judicibus standum sit, et ad eorum scripta fidei suae confessio exigenda: Quando tamen de fide agatur fundamentum solidum et absolute certum requirebant; proinde in disceptatione de rebus ad fidem et pietatem pertinentibus nullum aliud admittere volebant fundamentum quam divinum verbum, canonicis, et extra dubium agnitis libris V. et N. Test. sacro volumine contentum, ut quod perfecte omnia ad fidem et salutem necessaria contineat, nobisque perspicue exponat. Ad haec contendebant Evangelicae doctrinae defensores, in disputando observandum esse ordinem Thematum olim in Disceptatione Ilantina ventilatorum, et typis publici juris factorum. Hoc vero Sacerdotes renuebant omnino, volentes inde incipi

cipi Disputationem, unde et ob quam causam orta esset, et quod disceptationi semel consopitae occasionem ab integro praebuisset. Nempe in contentione de puerulis sine baptismo decedentibus, certam sibi ad populum victoriam promittebant, quo in certamine, quando superiores evadere contigisset, certum sibi ob semel indeptum populi favorem, gradumque ad victoriam, *trasseion* pollicebantur. Sacerdotum intentionem perspicientes Ministri in oppositum instabant, ut omnes alii articuli ceu momentosissimi expedirentur, et levissimi ponderis isthoc in finem reservaretur: sed huic cum fortius inhaerent, Petrus Bardus una cum Socio Jodoco Resinario bis in pedes exsurgentes abire voluerunt; quare ne hic praetextus solvendae Disceptationi deserviat, Ministri hanc illis obtulerunt conditionem, ut tota illa de disputandi ratione, et ordine in Disputatione observando, inter se dissensio arbitrio Oratorum a Communitatibus missorum decidenda commiteretur. Quod illi tandem acceperunt. Oratores autem ut vagis excursionibus, acriboribusque vitiligiis praecidatur, Disputationem in has leges constringendam censuerunt, in hunc modum pronunciantes, „Primum, ut „ omnium primo in ventilationem veniat primus articulus Thematum „ olim Ilantii disceptatorum, et impressorum; hoc expedito statim se„ cundo loco succedat Thema, de sacro baptismatis lavacro, infantibus „ moribundis in articulo necessitatis, ab obstetricibus etiam, vel solis „ sacratis personis conferendo, quod disputationi occasionem dedit; „ isto denique absoluto, disputantes ordinem Thematum Ilantinorum, „ ad finem usque teneant, idque hac ratione: primo utrique partium „ injunctum esto non nisi bis super unumquodque dogma loqui; me„ mores semper brevitati studeant; igitur, priorum Evangelicorum fue„ rit quae in sententiae suae confirmationem habuerint adducere: ad „ quae deinde adversarii respondeant, omnia simul adducentes quibus „ contrariam sententiam infringere tendunt. Quod si Evangelici cen„ suerint se prima vice aliquid quod dictum oportuerat, neglexisse, secun„ do replicent; minime vero dicta repetant, aut extra oleas vagentur: „ Verum ad Antagonistarum objecta respondeant, eaque confutent, si „ possint. Istis legibus Sacerdotes quoque subjecti, sua secundo con„ firment, et objecta refellentes, tandem concludant. Parti vero utri„ que exserta lex esto, non alia inter disputandum quam scripturae „ sanctae ex utroque Testamento, testimonia adducere, nec aliis ullis

„ rationibus quam inde petitis uti. Quod si super disputandi ratione „ jam praescripta, quid litis inter disputandum oriatur, Oratorum erit „ decidere quid sit sequendum. Idem etiam judices statuant, atque „ decernant super disputatis quid sit sequendum. „

Oratores autem Communitatum tantum non omnes sacra et opinionem priscam sequebantur, praeter Lavinienſem et Guardenſem, qui Evangelicorum partes satis ambigue, et frigide tutari videri volebant. Caeterum inter illos etiam numerabatur sapiens ac praeclarus ille Joannes Traverſus, qui una cum Conradino Planta concive suo a Zuzienſibus suis eo missus erat: sed et is quamvis causae differentiam et praestantiam probe perspiceret; tamen a Romanis nondum secesserat, et ab illis ut vere orthodoxus et catholicus habebatur et laudibus extollebatur. a) Quid quod uno adhuc anno ante purgationem Ecclesiae Zuzienſis, anno post auditionem praedicationis, etiam sacrificio Missae ad finem usque adstare solitus esset, et forte diutius adhuc eum morem retinuisset, nisi a Bullingero monitus, superstitioni renunciadum b) e honore suo reputaret. In hac vero Disputatione solus inter omnes, utrique parti aequus videri volens, ita se gerebat, ut utris magis faveret, aut in quam propenderet partem dignoscere nemo posset. Oratoribus omnibus praesidebat Judicis Jurisdictionis Ardeatianae, supra memorati, Conradini Planta lethaliter tum aegrotantis, frater JOANNES PLANTA nomine Cernezienſis.

Quarto tandem Kal. Januarias initium sumpsit Disputatio; disputatumque est SUSAE in templo acerrime septem totos dies, a matutino tem-

a) M. Tatius, Professor litterar. Ingolstadii. VII. Kal. Apr. MDXLI. ad Trav. Quum jam profecturus itineri accinctus esset Planta noster honestissimus juvenis, malui litteras praecipitare quum litteras non dare, ut ostenderem quanti Ego Te catholicum meum parentem facerem, cui e tanta consanguineorum copia soli scribo.

Inscript. Nobilissimo praestantissimoque viro ac Domino Joanni Traverſio Rhaetiarum primario heroi.

Domino atque parenti suo *Orthodoxo* reddantur.

b) Trav. ad Bull. 12. Kl. Aug. 1553. infr. Cap. XII.

tempore ad ingruentem usque noctem, ita ut vix tantillum otii sibi succisivi suppetere paterentur, quo pranderent, idque satis parce rapideque, quod in coena deinde pensabant, audientibus aliquod hominum centuriis. Tanto confluxui favebat etiam tempus, siquidem toto quo disputatum tempore coelum mire mite et placidum fuit. Ne vero ex conspecta in Disputantibus acrimonia, quispiam infaustus nasci posset in populo casus aut tumultus, quibusvis tam indigenis quam advenis, sub gravi mulcta in praevaricatores indicta, cautum et interdictum fuit „ ne quis durante Disputationis confluxu armis ullis, vel gladio „ accinctus, aut quicquam ferrei instrumenti penes se habens, fanum „ ingrederetur. Commissi autem inter se *Phil. Gallitius* et *Petrus Bardus*, ille quidem ab Evangelicis, hic autem a Pontificiis soli pene loquentes; quum alii partium rarissime, nec nisi a Praesidentibus judicibus rogati loquerentur. Orsus igitur Gallitius, primum illum in thematibus Ilantinis Aphorismum: *Ecclesia progenita est ex verbo Dei, nec audit vocem alieni etc.* dilucide exposuit, et rationibus ex scriptura mutuatis tam solide munivit, ut pars adversa quod heic exciperet aut culparet nihil plane haberet, verum in totum Evangelicis donarit confessione diserta illum sat bene habere; breviori sane quam olim Ilantii oppugnare tentaverant compendio. Ad Articulum ergo recens exortum de baptismo infantium a Ministerialibus Ecclesiasticis solis, an etiam a laicis obstetricibusve in casu necessitatis conferendo ad Judicum praescriptum transeuntes, disputantes certamine maxime arduo omniumque acerrimo concurrerunt, sic ut omnes hinc vires utrinque expediverint, nec quidquam quod ad victoriam consequendam aliquid habere momenti putaverunt, intactum intentatumque reliquerint.

Quando autem utrique quae ad rem facientia potuerant, dixissent, et minus elucescerent sacrificorum pro obstetricum baptismo argumenta, prout ipe magna sibi blanditi fuerant, tum judices hic in speciem quidem velut nihil eorum quae ab Evangelicis in medium producta fuere, quorsum dicta erant, intellexissent; sed revera magis (ut mox apparuit) ut illos tentarent, per quaestiones super hac re in hunc modum instituerunt. Quaerebant igitur a Ministris ut sibi pro consilio dicerent: *Occurrente casu quo nuper in lucem editus infantulus adeo morti vicinus appareret, ut verendum esset citius infantem ex hac vita discess-*

discessurum, quam sacerdotem vel verbi Ministrum accersere liceret, quid, inquiebant, *praesentibus viris vel mulieribus faciendum esse consulerent?* Ministri respondent: Ad hoc jam se mentem abunde suam minime perplexe explicuisse, prouti totus disceptationis decursus evincat: siquidem vero rursus premantur ad dicendam clare, exacte, et simpliciter sententiam, quidve in tali casu suadeant, suademus igitur acceptandi consilium B. Virg. Mariae dicentis: *Quodcunque filius meus dixerit vobis, facite* Joh. SS. illius autem filius Dominus noster Jesus Christus, illis quibus claves regni coelorum dedit injunxit, ut omnes credentes, sub quibus etiam credentium infantes comprehenduntur, regnum ingredi volentes, aut sibi oblatos, admittant; sancta signa contemnentes et rejicientes aditu arceant. Rogant: *Sed quinam illi sunt quibus claves regni coelorum commissae sunt, quorumque solorum esse dicitis fideles aut eorum liberos in Ecclesiam sive Coelorum regnum verbo Dei salvo suscipere per baptismum?* Ministri respondent: Primi illi quibus Christus has claves commisit fuerunt ejus discipuli dicti Apostoli, quibus etiam ad populos convertendos emissis in jussis dedit tum docendi et praedicandi, tum credentes solenni immersionis vel aspersionis ritu, qui baptismus est, in numerum fidelium cooptandi: Apostolis vero in officio divino surrogati sunt, et succedunt dum durabit Ecclesia, legitime ordinati et vocati Ministri. Pergunt Judices: *Sed num illorum solorum est id facere, nullorum aliorum?* Resp. Illorum solorum sane est baptismi ritu cooptare in Ecclesiam, quorum etiam est docere, et per conversionem Christo discipulos adducere, quum nemini alii Deus id mandaverit: In has vero partes nemini liceat ingerere semet nisi qui vocatus est a Deo sicut et Aaron. Mulieribus vero tantum abest ut Christus officium sacrum commiserit, aut quampiam illius partem liberam fecerit, ut eas a Ministerio Ecclesiae (ad quod baptismi administrationem cumprimis pertinere est in confesso) diserte Apostolus Domini arceat, et silere jubeat. Rogant: *Quam autem causam subesse censetis, quod Dominus nonnisi publicis Ministris baptizandi functionem commisit, et sexum sequiorem ab ea arcuit? Num forte sunt faeminae coram Dei conspectu in participatione salutis viris inferiores indignioresve? Vel an existimatis boni alioquin et integri viri manum non esse aeque bonam et puram coram Deo atque Presbyteri vel Sacerdotis alicujus?* Ministri heic videntes ipsos judices vincendi amore sui fere oblitos

oblitos qui cum parte ipsi contenderent, tam belle argumentari, ut ipsorum suorum sacerdotum dignitatem vilem redderent, et eis quosvis privatos aequarent, a risu vix continebant, interea vero ad dubitationes allatas responderunt, neutiquam Deum ob ullam similem causam, quales in medium adtulerunt, docendi munus laicis abjudicasse, siquidem in puncto salutis nullus sit personarum respectus coram Deo, nec in Christo plus sit masculus quam foemina: Sed quia Deo, qui vult ut in sua Ecclesia omnia decenter et cum ordine fiant, complacuerit ordinem hominum sibi devotorum peculiarem in illa constituere, quibus hujusmodi functiones commissae sint; cui ordini aequum est obsecundemus, siquidem et in Republica alias aliis commissas functiones absque livore conspicimus. Sed instant judices, *concedendo quidem baptismum esse propriam presbyteri functionem, quando satis in tempore antequam infans ultimum Spiritum efflet adcurrere sacro rore potuerit; verum ubi id satis mature non potuerit fieri, ita ut puer de salute aeterna amittenda periclitetur, omnino probandum videri, si tali in casu quisquis praesens potuerit sive mas, sive foemina, imminenti periculo occurrat, et ex officio charitatis omnibus sine discrimine praeceptae pro virili sua praestet. Huc respondete*, replicabant, *et hunc tandem nobis scrupulum si potestis eximite.* Ministri: Miramur quod nos tantopere obtundatis, quum fusa responsione, dubium hoc sufficienter expediisse arbitrabamur. Nos enim nullam videmus necessitatem divino mandato quidquam adjungendi, vel quod allato glossemate fit emendandi praeter et contra ipsius verbum; ejusmodi enim factum nullo bonae intentionis praetextu palliari potest, quum nota sit gravis Samuelis vatis ad Saulem bonam Dei colendi intentionem secundum proprium capitis consilium, praeter Dei mandatum secutum, reprehensio: *Nam tam volupe est Domino in victimis, quam quum auditur vox Domini*: nota USAE arcam (quae non curru vectari, sed levitarum humeris portari debebat) erigere volentis mors subitanea ex Domini indignatione: Notum USIAE alias piissimi Regis exemplum, qui quod Domino praeter necessitatem suffitum adolere conaretur, subito lepra percussus legitur. Certe si tale in allatis casibus esset salutis periculum, et baptismi necessitas, Deus pro sua *Philansropia* eam sine dubio praevidisset, ostendisset et justis remediis in contrarium nos instruxisset. Sed unicum docemur nomen Jesu esse causam nostrae salutis; hac vero ratione tot

 essent

essent in orbe salvatores quot baptismi collatores. Judices: *Non putatis ergo baptismum homini ad salutem necessario requiri?*

Resp. Min. Putamus, in adultis necessarium esse, ut in Christum credant, hancque fidem per obedientiam ejus mandatorum condoceant: Quia vero idem Christi mandatum exigit ut qui suis verbis fidem habent, etiam per aspersionem aquae coetui suae Ecclesiae aggregentur: In tali casu ergo necessarium esse affirmamus, ut qui non tinctus est, quando suscipiendi baptismi opportuna adest occasio, tingatur, et se matriculae filiorum Dei inscribi sinat. Dicimus etiam, illum qui ex contemtu baptismum recipere praefracte negat, eo ipso etiam foedus Christi cum hominibus respuere, proinde dedita opera se Jehovae indignationi objicere condemnandum. Sin autem quis non ex contumacia vel impietate baptismum contemnens, verum aliquo casu, absque ulla sui culpa baptismo tingi non potuerit, aut ex hac vita *'asaptistos* decesserit, eum sane coelo nedum salute unquam adduci possumus ut excludamus. Paradoxa non potest videri vobis haec sententia esse, qui nostis relationem apud omnes ratihabitam de quinquaginta illis Philosophis Ethnicis ad fidem Christianam conversis, et impii tunc temporis Imperatoris ac Tyranni (nescio cujus) violentia, antequam per baptismum nomen Christo dedissent, ad supplicium rapiendis; quos eam ob rem mire anxios solide utique consolata est sancta Catharina edocens, non esse cur tantopere solliciti se macerarent, siquidem *non carentia, sed contemtus babtismi damnet.* Si igitur Christus salutem aquae non alligavit: et Dei ac institutorum ejus contemtus, quo foedus coeleste cum humanis fit irritum, in infantes non cadit, esset metus plusquam superstitiosus de illorum salute dubitare; et cura nimium supervacua periculo imaginario nostris adinventis occurrere velle. Absurda quoque plura adtulerunt exinde consequentia, si salus penderet a collatione baptismi, et exempla eorum qui sine bapt. justificati, aliorum qui cum illo condemnati sunt. Quae hic prudens omitto, ne mixtura farraginis theologiae paginas Historiae debitas repleam. Ad haec Judices: *Quid igitur baptismo est opus, si absque illo salvari possumus?* Resp. Ut suscepto hoc Symbolo ab Auctore nostrae fidei nobis mandato, publice coram toto mundo testemur, nos ipsius esse discipulos, et ad promissionem nobis factam, ab ejus manu salutem exspectare. Interrog. *Sed si pror-*

si prorsus nihil ad salutem confert, sane tantum non inutile fuit illud instituere, et in re supervacanea obedientiam exigere. Heic prolixe Ministri utilitates ex baptismo redundantes expossuerunt, illamque in primis urserunt, quod qui baptizati sint, etiam ab hominibus et fidelibus pro membris Ecclesiae agnoscantur, ejusdem haereditatis et religionis consortes, et baptizatis serviat ad confirmationem in vera fide, obedientiaque, in tesseram, vinculum et coagulum tenerrimi amoris et charitatis. Inde Christianorum parentum omnino esse, ut quamprimum possunt, procurent ut sui liberi secundum ordinem a Deo praescriptum per baptismum sancta civitate donentur, in album populi Dei referantur, et in regni coelorum consortium adoptentur, veluti qui imprimis ad illud pertinent, quantumvis vesani Anabaptistae contra oggannant. Ad injectam Anabaptistarum mentionem rogant judices sibi proferri *Argumenta quibus evincatur Christianorum parvulos esse baptizandos;* id quod Ministri pluribus adductis scripturae locis, rationibus, et exemplis prompte fecerunt, ut nemo non satis sibi factum affirmaverit. Tantum fuit adhuc qui exciperet, et objiceret: *Siquidem Evangelici doceant homines servari ex fide, et quidem ea quae sit ex auditu: Jam vero ad eam percipiendam pueruli non sunt idonei: sequi ergo infantes alio aliquo modo servari, nempe baptismi impertione.* Hoc autem *sophon phochmakon* non in judicis illius promptuario delituerat: Verum Petrus Bardus Petronius illi nutu ad se vocato in aurem suggesserat. Sed responderunt Ministri id quod de salute ex fide per auditum doceant, comprobari testimonio Pauli, sed pertinere ad adultos auditionis et perceptionis capaces. Etiam Christi verba allegata sunt: *Nisi quis natus fuerit ex aqua et Spiritu non potestis introire in regnum Dei,* quibus contendebant significari absolutam aeque baptismi ut fidei seu spiritus. S. ad salutem necessitatem. Sed Ministri non eandem esse aquae cum fide necessitatem, ex verbis missionis Christi evicerunt, qui utrumque Apostolis suis commendavit, sed condemnationem tantum defectui fidei, nulla baptismi mentione, adnexuit. Marc. XVI. Supra allatum vero locum eam sibi probari expositionem, qui per aquam simul et Spiritum, nihil aliud a Domino intelligi volunt, quam quod ante dixerat, nasci e supernis, regenerari, renasci, scil. in spem vivam, e semine immortali sermone Dei viventis, qui sensus et aliis scripturae locis corformis sit. Postremo interrogant: *Quid denique ad exem-*

plum uxoris Mosis, a D. P. Bardo ante allatum, quae filium suum in necessitatis articulo, quo alias illum Angelus peremisset, foemina circumcidit, respondetis? Ministri: Diversam longe esse circumcisionis et Baptismi rationem. Illi strictam additam fuisse comminationem, ut quae anima non circumcisa fuerit, exscindatur e populo, quod de baptismo legitur nuspiam. Illam a quovis patrefamilias, aut laico fieri licuisse, non item hunc. Caeterum contextum verborum Mosis considerantum diversa ab eo tradere, quam ipsi adversarii intelligere videantur. Is enim non tradit, mortis periculum filio Mosis praeputiato imminuisse, (quod deberet utique fuisse, si quid exemplum hoc in rem valere debeat) sed quod Dominus per Angelum Mosi ipsi, ex itinere in diversorio agenti ob circumcisionem, forte in Sepphorae uxoris Madianitae ethnicae gratiam, contra verbum Dei aequo diutius dilatam, et neglectam, iratus immineret: Unde nil aliud concludere liceat, quam Deum illis iram suam intentare, qui officio suo in tempore non defuncti fuerunt, aut defungantur: quo quidem theoremate animitus subscribimus, vel si ad baptismum traducere velitis adquiescentes. Finita fusiori paullo allati exempli vindicatione, Ministri, cum nemo ulterioribus interrogationibus instaret in haec verba perorarunt: *Et sic quidem Domini judices per nos vobis licet, sed per Deum non item, sequi hic et decernere quod volueritis; vos videbitis. Nos vero apud nudum Dei verbum manebimus, nec latum ab illo unguem nos abduci patiemur; et hoc est tutissimum consilium, quod rogati vobis toto animo impertiri possumus.*

Quamvis vero Ministri simularint se magis auctoritate judicum, ut quorum interrogata declinare non poterant, quam spontanea voluntate adductos fuisse ad mentem suam fuse et per partes explicandam: in sinu tamen de oblata occasione vim veritatis longe evidentius ad captum praesentium, quam bina illa quantumvis etiam longa superius habita oratione factum erat, intime gavisi sunt, deque exoptato successu in prandio apud Casp. Campellum sibi congratulabantur: Sed et Judicum quoque animi, qui a parte adversa subornati improvisis quaestiunculis Ministros implicare existimaverant, quum sibi ad omnia prompte satis fieri cernerent, fracti apparebant. Nec tamen contenti alio uti stratagemate adgressi sunt. Quum scilicet hactenus Ministrorum

rum nomine unus Ph. Gallitius verba feciſſet, cujus peritia paſſim celebrabatur, nunc illi ex ſingulis privatim omnium ſententias expiſcati ſunt, ac ſigillatim dicere juſſerunt, ex unius forte tarditate aut minus forti defenſione, ovandi occaſionem capturi. Sed fruſtra. Ad quos enim reſpondendi devolvebatur ordo, in anteceſſum ſtatim et prompte declarabat ſententiam, ſemel omnium nomine dictam ſuo ſe calculo roborare: Et hoc primus reſpondit Petrus Brunus, Paſtor Ilantinus. Lucius Stratius vero praepinguis et ſupra multos corpulentus ſacrificus, occultatam ab olim animo libere promſit ſententiam fortiterque: Andreas Fabritius autem Davoſianorum Eccleſiaſtes allato in medium Marc. XVI. loco non baptiſmi, ſed fidei defectum cauſam condemnationis eſſe prolixa et ſtringente ratiocinatione adſtruxit. Hujus exemplo etiam Jo. Blaſius, Curienſis Eccl. Miniſter, in eam ſententiam nonnulla dixit; quanquam Raeticum ſermonem, quo omnibus loquendum erat, non admodum perite ſonaret. Soli Lucius Angelus, Coelinenſis, et Anthonius Zanettus, Cernezienſis ſacrifici, licet in reliquis ad finem usque diſputatis thematis controverſis, palam et aperte ab evangelicis concionatoribus ſteterint: in hoc tamen puncto ſerie ad ipſos devoluta ſatis perplexe et ambigue reſponderunt; quod nempe utraque ſella ſedentes, pacifici et concordiae ſtudioſi videri vellent.

Ergo ad adverſam partem converſi judices, ab illa etiam quid ſibi agendum, et quam in hoc caſu viam ſibi eſſe inſiſtendum cenſeant, ut dicant, rogant? Loquendi igitur rurſus facultate accepta in pedes ſurgens Petronius Bardus prolixa admodum oratione, ab iis quae a contraria Evang. parte dicta erant *dis dia pasion* diſcrepante vindicationem neceſſitatis baptiſmi adſtruit; cujus nervus eo evadebat ut quum Dominus ſententiam illam: *qui non fuerit natus ex aqua*, quae baptiſmum indubitato notet, nec adverſae in contrarium ire audeant, *et Spiritu non ingredietur regnum Dei*, ingeminato vocis *Amen* juramento firmaverit, firmum eſſe: ejus animam quae ſacro rore non fuerit tincta a Dei populo eſſe exterminatam, quae poena olim non circumciſis ab ipſo Deo fuerit indicta, nunc autem in illius locum ſurrogato baptiſmo aliis verbis, ſed idem ſignificantibus, repetita. Quae cum ita ſint, clamabat, debeant omnes utriusque ſexus ſine diſcrimine, ſive mares ſive foeminae et cujuscunque ordinis homines, ſi modo ali-

quo Christianae charitatis affectu praediti, et non omnis misericordiae ac humanitatis scintillae expertes, imo non ipsis canibus Judaeis et Turcis inclementiores sint, per viscera Domini J. Christi esse admoniti, ut miseris infantibus Christo nondum initiatis, et in mortis limine constitutis, per celerem baptismi adsperfionem immanissimi tricipitis Cerberi faucibus eripiant; et aliis id genus vehementibus ad movendos affectus consulte quaesitis, quadrupedalibus expressionibus, urgebat. Peculiariter item ad mulieres in corona audientis populi seperatim exsistentes, conversus, saepius haec verba Raetico dialecto ingeminabat: *Cuntuot battegià dunaun, battegià, battegià et non laschà*, i. e. „baptizate mulieres, baptizate; baptizate et ne omittite cepphorae utique „ honestissimae et sanctissimae matronae pulcherrimum exemplum imitari non verentes.„ Id quod quibusdam praesentibus mulierculis, quae obstetricum fere objbant officium, tam mirifice placuit, ut inspectante populo capitibus profunde, ut mentum pectus contingeret, deductis, et rursus reductis annuerent sibi ejus orationem magnopere probari, seque ad ejus consilio obtemperandum esse paratissimas: Quo de applausu et ipse Petronius sibi haud parum gratulabatur. Quum multa diceret de salvifica virtute aquae baptismatis, pronunciatione divinorum verborum in nomine Patris, et sanctificatae, ceu cujus vi salutaris virtus homini adhaereret, et salvus fieret, eum interpellans Gallicius dixit: *D. Petre, testimoniis ex Scriptura evince aquae baptismali inesse eam vim, quam illi adscribis: et si ea illi vis inest, unde fit ut non omnes salvi fiant? Adhaec putabam vos vim illam aquae adscriptam, precibus illis tribuere quae in Paschatis et Pentecostes feriis ad fontem baptismi consecrandum solenniter expediuntur; jam vero si quaevis mulierecula pronunciatione sanctorum dictorum verborum, aquae salvificam vim indere valet, quorsum precatiunculae solennes, et fontes?* Adhaec usque verba patienter Bardus audiens, hic ira efferatus exacerbatusque Gallitium cum stomacho repulit dicens: *Tace Galliti, cujus partes nunc non erant loquendi: cur me per vices sequentem interpellas, quod ego tibi non feci*; atque ad reliqua orationis suae pergens, ad colophonem usque, Philippi interpellatione dissimulata, est persecutus; ut scilicet causae imbecillitatem, verborum multitudine palliaret, nec appareret victum ad silentium et incitas esse redactum. Quapropter etiam ejus oratio tota digressionibus extra oleas composita erat, et omnium maxime

maxime falsis quibusdam dicteriis, imo odiosis in Evang. religionem convitiis insipido sane condimento conspersa scatebat. Ubi hic quae dicere voluit absolvisset, reliqui etiam qui cum illo in corona paullo editiore consederant sacrifici, a judicibus itidem quid et ipsi hic sentirent proferre jussi, ea quae orator et antesignanus suus Bardus dixerat, confirmarunt, verbis tamen modestioribus, minus mordacibus et contumeliosis, maxime Jodocus Resinarius scanffiensis sacrificus, vir ut inter mille formosus, sic moribus mire humanus festivusque atque praeterea, si alius, pacis studiosus. Dicentem suam sententiam Jodocum ex Ministris unus interrogavit, „ut quum baptismum a mulieribus collatum ratum habeant, qui fiat, quod tales infantes a mulieribus baptizatos, quando reviviscere contingit, ipsi sacerdotes denuo baptizent?„ Respondit Jodocus: se non minus quam adversarios (Evangelicos) Anabaptistarum sectam abominari: sed quod infantes revivíscentes, ipsi sacerdotes denuo tingant, id non esse rebaptizare, sed baptismum illis semel collatum tantum confirmare. Quando igitur ejusmodi a mulieribus tinctum infantem sibi adferri contingat, tum absolutis solitis caerimoniis et precibus quae non de substantia baptismi sint, sed ceu parerga illi adjiciantur, infantem hisce formulis aqua fontis S. aspergant: „N. si baptizatus es, ego te non baptizo; sin autem „non es baptizatus, ego te baptizo in nomine P. F. et Sp. S. Quare ex dici solitis verbis, ego te non baptizo, manifestam fieri testificationem se per eam actionem nolle, ut qui semel jam vere est baptizatus, denuo baptizetur; sed tantum eum qui non est baptizatus, demum pro rite baptizato deinceps haberi: Hoc denique modo nihil minus quam Anabaptistas se haberi velle. Verum repostuerunt Evangelici: Imo vero ex tam sollicitis a vobis adjectis conditionibus elucet, vosmet de ejusmodi a mulierculis laicisve collati baptismi veritate, aut valore dubitare. Quorsum enim hypothetica illa: Si baptizatus es? Tum si ratus est, quem in usum confirmatio? Quum sufficiat actus semel peracti certitudo? Deinde istiusmodi conditiones caerimoniaeque, quo Christi aut Apostolorum dicto, exemplove tuemini? Resp. Ad unanime praeceptum Ecclesiae sponsae Christi. Min. Atqui a Disputationis initio admittebatis Ecclesiam esse natam ex verbo Dei, nec alterius cujuspiam audire vocem, quo ergo verbi Dei loco hoc quod venditatis Ecclesiae praeceptum continetur? Ingratae admodum postulationes

lationes erant, et interpoſita ſua auctoritate judices de his porro tacere juſſerunt, ceu de quibus ſatis audiverint.

Ita ad reliqua controverſa Diſceptationis Ilantinae capita tranſitum eſt, de quibus ordinem ſemel poſitum ſequuti ad finem usque diſputatio habita eſt. Operae vero pretium non duco, quaecunque ab utraque parte ad cauſae ſuae defenſionem allata ſunt in medium profferre; ea ſiquidem noſtro quo vivimus aevo lippis et tonſoribus nota ſunt: Praeterea alibi locorum eo ſeculo habitae inter duas partes Diſputationes quae typis excuſae ſunt, exhibent horum articulos accuratiorem diſcuſſionem, quam heic in caſtra Theologica excurrendo repraeſentare poſſem. Ex fine autem Diſput. impoſito et judicum Decreto pronum eſt cuivis cordato judicare cujus in partem victoria inclinarit. Caeterum quia quaeſtio de neceſſitate baptiſmi, origo et primarium *veridos* pomum in publico hoc conventu exſtitit, noſtrarum partium eſſe duximus cuncta in commentarios hos noſtros referre, quae tum in D. Jo. Traverſii, et Vuolfgangi Zaletae civis et ludimagiſtri Curienſis, raptim inter diſputandum conſignatis, tum et Huldr. Campelli qui Diſputationi perinde toti ab initio ad finem interfuit, adnotata reperimus. Quoad agendi vero modum, procul favore et invidia omni, admirationem et laudem ab omnibus reportavit Gallitius haud vulgarem, eo quod modeſtiae ſtudioſus, quae partis ſuae nomine ventilanda erant, quam ſimpliciſſime et evidenter, ad legem a judicibus praeſcriptam, ſola biblicae ſcripturae auctoritate, procul abeſſe juſſa omni alterius partis odioſa inſectatione, tractaret: Dum Petronius tantum non omnibus faſtidio erat, quod redeuntibus ad eum loquendi vicibus, ſummo ſemper cum ſupercilio, ſemper horas fere duas, minus una nunquam, eadem chorda oberrans, et nihil ad rem facientia effudens, identidem mordacia in adverſarios dicteria, ſcommata torquens, nonniſi exacerbationes invicem movebat. Videbatur is arcem cauſae ſuae in contemtu adverſariorum ſuorum collocaſſe; tertio enim quoque verbo in Miniſtros invehens, eos *pauperes tenuesque ſacrificulos*, *miſellosque*, quorum ſe haud immerito miſereret, appellitabat, *planos* et *impoſtores* item, qui (petzas blavas) i. e. caeſii coloris *panniculos* hominibus ad manicas aſſuerent, quibus illorum oculos perſtringerent; *aſſentatores* quod ſanctimoniae et ſeverae vitae ſpecie ad vulgus ſe venditarent et commen-

commendarent, cornicum interea oculos configentes, qui *arrogantia* plus quam *luciferiana* se supra tot doctissimos, sanctissimos, et vetustissimos Patres efferrent, jactarentque, se demum veritatis lucem multis jam seculis, mendaciorum tenebris sepultam, eruisse et restituisse, cum tamen *pessimi seductorum* sint, et a se solis excogitata doctrina, omnes qui sibi fidem habent, secum in sempiternum exitium rapiant, ita ut nec miseri recens nati infantes ab ipsorum pernicie satis tuti sint. Hujusmodi ille flosculis suam orationem interstinguebat, sic ut ipsos suos sequaces maledicendi satietas et cepisset et in nauseam veniret. Ad haec legem a Judicibus praescriptam insuperhabens, ultra temporis praescripti limites longe excurrens, patientia auditorum abutebatur, et vel nunquam vel rarissime scripturae testimoniis utebatur: Sed aut religionis suae a XV. seculis durationem allegabat, aut Patrum (quos inter Gregorium, Urbanum, et Calixtum nescio quos,) dicta adferebat. Ad quae licet conniverent judices; identidem tamen insurgebant Evangelici, monitores judicibus, ne vanis eloquiis tempus proteri paterentur: Sed quae ille cum his audire dissimulans pro more incoepto pergebat, quidquid omnes molestе ferrent. Quod cum perfricta fronte videret agi, tandem D. Traversus ex judicibus unus et ipse, ad Bardum: *Domine compater*, inquit, *mane et contine te quaeso intra praescriptos limites*! Sed Bardus ad hanc vocem furore correptus subito surrexit, et discedere voluit (quod tertio jam in illa Disputatione fecit) dicens: *Se si sibi non liceat, quibus possit sua defendere, nolle amplius disputare; maxime quum etiam adversae parti supra concessum fuerit, ut ex legenda S. Catharinae exemplum L. Philosophorum protulerint, ad thesin suam firmandam, quod neque in scriptura exstet: iniquum proinde esse id sibi denegari.* Ad hoc Gallicius: Adduximus quidem, dixit, sed unum, quod tu mille aliis dudum repensasti; non ut argumentum, sed exemplum apud vos qui horum fide obligamini; quum tu iis nos obtundas quorum nec a judicibus agnoscitur auctoritas, et multo minus a nobis, qui nonnisi scripturae verbis constringimur. Bardus. *Tu Galliti unum illud ex D. Cath. legenda protulisti, quod nulla alia in tuam rem ex Patribus promenda haberes, secus non omissurus.* Gallitius. Verum enim vero infinita essent, si in hunc campum evagari placeret, et solidiora et scripturae auctoritate firmiora: Verum in rebus fidei, ex ore Dei pendere est nobis constitutum, ut plus decies indicavimus.

Quoties occurrit, ut de genuino alicujus scripturae sententiae sensu, super quo partes ambigebant, Evangelici Hebraicum, vel Graecum contextum in medium adtulerunt, Bardus heic cacchinos tollens, *Ha, ha, ha*, dicebat, *Miselli isti sacrificuli alicubi bina vel terna hebraica et graeca elementa de fenestra aut pariete lamberunt, jamque absolutam sibi utriusque linguae peritiam arrogant. Vah res miseratione digna!* (*Ach qual pchia*) Unde quum istiusmodi scommatibus illudere non cessaret, indignatione satur Caspar Dieteganus de familia PORTARVM, Sculdinorum Minister, non minus atque Bardus animo ferox, atque etiam manu promptus, Suighardi Scheggii consobrinus, communicato cum Petro Flura consilio, tandem in eum graviter in haec verba prorupit: *Tace, inquit, Petroni, si sapis, et desine tandem viris bonis maledicere: ni enim temperaveris, istam sane bonos probris incessandi libidinem ulterius impune non feres, id quod perpendas mature decet, ne dicas non esse tibi praedictum. Fatemur quidem fuisse nos, non modo ut tu nos subinde per contemtum vocas sacrificulos, sed et si mavis sacrificellos* (*Preiret*) *et vos esse damus non sacrificos tantum, sed si ita mavis et dicere licet, sacrificatios* (*grands Preitatschs*) *verum nos quod fuimus Dei beneficio amplius non sumus, qui istum impium sacrificandi, Missandique ritum dudum abjecimus. Agnoscimus nos miselios esse peccatores: sed in Dei misericordia confidimus per Christum nostra crimina nobis remissum iri, cum tu et tui similes in mentis superbia ambulantes vere estis miseri et miserandi. Sumus quod dicis pauperes et tenues, imo graciles et macilenti, vos contra pingues et plus satis corpulenti quod omnes vident; nec nos nostrae sortis aut poenitet aut piget, qui non minus quam vos, eadem navi vehi possemus, si liberet: Verum potius cum Mose elegimus simul malis affici cum populo Dei, quam temporariis peccati commodis frui, majores arbitrati divitias probrum Christi, quam Aegyptiorum Thesauros. Quod vero nos planos, impostores, blandos assentatores, sanctorum Patrum contemtores, seductores, et aliis titulis, illa te digna quam perbelle calles convitiandi arte appellitas, non est quod amplius nos tuis, Papae tui, et creaturarum ejus pennis ornes. Qui enim illi sint quia fonte cognitionis ad lacunas traditionum populum seducant; qui ex religione quaestum faciant, (uti opera satisfactionis et supererogationis, missa et purgatorium eo decreta sunt); quinam per assentationem scelera licita faciant, et corda simplicium in injustitia detineant; quinam veterum Doctorum*

ctorum doctrinam spernant; quinam signis mendacibus illudant; quinam doctrinas Daemoniorum tradant; quinam Christum diversis locis ostentent, neminem latere potest cui vel mica salis est in cerebro; quorum proinde nec judicium tardat aut perditio dormitat. Nec mihi est dubium, quin et procax ista lingua satis mature Deo poenas sit datura.

Ab ista acriori PORTANI increpatione Bardus modestior paullo factus, magis ad finem usque sibi a convitiando temperavit. Caeterum tam graviter loquutus erat Dieteganus ut flamine plenus fuisse visus fuerit, et ejus postremum dictum non deerat qui ceu omen, aut coelitus editum oraculum, interpretarentur, maxime postquam eventus respondit. Bardus quippe cui, pro ingenita animi elatione, Zuzium nimis vile erat, et spe lactatus post Iterii mortem, Episcopatum Curiensem adipiscendi, Faniam seu Veldkirchium ad Estiones demigraverat, quum illic medio fere mense Julio Anni MDXLVIII. ob simultatem, quae sibi cum Monachis quibusdam S. Joannis nescio unde ortam, tumultum, in civitate, qua erat animi ferocia, vespera appetente excitaret, imo civitatis multitudinem in se concitaret, quam et aliquamdiu cum uno adhuc sacrifico natione Bavaro perinde impigro, magno quodam quo erat avinctus gladio in publica platea sustinuisset, tandem duobus vulneribus uno in occipite bipenni halapartica, altero in iugulo, conto quodam percussus, occisus occubuit, cum uno ex adversantibus civibus, morte talis presbyteri vita digna. *) De memorato Bardo dicere solitus fuit Gallitius: *Sensimus ibi hominem argutiorem, loquentioremque quam credere potuissemus, diceres receptaculum et thesaurum papisticorum errorum omnium. Majorem curam in omni vita mea sustinui nunquam; siquidem omne onus cum spinosissimo illo sophista agendi mihi impositum erat; mihi tanto incommodius quod ob*

*) Prugger Chron. Veldkirch. Pars II. pag. 95. recensens Parochos oppidi inquit: *Auf Herrn Barthol. von Castelmaur, welcher nur ein Jahr der Seelensorg vorgestanden, ist Herr Petrus Petronius ein Pündtner aus dem Engadin Ao. 1546. gefolget, ein gelehrter Mann aber eines verwürrten und schwirmischen* Humoris. *In dem er nachtlicher Weil mit Waffen wieder die Burger handlete, ist von ihnen also mit Brüglen empfangen worden, dass er bald müste sterben, aber nit als ein Martyr, weilen er selbst Ursach und Anfanger des Handels ware, und gewaltthätiger Weise in die Burger geschlagen hatte.*

itineris difficultates, gravedine seu pituita correptus, etiam raucedine laborarem.

Burfella interim Oengadinae Decanus, fententiam feu judicium quod fuper Caſp. Campelli factum, in lecto decumbens ſcripſerat, et cui paucis adhuc diebus ſuperſtes fuit, in ipſam Diſputationem miſit, cujus tenore Campellus ſex florenis damnabatur. Eos Campellus prompte exſolvit, licet ſecundum Dominorum cathedralium Decretum, ſi reus compertus fuiſſet, a nemine alio quam a Magiſtratu cui ſuberat, puniendus erat; a Burſella vero ſecundum ſententiam quam pars Pontificia defenderat, cum quibus et Decanus favebat, liberari debuiſſet; niſi forte cognationis ſpiritualis rationem habere voluerit Decanus; ſed hujus nec in judicio, nec in Diſputatione, ne verbulo quidem mentio injecta erat. Verum veritus fuit bonus ſenex, ne ſi diſſerte pronunciaſſet Campellum peccaſſe, id cum ſua et ſuorum ſententia palam pugnaret; quare in crumenae expilatione contradictionem minus advertibilem, ſibi vero utiliorem eligibilioremque exiſtimavit. Ex eo vero facile conjectu eſt, quam inclementer in Campellum fuiſſet conſultum, ſi deprehenſus fuiſſet facto ſuo tantum contra Pontificiorum ſententiam deliquiſſe, quantum doctrina illius cum eorum dogmatibus pugnabat.

Poſtquam igitur dies ſeptem toti diſputando eſſent abſumpti, et omnes articuli volutati, tandem judices Diſputationi finem impoſuerunt; de cauſis diſceptatis vero in ſequentem modum pronunciarunt: „Primo quidem quoad infantes recens in lucem editos, ſed quibus an „ ultima hora immineat dubitatur, decretum eſt, neminem alium ad „ conferendum baptiſmum, vocandum eſſe niſi verbi divini Miniſtrum „ aut Sacerdotem, ſi modo quidem accerſi in tempore potuerit. Sin „ autem is antequam infans excedat mature ſatis accurrere nequeat, „ vir juſtae et legitimae aetatis, ceu perſona dignior accerſatur, qui „ moribundum ſancti baptiſmi aqua intingat. Quod ſi vero nec talis „ vir mature ſatis adeſſe quiverit, infantulum etiam mulier quaecunque, vel quisquis adſit, prius baptizet quam moriatur. Quod vero „ ad reliquos controverſos fidei articulos adtinet, concluſum eſt: Stare „ cuivis liberum credere quod divino ſpiritu ſuggerri certus quis eſſet,

„ et

„ et cujus speraret rationem coram Deo sibi constare. „ Quod postremum male admodum sacerdotes habuit, contra spem et votum deliberatum? Tum vero utriusque partis Antesignani vel sectae propugnatores omnes ab auditoribus, et Communitatum Legatis honorifice dimissi, et quisque eorum ad sua cum pace reversi sunt. Ita hac Disputatione qui Evangelicam doctrinam amplexi fuerant, in illa confirmati; haesitantes certi redditi; adversantes facti remissiores et quodammodo cogitabundi; atque ex ea deinceps doctrina Evangelii ita radices egit, ut intra paucorum annorum spatium tota Oengadina sacra sua ad ejus normam purgaverit, et instituerit, quam igitur repurgationem secundum annorum seriem factam articulatius enarrare pergemus.

Caeterum haud diu post, casus obtigit, quod Jodocus Resinarius, tenore praescripti judicii exspiraturo infanti baptismum celeriter et perfunctorie, nudis substantialibus, ut in tali casu fere fiebat etiam a mulieribus, sine caeteris parergis pontificiis addi solitis, contulerit, mox vero eundem valetudini restitutum, testibus adhibitis, et reliqua olei, salis, sputi et consecratione pro more observata, de novo aqua baptismali tinxerit. Tum vero Sacerdotem per jocum rogavit Traversus: Num in retinctorum haeresin lapsus esset? Hic autem advertens facti stultitiam sui, serio respondit, id a se per incogitantiam aut oblivionem admissum. Atque postea et ipse abstinuit et laicis ne baptizarent autor fuit. Sic deinceps fere obtinuit, ut in quocunque casu Ministri legitimi, tantum baptizaverint, idque semel duntaxat, exclusis abs functione omnibus aliis, utriusque sexus personis, ex aequo; quod denique magis ex consuetudine firmatum est, quam justi et aequi cognitione. Progessu Evangelii crescente, Gallitius baptismum a laicis factum irritum et nullum declarabat, infantesque a mulieribus tinctos novo baptismate tingebat, et inde evenit, ut cum augescente Evangelio, etiam haec functio plebejis adempta, sacro ordini restituta sit, primo quidem in Oengadina inferiori, paullo deinde serius in aliis Communitatibus. Unde dum Ecclesiae Curiensis curae praeesset Jo. Fabritius, occurrente ejusmodi casu, diversa opinio inter hunc et Gallitium orta est, quorum ille infantem retingendum nolebat, ne Anabaptistarum revocaretur secta; Gallitius de novo baptizandum contendebat, quod talis bapt. nullus esset, et tali permissione Ministerium vilesceret; quam amicam diffe-

rentiam ad se delatam, sua aequitate diremit utriusque fautor, Ecclesiarum magnus Parastates, HEINR. BULLINGERUS. Coronidis loco ipsas duumvirûm litteras exscribimus. Sic ergo Fabritius:

- - „Cum jam advesperasset redditae sunt nobis litterae haec a fratre Ministro, qui super negotio quod est in iis scriptum sententiam „ nostram exquirit et consilium. Ego communicato cum fratre collega consilio puellum neutiquam rebaptizandum censui, ne Anabaptistarum veterem errorem confirmemus, qui ex pestilentissimo hoc „ facto nomen sortiti sunt. Ratio in promptu est quod tam verbi „ quam Sacramentorum dignitas non a Ministro, sed ab ipso Deo dependet. Addidi tamen modo puellus rite sit baptizatus id est in „ nomine Patris Filii et Spiritus S.: quod si secus est infantem pro baptizato non esse habendum. Interim tamen de facto laici qui baptizavit existimavi, jure civili judicandum, et quod Sacramenta ad Ministros spectent, factum ejus minime probandum: quod originem inde „ ducat, quod vulgo existimatur infantes qui sine baptismo decedunt „ esse condemnatos. Auditores ergo Christianos judicavi de usu et „ fine baptismi plenius esse edocendos. Dominus Philippus diversum „ omnino sentit et puellum omnino statuit rebaptizandum, ne scil. „ Ministerium vilescat: tamen tandem voluit ut de ejus sententia et „ utriusque nostrum ad Te scriberem omnem rem, tuumque super hac „ re consilium explorarem, quod et facio licet jam multa nocte, et „ sane tumultuarie, rogo te quaesoque Pater humanissime qui auctoritate et pietate multum apud nostros vales, ne graveris vel paucis saltem tuam super hac re sententiam ad D. Philippum et me perscribere. Non dubito quin meam sententiam ex vobis meis Praeceptoribus hauserim, et ejus multas possem afferre rationes, quas a vobis „ didici: sed tamen meum judicium Tuo merito est postponendum. „ Tuum scriptum autem ita temperabis ut ad utrumque nostrum spectare videatur, et Tu utriusque rationem habuisse videare.„ Curia, die 29. Novembr. An. 1557.

Sequentes misit Gallicius. „Tuas nunc ipse etiam vidi litteras, „ quibus nobis respondes super baptismo. In eis nihil me scribere „ quereris. Scias ergo virorum Clarissime me non opus judicasse

„ ut

„ ut illud facerem; primo quod hebdomatibus aliquot ab adventu Fa-
„ britii noſtri nihil prorſus de Te accepiſſem, ex quo non poteram non
„ ſuſpicari meas Tibi litteras gratas amplius non fore; etſi poſterius
„ mihi nuntiavit idem Fabritius Te pro tua humanitate me tuis in litte-
„ ris ſemper ſalutare; quin etiam tuas litteras, quoties aliquid notabi-
„ lius ſcribis, mihi oſtendit; denique ſe ſemper ad tuam humanitatem
„ ſcribere, et in litteris ſuis ſalutem tibi ex me dicere, propter quod
„ ſupervacaneum putavi meis ineptiis Te onerare. Quod de Baptiſmo
„ ſcribis, damnare mihi fas non eſt. Licitum tamen ſit aliquid di-
„ cere. In noſtris Foederibus hactenus baptizatos a verbum non
„ praedicantibus, nos qui Miniſtri ſumus rogati baptizavimus, cauſam
„ vel maxime ob hanc. Fuerunt Communitates quae cum viderent
„ Baptiſmum a laicis collatum non ita damnari, coeperunt et ipſae
„ inter ſe baptizare pueros, nec amplius verbi Miniſterium cupere.
„ Iſtorum ut ſtultos et nocentes conatus reprimeremus, (quando alia
„ non dabatur) baptizare neminem debere niſi praedicantem verbum
„ ſanximus, ac baptiſmum illum demum laudare qui eſſet a Miniſtro
„ collatus, ne eſſent concionatores ſacri excluſi, et Eccleſiae ſine Paſto-
„ ribus.„ Dat. Curia, die 13. Decembr. Anno 1557.

CAP. XII.

CAP. XII.

Susiensem Disputationem sequitur Reformatio caeterarum Ecclesiarum in Oengadina, successive facta, quae eruitur et exponitur.

Quanto adtentior populus Oengadinensis modum exquirendi veritatem, et exitum publicae Disputationis Susiensis contemplatus est; tanto faciliorem ex eo tempore in hominum corda aditum nactum est Evangelium; atque jam una post alteram communitas illi suum nomen addixit. ARDEZII insigni Jurisdictionis ejusdem nominis oppido, Reformationi faventes, statim ipso illo anno Evangelii publicam introductionem, et Missae abrogationem urgere coeperunt; quod quia avitae superstitioni addicti admittere nolebant, in partes itum est, et multa animorum exacerbatione disceptatum, utraque parte sibi potiora suffragia adscribente. Tandem jure certatum est, oportuitque Magistratum post accuratam factam inquisitionem, per Suffragiorum initam collectionem, litem dirimere; qua ratione Evangelica factio superior evasit, sic factum ut supramemorati LUCII STRATII eorum Parochi, animosi jam ad Christi causam facti opera, proximo post Disputationem autumno Anni scil. MDXXXVIII. ARDEATII Missa cum omnibus Pontificiis ritibus, faustis auspiciis abrogata sit.

De Reformatione Ecclesiae VETTANIENSIS, in *boggaphia* sua MS. proditum reliquit Jacobus Anth. Vulpius, vir de Ecclesia Raetica non male meritus, qui seculi quo vivimus anno sexto ad superos evocatus est, quendam Andream TUSIUM, sibi proavum, virum haud illiteratum cum loci sacrificulo, in populi ad forum post sacra ordinaria apricari soliti praesentia, disceptatione de rebus sacris saepius congressum fuisse; quadam vero occasione idiotam sacrificum ad eas incitas ab illo redactum esse, ut a populi insultatione sibi metuens, Sacerdos in proximum illustris Bartholomaei Pazelleri domum secesserit, indeque de solario postico, bene alto, facto saltu, Tarasпum ditionis

tionis Auſtriacae diſceſſerit, unde reverſus nunquam ſit. Quare orbatam ſacris Eccleſiam, Andreae operam poſtulaſſe, quam hic lubens impertiverit; inſtitutionem ſedulam egerit, demumque a Ven. Synodo charactere Miniſtri donatus, illi per XXXIX. annos ad annum usque 1571. Paſtoris titulo inſerviverit, quo Jacobus Anthoninus (Jachien Thünett) Suſienſis, ipſi gener factus, in officio ſurrogatus ſit. Ex quo colligendum foret ſacrificuli fugam, et ex ea ſecutam Vettanienſis Eccleſiae ad Evangelicam fidem profeſſionem, Anno circiter MDXXXII. eveniſſe. Color relatiunculae huic inde arceſſitur, quod dictus Vulpius, haud levis judicii homo, iſta ex patre ſuo, Tuſii nepote, itidem Miniſtro, aliisque proximis cognatis hauſerit, tanto magis memoriae ſervata quod ad laudem familiae pertineret. Verum ad hiſtoricam fidem exacta haec narratio omni certitudine deſtituitur, et anilem fabellam a quocunque hauſtam nobis bonis tradidit Vulpius, forte volens deceptus et ipſe. Nam matricula Synodica, cui primi Eccleſiarum Miniſtri ſubſcribere cogebantur, Tuſium neſcit, neceſſario in illa reperiundum, ſi per Annos XXXIX, aut ſi a confeſſionis Raet. conſcriptione Anno 1554. facta, demum numerare velis Annos XXII.. (Nec enim annos ſex hic connumero, per quos Samnunenſi Eccleſiae ſerviſſe dicit idem, et demum ob aetatem impotentem in patriam reducem, Anno 1576. domi ſuae ultimum diem clauſiſſe,) Synodi membrum pervixiſſet, et Eccleſiae haud ignobili praefuiſſet. Coaeva quoad Eccleſiam Vettan. Arianiſmo infectam exſtant documenta, quae ſuo loco proferemus plura; de Tuſii doctrina et valore altum ſilentium. Diligens inprimis quoad Oengadinae hiſtoriam Huldr. Campellus ſcriptor ſollicitus, et qui toto illo tempore in viciniis Suſienſi ac Coelinenſi Eccleſiis praefuit, Tuſium ignorat. Quae quidem licet mihi ad *noteian* fabellae agnoſcendam ſufficiunt: mea tamen nota et virgula nunquam digna exiſtimaſſem, niſi fabulam quorumdam ore ſpargi ſolitam, quispiam noſtrorum, cujus meritis nihil detractum cupio, at exiguae in rebus Patriae hiſtoricis experientiae nec majore judicii *'akribeia* praeditus, nuper editis Patriae noſtrae vernaculo ſermone Chronicis, ſacraſſet. a)

a) D. Otto a Porta. Chron. Rhaet. pag. 93.

Cer-

Certos e contra nos facit dictus Campellus, ultimum in Ecclesia Vettanienſi Sacerdotem, PAULLUM nomine, Diſputationi Suſienſi adhuc Anno 1537. una cum caeteris ſui ordinis avitum dogma propugnaſſe, et quatuor demum annis retro Vettanii aetate bene provecta diem ſuum ultimum obiiſſe. Hoc vero demum mortuo Vettanienſes primum ab advolante quodam Italo adhuc ſacrifico EVANDRO nomine, deinde illo ob cauſam neſcio quam ablegato, a FRANCISCO quodam CALABRO, Bernhardini Ochini diſcipulo, homine acuto alias, ſed peverſis opinionibus imbuto, de quo infra plura dicendi occurret occaſio, de vanitate Papiſticarum ſuperſtitionum perſuaſos, et Evangelicae religionis principiis imbutos fuiſſe. Hujus tenore Vettanienſes haud ſupra quatuor poſt repurgationem Ardeatii factam annos, adeoque non diu poſt Paulli ſui mortem Anno utique MDXLII. Miſſam cum reliquis caeremoniis eliminarunt, nec non ſimulachra ex Templo exturbarunt. Poſt Franciſcum auctoritate publica ejectum, ſincerius in orthodoxa veritate inſtructi ſunt a M. JULIO Mediolanenſi, et ab aliis indigenis.

Anno deinde MDXLV. etiam COELINENSES, Lucio ANGELO ſupradicto dimiſſo, cum Philippus Gallitius ſaepius memoratus bis vel ter ibi eſſet concionatus, Miſſae ac reliquis ei adhaerentibus caerimoniis renunciarunt; qui deinceps inſtitutoribus uſi ſunt HIERONYMO MEDIOLANENSI, JOANNE PETRO CERMENATO, et aliis cum advenis tum indigenis, quos inter memorandus eſt Huldricus Campellus, qui Curienſi Parochia renunciata eo ſecedens, ni fallor, ibidem vitam clauſit.

Dictus Lucius ANGELLUS COELINI Sacerdos, coeperat ante ſuum diſceſſum Miſſam et reliqua Pontificia dogmata ſummis viribus impugnare: illinc vero neſcio quam ob cauſam dimiſſus ubi SENTUM migravit, ſententiam mutaſſe viſus eſt, ni offae gratia antiquam cantilenam ſervandam judicaverit; nam miſſam ad mortem usque mordicus retinuit, licet mutilam, nam in peractione ejus, magnum quem vocant canonem prorſus excluſerat, ſolis ſervatis Evangelio cum Epiſtola et inſtitutionis verbis. Anno demum MDLXXVI. ibidem dictus Sacerdos

dos obiit, et cum eo etiam Missa, quam aegre ad illud usque tempus conservare potuerat, exolevit.

Anno porro MDL. etiam SUSAE, ubi omnium altissime radices egisse videbatur, Pontificia superstitio corruit. Quae ibi erant familiae Papisticam idololatriam adversantes, eae a jam plus XXII. annis Missae nunquam interfuerant; verum ad verbum Dei audiendum in proximum vicum Lavinium exire solebant, interdum et Ministros qui se in privatis domibus, et quandoque publice quoque in Templo docerent, accersebant. Accidit vero ab Anno 1548. ad 1550. quod aliqui subinde sibi succedentes Pontificii presbyteri seu parochi, aut sponte evaderent, aut propter crimina manifesta juris sententia pellerentur; unde qui ibi Evangelicae sectae erant, opportunam occasionem manibus pedibusque tenentes, Huldricum CAMPELLUM concivem suum, virum omni doctrina politum, qui tunc temporis ad Coenobium D. Joh. in Raetigoia Ministrum agebat, in suae Ecclesiae Pastorem vocandum recipiendumque contenderunt. Sed oppossuere se omni nisu avitorum sacrorum tenaces; unde ob acres in oppositum operas, gravia, antequam Campellus accersi potuerit, superanda fuere discrimina; nam non jure modo super Suffragiorum numero litigatum est, eique rei multum utrinque pecuniae impensum: verum etiam saepius excitatis tumultibus, odiose, periculoseque, strictis gladiis, aliisque armis micantibus, et volantibus, concertatum fuit. Ubi tamen divina agnoscenda est directio, siquidem in tumultibus vel rixis, fidei solum modo causa exortis, nec hic nec alibi in Oengadina, quisquam vel minimo capitis capillo laesus fuit. Tandem Evangelici, Suffragiis superiores evadentes, Huldricum Camp. ad curam patriae Ecclesiae suscipiendam accersiverunt; qui et lubens praesto adfuit, quamvis rebus sic turbatis, multo cum discrimine inter concives versatus est. Nam ut summum odium Papistarum in Patrem et Filium Campellos ob olim inclinabat; sic quando haud diu ad ejus adventum Missa in Ecclesia abolita fuit, et statuae noctu clam ejectae fuerunt, illud tanto acrius exarsit, ut nec pericula nec insidiae ei devitandae fuerint. Imo reperti circa illos dies quatuor nequam homines fuerunt, qui cubiculum ingressi dormientem confossuri erant, ni Dei provida cura mox conscientiae voce magis, quam defendentis valore, in fugam et malam rem profligati fuissent.

Iſte autem Huldrici Campelli Suſam adventus fidelibus, qui in Metrocomia Cernezii Evangelio favebant, magnae conſolationi et aedificationi fuit; namque ob viciniam ab illis accerſitus, ſaepius primos duos quando venerat annos, illis in ſacello quodam, communitate annuente ipſis conceſſo, doctrinam Evangelii tradebat, ad quam audiendam aditus cuivis patebat. Accidit vero Octobri menſe Anni MDLII. quod noctu in templis quorum CERNETII tria *) erant, ſtatuae concifae, Divorum imprimis ſculptae imagines foede dilaniatae, caeteraque vero ad ſacra Pontificia peragenda ſuppellectilia, aut lacerata, aut diſperſa amiſſaque, aut minutatim conciſa fuerint; quod graviſſimo clamori mane mox occaſionem dedit. Coniiciebatur facti invidia in Campellum: Verum teſtatum fecit Campellus nunquam ſe in ſuis concionibus auditores ſuos ad ullum ejusmodi facinus incitaſſe, et quod majus, nunquam ex profeſſo contra imagines et ſculptilia declamaſſe: ſed duntaxat quod finito ſermone praeter Orationem Dominicam, etiam Apoſtolicum Symbolum et Legis decem Praecepta, in illis vero quod de imaginibus et ſimulachris eſt, clare ac diſerte ſed ſimpliciter recitare plerunque ſoleret. Mane proinde omnibus ſimul campanis ſubito impulſis totius populi factus eſt concurſus, et excitatus tumultus ingens, campanis inter vulgi ſtrepitum continuo ſonantibus: Sed quia facti Auctores ignoti erant, laeſus nemo fuit, verum vago tantum virorum et foeminarum clamore illi qui hoc facinoris patraviſſent omnis generis convitiis, furibus et latronibus nequiores proclamati ſunt: Sed qui in ſui honoris reſarcitionem, palinodiam poſtularet nemo prodiit. Caeterum defectus imaginum mox etiam Miſſae abolitionem poſt ſe traxit, quod pejus Papiſtas adhuc habuit. Nam ille Anthonius ZANETTUS loci parochus, qui Miſſae nihil tribuebat, imo vero antea in Diſputatione Suſienſi etiam ab Evangelicorum parte ſteterat; ſed ut diverſas adeo partes conciliatas teneret, nihilominus Miſſam celebrabat; ſimul et Campellum in ſuum diſtrictum ad concionandum venientem aegre ferebat, adeo, ut ſermone eum non dignaretur, igitur eandem ob

*) Duo ſtant adhuc erecta: tertium ad extremum oppidi verſus Spolam amnem ſitum fuiſſe creditur, vico qui Röven appellatur; una ex majoribus campanis vocatur hucdum *il Sain da Röven*, ſine dubio quia ex delubro in ruinam collapſuro, in magnum parochialis Eccleſiae companile, translata fuit.

ob causam, imaginum ejectionem detestabatur, quod pacem turbatam nollet; ille inquam nunc videns ab Evangelicis suam in eo genere neutralitatem respui cum detestatione, quum caetera inclinaret in illorum sententiam, mox mutata mente, in illorum castra aperte transivit; et qui Octobri mense statuas dolebat, mox ab initio subsequentis Anni 1553. vehementissime, si alius, in Missam, totamque Pontificiam religionem ceu superstitionem immanissimam et impietatem intollerandam invehi coepit; paucisque ejus tenoris concionibus tantum effecit, ut non tam ab ipso, quam a Nicolao Stephano, seu Martino dicto, summo alioquin Pontificiae religionis fautore et defensore, etiam Missa ex illa Ecclesia in perpetuum exsilium relegata sit. Dolebat pars Pontificia JOANNIS PLANTA. Ju. Doct. postea Domini RAETIENSIS, viri auctoritate summa spectatissimi, et avitae religionis propugnatoris strenui, absentiam; qui tunc temporis Volturenae Praeses datus, Sondrii provinciam administrabat; putabat enim, et forte haud sine causa, quod si dum haec acta et tractata sunt ille domi fuisset, ad illum modum haud gesta fuissent: Quum frater ipsius BALTASAR PLANTA, qui postea Clavennensem Praefecturam administravit, facile Princeps illorum fuerit, qui Missam aversabantur et ut illa abrogaretur summo ope egerant, atque incubuerunt. Ex eo vero tempore paulatim omnes in eandem fidei religionem coaluerunt. Haec de Ecclesiis Oengadinae inferioris.

Scandimus in superiorem; in qua non minus observamus Evangelii messem in maturitatem deductam sponte manipulos obtulisse: Interim vero ad celerem illius profectum magnum sane augmentum dedisse DUUMVIROS, cum genero socerum JOANNEM TRAVERSUM Zuziensem, et FRIDERICUM SALICEUM Praegallum nunc Samadueni incolam et ornamentum. Ille quidem Anno 1483. *) natus, bis Vallis Tellinae Gubernator, Episcopalis Aulae Curator, plurimis ad exteros Principes legationibus clarus, in Patria vero omnibus honoris gradibus mactus, eruditione, dexteritate, et auctoritate unus in Raetia florebat; ut Reipublicae lumen, fidus, et decus merito habeatur. Eae virtutes quia multam ipsi conciliaverant famam, nulla in Republica

*) Vid. ejus litt. ad Bull. d. 14. Kl. Xbr. 1559. adducendas infr. litt. d)

momenti agebatur causa, cujus vel arbiter non esset, vel consilium non advocaretur; magnum inde etiam in viro illo pretium statuebatur ab exteris claris viris; hujusque maxime favorem in Evangelii profectum demereri studueruntReligionis Antistites celeberrimi, PHIL. MELANCHTON, HEINR. BULLINGERUS, SIM. SULCERUS, SEB. MÜNSTERUS GLAREANUS et plures, quorum manu scriptae ad illum litterae Illustris trinepotis beneficio nos trivimus. **) Hic autem (SALICEUM innuo) tanto socero non inferior gener, cum genere illustris, tum animum litteris et disciplina cultissimum gerebat. Natus quippe Anno MDXII, vix adoleverat quando a pientissimo parente RODOLPHO, ad humaniores litteras addiscendas Basileam dimissus, sale SIMONIS GRYNAEI famigeratissimi Theologi utens, sanctam Religionem plene pureque hausit, a quo etiam tenerrime dilectus, et ex affectu Friburgum Brisgoiae ad DESIDERIUM ERASMUM illum, deductus fuit, quem invisit, contulit cum illo, et ab eo vicissim benignissime habitus fuit: fuissetque eorum amicitia diutius usurus, ni illius supremus vitae arbiter mox vitae filium abscidisset. Inde in Patriam redux, mox illustri socero adjunctus quos scientiarum et divinae sapientiae secum adtulerat thesauros, coepit in Patriae usum convertere, et in Ecclesiae profectum expromere; quare ex quo publicis interesse tractationibus incepit, eruditionis, pietatis, et eloquentiae nomine inter primos Raetiae Proceres censitus, et ob id honestissimis ad Caesarem, Galliarum Regem, Remp. Venetam, alliosque summos Europae Principes Legationibus non tam ornatus fuit quam Patriam ipse ornavit; Comitatum Clavennae multo cum honore rexit, caeterosque in Patria honoris gradus plures gessit. Vnde ei cum primariis in Helvetia et Germania viris commercium litterarium fuit; imprimis vero VERGERIUS, LAELIUS SOCINUS, Marchio CARACCIOLUS amicitiam ejus ambiverunt et magni fecerunt; sedulo vero ad illius vitae finem usque coluit praeclarus ille Tigurinorum Antistes BULLIN-

**) M. Tatius Ingolstadio VII. Kal. April. 1541. ad Trav. inter alia: Quis e Rhaetiis nostris apud ignotos etiam Germaniae doctos viros Te celebrior, cujus nobilitas, gravitas, prudentiaque notior? Non tam te occultant altissimi montes, quin fulgor splendidissimi tui nominis ad nos reluceat, quin et ipsi scimus quam certatim ad Te Viri docti scribant; scimus inquam et Melanchtonem hujus seculi decus, Te suis divinis litteris dignatum? etc.

BULLINGERUS, quorum omnium *Autographa* penes eundem Illustrem ROD. a Salice asservantur, nobis benigne communicata. b)

Primitiae locorum quae Missam in Oengadina superiore abolevérunt, fuere PONTRESINA ad radices Berninae montis, qua in Italiam transcenditur, et SAMMADOENA. Et Pontresinae quidem Bartholomaeus SYLVIUS nuperrime cum quibusdam aliis Petri Paulli VERGERII, Justinopolitani olim Episcopi tum temporis ex Italia in Raetiam profugi comitibus, eo delatus, vel paucis aliquot concionibus ibi habitis et ipse Vergerius sacra evangelica Anno fere MDXLIX. plantarunt et firmarunt.

Lucius Gritti, seu quisquis Oengadina dialecto consarcinavit quoddam de Ref. Eccl. Raetiae Compendiolum, inordinatum alias, breve et confusum, miscellis suis relationibus inseruit, Vergerium, postquam medium fere Annum ex quo Italia cessisset in Valle Tellina se continuerat, iter in Helvetiam facturum mense Novembri Pontresinam superato Berninae jugo, eadem vespera adpulisse, qua ordinarius Sacrificus diem obierat extremum; cujus proinde sepulturae interesse et ipse voluerit. Factum vero, ipso apud loci Hospitem, qui simul vici Judex erat, de molestia itineris conquiescente, quum vicani in eandem domum confluentes de subrogatione novi Sacerdotis consilia, cum Hero suo, miscerent, ut Vergerius nacta occasione, ea qua valebat et scientia et dexteritate de Religione principia Hospiti explicaret, quae huic mire probabantur; tum vero ut sibi unam habendi concionem copia concederetur instaret. Renuebant plurimi, erant etiam qui minas praedicaturo intentabant: tandem vero Judex: *Audiemus*, inquit, *quid italus iste novus nobis dicturus sit.* Sic conscenso suggestu Vergerius de justificatione peccatoris coram Deo orationem habuit, ab omnibus adtente exceptam et admiratam. Egressos judex rogabat, qui novus italus placuisset? Ad quod cum responderet nemo, unus ex Senioribus, *Placet*, inquit, *ut et crastina die unam concionem habeat*, cui omnes suffragati sunt. Et obsecundans eorum voto Vergerius altera die de mortis Christi efficaci, in frequenti vicanorum coetu, tanta

b) Vid. Anhorn. Paling. p. 44.

tanta cum vi peroravit, ut Templo egressi, sibi de tanti viri praesentia gratulati sint, et crescente cum ipso notitia et consuetudine ad illius consilium mox papisticis erroribus nuncium miserint; Altare vero et imagines locis suis sublatas, de alto ponte in flumen praeterlabens dejecerint. Anhornius addit, per totam hyemem Vergerium ibi loci substitisse; quod Ego non asseveraverim. Plantatae Ecclesiae per plures Annos inservit Petrus PARISOTIUS Bergomas, item Religionis causa exsul.

Quum vero etiam SUMMADOENAE Evangelicorum numerus insigniter accrevisset, illique splendorem haud parvum adderet ipse FRIDERICUS, qui nuper Promontonio huc habitationis sedes transtulerat, aedesque familiae suae novas exstruxerat, ejus nixi patrocinio JOANNES MARIA, Clavennensis, Sacerdos, et qui saepius ad Saliceum divertere, terram et Ecclesias obambulare, indidem ubi e re videbatur etiam concionari solebat, et Vergerius Papisticarum superstitionum eliminationem urgebant, nec multo post obtinuerunt. Lapsus vero est Campellus scribens Ao. circ. 1548. primum Pontresinae, non diu autem post etiam Sammadoenae Vergerii quoque ope Missam ejectam esse: nam exacte subducentes calculos reperimus Vergerium demum aestate Anni 1549. Raetos adtigisse; litteras vero ipsius Vergerii in manibus habemus die Georgii, Ao. 1551. ex Raetia ad Bullingerum datas, quibus in haec dicit: *Samadeni Papatum ejectum iri spero:* habemus vero et alias ab eodem, ipso Anno 1551. die 15. Maji ad eundem scriptas, quibus Bullingero, *ob destructa ossa cujusdam sancti Gaudentii*, (sacrarium illud erat CASACCIAE in Praejuliis) *confractasque statuas*, rabiem Pontificiorum exponit, et *siquidem etiam Samadenenses eodem tempore Missam abiecerunt, facti totius invidiam in se conjici.* Ex quibus certum nobis fit, mense fere Aprili, aut circa Paschatis festum Anni MDLI. sacra Evangelica loco Missae SUMMADOENAE, felicibus auspiciis, instituta esse. Inservivitque Ecclesiae cum fructu per annos plures ex Italia itidem profugus, vir eximius Petrus Bergomas, cujus plures ad Bullingerum asservantur in Archivis Eccl. Tigurinae litterae.

Post-

Postquam metrocomia glaciem fregisset mox et vicinae Ecclesiolae subsecutae sunt, BIFRONTIUM nempe (Bevers) ubi Missa cum reliqua superstitione exterminata: Evangelii profectui primus invigilavit PETRUS PARISOTTUS Bergomas, itidem ex Vergerii comitibus unus: quo fere tempore etiam SELII Missa abrogata est per JOANNEM FRANCISCUM quendam Italum, egregium sane virum, cui mox succesit JO. ANTH. CORRESIUS Brixiensis, aliique. Sed ad insignem ex Italia operariorum confluxum eadem tempestate, aut certe non multo post in majore Praegalliae parte, Stampae, nempe, Bondi, Solii, Casacciae, et Castaseniae, Missa abrogata fuit, quum antea non nisi Vico Suprani sepulta jaceret, sed haec suo loco.

Primi nominis Communitas in superiore Oengadina habetur Zuzium seu ad etymum Tutium, tum ob loci frequentiam, tum ob Magistratus ad agenda forensia sua in Tribunal eo confluere soliti respectum; illa vero Missam mordicus tenebat. Inde enim oriundus Thomas PLANTA tunc temporis Curiensis Episcopus, et illustri stirpe ibidem loci ab olim residente natus, nihil non apud suos agebat, ne vetera sacra abjicerentur: non minori sollicitudine JODOCUS RESINARIUS, genere quoque amplissimo natus, tum vero Scamfiensis in vicinia sacrificus, apud quoscunque poterat incumbebat, ne quod detrimentum sacra Romana Religio pateretur. IOANNES TRAVERSIUS vero quamvis abominationum eliminationem cordicitus cupivisset, diu tamen haesit, antequam contra tot obstacula quidpiam moliri in animum induceret: Unde qua sapientes seculi uti solent prudentia et hic nullo modo receptae religioni infensus esse, neu apud optimates neu apud plebem videri volebat, verum omnibus sacris intererat, et facta concione etiam Missae ad finem usque adstare solitus erat. **) Siquidem

**) Traverss. ad Bull. 12. Kal. Aug. Ao. (ut videtur) 1553. —— Opusculum Jo. Calvini de superstitionibus mihi tuo nomine oblatum cum desiderio legi. —— Delatus fui apud Te per aliquos fratres bono zelo, versari me adhuc in aliquibus superstitionibus; maxime eo quod facta concione templo morabar dum Papistica Missa finiebatur. Veritas tibi fuit relata: Missam illam licet cum omnibus cerimoniis jamdudum abnegaverem, effecit hoc opusculi illius lectio et fratrum correctio apud me, quod ante annum unum omisi penitus interesse abusui Missae, et sic perseverare pergam.

dem vero in Evangelicam doctrinam inclinantium numerus erat haud contemnendus, et in illo nobiles quoque perplures; spes vero esset sua auctoritate accedente, vim veritatis superatis obstaculis perruptu-ram, fidelibus Christi Ministris Zelum illi accendentibus, tandem Ao. 1553. rem tentare decrevit. ***) Eum in finem Gallicium rogave-rat ut se invisens, in privatis aedibus concionum daret initium, et eo tardante AUG. MAYNARDUM Clavenna accersiverat, quo de hoc facto principio sibi caeterisque Evangelium profitentibus liceret Ministrum Evangelicum conducere: sed delatum ad Viciniam negotium, causa tumultus evasit, quo adversantes, linguarum acerbitatem ejecerunt in Traversum, ceu communis pacis et tranquilitatis turbatorem. Igitur Traversius qui modum quo vulgus tractandum esset optime noverat, in meliorem opportunitatem sua instructurus, cunctari, furorem modestia et benignitate mitigare coepit, interim vero conatus majori favore mu-nire; sperans quod si minus hac maledicentiae tolerantia, consensum majoris partis adquisiverit, ut suis expensis liceat Christianum Ministrum adducere; id juris via tandem negari non posse. ****) Qua in re nec spe

***) Gallic. ad Bull. 25. Jul. 1553. Traversus noster his diebus hic fuit, mihi-que dixit se nolle amplius Missam videre, seque hoc ipsum Tibi scripsisse.

****) Travers ad Gallic. ex Zutz. 7. Idus Jan. 1554. Quod cepimus Evangelicum concionatorem conducere, Philippe frater, conatur Satan per suos Ministros in-terrumpere: Spero eum et oleum et operam perditum iri. Viceramus Aug. Maynardum precibus nostris, adeoque operam suam per aliquot dies nobis im-pensurum promiserat, antequam tuas accepissem litteras. Delatum fuit nego-tium ad viciniam me orante: quo maximus tumultus motus fuit, et omnes in me solum linguarum acerbitatem ejecerunt, exclamantes nos tranquillitatem et communem pacem Communitatum turbare conari. Nos vero animadvertentes ineptias vulgi, cunctari satius duximus quam Cerberum irritare: coepimus furo-rem benignitate et modestia mitigare, ac conatus nostros interim majore favore munire: taliterque speramus tolerantia maledicentiae brevi consensum majoris partis viciniae nostrae, expensis nostris Christianum concionatorem adducere posse. Sin minus jure medio id nobis non negabitur. Duo nostri sacriñculi Joh. MATTHIAE et JODOCUS RESINUS impedimenta totis viribus objiciunt, medio propinquorum suorum; habent enim in Zutzs omnem eorum stirpem. Attamen Dominus fortitudine brachii sui explanabit vias suas. Tu ut Christia-num decet nobis servitii tui spem fecisti, quam acceptam ferimus precamurque ut ad Te id pares, quo elapsis nundinis ad nos adventare valeas. Interim Curien-

spe falsus fuit. Nam quum multi etiam Pontificiae Religionis fautores, sacrifico Joanni Matthiae, qui Petro Bardo ibi successerat, ob vitam suspicor maculosam, infensi essent; rapta hac occasione Evangelici mense Februario Anni MDLIV. re ad Communitatem de novo delata, obtinuerunt ut liceret sibi Phil. Gallitium qui tum Curiae ad D. Regulae Ecclesiasten agebat, accessere, quo se privatim et quoscunque audire volentes, in non parochiali, sed D. Catharinae aede, Evangelium doceret, institueretve. Tum vero litteris ad Senatum Curiensem supplicibus directis Philippi operam ad aliquot septimanas impetrarunt, qui ubi eo adpulit, per tres hebdomadas, quibus ibi commoratus est, strenuum in Domini vinea exhausit laborem, quotidie fere et frequentissimo auditorio sermones sacros ad populum habens. a) Advolabant

Curiensem Consulem et Senatum rogabimus, ut sua gratia id nobis concedatur. Praetor noster fusius tecum aget. Si concionatorem adducere vultis, exclamant plures, adducite Philippum; eum saltem omnes intelligemus, et non Italum. Ea spe non paucos pavimus qui prius deserta *amicitia* spuebant contra nos, et nunc silent. Vale.

a) Gallic. ad Bull. 3. Febr. 1554. — Vergerio mitto litteras testimoniales non quales petierat, sed quales visum est fratribus esse dandas. Ambitiosior est. Traversus denuo missis litteris rogat ut illuc eam praedicaturus ibi Dominum Jesum. Rogavit et Senatum nostrum. Senatus concessit ut ire possim illuc, et hebdomadas aliquot praedicare. Proficiscar perendie si Deus voluerit. Spero bona: Ora Deum pro successu. Comander egregiam orationem in Templo habuit contra Episcopum invitantem mulierculas nostras ad saltationem. Senatusconsulto prohibitum est illuc ire ad Missam, prohibitae Saltationes et caligae discissae. Mortuus est his diebus *Junker Hans von Marmels der Herr von Ratzüns*. Spes est Evangelium eo loci praedicatum iri.

Gallic. ad Bull. 16. Jan. 1554. Accepi litteras tuas — et illas ad D. Traversum ei diligenter misi, quae et redditae illi sunt. Constans pergit esse in coepto. Quo in statu autem res sint illic, percipies certius ex ejus Epistola ad me missa, quam ob hoc visum est ad Te mittere. Intra mensem abolita est missa et in alia quadam Ingadinae meae communitate, non tamen sine maxima contentione. Sacrificuli hic Curiae in Cathedrali sua Ecclesia timent sibi, quod nescio quis eis dixerit, me satagere de exstirpanda et ipsorum Missa, canonicisque abolendis. Certe non difficile factu hoc fuerit, si modo quae Missam abrogarunt Communitates in Foedere nostro Domus Dei, audentiores essent, et acrius a concionatoribus excitatae rem aggrederentur: plures enim, majorque

pars

ex aliis locis turmatim tam mulieres quam viri, tum ut Evangelium audirent, tum ut Gallitium cum sacrificulis disceptantes perciperent: Etenim sacrificulis data erat potestas dicendi ante meridiem, Gallicio vero post meridiem, laetumque prodigium erat sexagenarios et septuagenarios, canos, crinibus barbaque totos candidos, indies conspicere Tutium accurentes, et summa adtentione tum praedicationi tum Disputationi auscultantes. Curiensis equidem Episcopus ubi Gallicium rescivit in Patriam suam iviſſe Evangelicum exercitium plantatum, statim sacrificulos duos ad suos Zuzium misit; sed quod Gallitii labor niteretur patrocinio Traversii, cui ipse Thomas ob promotionem ad insulam haud parum devinctus et obligatus erat, nihil in Gallicium siniſtri designatum apparuit. Tandemque in suffragia itum est, quibus Traversus et

pars essemus, maxime nunc accedente nobis Zutzio Traversii. Quidam hoc tentare detrectant, quod multae pensiones Canonicis dentur ex regionibus Caesaris, verentes illas, si abrogetur Missa, non amplius datum iri: quum tamen quae illinc proveniant, auferant sibi Canonici Caesareani. Et quid? propter pensiones retinebimus Missam? ut habeamus pergemus esse impii. JO. ANGELUS RITZIUS prorsus nihil obtinuit hic apud nostrates: nam miro consensu omnes Communitates nostrorum Foederum respuerunt articulos a Caesare nobis per illum oblatos. . . . . Episcopus noster Curiensis nudius tertius primorum civitatis nostrae uxores fere omnes invitavit in castrum suum; ibique saltarunt per totum fere diem. Reclamamur quidem, sed suspensa manu, ne minus grati fiamus tenellis nostris.

Item Idem eidem d. 20. Mart. 1554. Quo in Statu res ZUTZIENSES sint, ut certo scias, (nam aliquamdiu luctatum illic est post discessum meum, et fere citius quam ex re esset illius discesseram. Domini tamen mei hic passi aequo animo fuissent ut adhuc hebdomadas duas vel tres illic fuissem, modo aliquid effectum fuisset per me) mitto tibi litteras Traversi ad me scriptas simulque intelliges ex illis quod curam illius habere non desinam. Spero me brevi hujuscemodi felicia posse ad Te scribere. De mutatione nostri adhucdum Episcopalis collegii sermo in omnium fere ore est, sed nihil adhuc tentatum. Certe multo nunc plures sunt in Foedere nostro Domus Dei, (penes hos enim est potestas ipsius *Missae*) qui Missam non habent, quam qui habent, et animi sacrificulorum si unquam, nunc sunt maxime consternati. Ego quantula possum dexteritate et industria, quum oportunum fuerit, certiorem faciam Traversium nostrum, nec non et Episcopum, quam amice Te offeras, et huic tuam operam pollicearis, quae me hercle ipsi et Canonicis plus esset profutura quam nunc iperent.

et Evangelici superiores evaserunt, inventusque est numerus eorum, qui Missam amplius noluerunt habere, lange major illorum, qui retinendam clamabant. b) Ita igitur suffragiorum illorum praevalentium consulto,

b) Gallicius Bullingero d. 12. Mart. 1554. Salve virorum desideratissime. INGADINAM petii tempore quo Tibi dixeram: Fui ibi mensem integrum, altero quoque die concionando et per Communitates circumeundo. Dicebam acriter quod non esset mihi spatium concessum a Dominis hic meis diu illic permanendi. Veniebant peregre ex aliis semper locis plurimi ad conciones nostras, imo advolabant turmatim tam mulieres quam viri tum ut Evangelicum audirent, tum ut sacrificulos et me disceptantes perciperent. Sacrificulis enim data erat potestas dicendi ante meridiem mihi vero post meridiem. Sed hominum animos omnium accenderat Episcopus noster Curiensis qui statim ut rescivit me Ingadinam, ac nominatim vicum unde ipse ortus, et ubi parentes suos adhuc vivos habet, propinquosque suos, petiisse: misit illico eo duos sacrificulos ex aula sua actum nescio quid contra me. Nam hos ne verbum quidem feciisse contra me comperi. Quid tum secreto et amicis Episcopi dixerint, certum mihi non est; nec si sit ad rem multum facere videtur. Hoc tibi affirmarim, si coram vidisses Sexagenarios, Septuagenarios (quos plures quam ulla alia regio habet Ingadina propter coeli salubritatem, et victus temperantiam) canos ac totos candidos crinibus ac barba, hos inquam si vidisses, accurrentes et tanta adtentione (Deum immortalem) auscultantes, laetitia ineffabili fuisses correptus. A nobis stabat JO. TRAVERSUS ille, totus adamantinus in Domini negotio, cumque eo magna caterva nobilium: hi enim fere omnes Domini partes sequebantur, nec non et plurimi praedivitum. Et ut fortitudinem audias Traversii nostri, Ego qui dicor acerrimus clamator contra Papismum, illi tamen aliquoties non satis acer eram. Acquiescebat tamen moderatioribus. Sed quaeris potissimum quid simus per Dominum consecuti? Postquam visum est mihi Curiam esse repetendam, Egoque huc perveni non prorsus sine periculo, Traversius et Zuzienses Suffragiis agentes victores evaserunt, inventusque est numerus eorum, qui Missam amplius nolint habere, longe major quam istorum, qui Missam velint. Ecce quantulo tempore quantum opus fecerit Dominus per nos indignos Ministros. Zutzienses enim Communitate nulla major est in Foederibus nostris, nec alia celebrior una Curia excepta: idemque speramus de duabus aliis Communitatibus et Ecclesiis prope Zutz. Pfaffi (tuo utar vocabulo) plus timent suo *stifft*, quam annis jam aliquot. Dicitur mihi: ne praedicem contra *stifft*, quod Traversius et Ego conemur subruere. His Ego respondeo me praedicare Evangelium; quidquid inde faciat Dominus; nec quaerere ut aboleantur Canonici et *stifft*: sed ut abrogetur Missa tollanturque abusus, si qui sunt, et reformentur omnia in meliorem statum pristinum; unde utilitas quaedam redeat ad Communitates. Rogo Ergo Te ut brevibus mihi delineas reformationem vestram factam cum Canonicis vestris. —— Traversius legit tuas Decades et in Coelum tollit.

sulto, constitutum fuit, Evangelicum Ministrum in loci Parochum eligendum et conducendum esse. Id quod mox factum, atque Joanne Mathia sacrificulo dimisso, Missa valere jussa, statuae ex Templis, absque ullo tumultu, placide et tranquille sublatae sunt; non modo Zuzii, verum etiam MADULEINAE, (illius filiali) in fano item S. GEORGII Scamfio vicino, et CAPELLANO Ptochotrophio. Factum id ineunte Martio mense Anno MDLIV. Caeterum simul cum Missa a Jurisdictione illa, abrogata etiam omnia festa Papistica sunt, et cum illis etiam *festum Incarnationis*, *Circumcisionis*, *Parasceves*, *et Ascensionis*: c) Quae vero quum ad Dei honorem essent instituta, et etiam in aliis reformatis Ecclesiis, inprimis Tigurina observarentur, postliminio et heic reducenda fuerunt. In tanta ergo sedulorum Christi Ministrorum dialectum Raeticam callentium penuria, ne quae Sathanas interponeret Zizania, Huldricus Campellus nuper Susiensium Minister, Zuzium migrare jussus fuit: quod et iste lubens fecit, ibique per primos sexdecim menses perduravit, licet frequentissimis et molestissimis Ministerii functionibus vix unus sufficeret. Etenim juxta Zuzium, Maduleinae, quoque filiali, in fano D. Georgii, et Nosocomio Capellae, ad quod Sinusculani et Susanenses Scamfiensis Parochiae, pro sacris congregantur, non tam pro parochialis juris praescriptione, quam ad plantationis agri Dominici necessitatem, mediae quoque parti Campovastensium, et insuper tertia quoque dominica die Susiensibus (qui vicus Zuzio decem plus minus passuum millia distat,) sacra exercitia habenda erant. Quum vero Campellus condicto tempore Tutii exacto, Anno MDLVI. mense Martio, rursus Susam redire ex pacto cogeretur: ex ipsius et Traversii consilio Zuzienses JOANNEM CONTIUM BISA-

c) Trav. ad Bull. Kal. Jun. 1554. Censeo Te factum esse certiorem de Ecclesiae nostrae Zuzianae felici statu, Missae reliquarumque superstitionum abrogatione. Caeterum nostra Jurisdictio abrogavit pariter festa aliqua maxime circumcisionis, Parasceves et incarnationis Christi atque adscensionis, quae ad solius Dei creatoris nostri honorem introducta atque recepta esse palam videmus. Ego contra illam libertatem et constitutionem mordicus exclamavi, ex consideratione quod ex Decad. 7. Serm. 4. clare visum fuit Ecclesiae Tigurinae ferias illas observandas inculcare. Praeterea affirmari Tiguri dies illos sub festivitate ut Dominicam celebrari. Responsum fuit neque Tiguri, nequae Curiae festa haec celebrari. . . . . Doleo Basileenses ut dicitur opinionem Lutheranam sequi.

BISAZIUM, patria Ardetienſem, Tutii tum Ludimagiſtrum, a Ven. Synodo ſibi in Paſtorem ordinandum et confirmandum expetiverunt. Erat is vix ſupra annos viginti duo provectus, ſed pro qualitate temporis doctus, pius, moribus bene compoſitus, optimaeque ſpei: d) Verum deerat adoleſcentiae ea gravitas, et exiſtimatio, quae ſtationi illi aut provinciae cum valore ornandae neceſſaria requirebatur. Igitur ad rem Eccleſiae fulciendam, dum Biſatzii dotes et virtutes cum aetate creſcunt et innoteſcunt, Traverſius a Vener. Synodo facultatem publice quando opus fuerit concionandi, ut et reliquas, neceſſitate exigente, Eccleſiaſticas functiones obeundi, expetiit, et facile obtinuit. e) Stupuit tunc ordo Evangelicus, ſtupuit tota Raetia contemplans eximium inclitumque Heroa, inter Raetiae gentis optimates, diu principem habitum, ſummis etiam patriae honoribus, debito virtutibus premio inſignitum, ſenio nunc confectum ſuggeſtu in publica ſacra aede conſcenſo, populum docere, et alia Eccleſiaſtica munia, quando res poſcebat

d) Id. ad eund. 6ta Idus Decembr. 1556. . . . . Eccleſia noſtra Zuzienſis Domini gratia a Papiſtico fermento liberata, Evangelicamque Reformationem ſuſcepit. Integrum habemus Miniſtrum qui annum 23. non excedit, verum pro qualitate temporis doctum, pium, moribus bene compoſitum, optimaeque ſpei juvenem ex noſtratibus: Joannes Contius vocatur. Ego etiam quantum onerosa ſenectus patitur, ſemper ei ad coſtas monendi gratia adſum, raris etiam concionibus eum ſublevo, quo toti paraeciae tanto facilius valeat inſervire. Populus ſtudioſus eſt ad concionem et arrectis auribus ſe accomodat: licet interim carnis mortificatio a nobis adhuc ſit excluſa. Dominus ſuper facto fundamento Aurum, Argentum, et Gemmas aedificet. Amen. Caeterum mihi relatum fuit Suitenſes talia Glareanis perſuaſiſſe, ut in tota eorum ditione patiantur Miſſare, et id potius minis quam precibus effeciſſe, bonis et piis pluribus reclamantibus. Relationi huic fidem non habeo: digneris me ſuper eo facere certiorem. Si Glareani tale imperium ferunt, non integra libertate potiuntur. —— Plures ex noſtris Rhetis pergunt Mediolanum in caſtra Caeſareana etc.

Idem ad eund. 14. Kl. Sept. 1559. De ſtatu annoſae aetatis meae qui annum ago 76. te facio certiorem. —— Quae ventura ſuperſunt cum ſpe gratiae in fide omnipotenti Dei miſericordiae confiſus, relinquo. —— Eccleſia noſtra optimo Miniſtro Jo. Contio et vigilantiſſimo curata, in ſtatu tolerabili conſervatur: Verbum Domini ſincere praedicatur. Non ceſſat Antichriſtus ſemen ſuum miſcere, ſine tamen veritatis noxa. Deus cum illuminet et protegat etc. commendo Tibi Jac. a Planta juvenem de nobili familia, ſed tenuis fortunae. . . Federicus gener meus cum tota domo Clavennae bene valet.

bat, operam suam cum ordinario Ministro conjungendo, et laborem participando, summo audientium applausu undique ex locis circa vicinis, integris turmis ad ejus sermones audiendos confluentibus, obire. Urebat id Pontificios vehementissime: unde non deerant alii, qui Traversum grandiore jam aetate, qua erat, delirare ac desipere calumniarentur; verum illius sermones supra quam diu potest, cordati, plus satis sanam mentem testabantur. Alii, quibus calumniae futilitas probe perspecta erat, senem venerandum haud secus ac sceleratum Apostatam, maledictis aliisque convitiis lacerare nec dubitabant, nec desisterent; sed hos facile generosum pectus contemsit. Exstant adhuc litterae ea de causa Ministerii nomine a Gallitio ad illum perscriptae, quas gaudii impensi testes, et cedro dignas, ab interitu vindicandas existimavi. Sonant autem in hunc modum.

Vere Magno Viro D. Joanni Traverso, Viro bonis omnibus observandissimo!

„ S. Heri vesperi redeuntes ex Ingadina filii mei optati, ingenti
„ me gaudio perfuderunt, nunciantes in Templo Te jam concionari
„ coepisse. Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, qui
„ sapientiae, quam in Te jam olim posuerat, fortitudinem etiam nunc
„ tanta digna intelligentia addiderit. Beatus es qui per Dominum
„ gratiam es nactus Evangelicae veritatis forti confessione compensandi
„ jam quae hucusque neglexisti. O felicem terram, quae tales nacisci-
„ citur doctores ac Magistros! Jam facile possumus divinare Evange-
„ lium altas radices acturum, fructumque egregium producturum, quan-
„ doquidem Dominus tantam lucem nunc accendit, talesque in mes-
„ sem suam protrusit operarios. Sed quae modestia est ista explo-
„ denda, imo quod facinus hoc, quod permittis tibi, petere a nobis
„ Auctoritatem, quum fuerit opus concionandi? Tu, inquam, qui Rhe-
„ tiae nostrae primoribus Auctor fuisti, veniam nobis concedendi ut
„ praedicemus Evangelium. Non blandimur Tibi, Vir maxime! sed
„ virtutes Domini agnoscimus, et opera, quae per Te praestitit ille,
„ praedicamus! Scias igitur nos neutiquam arrogare nobis auctorita-
„ tem tua bene coepta confirmandi, sed hortamur, ut quod tanquam
„ pium in nobis approbasti ante multos annos, tu quoque facias, et

„ eadem

„ eadem auctoritate, quam a Domino per Te, Tuaque monita sequen-
„ tes Primates habemus, utaris et ipse. Vocatus, auctoritate decora-
„ tus ipse es a Domino; et quid Deo gratius facere poteris, quam
„ filii ipsius dilecti Evangelium praedicare? Quid quod magis Te de-
„ ceat in ista praesertim aetate, quam fortem Te veritatis divinae te-
„ stem praebere? quid tibi utilius parare quam coelestium divitiarum
„ thesaurum? quid tutius quam in portu et confessione verae fidei
„ aeternam felicitatem habente immori? quid denique praestantius,
„ quid salubrius civibus Tuis possis conferre, quam viam et modum
„ ad immortalia bona assequenda, commonstrare? Quam bene cecidit
„ olim feciſſe hoc Tui etiam ordinis Viro integerrimo, D. Ambrosio
„ Mediolanensi Antistiti, qui penuriam bonorum concionatorum videns,
„ ipse relicta turbulenta rerum terrestrium administratione totum se ad
„ coelestia praedicanda contulit; quam utilis et glorioſus fuit suis Athe-
„ nienſibus Solon in legibus docendis; quam Lacedemoniis Lycurgus?
„ Romanis Numa Pompilius? et dedecori sit Traverso Dei leges po-
„ pulum docere. Grunniant sues in coeno voluptatum *sustum* se se
„ volutantes, quidquid velint oblatrent canes impudici. Tu tamen vi-
„ rorum justissime, sanctissimeque sepulchro jam propinque perge Tui
„ similis esse, ac patriae nostrae, pro qua Te saepe bello, paceque
„ exposuisti, cujusque gloriam tutatam, conservatamque semper voluis-
„ sti, hanc inquam nostram alumnam, perge in omni loco, docere,
„ monere, hortari, et conservare. Relinque nobis, priusquam hinc a
„ nobis in coelum transporteris, sanctum aeternumque Tui memoriale:
„ Testatam fac in extremis istis temporibus coram omnibus bonam
„ professionem. - - Caeterum pestis hic non saevit, nec tamen peni-
„ tus desiit nobis minari, subinde aliquem invadens. Comander Te
„ salutat gaudens de fortuna Tua. Salutare mihi digneris Huldr.
„ Campellum, Joannem Bisazium, Gaudentium Madulain, et Jacobum
„ Tschuchanum. Vale in Domino Vir optime et Philippum tuum
„ redamare non desine. Datum Curiae, die 29. Novembr. Anni
„ 1555.„

Tuae Humanitatis.

Totus Phil. Gallitius.

Sed quamvis omnia minarentur ruinam cultui Romanensi in tota illa Jurisdictione, spes tamen semper tenebat superstitiosos fore, ut Episcopus Curiensis non citius desisteret quam sacra pristino mori restituisset. Is quidem suis partibus non deerat; et quia sub idem tempus Nuncius quidam Apostolicus in Raetiam adventaverat, et aliquot magnae famae ex Italia Monachos, ad ora Ministrorum Evangelicorum obturanda secum adduxerat, istos nil dubitabat Episcopus in messem emittere. Venit proinde illorum rasorum unus etiam in Oengadinam, stipatus comitatu eximio, et pro rostris Zuzii antiquam canere cantilenam non dubitavit, clamans Missam a Christo et Apostolis fuisse institutam, caeteraque hujus furfuris. Concursus itaque factus, et coram Magistratu super factam concionem cum Praecone in controversiam itum est. In hac disceptatione qualis emicuerit partis victoria, malo alicujus coaevi, quam meis verbis recensere. Haec autem sunt.

„ Ecce quid audeat et tentet Romana iniquitas. Missus est Ro-
„ ma huc Inquisitor Monachus quidam. Is apud Episcopum no-
„ strum - - nunc aliquot hebdomadas fuit. Magna sibi promittebant
„ ab eo: nobis extrema omnia minitari. Nos petere ut liceret nobis
„ cum illo verbum unum aut alterum facere. Impetrare non quivi-
„ mus: Servari Monachus videbatur ad alia multo majora nescio quae.
„ Tandem Foederum nostrorum magno mirandoque consensu coactus
„ est Episcopus illum ablegare cito. Addidit illi comites itineris du-
„ cemque suum Capitaneum arcis Fürstenburg. Pervenit Monachus
„ in Ingadinam; concionatus ibi est: Missam esse a Christo et Apo-
„ stolis institutam, et alia istiusmodi multa, quae Ego Tibi scriberem,
„ si non scirem notam esse Tibi corvorum crocitationem. Fratres
„ agere contra Monachum. Breviter; congregatur Judicium: dispu-
„ tatur. Traversus coram omnibus disputando, Monachum eo rede-
„ git, ut fateretur Missam istam non esse institutam a Christo, nec ab
„ Apostolis, nec usquam inveniri in Scripturis sanctioribus Evangelista-
„ rum et Apostolorum: sed esse institutam a Conciliis et aliis sanctis
„ viris, approbatam observatamque a Patribus: ob id se credere quod
„ sit bona. Quod et ipsum expugnatum est a Traverso. Fratres ac-
„ cepta confessione Monachi, illa contenti fuerunt: Monachumque
„ passi sunt abire. Papistae indignati Monacho quod fassus esset illud.

„ illud. Sic miser cucullatus neque hic quidquam suo Pontifici et „ Episcopo est lucratus, sed exsibilatus est, irrisusque, et a judicio jus- „ sus recedere de terra sua. - -. Calvino omnino scribemus proxima „ hebdomada litteris prius ad Te missis. „ Haec Gallitius ad Bullingerum perscripsit die 5. Febr. Anno MDLV.

Eodem vero plane tempore Ecclesia CAMPOVASTENSIS destituebatur sanctorum Antistite, sive quod in tanta Sacerdotum simul et Ministrorum penuria, aut non reperiretur qui illis a sacris esset; sive vero potius quod inter vicinos aequali numero divisos, de electione non conveniret. Dum igitur Pontificii, Ministrum; Evangelici contra Sacrificulum nullum amplius recipere volebant; ad sacra Evangelicae parti administranda, Campellus dum Zuzii haesit, interea transibat, a Pontificiis vero Sacrificus aliunde, plerumque vero Bergomio accersebatur. Sacro vero quodam die obtigit ut tum Minister tum Sacrificulus circa idem tempus accesserint. Tum vero nec Minister Sacrifico ut prior missaret cedere volebat, nec Sacrificus Ministro obsecundare, qua de re tumultus inter partes ortus est, quo Papisticae factioni addicti plaustra convitiorum in Campellum effuderunt. Conversus itaque Minister ad Sacrificum, illum rogat, simulque per ejus fidem adjurat, ut dicat bona fide, *quid sit Missa, et num dignam censeat cui verbi divini annunciatio priores partes cederet, et num pro certo habeat Christum pro peccatis nostris sic satisfecisse, ut nullus amplius sit suffimentorum usus?* Heic constrictus Sacrificus, ingenue coram utraque parte fatetur *Missam esse contra Christi meritum summum scelus et injuriam.* Sic confecta res fuit, et tacuere tumultuosi. Ex quo vero Huldr. Campellus Martio mense Anno MDLVI. Susam remigravit, quinto post anno accidit, ut inter duas Campovastensium supradictas partes ita convenerit, ut Christophorum Chioerngiam, hactenus Sacrificum, quique alteri tantum parti hucusque aliquando inservierat, nunc in communem Parochum eligerent, ea lege ut ipsius arbitrio staret sive Missam celebrandi sive minus, prout Deo rationem reddere vellet. Novus vero Parochus conditione admissa, simul atque eo migravit, nunquam amplius missificavit: Et hoc modo etiam CAMOGASCI Missa abrogata fuit, Anno Domini fere MDLXI. Id quando pars pontificia factum conspexit, spe frustrata, vehementer illam consilii poenituit; igitur ut

una cum Missa etiam statuae, quibus si alibi formosis et elegantibus Templum splendebat, tollerentur pertinax nunquam admittere voluit, et quamvis supradictus Christophorus una cum altera factione summa ope, ut ea idola eximerentur adniteretur, frustra tamen omnia erant. Oblata tandem occasio est, qua, granorum quidam negotiator, statuas illas sexaginta circiter secalis modiis, (quorum valor centum fere Rhenensibus aestimari poterat) licitaretur: quo casu tum qui ante idola defendebant, vel certe quid facerent haesitabant, animi ancipites, hic spe lucelli moti, parti illi accedunt, quae sublata cupiebat. Sed adhuc ne id fieret adversa pars omnes vires in contrarium opposuit, fuitque populus in contraria studia sic tractus, ut quae pars numero superior esset, satis sciri non posset. Ventum igitur itum, ubi causa per septem aut octo menses non citra magnas utrinque factas expensas ventilata, et disceptata est. Tandem statuarum propugnatores sententes se, duobus (non amplius) suffragiis superari, mutata jam cantilena clamare coeperunt: *Non velle se sanctos suos vendi, sed potius comburi.* Exceperunt omen hoc qui ex adversariis Evangelicis ibi praesentes erant, eique in sinu adquiescentes jam ut juxta adversae sibi partis intentionem efflagitationemque sententia ferretur a judice urgere ac postulare coeperunt. Constrictus hoc modo judex in eum tenorem juris sententiam pronunciavit: „ut statim illa aut postera „ die idola illa omnia ad unum Vulcano traderentur. Id quod etiam effectui datum; postridie namque in publica platea, parte Evangelica pyram et ignem construente, ac statuas imponente, Pontificia factio pone sollertissime custodiebat, ne quid quod vendi quiret subtraheretur, unde lurco seu patrimonii sui gurges aliquis vel unum obolum redimeret, quem forte Bacho aut Cereri aliquando immolaret. Sic cuncta uni Vulcano cesserunt, donec in minutissimam favillam omnia redacta fuere. Factum hoc Januario mense Anni MDLXXVI. Et talis quidem Camogasci Iconomaniae finis allatus fuit.

Quum Anno MDLXX. saepius memoratus Sacrificus Jodocus Raserius, jam pene decrepitus, ultimum SCAMFII clausisset diem, non minores de successore, et sacrarum repurgatione ibidem quoque in populo contentiones agitatae sunt. Vicit tandem pars Evangelicorum, et THOMAS BAPTISTA Thoenlychius, inde oriundus, juvenis pererudi-

ditus,

ditus, qui ſtudia agens Baſileae Magiſterii gradum conſecutus, et ante annum in Miniſtrorum verbi Dei Album relatus fuerat, in Eccleſiae Paſtorem receptus eſt. Altare cum Iconibus, Templo ſublata, primum in aedibus Petri Boſſii fuere repoſita, poſtmodum vero Auſtriacis, levi pretio divendita ſunt, cunctis jam repurgationi factae adquieſcentibus. Dictus vero Thoenlychius ſeptimo poſtquam Eccleſiae praefectus fuerat anno, peſte tum temporis feraliter graſſante, ſublatus fuit.

Ad Eccleſiae CELLERINENSIS repurgationem, multum contulit opera Illuſtrium SALICEORUM, et maxime Domini JOANNIS a SALIS, quorum ibi loci ſtirps maſcula noſtro demum aevo exſtincta eſt.

Solebat ejus loci Sacerdoti, qui etiam SANCT-MAURITIENSIBUS officia adminiſtrabat, JOANNI ZACCONIO peragundis ſacris in Templo functionibus, ſubſidio eſſe pernobilis quidam juvenis Thomas a Caſtris nomine, qui Tiguri ſtudiis operam navaverat, indeque etiam purioris religionis ſemina hauſta in corde repoſita domum retulerat. Frequenter hic D. JAC. BIFETONII Nov. Teſtamentum nuper in linguam Raeticam converſum, legebat, et aliis ut legerent auctor erat; unde fiebat ut multi ad veritatis cognitionem perducerentur. Filio ob eam libri, quem haereticum credebat, lectionem, ipſe Pater infenſus erat: Sed audiens ſibi ex illo Hiſtoriam vitae et miraculorum Chriſti praelegi, (idiota enim ipſe legere neſciebat, prout vulgi tum temporis pars maxima) captus non modo ſtudium filii collaudavit, ſed id beneficii ſibi quoque communicari, et impertiri identidem poſtmodum voluit. Iſte nunc Caſtriſius ſuo quem ad ſacra habebat aditu ita uti ſolebat, ut identidem imagines vel fiſſuris corrumperet, vel mutilaret, vel frangeret, aut etiam auferret; quae licet indies fieri cernerentur, nemo tamen ad iconum vindicias inſurgere audebat, ſiquidem ſuſpicio omnium animos occupaverat, iſthaec juſſu Commiſſarii FRIDERICI SALICEI Samandienſis fieri, cui cognati aeque Illuſtres Cellerinae ſuffragabantur; adverſum iſtum vero, hosve nec hiſcere quisquam tutum judicabat. Interim Zacconius per totam vitam, Miſſam cantavit: Sed cum ipſo circa An. MDLXXVI. moriente, cum ipſo inquam, etiam Miſſa tum CEVERINAE tum ad fanum D.

MAURITII exſpiravit, ut ſic quidem nobis prodidit Campellus. k) Eſt vero et relatio alia, quae manu ſcripta noſtro ſermone circumfertur, et ab Anhornio l) etiam in ſuos commentarios relata eſt, a ſuperiori differens, quam ne ignoraſſe videamur etiam heic adſcribere non gravabimur. Ea prodit. Cellerinae ſacerdotem aetate bene provectum, Andream Jeclinum Anno 1584. lethali morbo decumbentem, ab avitae ſuperſtitionis tenacibus, moribundoque amicis, ut quid de Religionis emendatione quae indies fiebat, ſentiret, et ſibi credendum judicaret, bona fide exponeret, rogatum eſſe. Quibus iſte in hunc tenorem reſponderit: *Se ſero admodum dogmata iſta nova cognoſcere coepiſſe: Caeterum vero certum eſſe in avita fide multos ſimul ſervari errores: Sed qua aetate bene provecta erat maluiſſe ſe recepta ſacra ſequi, et miſſare, quam novationes adgrediendo ſibi et aliis, quod paſſim fieret, moleſtias faceſſere. Interim ſe fidere ſoli merito Chriſti, qua etiam fide mox moriturum in Deum ſolum ſuam fiduciam collocare; et hanc anchoram ut ipſi etiam teneant ſuadere. Mandaſſe item ut absque pompa ac caeremoniis ullis corpus ſuum terrae mandetur.* Id quod altero poſt die etiam factum eſſet, habita illi a Miniſtro Samadoeno, Evangelico more parentatione - - . Sic vero etiam ibi Miſſae ſacrificium ceſſaſſe: Reſiduas vero imagines, mutilasve Anno ſequente MDLXXXV. catholicis de Ponteliis, (Puntaglias) comitatus Clauvenſis, convento pretio divenditas eſſe.

Eodem Auctore, Incolae ad fanum D. MAURITII, mature ſatis, et maxime poſt factam Zuzii et Samadoeni metrocomiis reformationem, ad manus Evangelio dandas, inclinarunt: Verum obſtitere tum continuae frequentium peregrinorum ex proxima Italia, ſalubrium acidularum inibi fruendarum cauſa eo confluere ſolitorum perſuaſiones, tum neſcio quae Pontificis Romani Bullae (Anhornius inquit Leonis X. Ao. 1519. datas, quas mihi videre non datum) vel promiſſiones. Anno MDLXX. tandem, ejectis abominationibus idololatricis, Miſſae loco S. Evangelii Candelabrum inibi quoque accenſum eſt: Verum tutiorem

k) Lib. II. Cap. 59. pag. 1230. in Avtophr.

l) Paling. p. 56. 57. etc.

rem Ego Campello fidem tribuerim, qui alto haec silentio praetervehitur, quantumvis circa decennium supra 1570. superstes.

Notatum ab eodem Auctore sive Grittius sit, sive quisquis CAMPOFERRI, viculo Sanct-Mauritianae parochiae, celebrem S. ROCHI exstitisse imaginem, et sacellum, quod Asyli loco intemerati hucusque habitum fuerit: hyemali vero tempestate, quadam nocte transeuntibus cum trahis illac Aurigis tribus, ausum fuisse eorum ultimum viribus valentem, idolum illud praegrande situ suo detractum, pedibusque trahae suae quodammodo applicatum haerentemque Crestam usque Celerinae proximam, multis cum cavillis, raptare. Ad factum autem statim cognitum mox clamor Papizantium ingens factus est, et querelae graves coram ordinario Tribunali resonuerunt. Sedarunt tandem Sammadoenenses, et prudentiores quivis tumultuantes istos, curantes ut Rochus male habitus pristino loco reponeretur, licet ex eo mora ibidem fuerit illi haud amplius diutina. Quum enim Papizantium superstitiosissimus nomine JACHEM MUOTT Cellerinensis, ad Rochi fanum cibos quosdam adportasset, super quos ab illo benedictionem exspectabat; per ostium autem ingressurus nescio qua ratione impingens lapsus simul cibos effunderet, impatiens et improvidus indecora Divo verba protrusit: Ad quae quia a Sacrifico acrius reprehendebatur, praesentes vero, et postea quivis in cachinnos effusi essent, et ipsi festive illuderent, hic indignans, nec se Rochum diutius defensurum dixit; et reapse mox tum illi tum aliis Divis renunciavit, et in eadem cum caeteris Cellerinensibus suis sacra consensit. Hoc modo omnium Oengadinae Ecclesiarum reformatio, ad umbilium perducta fuit. Sit pro accenso Evangelii candelabro DEO OPT. MAX. sempiterna laus et gloria.

CAP. XIII.

CAP. XIII.

1541 — 1543.

Paulli Episcopi Curiensis mors, successio Iterii. Conventio inter Foedus Cathedrale et Episcopatum. Tumultus factionis Caesareae adversum Pensionarios Regis Galliae. Comandri Ministerium a factiosis tractum in invidiam, et Blasii periculum ob dialogos conscriptos, Episcopalibus minus plausibiles.

Subduxerat se PAULLUS Episcopus Curiensis extra Raetorum fines non diu post articulorum Ilantinorum promulgationem, quia scilicet eorum stabilitionem aequis oculis aspicere non poterat; siquidem vero conspiratione cum Medicaeo (ut supra diximus) inita, interitum totius Reipublicae procurabat et accelerabat, a mente sibi male conscia prohibebatur ad consistendum Curiam reverti. Detecta demum conspiratione et supplicio ab Abbate D. Lucii juxta meritum sumto, nec adeo tutum erat Paullo ad suam sedem, quam invitus tenere cogebatur, reverti, neque frontem ipse habuit unquam Raetorum oculos amplius subeundi, sed huc illuc per Germaniam subsidens, erronis exsulisve magis quam Episcopi vitam agebat oppido miseram. Demum senio confectus, et consiliorum pertaesus nactus a Raetis impunitatem arcem Fürstenburgiam, quae ad cathedrale quidem Foedus tum spectabat, sed intra Austriacos Tyrolensis Comitatus limites sita est, habitatum concessit. In ea reliquum vitae extraxit, moerore, ut omnes prodiderunt, animi contabescens; denique inopina morte oppressus, Anno MDXLI. die 25. Aug. in latrina mortuus repertus fuit. Hic inquieti, ambitiosi, et Raetis infensi Praesulis finis fuit. Corpus ipsius in proximum Monasterium Mariaemontanum deportatum fuit, ubi solenni pompa

pompa honorificentiſſime terrae mandatum jacet. a) De ſucceſſore vero illi ſurrogando mox lites in Canonicorum collegio, indeque inter Raetos ipſos enatae ſunt; alii enim BARTHOLOMAEUM SALICEUM ſublatum volebant Archipresbyterum Sondrienſem, ſtemmate, favore, et opibus validum; alii, et quidem potiores numero, LUCIUM YTERIUM Eccleſiae Praepoſitum, patria Curienſem deſignarunt. Favebant Saliceo prae caeteris civitas Curienſis et Communitas Praegallienſis, cum quibusdam aliis ex Foedere cathedrali, cui plurimum juris in ſacram iſtam ſedem tribuebatur: a Lucio autem ſtabat major pars canonicorum; commendabant etiam dotes animi ab omnibus adamatae et praeclarae. Adhaec ſiquidem patria cathedralis erat et nulla ſufficiens videbatur cauſa quae electionem factam remorari poſſet. Firmarunt electionem a pluribus factam reliqua duo Foedera, ad quae tum etiam aliquot Communitates ex cathedrali acceſſere, qua ratione LUCIUS a longe majori parte populorum Epiſcopus agnitus et acceptatus eſt. Sed haerebant adhuc menti Rhetorum altum infixa veſtigia quae preſſerat Paullus, per quem integra Respublica in extremum periculum adducta fuerat; ne quid ergo hujusmodi amplius uſu venire poſſit, ſupra modum quo Epiſcopatus bono utilitatique, et publicae paci *conſulendum foret*, in communem deliberationem itum, in eaque inter Cathedrale Foedus et Canonicorum collegium in ſequentes ſex articulos conventum eſt, quorum vigore omnis initiandus Epiſcopus ſacramento obſtringabatur: 1mo cuncta tria Foedera apud articulos, leges, et religionem, prout eo tempore ante illius electionem exiſtebant, intacta et inviolata relinquere: 2do factas a Cathedrali Foedere in Paulli abſentia de bonis Epiſcopatus emtiones, venditiones, redemtionesve, ratas habere, nihilque in ea re innovationis adtentare: 3tio de Epiſcopatus juribus et proprietatibus nunquam absque accedente totius Capituli et Foederis cathedralis conſenſu alienare aut divendere: 4to dante caſu quod aliquid feciſſet, de quo vel Capitulum vel Foedus Cath. gravaretur, his ad promptas rationes ſe ſiſtere: 5to Epiſcopatus munia non niſi hominibus de Foed. Cath. oriundis demandare: 6to neque unquam Epiſcopatum cuiquam alteri, absque totius Foederis conſenſu, reſignare; circa quos Tabulae expreſſae confectae.

a) Bucel. pag. 335.

fectae sunt datae 3. non. Octobr. MDXLI. et inter fundamentalia Reip. statuta repositae. b) Juravit illas Episcopus neoelectus, suoque calculo

b) Tabulae sic sonant. *Wir Lucius von Gottes Genaden erwelter Bischoff zu Cur, und Wir der Thumprobst, Thumdecan, und gemein Capitel der Stulkirchen zu Chur bekennen und thun kund menklichen mit disem Brieff; alsdann nach Todt und Abgang des hochwürdigen Fürsten und Herren, Herren Paulsen Hochl. Secl. Gedächtnis Wyland Bischoff zu Chur unsers gnädigen Herren und Vorfahrn ein Ehrwirdig Capitel zusammen kommen, und sich underredt und berathschlaget nach altem loblichem Brauch und Gewohnheit des Stift daselbst, einen andern regierenden Herrn und Bischoff zu erwehlen, und aber söllichs nit wollen thun und vollbringen ohne sonder Gunst, Wissen und Verwilligung der Frommen, Edlen, Vesten, Fürnemmen, Ersammen und Wysen, unsern lieben und getreüen des ganzen Gottshaus gemainden, hie dis und endthalb der Birgen gelegen, darumb dann auff unser Anruffen und Begehren ein Tag von gemeinem Gottshaus zu Austrag söllicher Sach, der Erwehlung berufft und gehalten worden zu Chur auf den dritten Tag Octobris des Jahrs so man zehlt von Christi Geburth fünfzehenhundert vierzig und ein Jahr, und demnach nun nach obbestimten Gottshus-Tag von söllicher Erwehlung eines regierenden Herrn und Bischoffs nach Nothdurfft tractiert und gehandlet worden, so fügen Wir hiermit in Kraft dies Briefs menclichen zu wüssen, das vvir uns auf obgeschriebenen Tag mit gemeinem Gottshus von wegen eines regierenden Herrn und Bischoffs vereinbart und vertragen haben in mas und gestallt wir dan die in Artikelsweis von Wort zu Wort hienach eigentlich und gründlich verschriben stand, und erstlichen so haben Wir die obgenant Herren der Thumprobst, Dechan, und gmein Capitel der Kirchen zu Chur uns mit zeitiger Vorbetrachtung und einhelligem Rath eines angenden Herren und Bischoffs halb bewilliget und begeben die hienach geschribenen Puncten und Artikel mit allem ihrem Innhalt nun fürohin unzerbrochenlich gegen gemeinem Gottshaus zu halten angenommen, und darwider in keine Weg nit thun noch schaffen gethan werden. Und erstlichen haben Wir uns einheiliglich begeben und bewilliget das ein angender regierender Herr und Bischoff zu Chur, ein gemein Gottshaus und die anderen zwey Pündt bey den Artickeln auch Glauben und Wesen, wie sie dan jetz vor der Ehrwellung seynd belyben lassen solle und wolle. Zum andern das ein Herr von Chur das gemein Gottshaus, by denen so gemein Gottshus in Abwesen eines Herrn von Chur bisher gehandlet hat, es sey Kauff, Verkauff, Losung und anders bleiben lassen, und darwider kein Neuerung fürnemmen soll. Zum dritten das ein Herr von Chur des Stifft Recht, Freyheiten, und Eigenschaft nit verkauffen noch verabhandlen soll und möge, ohne unsers des Capitels und gemeines Gottshaus Rath, Vorwissen, und Willen. Zum vierten ob es zu Fällen käme das ein Herr von Chur etwas handlete oder thäte, dardurch gemein Capitel und Gottshus beschwert sein vermeinte,*

calculo comprobavit canonicorum collegium quorum uterque tabulis illis sigillum suum appendit: eoque facto etiam major communitatum Cathedralium pars eundem in Episcopum acceptavit, suumque eidem et Episcopatui patrocinium stipulata est, sola civitate Curiensi et Communitate Praegallicnsi exceptis. Sed duo haec suffragia merito leviora erant quam ut ejus confirmationem dubiam reddere potuissent; unde et ille Anno MDXLIII. tertio Kal. Mart. a Rege FERDINANDO privilegiorum confirmationem adquisivit Norimbergae impertitam; quod videntes illae mox etiam se reliquis aggregarunt. Inauguratus est tertio Idus Januarias Moersburgii a JOANNE Episcopo Constantiensi: Ferdinandus vero feudorum seu beneficiorum Tirolensis Comitatus, ut et Pincernatus investituram abs Curiensi accepit demum uno ante illius obitum anno, nempe 1548.

Laudata fuere in Episcopo isto, concordiae studium exulceratis illis temporibus maxime necessarium, facilitas morum, liberalitas, et in egenos beneficentia: caeterumque applicuit in illum Casp. BRUSCHIUS illud Poetae: *ingenio magnus, corpore parvus erat:* a Pontifice PAUL-

meinte, und des Stiffts Handlungen halb von einem Herrn Rechnung erforderte das alsdan ein Herr von Chur auf unser des gemeinen Capitels und Gottshus Begehr Rechnung zu geben schuldig seye. Zum fünften daß ein Herr von Chur seine Aemter mit Gottshausleuten besetzen solle. Zum sechsten und zum letzten das ein Herr von Chur nit Gewalt haben solle noch möge das Bischöfflich Amt niemand resignieren, permutiren, noch verändern ohne Rath, Gunst, Wissen, und Willen unsers des gemeinen Capitels und Gottshaus, und demnach wie der obgenant Lucius auf solliche von gemeinem Capitel angenommene Artikel zu angenden regierenden Herren und Bischoffen zu Chur erwellt, so geloben und versprechen Wir in Kraft dies Briefs das VVir die obgeschribnen Puncten und Artickel mit allem ihrem Innhalt und Begriff sammt und sonders gegen einem Ehrwürdigen Capitel und gemeinem Gottshaus, vvar, stät, und vest halten und brauchen vvollen und sollen, allvvegen treülich und ungevarlich. Darum so haben vvir auch by unseren Eeren und VVürden dem gemeinen Capitel und Gottshaus ein Eyd geschvvoren, das VVir sollichem allem gläben und getreülich nachkommen vvollen; und des zu vvahrer vester Urkundt so haben VVir diesen Brieff mit unser und des Ehrvvürdigen Capitels anhangenden Secret-Insigel bevvahret. Gäben Donstags nächst St. Gallentag von Christi Geburth gezahlt tausend fünfhundert, und in dem ein und vierzigsten Jahr.

LO III. etiam dignus habitus fuit qui Anno MDXLVI. charactere Nuntii Apostolici insigniretur. Eo Episcopo HENRICUS II. Galliarum Rex, Curiensi Episcopatui Abbatiam Beatae Mariae Virg. de Valle, Ordinis S. Augustini in Picardia, donavit; ex cujus reditibus res Episcopatus paullo amplior esse posset.

Glisebat illis temporibus continua inter Regem Galliarum et Caesarem simultas, quae tandem etiam Anno 1544. in apertum bellum erupit; ex ea vero hominum in Raetia animi in diversa studia scindebantur: alii quippe Caesari favebant quo mitem semper experirentur et retinerent vicinum: alii Gallum sequebantur qui per ministros suos omnia corruptionibus implebat, et pecuniis vulgi et optimatum animos sibi devinciebat. Et quia potens est auri loquela, fiebat ut Caesareanis fere semper superiores essent studiis Galliae addicti. Nec tamen muti erant Hispanizantes; hi ad ravim usque inclamabant: Raetis semper intestinas fuisse discordias, et bella cum externis, ex quo deserta Caesaris et Ducum Mediolanensium amicitia, militiam et stipendia Galli secuti essent: Evidentia hujus rei esse argumenta invasionem a Mediceo in Raetorum ditiones factam, ad cujus expulsionem necessarium fuerit Helvetiorum auxilium; inde etiam ortum esse ingens aeris alieni pondus quo Respublica tantum non obruta jaceat. Indignius liberis hominibus nil esse intonabant quam corpora vendere, quod dum Raeti cum Gallo paciscuntur, ab avitis moribus immane quantum descivisse; majores quippe non armis sed agricultura et artium cultura celebres felicesque exstitisse, et sibi liberisque corporum libertatem adquisivisse. Corruptelam quoque morum allegabant in omnes aetatis et conditionis suos homines derivatam; nec enim aliunde quam ex militia Gallica derivari ajebant, quod reduces in Patriam juvenes, scortationibus, aleae, rixis, compotationibus aliisque vitiis operam navent adeo sedulam ut desuefieri nequeant. c) Adurgebat maxime ista pro publica Concione Coman-

c) Litt. Senatus Curiens. ad Foederis Cath. Communitates d. 18. Martii 1538. *Ehrsammen, Frommen, und Wyse, geliebte treüe Gottshausleuthe, erstlich ist unser Bitt und Begehren Ihr wollind unser Anbringen gütiglich verhören, und dasselb in allem guten von uns annehmen. Anfanglich hand VVir im Befelch von unsern Herren eüch fürzuhalten, wie das sie ganz geneigt, und gutwillig sind*

Comander disvadens populum a prensationibus exterorum Principum et omnium maxime si se salvos velint a corruptionibus Gallorum. d)

sind unsere Pündnuss die unsere Altforderen aufgericht, für und für auch festiglich nnd redlich zu halten, das söllend Ihr euch gevvisslich zu Ihnen versehen. Zum andern hand VVir vveiter in Befelch als unseren getreüen lieben Gottshausleuthen fürzubringen, vvelches euch dan selbs vvohl kundlich und vvissend ist, vvie das unser Pund mit samt den anderen Pündten und Eydgenossen vor etlichen Jahren ein Frieden mit dem Künig aus Frankreich getroffen und aufgericht haben, vvelches Fridens der Künig mit samt seinen Vervvalteren nit vergnügt, sonders an ein Eydgenofschafft, und an uns von Pündten tröffentlich umb ein andere Vereinung oder Pündtnuss mit Ihm aufzurichten gevvorben, vvelche noch gröfser VVerbung, und heimblichem auch offentlicher Practicirung gemachet und beschlossen vvorden ist, und in vvelcher VVir jetzt etlich Jahr verhaft gsin sind.

VVas VVir Ihm dem König und er uns herwieder schuldig ist erlehrnet sich aus den Brieffen hierumb aufgericht, vvie es uns aber hierin ist ergangen, hand VVir layder mit grosem Schaden Leibs und Guts erfahren, vvelches mancher Bidermann vorhin besorgt, hierumb darvvider redt in die Vereinigung nit zu gehen. Der Practicier waren dazumahl zu viel; miet und Gaben gros, es müste einmahl seyn: alsbald aber diese unruhig und kriegisch Pündtnuss umb Geldswillen von uns genommen ward, schickt uns der allmächtig Gott ohn Verzug Krieg und grosse Unruh. Zum ersten den Ueberfall und Krieg zu Cleven, der allein wie auch der nachgehend von wegen dieser Pündniss erwachsen, und über uns angeschlagen worden. Demnach zu Morbenn achtend Wir daselbs mehr Schadens an Leib und Gut erlitten dann unsere Forderen ja: zu dem das Wir unsere treüe Eydgenossen mit uns in gros Kosten, Mühe, und Arbeit verursachetend, welches wir als wohl hätten mögen ohn seyn, ja wäre uns der Frieden wie unsern Altfordern als lieb und angenehm gsin, als die verderblichen heimlichen und offentlichen Pensionen, welche wir gnug theur, ja hundertfach mit unserm Blut hand müssen büssen und bezahlen. Weiter betracht ein jetlicher frommer Bider-Mann die Kraft und Innhalt dieser Vereinung. Der König gibt uns Geld, wir wider Ihme unsere theure und dapfere Mannschafft, welches unsere Altforderen ein grose Schand und Schmach geachtet hättind. Es ist auch leider in ein offnen Gewerb und Kaufmannschafft kommen, das auf die unsern (wie die Metzger auff die Schäff und Kälber) Gelt geben und genommen wird.

Und ist treffentlich zu besorgen thut man nit ein ernstliches Insechen, der recht und gros Schad seye noch dahinden. Man hats in diesem Jahr auch nit ohn grossen Schaden erfahren wie uns die Knecht us dem Land geführet

und

Has voces in suos usus convertit Caesareanorum primipilus Capitaneus BARTOL. STAMPA et per fautores suos huc illuc circumvolantes tantum

und verderbt werdent; es ist auch wahrzunehmen und mit Ernst zu betrachten und die gros ungehorsame die allein von Kriegen und dergleichen Pündtnussen unter uns aufgangen und erwachsen ist, alles das: man beüt oder verbeüt bey Leib Ehr und Gut wird gar nit geachtet, weder gehalten, noch gestrafft. Ursach, dieweil und man in sämtlicher Pündnuss verhafft ist, wird man dergleichen Uebertretter nit komlichen mögen straffen, wie Wirs dan jetzt zum andern mahl hand eigentlich erfahren. Wie wohl es aber uns anständt es sey gegen heimischen oder frömden, und was für ein unordentlich Leben daraus möcht erwachsen, mag ein jeglicher bey Ihm selbs wohl erwegen.

Wir gebend auch sonst niemandt d' Schuld das unser Jugend so verthüig mit Spilen, Zechen, Kleidern, ja so üppig mit Hurercy und anderen schandlichen Lastern worden ist, dan allein den Kriegen. Dan so etwan einer unter 100. widerkomt, und etwas Gelds aus dem Krieg bringt, so mus es im Würtshaus vvie vvirs dan täglich sehen schandlich verschlaytzt und verprasset vverden: von sömmlichen davon auch die andern Exempel nehmen, vvellend auch nit mehr vverken, sonder in Kriegen Geld, Weib und Kind, mit Verachtung aller Botten einer friedsamen Oberkeit. Da fallt auch hin alle Zucht, Gottesforcht und Ehrbarkeit, hieraus dan nit anderst dann ein armseeliges, unordentliches Leben, (vvie vvir es jetzund vor Augen sehen) folgen mag.

Dievveil vvir dann hieraus gnuasamlich bericht vverdent, diese Vereinung alles Arges ein Ursach zu seyn, hand unsere Burgermeistere und Räth mit samt einer ganzen Gmeind der Stadt Chur einhelliglich mit einandern beschlossen, diese Vereinung dem König abzukünden, und kein Pension als von vvegen sömlicher Vereinigung umfürhin vveiter nemmen, sonders guten Frieden, und freündliche Gutvvilligkeit soll Ihme von uns allvvegen vorbehalten, erzeigt und geleistet vverden; allein das VVir über die unsern nach Gelegenheit zu gebieten Gevvald heigend, und nit dem König mit seinem Geld vvann es Ihm gefallt us dem Land zu zeuchen mus nachgelassen vverden. Dadurch (vvie offtgemeldt) viel in die Verderbniss kommend und geführt vverdent; vvelchen VVir nach laut der Vereinung nit mögen fürkommen.

Hierauff frommen, Ehrsammen, recht geliebte, treüe Gottshausleüt hand uns unsere Herren von Chur zu Euch geschickt, Euch (vvas sie diese Pündniss abzukünden verursachet habe) zu berichten mit ernstlichem Bitt um Gottes vvillen um Fried Ruh, und VVohlstand vvillen unserer Landen. Ihr vvollend dergleichen diesen Handel mit Ernst ermessen und vvohl betrachten vvie unser

tum promovit quod primo in inferiori Oengadina exeunte anno 1541. seditio excitata sit, quae paullatim in eam colluviem excrevit, ut Curienses adversum pertimescendos furibundorum impetus excubias ad portas collocare necesse habuerint. Indicta statim Curiam Comitia fuere quae torrentem impetuosum sisterent: verum sedibus suis excitati populi maxime cathedrales, citius reverti aut quieti se dare recusarunt, quam eis fides fieret de publico judicio a tribus Foederibus constituendo (Straffgrichtum vocant) a quo quaestiones in pensionarios, eosque qui largitionibus ad publica munia penetrassent, instituerentur. Eam in rem igitur ad XVIII. April. proxime secuti anni MDXLII. censo-

rium

unser Altfordern ohn sömlich Pensionen ruhiglich, fridsam und ehrlich gehaltet hand, vvellend also mit uns denselbigen alten ehrlichen Stand vviederum an d'Hand helffen nemmen, vverdend VVir alsdann Gott dem Herrn, uud allen Frommen Friedsammen viel lieber, angenehmer und bas gefallen, vvelches aber keinesvvegs nit seyn mag, es sey dann, das vvir uns der bösen unnothvvendigen Kriegen abthünd, ja viel vveniger es sey dan das VVir alle Ursachen und Anlas die uns in sömlich Krieg fürend, als da sind jarlich offentlich Pensionen mit samt derselbigen Pündnissen gänz hinvveg tüind und abstellind. Es ist auch vvol zu besorgen dievveil und VVir offentlich also Pensionen nemmend, es vverdend mithin auch heimlich den unsern geben, welches da aber alles dienet zu einem unordentlichen Regiment, dann dieselbigen vvie Wirs dan zum offternmal erfahren, mehr der frömden Herren Nutz und Ehr trachtend, vveder der Landen, dievveil und sy von sömlichen Herrn vermietet und begabet, und Ihnen hierum mit Eydspflicht verbunden und verhafft sind also das sie etvvan unsere Ratschläg Ihnen kund gethan, und von uns, ja auch in Nöthen zu desselbigen Herren gefallen sind. Sömliches alles, und dergleichen VVürde alsdann, so vvir die offentlich Pündniss und Pensionen abkündend mit hinfallen und abgethan, und vvurde ohn allen Zvveiffel der evvig und gütig Gott uns und unser Vatterland mit seinen Gnaden ohn Hülff und fremden Herren, vvie von allzeiten her gnädiglich erhalten.

d) Comand. ad Bull. ult. Febr. 1542. Coeptum est a plebeis corrigere pensionarios, sed corrigi non potest malum hoc, radices tam altas infixit ut evelli non possint. Omnes culpam in nos conjiciunt qui nihil fecimus nisi quod verbo Dei semper huic sceleri reclamavimus jam ab annis decem et octo. Sed liberum est cuilibet in nos loqui, mentiri et effutire quicquid venit in buccam. Nos Domino derelicti et precibus fratrum adjuvati rogamus plurimum ut his aerumnis eruamur. Confer quae scripsit Comander ad Vadian. d. 12. Jun. 1524. et 7. Jul. ejusd. anni. d. 12. April 1529. et ad Bulling. d. 18. Febr. 1544. Supra Cap. VIII. et X.

rium illud judicium Curiae confluxit, et facile plurimos culpae reos reperit: verum etiam reputans illud judicium sibi negotium esse cum contagione, quae corporis membra tantum non omnia pervaserit, reos deprehensos mitius longe tractavit quam legis pensionariae decretum exigebat; siquidem praeter multas pecuniarias ad eluendas expensas factas requisitas gravius nihil statutum in quenquam fuit, si illud exceperis quod XXVI. ex Proceribus in proximum quinquennium ab omnibus publicis muniis et Magistratibus, consiliisque, concordiae conservandae causa, excluſi sunt. e) Tum vero Gallicani motuum culpam omnem in Comandrum conjiciebant, ceu qui in concionibus suis acriter nimis in hoc vitium invectus, contrahendi illam colluviem auctor exstitisset, et tantum effecerunt, ut salarium alias satis tenue, (centum er viginti constabat florenis) Comandro ad tertiam partem diminueretur: f) adeo ut Comander molestiarum pertaesus jam resignare conditionem cupiverit, aut erga quamcunque aliam, si quae forti suae conveniens obtigisset, commutare quaesiverit. Sed antequam consilium istud

e) Camp. Lib. II. Cap. LX. pag. 1245. sq. Sprech. Raet. Chron. Lib. V. pag. 209.

f) Blasius et Comander ad Bull. d. 21. Febr. 1542. Non est ut multis tecum verbis agam chariſſime Bullingere. In magna fumus conturbatione. Coeptum est agi contra pensionarios ut corrigantur et in ordinem redigantur: illorum tamen impudentia per multitudinem et sublimitatem personatorum hominum tantas nacta est nunc vires ut juri stare renuant. Interea omnem culpam in nos qui verbum Dei annunciamus rejiciunt, eo quod pro concionibus huic sceleri semper restiterimus. Affingunt nobis mendacia foeda, sermones invertunt, ita ut in majori periculo quam nunc fuerimus nunquam. Hoc tantum a Te et fratribus exoratum volumus, ut cum Ecclesia nostra pro nobis orare ad Dominum velitis, quatenus ex his turbis liberati, ad vitae tranquillitatem commode perveniamus. Id. d. 6. Mart. 1542. Orate pro nobis nam in periculo sumus haud exiguo nec negligendo.

Id. Ejusd. ad Kal. Sept. De rebus nostris scribere non licet: Nam studium in Evangelium quod hucusque falso simulavimus jam totum et ex animo ad scuta francica convertimus; et nos qui Evangelium annunciamus ut aes sonans et cymbalum tinniens despicimur. Multi abierunt in militiam, multi denique abire cupiunt. Deus O. tandem huic tragoediae catastrophen condignam retribuere velit opto.

istud capesseret Senatus se interponens, de suo in ejus operam affectu illum certum voluit, et auctario aliquo facto sortem ejus tolerabiliorem reddit. Iudicio censorio absoluto variabilis vulgi ira etiam facile subsedit, maxime quando intellexit non alios dira intentare Galliae fautoribus, quam qui ipsi a Caesare accipere solerent munia haud parva nec infrequentia. Ita factum ut malum illud ex eo tempore tanto magis impune grassari potuerit.

Dicti anni MDXLII. mense Octobri, celebrata fuere Curiae Cathedralis Foederis Comitia propter eas Communitates quae LUCIO Episcopo iusjurandum praestare recusabant, ad quod tandem praestandum, reliquorum eiusdem Foederis populorum exemplo, adactae fuerunt. Ab illis magnum imminuit discrimen IOANNI BLASIO Curiensium ad D. Regulae Ecclesiastae. Scripserat quippe germanico idiomate dialogos quosdam; in quorum uno civis et aulicus loquentes introducebantur, qui de Episcopo, illius aula, Oeconomia et Ministeriis paullo liberius animi sensa promebant, naevosque utriusque taxabant. Libellus iste pervolitaverat manus amicorum, et inde in ora virûm traductus fuerat; summopere autem eo offensos se dolebant aulici tum propter maculas sibi impactas, tum maxime quod in illis Regula quaepiam femina impudica in aula commorans, ceu Episcopi concubina procaci licentia in theatrum producta fuerit. Non tacuerunt eam injuriam coram oratoribus congregatis Episcopi Ministeriales, flagitantes in Blasium stringi censuram tanto delicto dignam; et quum lenioribus consiliis cedere nollent, omnino metuebat Blasius exsilium sibi indictum fore. Et hanc quidem mulctam prae ulla alia exoptassent illius adversarii non tam ex privatae cupidine vindictae, quam ut tali percommoda occasione fidum Evangelio servum conditione ejicerent, ejus famae maculam inurerent, et Curiensem coetum suo parastata privarent. g) Quanquam vero quae Blasius scripserat, directe tendebant ad defensionem causae Curiensium qui Lucio jusjurandum praestare detrectabant, eoque sub pallio velari potuisset, et quanquam ea quae liberius notata erant, censoriam virgulam minime mererentur, siquidem nemini

g) Comander ad Bulling. d. 18. Febr. 1544. Supr. Cap. X. Sign. *)

non notum erat ea trahere de vero: h) erant tamen Blasio omnes auctores, ut ad evitandam invidiam, odiosae adeo causae propugnationem declinaret neque crabrones in se irritare pergeret. His obtemperans Blasius, excusabat dialogos neutiquam ea mente a se conscriptos ut digito in aulam Episcopi, moresque ipsius et Ministerialium ejus intenderent, sed exercendi se duntaxat gratia compositos ut graphice eorum mores representaret, qui corrupto isthoc seculo aulae ministeriis defungi solent; quale scribendi genus et Erasmo Roterodamo haud pridem, et aliis plurimis innoxium fuerit. Verum nimis apertum erat illis dialogis aulam Curiensem fuisse perstrictam, quare non desistebant ejus adversarii illi crimen calumniae impingere. Delatum hoc factum ad Tigurinorum Antistitem BULLINGERUM, sollicitudinem movit ne quid gravis in bonum virum statueretur; hicque apud TRAVERSUM cujus multa erat in Raetis auctoritas pro accusato intercessit, ut auxiliatricem fratri offerat manum, eumque unguibus adversantium eripiat. i) In

h) Campell. insert. ad Lib. II. Cap. LVII. pag. 1155. „Anno 1532. pridie nonas Aug. quidam Basileae civis arreptitio correptus spiritu, vel a cacodaemone instigatus propriam uxorem, eamque ex se praegnantem una cum parva filiola miserabiliter domi suae, procul remotis arbitris, confodit atque peremit, et inde ex furore in desperationem ab eodem malo genio impulsus se de lecto in plateam praecipitem dans sibi ipse mortem conscivit meritam nefandus propriorum viscerum carnifex. Et quum vulgo rumor emanarit detestandum scortum quoddam funesti illius mali causam stimulatricemve fuisse, eodem authore (vulgari videlicet rumore) fama obtinuit illam fuisse, (nescio quam vere) quam Lucius Iterius Curiensis tandem Episcopus, Regulae nomine, domi concubinae loco alebat, et quasi in gremio fovebat. Id quod tragici pene tumultus tandem causa in Rhetia excitandi fuit, nec parum negotii foederatis Rhaetis saepius fecit a non nullis identidem ventilatum: maxime ubi bono Iterio senio jam confecto mortuo, illa haud nuda, neque magna pecunia, ut opinio fuit, vacua discessit Anno Domini 1549.

i) Integerrimo Viro D. Jo. Traverso, Rhetorum Senatori consultissimo, Domino suo colendo et fratri charissimo SUO.

Gratiam et vitae innocentiam a Domino. Perlatum est ad nos vir colendiss. et multum in Domino dilecte, charis. fratrem nostrum D. Joannem Blasium periclitari propter dialogum quendam, quem composuisse putatur de eo quod jusjurandum Episcopo a Curiensibus non sit praestandum. Caeterum si ita res habet,

Id negotii nullum est dubium quin Traversius sibi curae cordique voluerit: sed nec de existimatione Episcopi ejusque Ministerialium, nec de decoro officii Senatorii videbatur, culpam adeo famosam et publice ventilatam, absque animadversione ulla dissimulare aut dimittere vel condonare. Itaque Blasius coram publico Patrum Cathedralium confessu Episcopo ad genua provolutus culpam deprecatus est; quam deprecanti etiam Praesul facile condonavit, et ipsemet Patres, ne quid in bonum virum durius decernerent, oravit. Ita ille postquam quae in Proceres dicta videri poterant, (Regulae causa nunquam in censum producta fuerat, neque voluerat quisquam ejus suscipere patrocinium) retractasset, illis nempe de Regula exceptis, noxam impune tulit. Aegre tulerunt fervidiores antagonistae transactionem adeo benignam, qui voluissent in eum acrius fuisse saevitum, hinc de novo cicatricem refricare, atque in universum omnia conquirere tentareque, si quo

habet, ac bonus frater hujusmodi aliquid molitus est, haud dubie sibi et musis, quod dici solet, conscripsit non ut vulgaretur, sed ut in causa quae venit in controversiam se se exerceret, verumque indagaret, quo nomine veniam mereretur, si quid interim peccasset, de quo tamen non pronuncio, qui de hujusmodi controversis neque debeo neque lubenter soleo judicare. Certe Tu Tuique similes viri boni et veritatis amantes, periclitantem (si modo ita res habet ut fertur) juvare debetis. Fuit fortassis pro Pastoris officio sollicitus pro grege sibi concredito. Metuit nimirum laqueum liberis parari, ut postquam juramentum praestiterunt Episcopo, Curienses pariter etiam cogantur et reliqua recipere, quae nostri temporis Episcopi plerique stabilita cupiunt. Non novi Episcopum Curiensem, neque infensusne veritati, an aequior paullo sit, ab ullo unquam audivi. Cogito autem id illi bono fratri evenisse, quod mihi quoque usu venire posset. Privatim enim et publice, calamo et orationibus me opponerem si suspicarer meae fidei creditis ovibus insidias strui. Oratum itaque tuam pietatem et humanitatem volo, ut periclitantem juves, si modo consulere et juvare potes. Equidem de fide et diligentia studioque tuo erga omnes veritatis studiosos nihil dubito: sed et me ipsum Tibi commendo. Scripsi superioribus diebus D. Philippo nostro Gallitio. Nova quaedam, quae Tibi quoque communicaret volui. Nihil nunc habeo nisi quod Episcopi Colonienses et Monasterienses quin et Mindenses et Osnabrugenses Episcopus in promovendo Evangelio intrepide pergant, nequidquam reluctante Caesare. Vale cum omnibus tuis. Tiguri. 12. Octobr. Anno 1543.

H. Bullingerus Tuus.

modo expellere eum loco possent. k) Ipse Blasius quem hae insidiae non latebant eam ob rem sic fractus evasit, ut renunciare stationem tum apud se firmiter proposuerit l): verum eum ne id faceret graviter obtestatus est Symmista Comander, et Bullingerum quoque rogavit ut sua exhortatione auctoritateque, cui merito uterque illorum multum tribuebat, efficeret ne Ecclesia adeo conspicua suo Pastore privaretur. Et eorum consiliis Blasius obtemperavit: Spartam ad mortem usque fideliter exornavit, quam beata ad Dominum migratione subiit ex peste Anno MDL. die XVIII. Julii, magno totius Ecclesiae dolore. Defuncto ex consilio Comandri succenturiatus est eximius ille PHILIPPUS GALLITIUS, qui vocationi lubens paruit, et Lavinio ubi gregem avitum pascebat, mox sub anni finem Curiam concessit, ut suo loco dicetur

k) Blas. ad Bullng. 19. Novembr. 1543. Quanquam invitus Te obtundo Vir spectatissime, necessitas tamen cogit tibi molestiorem esse quam velim ipse. Rem meam cum Pontificiis satis jam satisque intellexisti praesertim e Traverso viro prudentiore, quam ut quidquam quod pro re faciat, omittat. Illa igitur finita est, et non finita. At quidem finita est per Foedus nostrum Domus Dei; quod audita accusatione simul atque defensione rem composuit omnem. Ejus quidem compositionis paullo prolixior sermo est, quam ut possim brevibus perscribere, propter quod nunc supersedeo plura scribere. Quum vero pro Pontificiorum voluntate satis in me non saevierint Legati domus Dei, perstant illi nunc hoc nunc illo me impetere ac jugiter vexare, atque in universum omnia tentare, si quo modo me hinc expellere possint, quod tamen spero poterunt nequaquam jure quidem, nisi factio illorum fortior sit futura. Caeterum commendatiorem me Tibi spero esse, quam ut Tibi me eximere possit aliquis quavis ex causa: quamvis tecum contendere nolim, quis enim unquam omnis horis sapit? Et probe scio in multis nos labi omnes. Hujus lapsus causam nosti, nempe gloriam Evangelii, libertatemque patriae volens defendere ——. Vale. ——

l) Comand. ad eund. d. 18. Febr. 1544. vid. supr. Cap. X. n) Comand. ad eund. d. 8. Nov. 1546. adhuc in sequentia perscripsit. „De Comitiis. —— *By uns ist niemand sie syen mit dem Evangelio oder darvvider der's mit dem Kayser halte, oder ihm guts gunne, usgenommen die Pfaffen. Doch so hat man sie vviederum von neuem alles vveltlichen Gevvalts entsetzt. Der Bischoff vvar mit grosser Pomp auf den Tag geritten in dem Namen in dem Tag zu sitzen: aber man hat ihm nicht vvollen dulden*, quod male habet Virum. Joannes Blasius liberatus est in causa sua contra Episcopum et Scortum ejus. Episcopus coactus est reddere litteras contra illum scriptas. Vale ——.

tur: atque post aliquantum temporis meliori aura aspirante illam ipsam retractationem Blasio Episcopus reddere coactus fuit: sic abinde causa ista qualis qualis sopita stetit. m)

m) Bulling. ad Calvin. 30. Aug. 1550. „Nos recte valemus hic omnes Deo gratia. Curiae intra 9. septimanas extinxit pestis 1100. homines. Mirum est in tam angusto oppido et brevissimo tempore tot esse sublatos. Cum his migravit et D. Jo. Blasius. Decubuit et D. Joan. Comander: sed revaluit per Christum. In vicinia Curiae plurimi moriuntur. Nos adhuc liberi sumus ab illa lue.

FINIS LIBRI PRIMI.



LIBER II.



LIBER II.

DE

REBUS ECCLESIAE RAETICAE.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

1522 — 1540.

Evangelii proplantatio CIS ALPES. Inquisitor mox in Vallem Tellinam missus. In Italia desiderium religionis purioris. Sacerdotium Clavennense orienti Evangelio infestum: unius ex illis ementita apparitio sub titulo B. Virg. qui impraegnata adolescentula rem prodit, denique capite commeritas poenas luit.

Perducta ad umbilicum descriptione Reformationis Ecclesiarum ultra montes, germanico ut plurimum Romanicoque idiomate loquentium, Oengadinensium denique Latii labium propius imitantium, nunc pedem in Praegalliam proferimus ex Raetiae ditionibus adhuc residuam, indeque per Clavennae Comitatum in Vallem Tellinam supergressuri sumus, et post aliquam inibi moram, perlustratis vicinis quoque Locarnensibus, per ostia Pesclaviensium in patriam remeabimus. Praegalliae autem et Pesclaviensis Ecclesiarum Acta, una tractatione cum actis Ecclesiarum Vallis Tellinae ideo complector, quod idiomatis communio, quae inter illas intercedit, eosdem fere illis

praecones accerſiverit, et illarum reformatio circa idem tempus facta ſit: Equidem ad hanc ipſam claſſem referri debuiſſent etiam aliquot Superioris Oengadinae Eccleſiae, prout ex dictis adparet: ſed quia apud Oengadinos jam ſplenduerat dudum Evangelii candelabrum, antequam ullus advolaret Evangeliſta Italus, et hi cauſam Chriſti apud Oengadinos potius promoverint quam praedicare coeperint, merito illarum repurgationem uno filo perſecuti ſumus. Particularem vero librum iſte Eccleſiarum tractus ſibi poſtulavit, ob linguam et ob ſitum, quo Italiae pomoeria adtingit, utpote cis Alpes conſtitutus, in quae ne etiam haereſeos, (ut vocatur a Romanenſibus) ultramontanae illabatur peſtis, ſingularis utique opera a ſupremo Pontifice poſita fuit; quare et Eccleſiae illae nec pauca nec levia ab illo perpeſſae ſunt. Dedit praeterea Italia nobis viros aliquot ſane eximios, et ad rem Chriſti tutandam factos: Sed dedit et eadem alios captioſos, in fide non ſanos ac turbulentos, qui motus non parvos inter Evangelicos concitarunt, et majores minabantur, niſi auſus in herba ſuppreſſi fuiſſent. Peculiari itaque temporum, hominum, et actorum periodo haud incongrue diſtinctam tractationem aſſignamus.

Superatis altiſſimis Alpibus Berninae montis, quibus Italia a Germania diſterminatur, ad radices jugi viſitur Communitas ſeu Jurisdictio Peſclavienſis, quae adhuc Raetiae dominanti accenſetur. Ei ſubjacet VALLIS TELLINA in auſtrum inclinans, quae tota fluvio Abdua interſecatur, et ob amoenitatem, fertilitatemque omnis fructuum generis, et cum maxime vini praeſtantiſſimi Vatum quoque carminibus incliti merito inter feliciſſimas Europae Valles collocatur. Cenſetur ejus longitudo non ultra LX. milliaria italica, quae decem germanica efficiunt, et tamen ſic populoſa, et oppidis, villis, ac fanis repleta eſt, ut omnes in ſtuporem trahere poſſit. Adtiguae Valli ſunt terrae Comitatus CLAVENNAE, non minus felices, maxime ſi accenſeas commoda per mercium ex Italia in Germaniam devehendarum heic exonerationem deportationemque in colonos redundantia. Supra Clavennam ad Praegalliae limites eſt Plurienſis Praefectura, in qua nobile olim oppidum PLURIUM viſebatur ad utramque Mairae ripam excultiſſimum, nunc a CLI. annis a monte ſuper imminente obrutum et in ruinis jacens. Subditae haec Raetis terrae tam Vallis Tellinae, quam Clavennenſis Comitatus fuerant

fuerant olim Ducatus Mediolanenſis pars, et abs Ducum emiſſis Praefectis regebantur. Sed quum etiam Raeti varias in terras illas praetenſiones haberent, partim titulo donationis a MASTINO olim Barnabae filio Curienſi Epiſcopatui collato, partim crediti ob non ſoluta a Ducibus Mediol. ſtipendia Raetis illis militantibus debita, factum eſt Anno MDXII. quo Veneti, Helveti, et Raeti a Julio II. Pontifice excitati ſunt ad pellendum Mediolano Gallum et reſtituendum Ducatui Sfortiadem, ut percomoda ſubminiſtrata occaſio fuerit ſua occupandi, qua feliciter uſae Raetorum cohortes die XXIV. Junii dicti anni in Vallem Tellinam et paullo poſt etiam Comitatum Clavennae armatae ſibi viam ſtraverunt, ditiones ſibi ſubjecerunt, Gallos paſſim praeſidia tenentes ejecerunt, et a colonis homagium, quod lubentiſſime praeſtabant, acceptarunt. a) Hoc dominium juſtis armis adquiſitum, titulisque juſtiſſimis nixum poſtea Raetis confirmatum eſt ab ipſo MAXIMILIANO Sfortia Duce nunc poſſeſſionibus reſtituto, et a FRANCISCO I. Galliarum Rege plus ſimplici vice, nec Caeſare nec alio quopiam, quidquam reclamante: dominium denique iſtud aſſertum et conceſſum Raeti adverſum iteratas Medighini irruptiones non ſine gravi ſtrenuorum virorum clade, et ſumtuum profuſionibus maximis, caeterumque in omni Tractatione, demtis tamen Triumpilinis, ſemper obtinuerunt. Ex eo tempore jura terris illis dicunt Raetorum populi per Praefectos ad eosdem miſſos, quorum biennale ſolet eſſe officium, et ex quibus VII. Vallitellinae Bormioque, duo Clavennae Comitatui praeeſſe jubentur.

Nunc, ut in rem noſtram redeamus, ex quo terrae iſtae in Raetorum poteſtatem venerunt, plurimi horum in illas domicilia transtulerunt ſeu commodioris habitationis ob aerem clementiorem, ſeu artificiorum negotiorumve exercendorum cauſa; hi vero ſicut forte vel iis erant locis orti, apud quos receptum erat Evangelium, vel caeterum ſanctas veritates in patria hauſerant, ita easdem ſecum mente portabant, et libere profitebantur, ubicunque per ſubditorum terras diſperſi habitabant. Praeterea quando utriusque religionis libertas ſolenni popu-

 lorum

a) Campell. Hiſt. Lib. II. Cap. XLVIII. et in primis pag. 958 – 962. Stumff. Lib. X. Cap. VII.

lorum Decreto Anno MDXXVI. ſancita fuit, impoſſibile ſane erat Reformatam doctrinam intra ſolos Raetiae dominantis fines coerceri, ut non ſimul cordatos et doctos, quorum ſemper aliquis in integra gente numerus reperitur, lumen illud ſubiret, maxime quando libera id conſcientia profiteri licet. b) Pervaſit itaque fama purioris doctrinae non ſolum Clavennae Comitatum, Tellinamque Vallem, ſed etiam per Comenſem ditionem, et Mediolanenſem Ducatum late fundebatur, ut indies accipere incrementa videretur. Timuit ſane Roma, ne de facibus hiſce tota Italia ignem conciperet: igitur anno ſtatim MDXXIII. ad exercendam contra haereticos, (ſic vocabant Evangelii profeſſores) inquiſitionem miſit in Vallem Tellinam Inquiſitorem quendam fratrem MODESTUM Vicentinum. De iſto comperimus nihil eorum fuiſſe ab illo omiſſum, quod ad expiſcandos protrahendosque haereticos poterat excogitari: ſed et ejusdem notata exſtat immodeſtia exſecranda, ſiquidem pari cum religionis zelo in eo certabat nummos corradendi cupido. Scilicet quisquis proximo male cupiebat, aut alio modo vindictam in rivalem effundere nequibat, inurebat hoſtem apud Modeſtum haereſeos nota; et non evadebat accuſatus niſi expoſita pecuniae ſumma praegravi. Id mercimonium poſtquam aliquandiu exercuiſſet, et omnes viderent quo pede claudicaret bonus Inquiſitor, et quo tandem res evaſura eſſet, tandem pertaeſi ipſi Catholici fratrem amandarunt, remanente in omnibus atra admodum religioſae curae adverſum ingruentem haereſin memoria: ſic quidem ut ejusmodi Inquiſitores nunquam amplius revocandos eſſe, ſibi obſervandum propoſuerint, et inter obſervanda ſignarint. c) Nec modo in plebe erant qui Evangelio nomen addixerant: ſed etiam intra Monaſteriorum clauſtra reperiebantur perdocti et eximii viri, qui cauſam Chriſti tecte licet fovebant, et ejus promotionem urgere ſtudebant. Infra dicemus de Benedicto FONTANA Monacho Carmelita, et Evangelii praecone primum apud Locarnenſes, deinde quaſi per univerſam Italiam ſtrenuiſſimo: hic unum produco, cujus teſtimonium ad reliqua lucem praebere ſufficientem poteſt, quemque inter Zvinglii b. m. reſidua monumenta deliteſcentem reperimus. Is eſt AEGYDIUS a PORTA praeclara apud Comenſes ſtirpe

b) Pall. p. 270. 272. Exſtant etiam Tabulae ſingulorum.

c) Steph. del Merlo Chron. ad h. a.

stirpe (quam cum nobili stemmate inter Raetos dispersо eandem habere originem vulgata est opinio d) ortus, et in patria urbe Dominicani ordinis Monachus: qui postquam multa de religionis defectibus inaudivisset, tandem ut pleniorem hauriret informationem ipsum ZWINGLIUM Anno MDXXV. et XXVI. per litteras adiit, deque vera in Christum fide edoceri desideravit. Dolet is inter alia se per avia ductum hactenus operibus vanis, quae in Papismo urgentur tanquam salutaria, salutem attribuisse, cum nesciat interea verae fidei naturam. Petit a Zvinglio, ut ad promovendam Christi causam ordinis sui Priori Epistolium scribat sub spe, quod ejus ponderatio abusuum abrogationem, formationemque in melius secum trahere possit. Declarat se cum aliquot fratribus paratos stare ad deferenda omnia et confugiendum ad Helvetios. Addit omnem se operam collocare in adornanda italica versione Novi Testamenti; quam vero minus celeriter procedere queritur ob sexcenta quibus distrahatur negotia: Nos enim, inquit, modo mittimur ad sordidum quaestum, modo ad horas canonicas, modo huc, modo illuc per plateas errantes destinamur, et bonam temporis partem in rebus nihili absumimus. Denique pro submissis lucubrationibus sacris gratias impensas agit, et ut sui caeterorumque confratrum ulteriorem habere curam, et subinde suis scriptionibus consolari dignetur exorat. e)

d) Vid. Ardüs. Guler, et Spr. de Stemmatibus Raetiae, item Quadr. Tom. I. p. 238. et Ballarini Chron. di Como Part. III. p. 246.

e) Inscr. Egregio Christi militi Huldrico Zvinglio tanquam Patri suo Colendissimo. Diu est Pater pientissime, quod in votis erat ad Te scribere, nempe non alia de causa, quam ea de qua et in praesentiarum: Sed ut verum fatear veritus sum tui, viri haud vulgaris ponderis vultum. At hanc ipsam pusillanimitatem in memetipso modo reprehendo, quando quidem recolo Christum ipsum Dei filium absque personarum delectu humillimos quosque suscipere ac fovere. Quod si ille facit omnium Dominus, ut Psaltes docet, inquiens illuminari et non confundi facies accedentium ad eum, qui fiet ut ad ejus Ministrum accedere non audeam? Persequebatur et olim Paullus Ecclesiam, et tamen inter eundem a Domino percussus ac prostratus audit Dominicum praeceptum de conveniendo Anania, deque suscipiendo ejus consilio, quibus ille auditis mox surgens explevit omnia. Esto, non sim Ego per omnia futurus Paullus, qui nihilo minus in manu Dei est, sis tu mihi Ananias, ac verbo dirige errantem in via salutis.

Annus

Non paucos exſtitiſſe per Italiam diſperſos, qui ſuum conſenſum in reformatione doctrinae et cultus primis Evangelii inſtauratoribus teſtati ſint,

Annus nunc agitur quartus ſupra decimum quo Zelo mea quidem ſententia pio, licet non ſecundum ſcientiam ſubduxi memet a parentum patrocinio, cucullumque nigrum, quem Auguſtiniani ferunt, ex animo ſuſcepi, ratus cum Pelagianis ſalutem operibus meis mihi poſſe parare, dedique operam ut ſi non fierem vel doctus vel pius certe pro pio et docto haberer, in tantumque egi ut jam ſeptennio fungar Evangelizandi verbi Dei munere. Proh pudor in quanta bonarum litterarum ignorantia! Ego nam quod Chriſtum ſaperet ſapiebam nihil: nihil fidei, omnia operibus tribuebam: in his confidere audacter ac ſtrenue docebam. Et quis recenſeat venena, quae et Ego in agro Dominico ſeminavi, adeo ut citra omne mendacium fateri poſſim, Eccleſiam Dei me eſſe perſecutum? Sed noluit bonus Deus ſervum ſuum perire in perpetuum, proſtravitque me penitus, neque amplius lumen oculorum meorum mecum eſt, neque muta reliquit labia. Quin potius ad ravim usque clamavi: Domine, quid me vis facere? Tandem audivit cor meum egregiam illam vocem: Ingredere ad Huldricum Zwinglium, et ipſe Te inſtruet quid Te oporteat facere. O praeclaram vocem! ſenſit hac voce anima mea pacem ineffabilem. Quaeſo ne me putes ludere; Tu nam, imo non Tu, ſed per Te eruet me Deus de laqueo venantium. Ut quid dico Ego me, quin ſpero fratres aliquot mecum adducere. Haec eo dixerim, quo pares interea et loca et gentes a quibus valeamus ſanam doctrinam imbibere. Nobis et Graeca et Hebraica linguae ſunt omnino abſtruſiſſimae, atque admodum parum de latina habemus. Volumus tamen ſi fieri poterit et illas, primo tamen omnium Chriſtum addiſcere. Hunc nihilo minus adventum noſtrum ultra feſtum Dominicae reſurrectionis protrahemus; ſiquidem hac prima quadrageſima futura, juxta ſalutarem Dei obedientiam verbum Dei praedicabimus. Tu interim noſtram hujuscemodi cauſam, utpote tuam, imo Chriſti fideliter tracta. Cujus ô ſi merear laetum aliquid, priusquam hinc abeam, nuncium accipere, abibo etiam infra menſis unius terminum. Quam magnificas gratias Deo deberem. Tu ſi quid ſcripſeris operimento dirige ad Andream Montinum Compatriotam. Nec plura: Bene vale in Domino. Comi XI. Decembr. MDXXV.

J. Ægidius a Porta Comenſis.

Id. ad eund. inſcr. Domino Huldr. Zwinglio Eccleſiae vere Epiſcopo, Gratiam et pacem per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Voluptatem haudquaquam vulgarem cepi ex tuis litteris mi Huldrice, tum quod eruderint me de non nullis ſuper quibus jampridem Te rogaram, tum quod indices tuae iſtius pietatis exſtiterint. Prudentiſſime egiſti opinor, cum profectionem noſtram neque prohibere auſus es, neque jubere. Aeque n. meam ignoras conditionem, quae quidem (parentibus ad id minime conniventibus) pauperior eſſe non

sint, inde quoque patet, quod Martinus BUCERUS Doctor Argentinensis, sed qui eandem tunc cum Tigurinis viam calcabat, in illorum usum LUTHERI

non potest. In hoc poteris nobiscum ad Deum preces fundere, ut quam ocyus sibi placuerit suam ipsius fieri faciat voluntatem. Agnosco nihilo minus tuum istud amicabile pectus, quandoquidem fidelem promittis, si venero, operam. Confido quod lignum hoc plantatum secus decursus aquarum fructum suum dabit in tempore suo. Testamentum praeterea quod vertimus dubito, quin diutius exspectabis quam voles. A sexcentis enim fere negotiis praepedimur. Modo namque mittimur ad sordidum quaestum, modo ad horas, ut loquimur, Canonicas, modo huc, modo illuc per pagos ac plateas errantes destinamur in otium, atque ita bonam temporis partem in rebus nihili absumimus. At quo quaeso pacto fiet, ut excusum, undiquaque mendosum haud exeat, nisi Italicus quispiam adfuerit qui et legat, et quod legit intelligat. —— Sed missa haec faciamus. Excitavit in me Dominus Spiritum suum, quem vult per Te perficere. Ego quod a me requirit impleo his nimirum scriptis, revelando; Tu autem ad sublimiora vocatus videris, nisi quod reliquum est, per Te fuerit fideliter adimpletum. Mediolanum ac universi fines ejus, ob nimia quae passum est nuperrime bella, eo usque depauperatum est, ut quam plurimis etiam ex his qui fuerant mediocris fortunae hominibus, nunc non suppeditet ad victum sua ipsorum mendicitas. Taceo de jam pridem mendicis, quorum multitudo fuit innumera. Nullus quoque finis est mulierum propter egestatem se prostituentium. Denique facta est haec manus Domini adeo gravis in populo, ut impatientia fracti homines fere sibi licere putent quavis injuria mutuo afficere. Plaga certe admodum miserabilis, quam Deus curandam tua opera praevidit hoc pacto. Scribes ad Mediolanensem Ducem antea Barbonensem hortatoriam Epistolam, et nisi audierit, comminatoriam, qua discat sibi subditis refectionem mentis juxta et corporis providere. Hujus namque tantam rasorum ac ventris animalium pecuniam, (qua impinguati multi adversus Dominum Deum recalcitrant) auferendo, et in plebem per viros ad id electos dispergendo. Illius vero efficiendo ut tuto possit, quoad in manibus ejus est, unusquisque purum Dei verbum praedicare, maxime si sit paratus reddere eorum quae dicit rationem. Erit quoque hoc haudquaquam inutile ad excutiendum omnino si quis scrupulus reliquus fuerit in priore opere. Attamen si tanta est hominis infirmitas, quo Deum ad ista connivere velle diffidat, vertat, roga, occulos ad ipsam jam jam ipsissimo opere accinctam nempe Germanorum catervam, nihil magis appetentem. Potest quidem Deus, nullo utens instrumento haec et his majora facere: sed ut debiles, sic enim reor, in fide paullatim solidaret hujus generis seu fidei homines in unum coëgit, veluti propinans ejusdem fidei instrumenta. Adde quod et facilius Anti-Christi robur enervabit. Confidit nimirum ille in multitudine divitiarum suarum, quibus revera utitur in sui multorumque perditionem. Sub haec confratres non nulli, Viri certe et pietate et eruditione nequaquam contemtibiles, voto quodam divino aestuantes efflagitarunt,

quo-

LUTHERI postillas e germanico in latinum convertit, et fratribus Italis dedicavit, editas Anno MDXXVI. Quo quidem labore afflictis forte profuit, sed interea malam a Luthero gratiam reportavit, eo quod locos quosdam, in quibus a veritate deflexisse videbatur Lutherus, maxime in articulo de Eucharistia, aut emendaverat, aut castigaverat, ne scilicet pii illi recens ad Evang. progeniti, monstroso illo consubstantiationis dogmate offenderentur aut in avia raperentur. Tantopere his castigationibus irritatus fuit Lutherus, ut Buceri praefationem, sacrilegam dixerit, et ejus notas venenatorum glossematum nomine, quo erat furore, insigniverit, f) quare ut eum mitigaret Bucerus, ut pacis erat ad stuporem studiosus, loca illa castigata in eum modum, uti scripta a Luthero

quotidieque efflagitant, quo Te non rogarem modo, sed obsecrarem, imo per Deum adjurarem, sicut et facio, ut inter tot ac tantas occupationes tuas vel horulam quoque nobis accommodandam suffureris. Quo quidem tempore ad nostri ordinis, ne dixerim sectae, Rectores scribas Epistolium, rationibus quibus poteris validioribus eosdem avellens a tantarum legum sylva seu farragine: ita tamen caute ne videaris eos ignorantiae accusare; sunt quippe fastuosissimi, ob idque sua nervea colla rotarent. Proinde e scripturis exempla aliqua ob oculos oppone, quibus intelligant vel quam Deo arrideat verbum suum impermiste seu pure praedicatum, vel quanta indignatione illud idem adulterantes, et sua pro divinis inducentes, persequatur. Hucque sermonem inflectere poteris, ut sua ipsorum salus a cordis radicibus nullatenus abscedat, cui nihilo minus eorundem quoque damnatio usque sit annexa: Itemque penitus expendant irati judicis atrocitatem, nisi vale fecerint timori cuidam exitiabili amittendi scil. bona forinseca, et alia quaecunque divinus Tibi spiritus afflaverit. Sit enim Epistola Tui similis, comis scilicet ac Zelo fervida. Verum ut quid sus instruit Minervam? Hi dominica tertia post passionem resurrectionis Domini in unum convenient, ut quae corrigenda sunt corrigant, sua verba loquor, et quae viderint reformanda deforment, volui dicere, reforment. Litteras hujuscemodi si placet ad nos dirigito, eisdem hunc in modum superinscribito: Dilectissimis in Domino fratribus, Augustiniani nominis seu observantiae professoribus, ubicunque fuerint pro suo Capitulo celebrando congregatis etc. Postremo fateor quia erubesco non nihil cum animo ad munera tua, quibus jam secundo onorasti me, adverto, lucubrationes certe, si quid valet calculus meus, divinae potius quam humanae. Nos etsi deficiant quae Te deceant, habet tamen Christus, in cujus gratiam opinor ista largitus es unde rependat. Vale in eodem Jesu Christo. Comi ex aedibus Divi Augustini, 15. Decembr. 1526.

Tuus in Christo Ægidius Comensis a Porta.

f) Ep. data ad Hervagium Typogr. Basil. ap. Lavat. Hist. Sacram. ad h. a.

Luthero fuerant, peculiari libro edidit, cui simul querulas ipsius litteras adjunxit. Vivebat etiam temporibus illis Neapoli nobilis quidem Hispanus cui nomen JOHANNI WALDESIO. Hic ausus fuerat falsas de operum meritis opiniones refutare, et complures superstitiones detegere, nactusque erat asseclas complures: sed isti ultra Iustificationis artic. non assurgebant, hinc et templa frequentabant et missis intererant. g) Ast praeter hos erat numerus fidelium liberationem a superstitionibus exspectantium haud exiguus inprimis Venetiis, Trevisii, Vicentiae, Bononiae atque Neapoli: verum in publicum coetum a Romanensibus separatum coire non sustinebant ob paratum statim exterminium. Caeterum quia a Romano ipso Pontifice continuo spes fiebat in indicendo proximo Concilio Reformationem quoque Ecclesiae in causam vocandam fore, blandiebantur sibi boni illi hac tandem via opitulantibus Principibus per Italiam quoque cultus et morum reformationem instituendam fore. Ea spe ducti, ad Domini de PLANITZ Ducis Saxoniae apud Caesarem Legatum, litteras Anno 1533. Bononia perscripserunt, quibus Ecclesiae Protestantis informationem sibi omnino placere testantur, simulque ut qua valet auctoritate consilioque, concilii de quo tantus circumferatur sermo, celebrationem urgeat et promoveat, hortantur. Edidit illas e Saxoniae Ducum Archivo Illustris SECKENDORFIUS apud quem visantur. h) Eodem anno Lutheri liber ad nobiles germanos suppresso tamen ejus nomine et impressionis loco, italice conversus prodiit sub titulo: *Libro della emendazione, e correzione dello stato Cristiano*, quem forte beatae reformationi viam sternere augurabantur. Singularia narrantur de Jo. MOLLIO Montilcinensi, Minorita, qui primo Anno 1531. Brixiae, deinde Paviae, ab Anno denique 1536. Bononiae per multos annos Epistolam ad Romanos secundum Scripturas et Evangelicorum fidei analogiam, ipsis quibusdam Ecclesiae proceribus favcntibus tanta vi docebat, et Romam ad rationem fidei dandam evocatus, ea efficacia propugnabat, ut fateri coacti fuerint illius antagonistae: esse doctrinas quas defenderet veritati utique conformes: verum non

g) Vie de Galeac. Caraccioli.

h) Hist. Lutheranism. Lib. III. p. 68.

non posse eas moderno tempore absque summo Apostolicae sedis detrimento doceri; abstinere ergo illum oportere a Paulli Epistolis, et Bononiam reversum legere Philosophiam. Is vero lucem non sub modio recondidit, sed multos eadem beavit; dum usque post carceres et dolores multos toleratos suspendio damnatus fuit, eodemque martyrio beatam Redemtori animam reddidit. i) Pari illi veneratione Zvinglium aeque ac Lutherum prosequebantur, siquidem cognoscebatur utriusque studium ad debellandas Romanae meretricis artes improbas consumi; hinc uterque illorum ab illis sollicitatus fuit ad instructionem et opem sibi afflictis ferendam. k) Caeterum in articulo de Eucharistia prout et in aliis doctrinae capitibus magis semper in Zvinglii sententiam inclinarunt; l) unde qui ortis persecutionibus Italia elabebantur nonnisi in Raetiam indeque in Helvetiam se recipiebant, earumque Ecclesiarum confessioni nomen addicebant, rari fuerunt qui Lutheri consubstantiationem sibi placere profiterentur, aut ad illos exirent. Dolebant interim infelicem discordiam quae inter primarios Doctores in eo articulo enata erat, et magna acerbatione agitabatur, quum ea nonnisi gravi offendiculo infirmioribus deserviret. Et deplorandum revera erat hac in parte Lutheri ingenium, qui sibi temperare non potuerat quin litteris ad Balthasarem Altierium Venetum, et Legati Anglici apud Venetos tum Secretarium, fideliumque praeconem et patronum, datis, ut a Tigurinis, cum maxime a Bullingero, Pellicano, Buceroque ipso, eorumque doctrina in articulo Euch. ceu pestilenti haeresi caverent, serio hortatus erat et obtestatus: licet nihil eorum evenerit, quod per illas intenderat. Etenim Bucerus statim ut id Lutheri factum intellexit, serio Italos monuit ne faciles quorumpiam studiis

i) Fox. Lib. IX. p. 263. seq.

k) Vid. Salig. Hist. Aug. Confess. Part. II. Lib. V. Cap. II. §. 19. ubi etiam argumentum edisseritur, cujusdam Epistolae sane memorabilis ab Italo quodam hoc modo inscriptae: Servis Jesu Christi Martino Luthero, Phil. Melanchtoni, Martino Bucero, Calvino, et Germanis Helvetiisque universis qui invocant Jesum Christum etc. Exhibet eam Cl. Schelhorn. qui ejus auctorem esse adserit Ant. Palearium et scriptam Anno 1542. Amoen. Tom. I. pag. 448.

l) Conf. Hotting. H. Eccl. Sec. XVI. Part. II. pag. 620. sq.

diis aures praebeant, verum potius suo malo edocti artes Satanae diligentius cavere discant; sententiam denique utriusque partis mitissime exposuit, ut fere omnis discrepantia in auras disparuisse videatur. m)

m) Bucerus Italis Christum pura fide invocantibus fratribus qui sunt Bononiae et Mutinae sibi venerandis et charissimis. Gratia et pax a Domino nostro Jesu Christo fratres venerandi, ac membra in hoc ipso Servatore nostro dulcissima. Audimus vos cognitione Christi indies proficere, utque natura fert fermenti Evangelici, per vos eadem cognitione complures quotidie imbui. Ea res nobis merito magnam affert consolationem in Domino et laetitiam: quem oramus ut numerose apud Vos pura certaque fide invocantium semper aliquos adjungat, eademque fide magis magisque perficiat eos quos adjunxerit, ac quicquid liberae nominis sui invocationi et confessioni vobis omnibus obstiterit clementer amoliatur, satanamque pedibus vestris subjiciat. Amen. Nunciatum praeterea est disputationem de sacra Eucharistia inter quosdam fratres agitari, qua in re eos fratres per Christum rogo et hortor ut ea inquisivisse satis ducant quae eo faciunt ut carne Christi et Sanguine vere pascantur, hoc est ut in Christo vivant plenius, et illum viventem in se potentius sentiant, et omni vita prolixius explicent ad proximos. Quae apud nos de hoc Mysterio agitata quaestio est, damni nobis dedit plurimum. Quare vel nostro malo docti, artes hic Satanae diligentius cavere debetis. Haec docuit dominus clare, nostram carnem et Sanguinem regni Dei haereditatem non posse percipere, hoc est justitiam et vitam et vitam aeternam. Sua itaque nobis carne et Sanguine opus esse; quibus qui non pascitur, eum vitam in se habere nequire, qui vero carnem hanc edit et Sanguinem bibit, hunc victurum in aeternum, quia mansurum in ipso, et ipsum habiturum manentem in se. Hanc vero carnem et hunc Sanguinem dare vescendum et bibendum et verbo quidem et singulariter Symbolis sacrae Eucharistiae. Panem enim quem frangimus, non panis tantum sed etiam corporis sui esse communicationem, et calicem gratiarum Actionis Sanguinis sui, non Vini tantum. Unde praebens panem dixit accipite et manducate: hoc est corpus meum. Bibite hic est Sanguis meus. Verum enim pane corpus, vino Sanguinem suum dabat in cibum et potum non periturum ventris, sed vivificum mentis, indeque et totius hominis; at coelestem tamen: in coelis enim est et manet Dominus, id est in inaccessa Patris gloria quae nullo loco mundi alligatur, quia ille mundum reliquit et ad patrem in vitam coelestem transivit, hoc est conditionem hujus Seculi exuit, et gloriam quam ab initio habuit, repetiit, in qua tamen et hic cum suis est ad consummationem hujus seculi: nam et ipsos nos pater in ipso convivificatos et excitatos etiam in coelestibus in eo jam collocavit, et dedit in coelis nostrum habere *Politevma*. Quo ut respiciamus Ecclesia etiam patrum tempore cum jam tractanda essent mysteria sacra invitabat, jubens habere sursum corda. Nihil itaque hic terreni, nihil hujus seculi cogitandum, etiamsi et nos et propter nos Symbola, totaque externa

Et Altierius post illud tempus Helvetiorum Raetorumque Ecclesias ipse invisit, fidem earum exoscultatus est, communionem cum illis declaravit,

externa actio mysteriorum hujus adhuc seculi res sint. Addicit amicus amico fidem symbolo praebitae dexterae, sed si vere et amice res geritur hic non contactum manus, sed animum mentemque fidem suam obligantis amici, is cui fit promissio, respicit, eaque re mirifice recreatur et confirmatur, tametsi frivole saepe, et nulla certa benevolentiae significatione dexterae jungi soleant. Suffiabat in discipulos Christus, et jubebat tamen illos accipere Spiritum S. quem et vere illis eo Symbolo dabat, sed nec in eo oris Dominici flatu localiter inclusum aut idem ulla hujus seculi ratione adjunctum; vere tamen atque realiter eo signo exhibitum: sic natura ab ipso Domino facti sumus ut in promissionibus et exhibitionibus rerum non visibilium, quae sunt magni momenti et quarum cupimus vel promissionem vel exhibitionem quam gravissime facere, signa semper exhibeamus visibilia. Ita ut fieri videmus in magnis emtionibus et venditionibus, actis et foederibus, collationeque magnarum dignitatum et potestatum. Deus ergo qui sua inter nos agi vult quam gravissime et ardentissime recte et Symbola et quae pro ingenio nostro ad excitandum et inflammandum animos consideratione, et sancta cupiditate donorum suorum valeant, adhiberi, in exhibitione donorum suorum voluit. Hinc et ipse ut Sanitates impositione manuum, digitorum, sputi linitione vel attactu: ita et benedictionem impositione manuum, et Spiritum sanctum flatu, et corpus et sanguinem suum pane et vino praebuit, suosque jussit ablutionem coelestem, qua regeneramur tinctione vel asperstione aquae, sanitates et benedictionem Spiritualem potestatemque sacri Ministri imponendo manus conferre. Ad eundem modum egit et cum populo veteri. Hanc itaque tantam Patris et Magistri nostri coelestis Christi *phylandropian* in usu sacrorum symbolorum pie excipiamus et exosculemur, non curiosis et prophanis quaestionibus contumelia afficiamus. Spiritus sanctus per Paulum et alios Apostolos tradidit nobis quod illi acceperant a Domino. Hic autem instituturus hoc Mysterium discipulos suos sibi adjunxit qui adhuc sectabantur, et doctrinae ejus studiosi habebantur. Hoc nos vere esse studeamus, nec alios ad haec Mysteria admittamus, dum penes nos eorum administratio fuerit: non minus demus operam tamen, ut quos licet, ejus veros discipulos faciamus: id si nequeamus nihil detrahet nobis, si alii etiam palam Judaei sint. Nec nos propter malos, bonis Domini fraudari decet. Deinde ut Minister non sua, sed Domini verba loquitur, ea nos fide vera ut verba Domini excipiamus. Agit gratias Patri, agamus una: accipit panem et vinum, eaque distribuens jubet accipere; ea accipiamus et nos, Minister ad distribuendum et sumendum, plebs ad sumendum: Subjunxit: edite, bibite; edamus et bibamus, non circumferamus, vel includamus. Addit: hoc est corpus meum, hic sanguis meus; id credamus, nec dubitemus haec dari nobis his ipsis symbolis, et dari in cibum et potum vitae aeternae, ut magis magisque vivamus in Christo,

et

vit, subsidia petiit, denique cum Bullingero et Maynardo litterarum ambivit et coluit commercium. n) In residuis ad Vadianum litteris mentionem injicit Comander cujusdam fratris itali, qui patria profugus Anno jam MDXXIX. in Vallem Tellinam se receperat, et sub Raeto-

 rum

et habeamus illum viventem in nobis. Adjunxit: quod traditur pro vobis, qui funditur in remissionem peccatorum pro vobis et pro multis, qui est novum Testamentum; haec credamus et gratias Domino agamus, quod immolatione sui nostra peccata expiavit, et foedus gratiae novum et aeternum inter patrem et nos sancivit et confirmavit, ut ille nobis Pater, nos ei filii simus. Jubet denique haec facere in commemorationem sui: totum itaque circa haec mysteria Christum praedicemus, et quae pro nobis fecit omnia, addicamusque invicem nos ei, et nostra omnia, idque testemur nostra confessione fidei, piis laudibus, precibus, et oblatione munerum; nec enim vacuis in conspectum Dei veniendum est: Sed pro esuriente et sitiente, nudo et hospite, infirmo et vincto Christo, in suis munus semper aliquod offerendum. Ista si ita simpliciter credamus et geramus, vere discipuli Domini erimus, vereque ipso pascemur in vitam aeternam, supervacaneasque quaestiones, quae tantum ad inanem gloriam et contentionem valent facile evitantes, toti in id incumbemus ut hac sancta pastione Christum viventem in nobis et plenius sentiamus ad nostram ipsorum consolationem, et pietatis profectum, et omni studio bonorum operum ad alios exprimamus et exhibeamus. Quae inter nos Germanos de hoc mysterio dura nimis extitit concertatio, opus carnis fuit. Nos D. Lutherum putamus Christum coelestem terrenis signis nimis dicendo affigere: Nos illi, nihil in Coena quam panem et vinum agnoscere vel tradere. Dedit tandem Dominus, ut tam de verbis quam de re pulcre convenerit, et ita utrinque haec mysteria commendemus; ut nec ille nostris videatur indigna Christo tribuere, nec nos coenam Domini sine Domino celebrare. Duas enim res hic percipi utrinque confitemur, panem et vinum, et coelestem corpus et sanguinem Christi Domini. Quidam revera dilutius, non nulli crassius de Sacramentis his loquebantur: ii ad mediocritatem piam et verbis Domini consonam se receperunt; indeque est pia in Ecclesiis nostris etiam hac de re constituta consensio: hanc et vobis retinere, aut restituere sicuti labefactata sit, studete, imitantes nos in eo quod Christi est, non in eo quod carnis erat; ut est omnis inter sanctos contentio et concertatio. Dominus nos ipse doceat sua mysteria, perficiatque, et ad perfectionem salutis, et beatae cum ipso communionis largiatur. Amen. Huic nos precibus diligenter commendare velitis, et hosce nostros fratres, qui sanctissime apud nos vixerunt et sedulo studuerunt, visceribus Domini complecti et fovere studeatis. Argentorati. X. Septembr. Anno Christi MDXLI.

Deditus vobis in Domino
Martinus Bucerus manu mea.

n) Vid. inf. Cap. V.

rum ditione se tutum reputans, ibidem locorum Evangelium praedicabat, sed contrarium expertus a superstitiosis ad Comitia Raetorum tunc Ilianti celebrata delatus fuerit, a quibus edictum, ut e Valle Tellina discedat. Scilicet jam tum sibi metuebant tenebriones ne ex scintilla flamma eruptura foret. Interea oratorem Praegalliae Communitatis exsulem Christi apud se stare jussisse, eundemque ad suos deduxisse quo omnibus luce salutis praeiret: sed et heic ejectum in quandam Oengadinae viciniam concessisse in qua adhuc Evangelium non fuerat praedicatum, atque apud istos denique moram fecisse, eosque vel obluctantes in viam veritatis pertraxisse. o) Non datum mihi hactenus est nomen profugi illius eruendi, ut nec viciniae illius in Oengadina quam veritate coelesti imbuisse dicit idem: si tamen locus conjecturis, profugus ille non alius esse videtur quam BARTHOLOMAEUS MATURUS Cremonensis, qui diu ante reliquos gentis suae, Vicosupranenses accessisse, eosque informasse dicitur; hic nam facile asylum in Valletellina primo quaesivisse, etiam a Praegallis ad Oengadinos rejectus, ad illos remeasse potuit. Nihil tamen in re obscura definio. Id saltem ex allatis clarum fit, mature satis radios Evangelii fuisse per Italiam circumlabos, nec defuisse qui libertati conscientiae inhiantes, desertis omnibus, ad nostras se Ecclesias contulerint, et scientiam suam illis communicare allaboraverint.

Nèque tamen credat quis dormientibus Ecclesiae Romanae excubiis apertam fuisse Evangelio portam, aut supina earum negligentia factum, ut in dispersos greges subintrare licuerit purioris doctrinae instauratoribus, et Christo milites conducere. Minime gentium. Etenim quamvis in alta jacerent immersi illi ignorantia, et populi in tenebris plusquam cimmeriis detinerentur, praevaleretque morum corruptio, artes quoque incantatrices posito omni divini numinis metu plus nimis vulgariter exercerentur, vigilabant tamen boni illi attente caventes, ne quis extraneus suis latibulis lucem inferret, cujus ope defectus sui coetus, et vitae omnibus innotescerent: paratos habebant carceres, exsilia, mortes cuicunque aliter sentienti, et mentis sensa significanti. „Necesse est (sunt verba unius illorum) et missae vel missantibus interesse

o) Com. ad Vadian. 12. April 1529. Supr. Cap. VIII.

„ reſſe aut haereſeos ſtigmate injuri: per palinodiam clauditur omnium „ os, indiciturque ſilentium, ne quid de hujusmodi rebus proferatur; „ praeterea Inquiſitor Praedicatorius ſibi arbitrium reſervat ſententiam „ ubi videtur mutandi, et bona fiſco jam addicta vel reſtituendi vel „ alienandi. „ p) Hujusmodi repagulis Italia ab infectione religionis ultramontanae pura conſervabatur. In terris Raetorum ſubditis non audebant quidem Inquiſitores apertam adeo vim in corpora et bona profitentium Evangelium exſerere, ex metu ne a legitimis Magiſtratibus in jus vocandi forent: Sed praeter vim nihil omiſſum eſt ad abſterrendos homines a nova, ut vocabatur, ſecta. Nulla erat haereſis adeo nefanda, quae Lutheranis iſtis de ſacris pulpitibus non fuerit imputata, et nullum vituperium, ſcommaque atrox erat, quod non libere in novae fidei homines projicerent, quibus volupe erat. Hoc armorum genere maxime impetebantur pii Evangelici in oppido Clavennae, quorum numerus indies creſcebat, et quia ad eos etiam plures ex nobilioribus ſe aggregaverant, quorum facile habebatur primus Paullus MASERANTIUS, item Capitaneus MALACRIDA, ut et Signifer N., Clerus vehementem in modum irritatus erat. Nemo tamen majori rabie in illos ferebatur ut parochus in SAMMOLICO vico ab oppido uno tantum lapide diſtanti, cui CAESARIS de BERLI nomen erat. Hic qua publicis ſermonibus, qua confeſſionibus, et privatis colloquiis rabiem deſpumabat, cum in novam ſectam Evangelicorum in genere, tum in ante nominatos in ſpecie, aperteque clamabat, non requiem inter ſe, non divinum favorem oppidanis affuturum, quamdiu his in Deum et Eccleſiam perfidis locus et pax inter ſuos foret. Inauditam vim hujus concionibus addidit etiam apparitio quaedam beatiſs. Virginis MARIAE, quae circa idem fere tempus Anno nempe MDXXX. adoleſcentulae cuipiam moratae, et de pietate ac pudicitia omnibus commendatae, facta eſſe et conſilium de exſtirpandis haereticis ſuggeſſiſſe dicebatur. Per ipſum illud tempus ibat Reformatio vires accipiendo per Oengadinam inter multorum clamores, et concertationes, quantumvis odia adverſantium ob libertatem Religionis Ilantii ſancitam, paullo remiſſius ſaevirent; quando igitur Octobri menſe Anni MDXXX. rumor de iſta B. Virginis Mariae apparitione Clavennae factae, et conſilio ab eadem

p) Ap. Hotting. Hiſt. Eccl. Sec. XVI. Part. II. p. 642.

eadem oppidanis suggesto, ut passim per Raetiam sic etiam in Oengadinam dimanavit, protinus antiqua vituperia in omnium ora revocata fuere. Jam patere clamabant Papicolae, cujus furfuris sit nova ista fides, ut quam Numen necesse habeat de coelo per ipsam beatissimam Deiparam detestari: inde ubique locorum omnium sermones cum Lutheranorum subsannatione ceu sale condiebantur, nec facile cum aliquo superstitionum sectatore verba miscebat aliquis Reformatus, quin salsis dicteriis mordacibusque opprobriis (ipsi adhuc id bene meminimus, ait Campellus) prius bene onustus discederet. q) Neque de vano erant quae spargebantur. Adolescentula enim venustae formae, et pudicitiae commendatissimae in autumno dicti anni ad hyemem inclinante, matutinis unius diei horis perculsa tota in oppidum reversa fuerat, quae stupens referebat sibi summo diluculo ad pecora pabulanda in villam Patris oppido proximam exeunti, suamque viam pergenti ex improviso adfuisse personam (ejus sunt verba) sericeo coerulei coloris velamine aureis stellis insigni, in aurasque facile se dilatante, tectam; cujus vultus erat subtili ac candidissimo sudariolo velatus, brachia et crura nuda sed quibusdam sanguinis guttis consperfa, dexteraque ferulam, sceptrumve, sive scopas gerens: „ hancque facto ad se amico plane „ alloquio iter remoratam esse, manifestasseque de se quod sit mater „ Domini nostri JESU CHRISTI, proque amore quo in humanam gene„ rationem ardeat voluerit, se ipsi (adolescentulae) visendam in his ter„ ris praebere, ut de iis quae ex filio suo intellexit, et ad avertendum „ ingens oppido Clavennae malum imminens, faciant, in tempore „ praemoneret. Inaudivisse autem se iram Dei brevissimo tempore in „ integram regionem oppidumque Clavennae exarsuram ex causa quod „ libere permittatur inter eos glisscere maledicta illa Lutheranorum „ haeresis, quae totam sanctae Ecclesiae religionem convellit, sanctos, „ sanctorumque imagines et cultum destruit, et latam ad infernum „ viam pandit. Ergo ad avertendam iram divinam suasisse ut primo „ solennes habeantur processiones, utpote per quas divinus animus placetur, deinde, antequam haeresis majores vires sumat, omnes a vera „ fide alieni oppido exterminentur, et quanto fieri citius potest ipsa „ ditione ejiciantur. „ Addiderat ista Virgo peculiare adhuc quoddam

q) Lib. II. Cap. LV, p. 1122.

dam consilium, sed quia prohibuerat illud cuiquam retegere, proba adolescentula etiam silentio sanctissimo pressit. Illud vero de eliminandis haereticis effatum ejusmodi esse dixerat, ut periculum esset in mora, ni omnibus oppidanis illud revelaret, supplicii quoque culpam ab ea accipiendam, si tantam rem divinitus sibi revelatam bonos diutius ignorare pateretur.

Vix finem dicendi fecerat foemella, cum ab omnibus referre pedem jubetur ad monstrandum divae adparitionis locum, quod et proba lubens fecit: atque ubi ad locum illum nobilem substitit, compertus is est gratissimum exhalare odorem, quem jam a sancta hospite adhuc residuum, suprahumanum proinde et coelestem esse nemo amplius dubitavit. Hinc statim terra pulvisque suaveolens plenis palliorum vestiumque laciniis ab utriusque sexus hominibus certatim rapideque Clavennam, et in alia quaquaversum loca auferri atque abripi: Jam furor in Lutheranos recrudescere et vix cohiberi, convitia et vituperia plenis modis in haereticos projici coeperunt: jam et omnium calculis sancto illi loco coelesti praesentia cohonestato fanum aut sanctuarium nobile exstruendum dicatum erat. Re ad liquidum adeo perducta solennes feriae indictae sunt, fueruntque jejunia et processiones (quas vocant) summa pompa festali, in maxima frequentia vicinorumque confluxu per tres integros dies agitatae, quibus durantibus sacri ad populum destinati oratores strenue in Lutheranos debacchati sunt, vulgusque ad eos exscindendos animarunt; quos inter Dominus Caesar de BERLI haud sane minimus existimari voluit. Male sibi metuebant boni Evangelici, dum martialia ista sacra celebrabantur, quare et multi ex illis sibi quid infausti ominantes jam discrimini se subduxerant: atque revera tantum non inter miracula reputatum fuit, quod gravis procella in miserorum capita non proruperit et effusa sit. Interim non modo cavit omnipotens ne ullam vim stragemve subirent pii ab illis qui per sanguinis sui effusionem cultum credebant praestare Deo: Sed etiam impostoram in apricum produxit, quae detectio Romanensium causae subsidii loco succidium, grave saltem vulnus adtulit.

Siquidem haud diu post eadem adolescentula quae simplex ignaraque imposturam promoverat, eadem nunc ignara invitaque ad drama prout orsum fuerat explicandum, filium suppeditavit. Namque post paucos quam divina apparitio facta fuerat menses, uterum ferre comperta fuit bona adolescentula. Ea postquam aliquoties suorum increpationes indignanter utique tulisset, divorassetque, tandem victa patientia iracunda objurganti regessit: „*Nullum esse a se commissum flagitium; „ nam quod impraegnata uterum gestet nil mali facinoris a se designatum; ferre enim se uterum ex sancto quodam et Divae Mariae Virgini devoto cultore, Domino utique Ecclesiae Plebano, idque ad ipsius „ Sanctissimae matris consilium, suasionemque.*„ Ad Sanctissimae matris consilium! inquit objurgator, et quando S. mater, ut ganeoni corpus prostituas tibi auctor exstitit? Tum lacrymabunda illa: „Atqui ipso „ illo, quo mihi inter saxa apparuerat, momento, quo etiam de immi„ nentibus in oppidum regionemque nostram divinis judiciis me com„ monuerat, eadem dixit: notum esse sibi quod sancta quaedam, illi„ que devota persona quidpiam officii saepius abs me, inibi quoque „ ubi eramus loci, expetiisse, quod Ego illi hactenus ex simplicitate „ praefracta denegassem: Declaravit itaque mihi quod quidquid bene„ ficii officiive devotis sibi cultoribus a quopiam quapiamve praestitum „ fuerit, id ipsa tali loco reputet, perinde ac si sibi exhibitum esset; „ suasitque simul ut si dehinc contingat sanctum illum virum, id „ quod saepius tentavit, a me expetere, ne diutius oblucter, verum me „ ejus voluntati promtam lubentemque concedam. Divae igitur matri „ obsecundavi quando Domino Plebano idem officium paullo post a „ me expetenti, in vota concessi, secus enim me nunquam ad libidi„ nem allecturus fuisset, prout id saepius illi roganti denegavi. Sic„ cine! stupet objurgator, et cur inquit Divae matris consilium nobis „ tunc non enarrasti, quando factam tibi apparitionem secundum suas „ circumstantias exposuisti, totumque oppidum commovisti? Atqui ve„ tuerat sancta mater, inquit simplicula, ne id consilii quod postremo „ loco mihi insinuaverat, propalarem, sed ut sancto et aeterno silentio „ apud me tegerem, monuerat, et ut si devoto ejus servo id officii „ praestare daretur, me solarer de favorabili ipsius in me affectu, cae„ terum id quidquid esset totum apud me servarem.„ Proditum jam mysterium *aidoion* fuit, nemoque erat qui scelestissimi ganeonis facinus

non

non deteſtatus fuiſſet. Dolebant alii ſcandalum toti catholicae (ſic vocari amant) religioni datum, quaſi ejusmodi miraculis, divorumque apparitionibus ea ſubnixa ſtaret; alii profanum Sacerdotis ingenium, vitamque improbam; Eccleſiaſticos facti detectio ſummopere male habebat. Sed huic medela amplius adhibenda non fuit, eo quod a juvenculae praegnantis cognatis res tota ad Magiſtratum, cui Raetorum nomine cum poteſtate Commiſſarius praeeſt, devoluta erat. Hujus juſſu plebanus in judicium citatus fuit, et in vincula conjectus, ubi nequam, quum videret rem occultari non poſſe, lubens ſcelus cum adoleſcentula admiſſum et ſimul reliqua, quae ad id exſequendum neceſſaria et apta adhibere debuerat media, falſus eſt. Coeruleas nempe veſtes in quibus ſub ementito B. Virginis nomine inter ſaxa apparuiſſet, easdem eſſe dixit quae ſanctae illius ſtatuae in fano adhaererent; id quod adductis ad oculum veſtibus ipſa adoleſcentula adſenſa eſt. Quod vero Divae apparitionem populo per ſimplicem adoleſcentulam obtrudere tentarit, factum a ſe dicebat ut odium in invaleſcentem indies novam fidem, et praefatos qui nuper illi nomen addixerant, vindictamque exerceret, et ſi pote excidium eorum maturaret, ſimulque corporis adoleſcentulae, quam deperibat, et cujus pudicitiam hactenus fruſtra violare tentaverat, compos fieret. Qua in parte nec falſum ſe eſſe, ſiquidem, poſtquam locum ubi B. Virg. nomine illuſerat, myrrha, balſamo, aliisque ſuaveolentibus infeciſſet, interea vero totum illum diem inter ſaxorum inibi cavernas delituiſſet, clerus et populus in ſtuporem raptus, jejunia feſtivitatesque celebraſſet, non multos poſt dies adoleſcentulam ſibi ad votum obtemperantem habuerit, et cum ea libidinem expleverit. Haec poſtquam apud Judices depoſuit, ad torturam quoque damnatus eſt, in qua etiam ſibi ſemper conſtans perſtitit. Re itaque ad liquidum perducta ſacrilego impoſtori et malefico ganeoni ex Magiſtratus ſententia capitis et ignis ſupplicium ad commeritam poenam adjudicatum fuit; atque ad ejus tenorem carnificis gladio illi primum caput praeciſum, tum truncus cum capite in favillas redactus eſt, ingenti (ut fere eſſe ſolet) populi concurſu, triſte theatrum, rogumque cum horrore et indignatione inſpectante. Sic igne crimina eluit, qui igne luxuriae arſerat, et fumos vanitatum vendiderat. Acta haec ſunt coram Magiſtratus integro conſeſſu Clavennae JOANNE CAPOLIO Flemienſe, Commiſſario, qui circa initium menſis Maji Anno a

nato Domino MDXXXI. a Rhaetis Dominis illuc Praeſes miſſus, eo venerat. r) Facinus haud multo diſſimile illi quod ante duos et viginti annos BERNAE quatuor Dominicani Monachi attentaverant, ac ſaepius perfecerant, at re prodita ignis itidem ſupplicio eluerant; ſic ut horum vita et exitus parallela conſiderari queant.

Detectio ac punitio ſacrilegae iſtius illuſionis primum ora conviciantium obturavit, furoremque compeſcuit, deinde per id factum ſubnata inter omnes ſuſpicio eſt, eodem talo ſtare omnes alias divorum apparitiones et miracula quae paſſim fieri venditarentur, et tamen per ea Romana ſacra comprobari clamarent ſacrifici. Hinc dubitatio orta de ſanctis ipſis tanto numero ad cultum commendatis, audebantque jam naſutiores ex Evangelicis liberius artes Monachorum exponere, evincereque, qui ab his totus cultus divinus omnisque religio ad ſtabiliendam Hierocratiam, et ad culinam bene molliterque inſtruendam detorta et informata eſſet. Nulla certe cujuspiam Evangelici Doctoris tantum promoviſſet concio, quantum rei Reformatae incrementum adtulit ementita hujus Divae apparitio. Nec ſolum illa: ſed indies ejusmodi in lucem protrahebantur facta, a bonis illis Eccleſiaſticis patrata, quae animos ſuorum paullo ſaniorum offendebant; unde iſti ſenſim ab illis alieniores facti, ſenſim ad Evangelicos convertebantur. Tale fuit illud, quod PARCIPHALLO PLANTA Zuzienſi, viro integerrimo et judice incorrupto atque in confeſſione religionis Romanae ſera aetate defuncto, Clavennae COMMISSARIO ſeu Praetore etiam alius quidam Sacerdos, ſodomiae et furti una cum aedituo reus Anno MDXXXV. itidem ignis commerita poena affectus eſt. Sic etiam Anno MDXLI. JACOBO FLORINO Clavennae itidem Praefecto, et Sacris Romanenſibus addictiſſimo, (ne quis haec Sacerdotum ſupplicia ab haereticorum forte odio derivare criminetur) alius Monachus cynodicus, perinde flammae ſupplicio afflictus fuit. Datur vero ex iſtis colligere mores antiſtitum Eccleſiae illius temporis, eheu nimium ad fatuitatem

r) Vid. Camp. Lib. II. Cap. LV. pag. 1121 - ad 1125. Comand. ad Vadian. 1532. 17. Nov. adduct. ſupr. Lib. I. Cap. 2. Stumff. Lib. X. Ludov. Lavater. de Spectr. Cap. IX. Loniceri Theatr. Hiſt. p. m. 94. et 552. Vedroſius Manual. Antiquit. in dedic. etc.

tatem et corruptionem delapsos. Et haec quidem censuram magistratus politici subierunt, in forum producta, quum nemini dubium esset longe plura potuisse protrahi, si Magistratibus volupe fuisset in eam messem falcem immittere.

Ast hi ulcera illorum adtrectarunt semper inviti, nec alias quam necessitate adacti; sedulo caventes ne irritarent crabrones, plus aequo sibi infensos. Id quum ipsa non ignoraret turba rasa, ergo priscos ad genium producebat mores, videbaturque omnis Ecclesiasticorum virtus in conflanda haereticis invidia absolvi et consumi, ad quod quaevis ficta fabella, vanusve rumor argumentum suppeditare jubebatur. Memoriae proditum (ne minutiora hujus generis coacervem) reperio, accidisse illo circiter tempore, nocte intempesta, Templum quoddam subitis inopinisque flammis exsplendescere et conflagrare. Convolantes cursim homines statim compererunt unum cereorum, quorum duo maximae magnitudinis, (sic ut vel ad unum loco movendum vel quatuor viri requirerentur) in eo appensi haerebant, eo quod paullulum in statuas inclinatus esset, proximo ligno, iconive dedisse ignem, qui statim in flammas eruperit. Hujus licet indubitata exstarent indicia, non pudebat tamen aedis sacrificulum per hunc casum Evangelicos in invidiam trahere, quasi ipsi ceu imaginum hostes et sanctorum contemtores ausi fuissent ignem tectis subjicere. Sed ea erat Evangelicorum inter Romanenses conversatio, ut talia similiaque convitia protinus corruerent, nec apud ullum prudentiorem fidem reperirent. Ringentibus proinde Romanensibus licet et omnibus nisu obluctantibus, augebatur indies inter illos Evangelicorum numerus, haud secus ac solent rosae succrescere obseptae spinis.

Occasione impostoris illius Clavennensis observare datur, Clerum ante Reformationis tempora tantopere populi abusum fuisse credulitate, ut cordatiores, quorum omni tempore est Numerus, aliquis, naeniarum, praestigiarumque puduerit, pigueritque. Unum adfero BOCCATIUM Florentinum, Eloquentiae laude celeberrimum, qui extremum obiit diem Anno 1313. cujus mentem, ac verba super cultum in Ecclesia, ipsius aevo solitum passim exhibet VERGERIUS in Opusculis: unde quaedam delibare haud ingratum erit; quia illius sensum succincta ora-

tione exhibet. Sic autem de Idol. lauret. Opp. Tom. I. f. 345. „ In suo Decamerone, seu Principe Galeoto, semper quaesivit occasio„ nem, quo pacto irrideret, et traduceret ineptias et Idolomanias Regni „ tui, et inveheretur in mores rasorum, unctorum, et totius Roma„ nae Curiae. Vide qua dexteritate in prima adeo fabula exagitat „ tuam confessionem auricularem, qua soles dicere, homines salvari ex „ opere operato: deinde tuos istos, quos soles sanctos appellare; „ ostendit enim eos esse meros hypocritas: postremo istos tuos tam „ anxios populorum concursus ad ipsa hypocritarum cadavera: et simul „ tabellas, cereos, vestes, quae circum eorundem sepulcra stulte affi„ guntur; id quod ante duos annos Venetiis contigit, quum impro„ bissimi et avarissimi illi lignipedes, incolentes claustra illa, quae S. Fran„ cisci a vinea vocant, propinassent adorandum popello cadaver cujus„ piam superstitiosuli et plane stulti Monachi Mathaei. Deinde vide „ in fabula S. Arigonis Tarvisini, quam caute et salse irrideat te qui „ soles affirmare campanas in morte alicujus ex his, quos tu vis pro „ sanctis haberi, nemine funes trahente sua sponte sonare.„ Quin vide ut illic patefaciat imposturam eorum, qui dicunt, se quum essent omnibus membris debilitati, fuisse ab imagiuncula aliqua, vel contactu cadaveris alicujus hypocritae sanatos. Vide praeterea, quid de tuo Purgatorio, ut aperte docet in fabula Perondi, illud invectum fuisse imposturis, quibus Monachi ludificarunt miseram plebeculam. De Inquisitoribus vero tuis, proh Bone Deus! quam turpia et flagitiosa narrat. Rem tetigit cum dicit eos solere a febribus cupiditatis, et avaritiae quibus torquentur, sanari albumine et unctione sancti Joannis illius, cui cognomen est *os aureum*. Denique in totum tuum Regnum Hypocritarum, totamque Rom. Curiam, in toto illo libro invehitur solidissimis et apertissimis verbis, ut nec Lutherus, nec ex nostris quispiam alius liberius invectus sit. -- An tu putas talem virum, tam magno judicio atque ita liberum et acrem in dicendo potuisse se continere, quo minus de suo illo modo irrideret, si animadvertere potuisset populum eo tempore coepisse adcurrere, ut videret quosdam muros ab Angelis delatos, et Te talem imposturam fovere et approbare? Erras vehementer, si ita credis. Vide, obsecro, in fabula Lisetae illius Venetae, ex familia Quirinorum, quam dextere patefecit, quales esse solent Angeli illi, quos Tu dicis, et vulgus credit, humana forma, nostra

noſtra aetate circumvolare, et vagari huc et illuc, et modo huic, modo illi apparere. Et vide etiam in fabula Cepolae, qua dexteritate derideat famoſam illam impoſturam de ſtigmatibus Franciſci, quum enim fama ſit Angelum ex ordine Seraphinorum humana forma Franciſco apparuiſſe, et quinque ſtigmata, ſemotis arbitris, illi inflixiſſe; Boccatius inquit capillos illius Angeli fuiſſe ſervatos inter ſacras Reliquias! Quid vero putemus eum fuiſſe ſcripturum, ſi quid audiviſſet ſua aetate narrari in populo de quibusdam Angelis, qui ex Judaea usque Lauretum adtuliſſent vel vexiſſent in Italiam ingentem neſcio quam cameram? An veriſimile ſit Dantem, Petrarcham, et Boccatium audiviſſe, quod eorum aetate, omnia ea quae de negotio Lauretano tu affirmas, contigerint. Item in Annot. ad Catal. Haeret A. 1559. edit. Opp. fol. 256. Idem Boccatius in Decamerone, inducit Monachum, qui mire exagitat Reliquias, ut appellant: Ait enim ſe adtuliſſe ex oriente, non nihil ex ſono campanarum, quae erant in Templo Salomonis.

Alibi narrat fabulam de Abbate, qui cum maritum ruſticae cujuspiam mulieris, cujus amore erat caecus, detinuiſſet aliquamdiu in obſcuriſſimo carcere, cum tandem emitteret, perſuaſerat illi, quod in Purgatorio fuiſſet; ubi de Miſſis, de pane, et vino, quod pro mortuis offertur, et de Candalis, quae ad Miſſas accenduntur, falſiſſima quaedam recitantur, ut qui fabulam illam attente legat, ſi non ſit ineptus, facile videat, Boccatium voluiſſe declarare quibus artibus Monachi invexerint, confirmarintque opinionem de Purgatorio. Haec et complura alia Boccatius, ſed mira dexteritate, aliud enim agere videtur, ita ut nulla unquam fuerit vel levis de eo ſuſpitio, quod a Rom. Eccleſia diſſenſerit, ut revera diſſenſit. Sed cum animadvertiſſet hominum guſtum, propter febrim, et phreneſim, qua laborabant praepoſterarum doctrinarum atque falſarum, eſſe corruptum, atque idcirco abhorrere eos a veritate imbibenda, utpote amara, (ut quidem ſolet eſſe mortalibus) Boccatius addendum putavit mel fabularum, ut amarore nonnihil mitigato alliceret eos ad bibendum, quemadmodum vetus ille Poëta cecinerat:

Ac veluti pueris abſinthia tetra medentes
Cum dare conantur prius ora et pocula circum
Aſpergunt dulci mellis flavoque liquore.

Quin

Quin cum metueret etiam sibi a Paparum Tyrannide, non est ausus aperte et libere, ut nos facimus, superstitiones, idolomaniasque perstringere. Cum ergo caute et dextere egisset, nec fuisset a quoquam ante haec tempora observatus aut reprehensus, nunc usque adeo agitata et ventilata est causa, usque adeo clamarunt, usque adeo detonarunt nostrates, ut Papa cum suis, quo illum pro Lutherano tandem agnosceret et persequeretur, fuerit excitatus. Sed quicquid conatus fuerit, non excutiet certe librum e manibus meorum Italorum, utpote quem ob singularem eloquentiam perinde amant, ac suos, (ut dici solet) oculos, et nunc magis sunt amaturi, quia rasis et unctis qui apud eos jam dudum sunt exosi, tantopere videant displicere. Sed haec satis.

CAP. II.

1540 — 1552.

Exilium multorum doctorum virorum ex Italia, ob religionis Evangel. confessionem, adventusque in Raetiam. Baltasar Alterius allaborat Venetorum Decretum de inquisitione Protestantium editum mitigare; atque Protestantes, Helvetios, Raetosque ad intercedendum pro fratribus suppressis sollicitat, sed conatu infructuoso. Exsules praedicant Evangelium in Praegallia, Comitatu Clavennae, et Valle Tellina, et in illa Ecclesias reformant, in his plantant. Molimina Romanensium ad relegationem exulum ex Valle Tellina. Rhaeticae Synodi ad Raetica Comitia consilium et supplicatio ad promotionem Evangelii in Valle Tellina et caeteris terris Raetorum Reipublicae subjectis.

Sed quantumvis in agris istis Raeticae ditionis, italico labio loquentibus, messis esset haud exigua, deerant tamen operarii, qui ad eam colligendam laborem conferre potuissent: jussit itaque supremus vineae Dominus, plurimos servorum suorum e Babele, ubi captivi detinebantur, ad hanc suam vineam colendam exire, id quod et bono satisque amplo numero ab illis factum est. Circa annum quippe MDXL. videntes boni omnes, qui libertatem Evangelicae doctrinae etiam per Italiam promulgandam speraverant, omnia potius obstacula opponi ad abigendam ultra montes quam dicebant haeresin, et carceribus, exsiliis, confiscationibus, morteque ipsa saeviri adversum omnes, super quos mutatae sententiae, quoad religionem, inciderat suspicio, jam cedere furori, Babele exire, animabusque suis requiem procurare statuerunt.

runt. Et quidem fidelibus illis mens fuerat omnia citius deferendi quam veritatem abnegandi aut in injuſtitia detinendi: Sed ſuſpenſos eos hactenus tenuerant Pontificum Romanorum ampla de Reformatione inſtituenda promiſſa, ſedulae Caeſaris pro celebrando concilio levandisque gravaminibus operae, a quibus tandem ſibi aliquando quoddam levamen ſperaverant. Nunc vero ex omnibus quae agebantur patebat Pontificis promiſſa, verba tantum eſſe, ut qui Caeſaris petita vel eludere omnimode ſtudebat, vel eam ſaltem reformationem adornare caneret, per quam nec in cultu, nec in doctrina, nec in cleri moribus immutatio ulla fieret, verum admiſſa in levioribus correctione in ſpeciem aliqua, omnia priſtino ſtatui reſtitueret. Eo tendere longam adeo dilationem Concilii celebrandi, curamque ut in Italiam convocetur, jam nemo adeo ſtupidus erat qui non perſpiceret. Deſperatis ſic rebus plures eruditione, dignitate et opibus praeſtantes viri, derelictis quae habebant omnibus, in Raetiam, et ex hinc in Helvetiam advenerunt, ubique multo cum Zelo, fidelium coetui ſe adjungentes. His de itinere fatigatis, mortisque faucibus tantum non elapſis, Vallis Tellina et Clavenna aſyli fere loco erant, ubi ſpiritus tantiſper trahere, viresque paullulum recolligere dabatur: unde plures amoenitate iſtarum terrarum illecti, de adepta conſcientiae libertate gaudentes, ſibi heic ſedes fixerunt; alii hinc in Helvetiam excurrerunt, diſperſique in varias urbes, patriam novam adquiſiverunt. a) Inter primos qui ad

a) Camillus Renatus Heinrycho Bullingero Epiſcopo Chriſtiano. Sal. in Domino. Cum et mihi conſcius eſſem quanti Te facerem, quantumque nomini et pietati Tuae ſemper libentiſſime tribuerim, et quantopere cuperem, quando id coram non liceret longinquitate locorum, hoc quidquid eſt voluntatis erga Te meae Tibi per litteras declarare, non dubitavi haec ad Te ſcribere virum doctrina et eruditione, inprimisque pietate clariſſimum, homunculus non admodum peritus, tametſi Chriſtianus. Noſter Coelius ſecundus non tam familiaritate quam religione mihi conjunctiſſimus, ſperare me coegit fore, ut meae Tibi litterae minime diſplicerent, dum idem mihi ſe et eas perlaturum pro fide et pro ſua humanitate verbis ornaturum liberaliſſime reciperet. Quam ob rem non quo genere litterarum, ſed qua Te benevolentia et pietate proſequi debeam, conſiderabis. Quem enim non Tibi, Tuae ad veritatem, quod unum eſt, Evangelion editae lucubrationes in perpetuum devinxiſſent? Quem ex peregrinatoribus, reflorentis jam dudum Evangelii cauſa, charitas tua, benignitas, facultas, gratia, ſtudium erga pios ſingulare, non ad Te vehementer amandum, obſervan-

ad Raetos devolavit, memoratur fuisse BARTHOLOMAEUS MATURUS patria Cremonensis, olimque coenobii ibidem Dominicanorum PRIOR,

fervandum, colendum invitarent? Ego sane ipse, quanti Te faciam optime scio, quanti autem facere debeam, et Tu, et omnes Christiani homines sciunt. Nempe nihil esse arbitror, aut unquam fore, quod animos quamlibet extremo loco positorum hominum arctius tenaciusque conjungat obligetque quam Christianus ille SPIRITUS quo nihil (quamdiu heu miserum) fuit antehac desiderabilius, nihil in praesentia gratius et iucundus adest, nihil denique potentius exstitit, quod nos ad verae virtutis studium, ad veri Dei cognitionem, ad verae felicitatis sensum, ad certissimam verissimamque immortalis vitae rationem posset adducere. Non plane virtus illa priscorum Philosophorum erat, quam se olim plerique assecutos esse jactitarunt, sed fucus humanumque commentum aliquando suapte natura periturum. Non doctrina illa superiorum Theologorum quae fere ad haec usque tempora nostris animis tam infeliciter insedit, sed invecta quaedam coelestis illius veteratoris impostura, quae nos miseros per judaicum prope Romanorum Sacerdotum ordinem eo impietatis adegerat, ut vix tandem respuisse videamur. Maximas etsi impares Deo, Patri nostro gratias agimus, quando referre non possumus quod extremis hisce temporibus, plerisque etiam Italorum Evangelii Christiani veritas illuxerit, ut non tam ingratum sit meminisse quod fuimus, quam jucundissimum nos id demum consecutos esse quod sumus. Infectatur impietas nos Romanorum, a nostris longissime distrahimur, includimur, cruciamur, et in extremum aliquando vitae periculum trahimur. Fatemur id quidem: Verum tantae perditissimorum hominum crudelitates, eo mitiores nobis, interdumque optabiliores esse videntur, quo et plures nacti sumus foris, qui nostro malo participent et intus sacrosancti vim illam Spiritus sentimus saepe, atque adeo afficimur, ut non solum mala quae patimur, eo consolatore dulcescant, sed etiam ad quaelibet graviora toleranda comparemur Jesu Christo ob occulos posito, qui ut miserarum caput, ita felicitatum nostrarum est auctor. Atque ut de me ipso dicam, qui non multo sane ante verum Deum, ipsumque ejus filium I. Chr. agnovi et credidi, quam in suspiciones Sathanae, minas, insidias, carceres, dedecora, cruciatus, atque id genus maximas calamitates incidi. Nihil me certius aliquando manebat Antichristi jussu, quam aut perpetuo in carcere agentem, extrema solitudine et inedia absumi, aut (quod utinam permisisset Deus) ad immaturam secreto mortem rapi. Sed tamen nostrae tum imbecillitati, vel aliorum fortasse etiam, (ut opto et spero) utilitati providentiss. ille Deus et Dominus noster I. Chr. ut certe nostrum omnium Pater consuluit, atque periculis liberavit, ut et nos disciplina et officio firmiores efficeret, et hoc omne quod vivimus in rem proximorum ad extremum usque converteret. Quam ob rem oramus saepe, atque contendimus fide, idemque ut ipsi comprecemini etiam atque etiam rogamus, ut nihil posthac nobis inserviamus ipsi, placeamusque (nisi hoc ipsum plane quod pro aliis facimus,

vir non illiteratus, et cui ad vitam feliciter delicateque transigendam nil prorsus deerat. Multa is de abominanda clericorum in coenobiis vita, artibusque quibus Monachi ad populos in coecitate ac obedientia continendos uterentur, narrabat; sibi vero ad deferendam eorum religionem fortissimum incentivum dicebat fuisse tot miracula quae ad Statuam et ex ipso B. Virg. MARIAE, Cremonae, patrari jactarentur, de quibus tamen certus esset quod arte mala elicerentur: quare ex quo malos illos dolos animadverterit, impetrare a se non potuisse ut diutius in ea communione viveret, quae ejusmodi impostoris indigeat, et lignis lapidibusque cultum exhibere jubeat, imo cogat. Substitit is VICOSUPRANI Superioris Praegalliae metrocomia, parochianosque illos divina cognitione imbuit; hinc ejus debetur studio quod Ecclesia illa bene diu ante reliquas illius Jurisdictionis, Evangelii praeconium admiserit, et professa sit, et nisi me fallat conjectura, vicosupranensis coetus ad sacra puriora accessio, fere circa ipsum illud tempus collocanda videtur, quo Clavennae ementita illa B. Virg. apparitio prodita fuit.

e re quoque nostra sit) sed nostrorum omnium commodorum, ac voluntatum, (quae pars est maxima abnegationis nostri) obliti, quod ipsi non nostris plane erga Deum meritis, aut ulla virtute, sed singulari Dei in Christo Jesu erga nos voluntate et studio consecuti videmur, ac plerunque animo jucundissime sentimus, id omne cum caeteris hominibus, ubi ubi, et quomodocunque id detur studiose, diligenterque communicemus. Hoc nempe cessurum cum in Dei Patris nostri et D. N. J. Christi gloriam, tum et in salutem proximorum praeclare intelligimus. Quae a nobis scripta sunt supra eo spectant, ut quid erga Te Tuique similes animi habeamus, quibus de causis ejiciamur ex Italia ad extremas hasce locorum solitudines, facillime cognoscas. Quae reliqua sunt pertinent ad rogandum, primum ut nisi fastidias, (quod existimare non possum praeterquam quod non et debeo) communes Italorum Evangelii causa calamitates, quicunque hinc ad vos christianissimos alioqui homines evadunt, eos ita liberaliter et humaniter tractes, ac des operam, ut quamprimum omnis ad Helvetios, Germanosque Italia conversis ad Christum animis advolet, et vestram adeo pietatem, quae maxima est imitetur, ut hic ubi Sathanas atque Antichristus florere adhuc aliquamdiu videntur, nullum tandem per nos superstit veteris impietatis monumentum. Alterum est ut cum aliquid hinc litterarum ad nostrum Coelium, qui tibi inprimis, ut idem fatetur, carus et jucundus est, dare libuerit, tuum nobis et officium praestes quo nostrae tuto et diligenter ad eum litterae perferantur, atque ad nos vicissim suae. Haec ut facias libenter, Te vehementer, etiam atque etiam rogo. Vale, Saluta in Domino fratres. V. Id. Novembr. Anno MDXXXXII. Tirani.

fuit. Etenim italus ille frater de quo Comander ad Vadianum praeclara perſcripſit, nempe quod Evangelium primo in Valle Tellina, deinde etiam in Praegallia et Oengadina praedicaverit, a) omnino videtur eſſe MATURUS; Campelli quippe fide certum eſt eorum qui ex Italia religionis cauſa ad Raetos profugi, heic locorum ſubſtiterunt, Maturum primum fuiſſe, certum quoque, Vicoſupranenſes per bene longum tempus praedicationem Evangelii publicam ſolos habuiſſe, retinuiſſeque. b) Interim veriora docenti palmam lubens praebebo. Deſcribitur fuiſſe vir mediocriter tantum litteris tinctus, quique ſpinoſis quaeſtiunculis, paradoxisque magis argutis quam piis opinionibus (quae tamen non exponuntur) Miniſtris caeteris in primis illorum Synodis multum negotii faceſſiverit. Culpatur procacitas, qua juſto liberius, audacius tenaciusque ſententias mente fixas defendere et aliis obtrudere ſolitus fuerit, ſtudueritve: ſed quum non perinde doctus eſſet, non adeo difficile fuiſſe eum in anguſtias conjicere. Haec de ipſo Campelli relatio, judiciumque, quod alii exſcripſerunt, c) cui num fidendum ſit haud habeo dicere. Quae mihi ad manus ſunt documenta, produnt Maturo interceſſiſſe haud levem cum CAMILLO RENATO Siculo, homine Servetanis aut Photinianis opinionibus infecto, caeterumque vafro et ad fallendum apto, familiaritatem. d) Ex quo ſuſpicor Maturum Camilli placita imbibiſſe ſuaque feciſſe: et quia receptae inter Reformatos doctrinae aperte contradicere non audebat, Magiſtri vero placita tueri voluiſſet, factum credo quod captioſas ille quaeſtiunculas in partes traxerit, difficultatesque in recepta doctrina, a ſe notatas audacius urſerit: Unde facile licet ominari hunc ejus ſcopum a primis Miniſtris bonis viris, nullius mali ſiniſtrive ſuſpicacibus, et piae ſolum ſimplicitatis qualis in S. Scriptura traditur ſtudioſis, quorſum tenderet non perſpectum fuiſſe, quandoquidem demum poſt aliquorum annorum de-

a) Comand. ad Vadian. 12. April. 1529. alleg. ſupr. Lib. I. Cap. VIII.

b) Hiſt. Lib. II. Cap. L. pag. 998. 999.

c) Vulp. Hiſt. Raet. MSS. Ott. a Porta Chron. Raet. etc.

d) Vid. Camilli et Maturi litteras ad Bulling. e Vico Suprano datas Ao. 1545. in Muſ. Helo. Part. XIX. pag. 477.

cursum quae menti insederant opiniones orbi prodiderunt. Id vero si ita sit, (ut species fert) valde metuo ne Campelli judicium ex affectu forte iniquiori prolatum in Maturum, immaturum justoque durius sit. Caeterum Ecclesiae Vico-Supranae cui etiam STAMPENSIS vicina adjuncta erat, Maturus per plures annos praefuit; circa ann. denique MDXLVII. vel circiter inde discessit, nec possum dicere qua causa motus fuerit, vel quorsum se receperit. Compertum tamen habeo eum (Anno tamen incerto) Cerantii in Tomiliasca illius Ecclesiae curam agentem, ultimam diem clausisse.

Post ejus discessum conservandae purae in illa Ecclesia doctrinae operam navavit JULIUS MEDIOLANENS. item quantum per excursiones dabatur, integrum lustrum, ipse PETRUS PAULLUS VERGERIUS ille olim Nuncii Apostolici, et Justinopolitani Episcopi nomine clarissimus. Eo ad Virtembergiae Ducem digresso successerunt AURELIUS SITARCHA olim Dominicanus, JO. BAPT. TELLII, THOMAS CASELLA Genuensis. Et hi omnes post alicujus temporis moram alio digressi sunt. LAURENTIUS MARTINENGUS Dalmata, obiit Stampae, quae Ecclesiola tum accipiebat sacra a Ministris metrocomiae vicinae; et FRANCISCUS THRANA post eum decessit Vico Suprani: Defunctum excepit MARTIN. PONCHIERA, hocque dimisso successit ALBERTUS MARTINENGUS, qui Seculi XVI. exeuntis et XVIImi ineuntis annis, in dicta Ecclesia Pastorem agebat. Per istos praedicata fuit Evangelii doctrina in Ecclesia Vico Supranensi, ad Annum usque MDC.

Post Maturum primi et primarii, (quid enim omnes adscribere prodest) in Raetiam advolarunt AUGUSTINUS MAYNARDUS Pedemontanus et Monachus olim Augustinianus vir gravis et doctus; JULIUS MEDIOLANENSIS Theologiae Magister, vinculis, quibus ob labem Lutheranismi ei impactam Venetiis detinebatur, prospere elapsus, dd) BERNHARDINUS

dd) Zach. Bover. Annali de' Capuccini. Tom. I. ad MDXL. pag. 411. Ed. Venet. 1643. Il. F. Bernardino (OCHINO) prorupe dal Pergamo in queste voci: E che facciamo noi o Signori, e a qual fine ci affatichiamo e stentiamo? Se quelli nobilissima città di Venezia, o Reina del Mare Adriatico, se quelli dico, i quali t'annunciano la verità sono da te carcerati, racchiusi negli ergastuli, stretti con

NUS OCHINUS Capucinorum Generalis, Pontificis Confessionarius, Theologus profundus, et orator facundissimus, PETRUS MARTYR vermilius Florentinus, Doctor multimodae eruditionis, FRANCISCUS CALABER, HIEONYMUS MEDIOLANENSIS, et CAMILLUS RENATUS Siculus, qui omnes apud Raetos substiterunt excepto OCHINO, qui statim Anno MDXLII. Tigurum, indeque Genevam, postea Augustam Vindelicorum exiit, et MARTYRE qui primo Tigurum, denique Argentoratum discessit, ubi ipso quo appulerat mense, Theologicam professionem Capitonis morte vacuefactam ex BUCERI procuratione indeptus est. Eos aliquandiu post, secutus est COELIUS SECUNDUS CURIO, qui Basileam, et FRANCISCUS STANCARUS Mantuanus, qui postquam aliquamdiu in Helvetia frustra oberrasset, Clavennae sedem quaerebat, sed cum eam non inveniret, Tigurum, Basileam, in Poloniam denique digressus est. Curia Romana ubi animadvertit tanto numero intra ipsa Monasteriorum claustra reperiri Lutheri sequaces, viros apud quos gubernacula starent, cum extremo dolore ringebatur, indignata a talibus se deseri qui per eruditionem qua valerent labascentem Ecclesiae causam sustentare debuissent, nunc vero omnium gnari sanctuarium eo deterius vastarent: igitur ne hiaret ruina, omnia ad exterminium novae, ut diffamabatur, haereseos comparata fuerunt. Jam mandatum ubique per Italiam Inquisitorum officio fuit ut in hominum dicta, facta diligentissime observent, suspectos comprehendant, et vel leviter reos sustollant: confecti librorum prohibitorum indices; sed etiam Patrum seu Vet. Eccl. Doct. ipsorum mendose castrata et mutilata edebantur opera, ne scilicet quidpiam quod catholicos offendere posset amplius in illorum

con le catene e co' ceppi? qual luogo ormai ci resta, qual altro campo libero al vero? Piacesse a Dio che si potesse predicare liberamente la verità: quanti ciechi che non vedono lume, e vanno ad buio a tentone sarebbono illuminati! Queste parole andavano a ferire il Nuncio Apostolico, il quale non molto avanti aveva cacciato in prigione come inquisito d'eresia un certo GIULIO MILANESE Maestro in Teologia, famigliarissimo e carissimo all' Ochino. Aveva questo GIULIO appresa dal istesso VALDESIO l'eresia in Napoli, a' quali essendosi aggiunto per terzo un PIETRO MARTIRE Predicatore d'un altra Religione, collegati insieme con questo triplicato e profano, o piu tosto diabolico vincolo d'amicizia infernale avevano congiurato contra la santa Fede. Ma il Demonio che aveva tessuto queste tre funicelle d'empietà, le aveva insieme ristrette, le cacciò ancora unitamente a gli Eretici.

rum scriptis Lectorum obtutui prostaret. Sacra haec mandata passim a Principibus acceptabantur, licebatque sub illorum protectione carnificibus illis saevire pro lubitu; quod et sedulo factum est maxime in Neapolitana, Mediolanensi, Ferrariensi, et Florentina ditionibus. Ipse Venetorum Senatus, qui ab inhumano isto furore hactenus se continuerat, ad Vaticani postulatum XIII. Kal. Sextil. An. MDXLVIII. edictum renovavit jam ante anno ejus Seculi XXI. factum, cum in agro Brixiano, in homines de religione suspectos, tanquam in veneficos et cum humani generis hoste commercium habentes, severae quaestiones haberentur. Eo cautum erat ut qui libros improbatae lectionis haberent, intra diem octavum ad homines delegatos perferrent, alioqui fore ut anquiratur, et de noxiis poenae exigantur: delatoribus silentium et proemium promittebatur. Vix unquam edictum adeo crudele publicaturus fuisset Illustris ille Senatus, sed extorserunt Legati Pontificis, mire enim in Veneta ditione auctus eorum numerus erat qui Lutheri doctrinam amplectebantur, addita tamen cautio fuit ut Episcopis et Inquisitoribus minime permittatur judicium, sed adhibeantur semper locorum Praefecti et jurisconsulti, qui testimonia cognoscant, et videant, ne quid religionis praetextu inique aut avare in suae ditionis homines admittatur. e) Ad quam cautionem licet Pontifex fremeret, is tamen nec latum unguem discedere voluit, etiam postquam Lutheri doctrina altioribus radicibus haesit. Dirum utique fulmen: quod multis indies causa moeroris et laqueus doloris erat. f) Attamen BALTHASAR

e) Thuan. Hist. sui Temp. ad h. a.

f) Alterius ad Bull. d. 24. Mart. 1549. Venetiis. „Quod si vobis pericula instare videntur, a nobis non longe absunt, qui in eadem sumus navi. Nam persecutio apud nos quotidie fit insolentior: plurimi capiuntur, ex quibus aliqui ad triremes, aliqui ad perpetuos carceres damnantur: nonnulli proh dolor! ad palinodiam metu poenae adiguntur. Usque adeo imbecillus ac pene infans in omnibus est Christus. Multi etiam proscribuntur una cum uxoribus ac liberis; plerique sibi fuga prospiciunt. Ex iis Episcopus quidam cognomento Vergerius, vir sane pius ac doctus; qui si ad vos confugerit suscipite illum et qua praediti estis humanitate fovete. Ita ut mihi quoque timeam, qui licet aliis saepe hac in re suppetias tulerim, verendum tamen est, ne eadem mihi conditio proponatur. Vult namque Deus fidem suorum his tentationibus

THASAR ALTIERUS Venetus et ipse, quique Secretarii gradu apud Regis Aglorum ad Remp. Venet. Legatum functus erat, et omni Zelo cognitionem Evangelicae religionis inter suos promovere allaboraverat, et cum Luthero Helvetiisque litterarum commercium coluerat, spem sibi faciebat Decretum isthoc ad Protestantium ordinum intercessionem, si non prorsus disjiciendum, saltem mitigandum fore. g) Eapropter tum per litteras Saxoniae Ducem, et Evangelicos alios, denique ipsemet Helvetios adeuns sollicitavit, ut fidelibus in Italia periclitantibus, adessent, seque Protestantium ordinum nomine procuratorem apud Venetos litteris ea super re credentialibus extraditis denominarent: Ajebat enim Venetos totos esse in partes Galli, aversissimosque a Caesare, indeque ad juvandas Germanorum Principum res propensissimos. Sed quantumcunque hoc consilium apud Helvetios fortiter utique ursrit, minus

tionibus explorari. etc. It. Verger. letta. Monf. Delfino Vescovo de Lesina. „ Monsignore la ingiustizia e crudeltà è grandemente cresciuta d'un tempo in qua appresso de' vostri, perciocchè a' tempi nostri i Papi fan annegar i nostri fratelli di notte segretamente, senza che possano prima esser le lor difese ascoltate, almen in luogo publico, come s'è nuovamente fatto di que' due Santi Martiri di Cristo, Fra Baldo Lupitin d'Albona, di cui fu nipote e discepolo M. Mattia Flacio Illirico ben conosciuto dal mondo, e M. Bartolommeo Fonzio, tra gl' altri dico, che di notte furon fatti annegar, nè vogliono i medesimi Papi che i rei in questa causa possano essere ascoltati, se non appena da qualche Diabolico Inquisitor in un Cantone. Sed tu Domine usque quo?

g) Idem Eidem Venetiis. Idib. Nov. 1546. Reliquum est ut sciatis me hic Germaniae Principum, ac caeterorum foederatorum vices agere: quae res effecit ut Evangelium Jesu Christi non tam hic quam in reliqua Italia altiores radices egerit, ac spero indies auctum iri. Nam Veneti non mediocriter afficiuntur ob eam rem, ita ut ad Germanorum res juvandas sint propensissimi, et fortasse si Deus voluerit, foedus quoque cum illis inibunt. Haec amabo cum sint magni ponderis, taciturnitate opus est, ut apud vos serventur, quae eo lubentius scripsi, quia certo sciebam vobis fore gratissima. Res Caesaris in Germania indies fiunt deteriores.

minus tamen promta ad votum videtur expertus esse Suffragia. h) Comparuit etiam coram Raetiae Comitiis Junio M. Anni MDXLIX. at praeter intercessorias ad Venetorum Senatum obtinere ultra nil potuit. i) Sic collocutus adhuc cum Vergerio in itinere Pesclavii, k) per Tellinam Vallem ad Venetos rediit, l) quos iratiores reperit quam ante discessum. Non modo enim apud illos ejus commendaticiae irritae fuerunt: sed concisо et imperatorio mandato ei intimatum fuit ut aut Romana sacra sequatur, aut solum vertat. Ad quam optionem, is exsilium elegit itinereque Ferrariam versus, Florentiam indeque in agrum Brixianum cum uxore et puerulo uno, magno ubique cum vitae discrimine emensо, securas latebras quaerebat, unde occultis illis fratribus dante occasione praesto adesse aut succurrere posset. Verum

h) Idem Eid. Curiâ. „Reddidi litteras tuas et D. Myconii Ministris hujus Ecclesiae: contuli cum ipsis negotium meum: video ipsos paullulum tepidos, aut quia hujus sunt ingenii, aut quod res videtur ipsis nimis ardua, praesertim cum a vobis Helvetiis repudiata sit; tamen non ademerunt spem omnem quin sim impetraturus. Ego si Bullingerum hic haberem, procul dubio res succederet: Expertus sum quid valeas auctoritate, consilio et prudentia. Curia, d. ult. Jun. I. 1549.

i) Id. Eid. d. 22. Julii, 1549. „Ego in istis Comitiis, quae apud Rhaetos sunt acta, nihil impetrare potui praeter litteras commendatitias scriptas omnium nomine; quod ni quorundam impietas obstitisset, procuratorias etiam obtinuissem. Foedus cum Gallo inivierunt: adfuit et Caesaris orator; at nihil profecit. Multi verentur ne propter id aliquae oriantur turbae.

k) Id. Eid. Peschevio d. 3. Aug. 1549. Adduc. infr. Cap. IV.

l) Id. Eid. Sangallo d. 28. Jun. 1549. „Tales nunc sunt hominum animi mundo adhaerentium. ——. Quod si Spiritum Domini jam pridem meo animo non insedisset —— commune exemplum secutus, idem et Ego factitarem, et laterem potius in aliquo angulo, rebus familiaribus incumbens, quam Christi negotium tam mordicus agere. Sed absit a me tam exsecrabilis blasphemia, ut pro eo desinam quiescere, qui pro ne nunquam conquievit donec opprobrium crucis obierit. Itaque redeo nunc in Italiam paratus in omnes casus, non minus quam antea fecerim, ac cupio vinciri pro nomine Christi. Et quia in reddendis his litteris, Senatus Venetorum procul dubio exquiret a me singulatim de statu rerum mearum, praesertim cur hoc Foedus cum Gallo non inveritis, necesse est habeam prae manibus causas, cur ita actum sit. etc.

Verum dubito potuisse eum illas invenire, neque erat ipsimet ignota rabies adversariorum, quos sciebat non conquieturos donec vivum deglutivissent. m)

Dum igitur quaquaversum in Evangelicos atrox fiebat inquisitio, hi ut poterant vitae consulebant: et miserandum erat visu alternis fere diebus novos advolare Christi milites qui Stolas laverant in sanguine agni. Isto turbine agitati appulerunt in Raetiam CELSUS, ULYSSES, et MAXIMILIANUS, ex illustri MARTINENGORUM prosapia orti, Comites de Barco, Brixiani; GALEACIUS CARACCIOLUS Marchio de Vico, cujus mater soror erat Paulli IV. Caraffa, Pontificis, et conjux filia Ducis Nucerini; LELIUS SOCINUS Senensis, ANGELUS RIPA Comensis, quem tamen alii Clavennatem fuisse prodidere; PETRUS PAULLUS VERGERIUS Episcopus Justinopolitanus; BARTHOLOMAEUS SYLVIUS Cremonensis, HIERONYMUS ZANCHIUS Bergomas, SCIPIO LENTULUS Neapolitanus, et antea Valdensium in Valle Angronia Barba S. Pastor, SCIPIO CALANDRINUS Luccensis, ALPHONSUS CONRADUS Mantuanus, uxoris olim ALPHONSI Ferrariensis Ducis Informator, PAULLUS GADDIUS Cremonensis, LUDOVICUS de CASTELLO VITREO, SIMON FLORILLUS Neapolitanus, MICHAEL ANGELUS FLORIUS, JOANNES ANTONIUS CORTESIUS Brixiensis, FRANCISCUS CELLARIUS, HIERONYMUS FERLITUS Siculus, JOANNES PETRUS PARISOTTUS Bergomas, sed et ISABELLA MANRICHA femina nobilissima Neapolitana,

m) Id. Eid. ex itinere 25. Aug. 1549. De adventu meo in Italiam haec habe. Bene valeo cum uxore et puerulo. Quoad caetera; litterae illae commendaticiae hoc tantum juvarunt, ut exsilium mihi propositum sit ex toto Venetorum agro; volebant n. illi quod tutus essem apud eos, si ipsorum religionem, id est Romanam sequi vellem: Aliter omnino mihi eorum finibus abeundum. Ego qui Christi sum, malui exsul esse, quam Venetiis frui cum abominabili sua religione. Discessi ergo non sine vitae discrimine versus Ferrariam —— inde Florentiam ——. Caeterum ex D. Lelio cognosces, quid nunc pro me abs Te agi cuperem.

Item ex agro Brixiano. prid. Kal. Nov. 1549. —— Scito me in magnis molestiis et vitae periculis versari, nec locus mihi est ullus in Italia, ubi cum uxore et puero tutus esse possim. Augetur indies metus de meipso; Impii namque unquam conquiescent, donec me vivum deglutiverint. Rogabis Deum ——. Litteras mihi tradendas mitte Clavennam ad Franc. Nigrum.

juxta plurimos alios quorum nomina exscribere piget, siquidem nil ultra suppetit. n) Isti patria profugi, quamprimum stare pedem in tuto sentiebant, Inquisitorum carnificinam, Romanaeque curiae artes tenebrarum superstitionumque in ea crassitudinem mascule detegebant et propalabant; hi nunquam finem faciebant populis ad quos devenerant conscientiae libertatem, et Evangelicae concionis puritatem quantum beneficium esset liberaliter depraedicare. Solus tot praeclarorum virorum qui pro veritate omnia reliquerant aspectus pios in veritate agnita confirmabat; adversarios autem qui fere nil nisi frendere noverant, cogebat cogitare, haud adeo de nihilo esse oportere controversias in religione agitatas, siquidem constet doctos hos, nobiles, et eximios viros Monachos et Doctores quique cum omnis commodi fruitione sedes avitas partasve tueri possent, citius omnia abjeciisse, quam vim suae conscientiae illatam diutius tolerarent: Nascebatur in omnibus stupor: cohibebatur furor. Ad haec exsules isti nullum defugiebant laborem quando Ecclesiae Christi proficuum fore animadvertebant;

n) Vergerius nella Lettera al Reverendiss. Monsignor Delfino Vescovo di Lesina Svo quae mox post ejus ab Eccl. Rom. exitum scripta et edita est, inter alia in haec verba fatur: „ Siamo *d'intorno dugento* uomini dall' Italia fuorusciti per Cristo (che di questi s'intende, quando si parla degli esclusi dal salvo condotto) e qual abita nel Paese de Signori Grigioni, qual tra Signori Svizzeri, qual in Geneva, qual nell' Inghilterra, qual in Germania, e qual in Polonia. Or da questi dugento o là intorno manco che la quarta o quinta parte sono uomini di lettere, e ne sono di eccelentissimi. Dica chi vuole, e' se n' accorge ben il Papato sentendone i colpi, e alla giornata ne sentirà de' maggiori. Ma fra tutto il numero non v'e altri che me, il quale quantunque io sia certo il minimo tra loro, come spesse volte dico, e dico il vero, m'impaccio un poco di queste Materie di Concilio, e altri non v'è che io sappia al men che abbia trattato con piu d'uno degl' Illustrissimi Principi, e col Nuncio del Papa di avervi ad andare. Segue adunque come a me pare, che la estensione e esclusione non miri ad altri, che a me, e per me sia stata fatta. Id. post plura, loquens de salvo conductu a Conc. Trid. promisso, pergit. „ Taccio de pericoli della vita, i quali mi soprasteranno a tutte le ore, di mille qualità, si per lo cammino nello andare e tornare, si eziandio nello starvi, nè mi potrei tener per sicuro di aver ad uscir loro dalle unghie per diligente, e ben cautellato salvo condotto che m'avesser dato. NB. So chi essi sono e di qual Sagacità e Sperienza, ove si tratta di coglier alcun par mio, non già che tutti sian tali; questo io non posso dire con verità: ma so che vi son tra loro d'eccellenti figliuoli delle tenebre in saperla benissimo intrigare etc.

bant; sed apud quoscunque aditum inveniebant, instabant erudiendo, docendo, hortando; eaque sedulitate plurimorum sane animos lucrati sunt, hacque ratione regnum ignorantiae sensim euntes destruendo, viam ad praedicationem publicam straverunt. Notari certe potest: nullum illorum in aliquo loco, paullo diutius substitisse, in quo non aliquem Domino coetum collegerit. Ex primis, AUGVSTINUS MAYNARDUS Pedemontanus patria et Monachus, Doctor Augustinianus, Anno MDXXXIX. Clavennam, GEORGIO THOENI Raetorum inibi Repraesentante seu Commissario appulerat; et quia jam aliqualem piorum jam inibi numerum reperit, haud deferendum ratus eos privatim diligenti institutione imbuebat. Ea dexteritate sanctus iste et doctus vir o) rem Domini tractabat, ut ne quidem iras Cleri in se magnopere concitaverit. Erant tunc temporis in Evangelicorum Clavennae habitantium, civiumque numero viri aliquot praeclari, et maxime HERCULES a SALICE, cujus vel juvenis virtus in bello adversus Medighinum emicuerat p), PAULLUS PESTALOZZA, PAULLUS MASCARANICUS, GABRIEL BARDELLA, aliique; qui Maynardi dotibus capti, ut eum apud se retinerent citius non quieverunt, quam publico indultu facultatem obtinuissent in privatam informationem Magistros libere alendi. q) Articulus minine levis: obtendebatur enim et urgebatur, juxta fundamentalem Democratiae legem, minime licere aliud

o) Curio ad Bull. 17. Jun. 1548.

p) Campel. Lib. II. Cap. LVI. pag. 1135. S. nn) Sprech. Chron. Lib. V. p. 206.

q) Camillus Renatus ad Bull. ex Valle Tellina d. 6. Jul. 1544. Quod si adolescentem hunc studio, diligentia, consilio tuo, et quibuscunque rebus adjuveris, non solum nobis, sed omnibus etiam italis, inprimisque Christianae disciplinae studiosis gratissimum facies et jucundissimum. De reliquo speramus ut hac in Valle Tellina ut vocant, ita in universa Italia, Christum J. D. in profligato Anti-Christo aliquando triumphaturum. Quod facile impetrabimus, si et vos idem comprecemini, etc. Item Idem Eidem d. XI. Kal. Novembr. 1544. —— Postquam de benigne sucepto Bartholomaeo (Paravicino) impensas gratias egisset, subdit: „ Nostrae res, quod ad pietatem adtinet, procedunt hac in valle bellissime. Hic cui has ad Te litteras dedimus Felix nomine, non ignobilis sane, ut regio fert, homo nostratibus ut maxima necessitudine et familiaritate, ita mediocri etiam pietate conjunctus est, quem si vacat confirmabis. Saluta Ecclesiam Tigurinam.

sacrorum exercitium in ullo loco instituere habereve quam quod a cujuscunque communitatis, oppidi, aut vici parte majore, fuerit concessum ac determinatum. Removendum proinde repagulum istud erat et legis explanatio danda, si via publico Evangelii exercitio sternenda fuit: idque HERCULI illi caeterisque piis ad votum succesſit. Anno namque MDXLIV. in Comitiis DAVOSII celebratis ex trium Foederum Decreto sancitum fuit: „Ut omnibus ac singulis in Valle „ Tellina, Clavennae Comitatu, aut alibi Raeticae ditionis locorum „ degentibus, Evangelicam religionem amplexis, liberum fiat, sitque „ permissum, ad familiarum suarum aedificationem spiritualem, Magi„ stros, docentesve privatim alere et tenere: proindeque omnibus, „ solummodo ob religionis Evangelicae confessionem a patria profugis „ et in Raetorum terras sive dominantis, sive subditae ditionis adve„ nientibus, sedemque figere cupientibus liberam ac tutam ubivis loco„ rum habitationem ac commorationem permissam esse; praevia nempe „ lege, si quidem exsules illi puritatem in fide ad receptae confessio„ nis canonem, Reipublicae fidelitatem, et quibusvis municipalibus „ legibus obedientiam stipulentur, et in quandam pecuniae summam „ constitutam cuivis apud quem consederint Magistratui idonee cave„ ant, ex qua scilicet suppeteret, unde qui secus agere deprehende„ retur, crimina erroresve elueret.„ r) Primus hic gradus fuit ad Evangelii libertatem: et adversus Edicti prius membrum nil quidquam in oppositum structum fuisse comperio, quod agnosceretur aequitatis legibus consonum.

Jussus itaque fuit piorum gregi, qui CLAVENNAE colligebatur, fidelem operam continuare MAYNARDUS; unde et hic legum ipsarum umbone, et tantorum Patronorum patrocinio tectus nil ejus, quod ad progressum veritatis faciebat, omisit. Et quum hactenus in privatis tantum, (plerumque in Salicei) aedibus convenissent, jam laudatus HERCULES sacellum suum, in quo nonnunquam etiam sacra fieri permiserat, nunc Ecclesiae in publicas congregationes, adtiguam vero illi domum una cum horto, annuum item proventum qui Sacello antiquitus pendebatur Ministro in habitationem, commodaque, denique Salarium

r) Recess. Comit. item Camp. Cap. LXI. vers. fin. pag. 1267.

rium benefica donatione legavit. Sacellum illud vulgo vocabatur SANCTA MARIA del PATARINO. s) Ob munificam istam fundationem, et plura alia in Evangelicorum maxime Vallis Tellinae gratiam ab eo collata, Moecenas iste ceu omine ipso Hercules praedicabatur, et communi elogio PIORUM PATRONUS cluebat. t) Hoc exstitit Ecclesiae Clavennensis stemma, quae brevi sic efloruit, ut inter celebriores Raetiae numerata sit, et eminuerit; ut enim oppidum est ob frequentiam populi, et exterorum concursum nobile, sic a bonis Proceribus curatum semper fuit, ut illi Ecclesiae praeficerentur viri eo Theatro digni: fueruntque illi sane semper eximii. MAYNARDO quippe Anno MDLXIII. pie defuncto surrogatus fuit celebris ille doctus HIERONYMUS ZANCHIUS, Argentorato adductus, et postea Heidelbergensis Academiae decus; cui ad latus symmista datus fuit SIMON FLORILLUS Neapolitanus doctus quoque et facundus, si non perinde ambitiosus et contumax exstitisset. Zanchii vices excepit SCIPIO LENTULUS Neapolitanus; huicque in pace defuncto successit OCTAVIANUS MEIJUS Luccensis, cujus obitus in infelix illud Superioris seculi tempus incidit, quo per Hispanorum vim, factam Valtellinensium rebellionem, Tractatus denique iniquos subsecutos, omne religionis Evangelicae exercitium, ut passim in terris subditorum, sic etiam Clavennae sublatum est.

Caeterum Clavennenses Evangelici quando mediam fere civium partem confecerunt, ab Archipresbytero, Canonicisque ibi residentibus, ex reditibus Ecclesiae parochialis ad D. Laurentium, sibi tantum dimitti postularunt, quantum pro numero, possessionibusque in censu publico aestimarentur. Sed aegre promoverunt, Archipresbytero, Canonicisque petitiones surdis auribus praetereuntibus: Tertiam tamen redituum illius Ecclesiae partem mediante auxilio seculari tandem obtinuerunt, JACOBO

s) Id. L. cit. Item Fabric. ad Bull. 5. Sept. 1558. ubi inter alia: „Ministri (in Valle Tellina et Clavenna) vivunt ex contributione piorum. *Zu Cleven ist der halb Theil fast zuhin Evangelisch; noch so erhaltet* Hercules a Salice *und andern den* Ministrum Aug. Maynardum ex suis, etc.

t) Fabric. ad Bull. d. 22. Maji 1559. item de 17. Febr. 1561.

COBO CATERINA Sexamnienſi, Comiſſario. u) Sequiori pariter tempore quando Sacelli anguſtia Evangelicos non capiebat, aedes D. PETRO antea ſacra ad ſacrum cultum peragendum lividis licet occulis dimiſſa fuit.

Sed ut eo redeamus unde digreſſi ſumus, Clavennenſium conatus factumque aliis alibi locorum fidelibus exemplo calcarique fuit ad conferendas inter ſe opes, in ſuſtentationem ſacri Myſtae impendendas, hoc erat ad ſemen mandandum plantandae Eccleſiae. Igitur JULIUS MEDIOLANENSIS qui hactenus palando tantum Eccleſias erudiebat, confirmabatque, a PESCLAVIENSIBUS apud ſe domicilium figere juſſus eſt. Quod is lubens quoque fecit, et in dicta Jurisdictione, fidelium numerum inſigniter auxit. tt) Excurrebat idem in vicinos locos Vallis Tellinae, maxime Tiranum et Tilium, quae oppida Raeticorum Praeſidum ſedes ſunt, nec longe a dominantium limite diſtant, atque eruditione, Zeloque ſuo tot pios lucrifecit, ut jam quot vici totidem Evangelici numerarentur coetus. Tantum effulſerunt radii divini iſtius accenſi candelabri. Sedulam praeſtitit coetibus illis operam JULIUS ad ſeram usque aetatem, annos ſupra XXX: ipſo vero defuncto BRUSIENSES proprium ſibi adſcivere Paſtorem; ad horumque exemplum etiam TIRANENSES. Sic per ſtrenuos quos illis, et aliis quoque Eccleſiis peculiariter VETONIENSIBUS in inferiore Oengadina, exantlavit labores,

u) Coelius Sec. Curio Baſilea d. 4. Martii 1547. ad Bulling. Ego et Franc. Stancarus qui mecum eſt, ſuperioribus diebus ad Te litteras dedimus, quibus uterque tuis reſpondebamus. Exſpectabamus autem reſponſum, praeſertim quod Stancarus valde ſuſpenſus haeret de eo quod tua humanitate, ultro ipſius cauſa curandum ſuſcepiſti. Sed quia valde eſt occupatus non potuit tibi ſcribere. Rogavit autem me, qui alioquin ad Te litteras dabam, tuam humanitatem ſuo nomine ſalutarem, rogaremque ſi quid ſpei habeas nobis primo quoque tempore ſignifices, ut ſibi quid ſit agendum intelligat. Quod reliquum eſt, cum haberem litteras in Italiam mittere, nec haberem nuntium mi Opt. Bullingere ad Te eas mittere cogitavi, ut ſi quo pacto queas eas Curiam ad aliquem Tuum, ad D. Comandrum, aut alium ferendas curares, ut illinc ad Julium noſtrum Mediolanenſem, qui Puſclave Rhetorum Evangelium docet; quod ut quamprimum facias Te magnopere rogo.

tt) Inſtrum. rog. per Franc. Peſtalot. Jur. Not. Ao. 1558. die 21. Jul.

labores, JULIUS insignis causae Christi promotor, haberi, et ob vincula tolerata tantum non Martyr dici queat. Obiit sera senecta post Ann. MDLXXI. Post ejus mortem curam Pesclaviensis, deinde etiam Brusiensis Ecclesiarum suscepit, sollerterque egit CAESAR GAFFORUS Placentinus, et olim Franciscanorum Guardianus, percommodus in oras illas advena, et maxime opportunus Julii Successor: de cujus valore plura suo loco dicenda occurrent. Sub initia fundatae Ecclesiae Pesclaviensis, accessit eo Anno 1549. etiam Petrus Paullus Vergerius, atque inibi aestatem, fereque hyemem exegit; contulitque illius mora ad fidelium confirmationem; fervidus puippe erat, et ob recentenam eorum quae a Curia Rom. pertulerat memoriam, in superstitiones, et artes ab illius gnathonibus adhiberi solitas, liberaliter, facunde, et ex tripode disserebat. Juxta cum illo, vel non multo post ex gravi persecutione appulit in Vallem Tellin. PAULLUS quoque GADDIUS Cremonensis, hicque Julium aliquatenus sublevavit, eo quod TILII prope Tiranum subsistens, et sua perficere, et optimo vicino adesse poterat.

Ad primitias Evangelii Vallis Tellinae accensendi veniunt CASPANENSES in inferiori ejus parte, Squadrae, ut vocatur, Trahonensi subjecti, apud hos enim jam Anno MDXLVI. sacra Evangelica in communi aede celebrata fuisse invenio. Est Caspanum sedes originaria perillustris et nobilis familiae PARAVICINORUM v): ex hac autem duo praeclari viri causam reformationis tutabantur, quorum unus RAPHAEL, alter BARTHOLOMAEUS vocabatur. x) Jo. Raphael erat in magno apud

v) Vid. praeter alios Quadr. Tom. I. pag. 237. 761. etc.

x) Barthol. Paravicin. d. 17. Kal. Jun. 1547. Caspano ad Bull. „Evangelium apud nos undique et indies eluceſcit, quod quidem non parum nobis est solatii. Item d. 27. Febr. 1548. —— *Mein Vetter, ein Mann der vor bidèrben Lüthen erſchinen darff, ein guter Chriſtlicher als kein in unſerm Veltlin ſige, der die Ehr Gottes Ueber ſucht als die Ehr der Welt, der hat viel Söhn, und einer der tugendhafft, iſt 13. Jahr alt, den vvollt ſein Vatter die Evangeliſche Lehr lernen laſſen, und darumb das niemand hier (dann den Camillus Renatus habend Wir nüt meer) der den Knaben in Somlicher Leer unterwyſen vvürde —— den recommendire Ihnen auf 2. oder mehr Jahre.*

apud omnes pretio, siquidem ad natalium decus pietatis studiosus esse cognoscebatur, familiam autem numerosam, in eaque plures filios habebat. y) Quantumvis vero illi libertatem confessionis et praedicationis extra omne periculum collocarent, attamen inconsideratum quoddam factum sub nascentis illius Eccl. primordia ex praeposstero utique Zelo patratum, rem exercitii reformati pene in discrimen adduxit. Nempe Junio fere mense Anni MDXLVII. repertus fuit, qui intempesta quadam nocte crucifixi Domini nostri imaginem in aede sacra ad cultum prostantem ausu sane petulante confregit. Id quando mane factum apparuit, Romanenses ad clamores gravissimos, et fere tumultum commoti sunt; jam patere ajebant cujus naturae nova sit ista doctrina, quae nec ipsius Christi Salvatoris typum revereatur, sanctos dehonestet, et sacra omnia susque deque habeat; ex facto isto conspici religionariorum genium catholicis sacris adeo inimicum, ut in communi sanctuario exercitium diutius concedi non possit. Nec intra verba steterunt, sed quum omnibus suspicio insedisset non a privo conatu, sed ex plurium consensu facinus illud in Divam imaginem derivandum esse, Praetori GAUDENTIO a SALICIBUS delatores fuerunt, ut ipsum Ministrum in jus vocet, et ex eo Auctorem facinoris detestandi extundat. Praetor diris querelis locum concedens, Protestantium Ministrum, coram ipsis Templi, (ex quo post peracta officii sacra munia egrediebatur,) statim comprehendi curavit, tum custodiae traditum examini subjecit, et quum in hoc nihil proderet, rigidissimae torturae subjectum tamdiu excarnificavit, donec edixerit quod intenderant accusa-

y) Camillus Renatus ad Bull. d. 10. Mart. 1548. Clavenna. Postquam prolixe Bullingeri depredicasset humanitatem in omnes quos commendaverat illi commonstratam, subjungit „: quam ob rem audacter et ad Te scribo cum libet et commendo aliquem cum occurrit; utrumque gratissimum tibi spero fore. Raphael quidam Paravicinus, christianus ille quidem homo, atque insigni tum nobilitate tum pietate in Caspanensi Ecclesia Vallis Tellinae per litteras me rogavit, ut ad Te de suo filio aliquid scriberem in hanc sententiam: cupere se filium tredecim annos natum ingenio ut levissimo (facillimo voluit dicere) ita cum ad humanitatem, tum maxime ad pietatem propenso Tigurum mittere, apud Te domi una cum tuis liberis victitare, a te, cui plurimum pro tua pietate confidit, Evangelicam disciplinam haurire. Illum itaque commendo —— et tu divino illum beneficio videberis affeciisse, si conditionem accipies: mihi vero quam sit futurum gratum, quid attinet scribere.

cusatores, conscium nempe se et reum confracti ligni divae Imaginis. Ad factam confessionem sententia in ipsum lata est, qua e trium Foederum ditione in perpetuum relegabatur, et CXL. insuper coronatorum summa mulctabatur. Hanc postquam exsolvit Minister, quamprimum Clavennam adpulit, de vi conscientiae corporique suo illata graves querelas evomere coepit, adjurans per Deum et omnia sacra, nunquam se confractae illius imaginis extitisse conscium: et Curiam veniens coram Patribus conscriptis obtestatus est confessionem illam tormentorum vi sibi expressam fuisse, cum nullam aliam cruciatibus elabendi viam conspiceret, petens ut super torturam corpori illatam, iniquissimumque processum Praetor ad dicendam causam ad Raetorum Senatum accerseretur. Habita fuere Comitia generalia eo Anno Augusto mense: Sed an inter Ministrum Praetoremque agitata lis fuerit, non satis patet. Ex iis quae supersunt fragmentis datur colligere fractionem imaginis ab Evangelicis ipsis culpae datam fuisse BARTHOLOMAEO PARAVICINO (Raphaelis puto filio annos tredecim nato) qui quod summa luce posterae diei Tigurum ad litteras excolendas discederet, crediderat factum istud sibi impune patrare licere, siquidem consilii conscium neminem voluerat. z) Quod quando patuit, uno

 flatu

z) Blasius ad Bull. d. 2. Aug. 1547. *Hertzgel. Bruder! ——— Erstlich bitt Ihr vvollind uns so es euch immer müglich, auf die 2. nachfolgenden Fragen Bericht geben, vvie vvir uns verhalten sollen. Erstlich vvirbt der Künig aus Frankreich mit den Pündten, (glaube auch mit den Eydgenossen) ——— auf den 15. Aug. ist hier ein Tagk ze halten, da die Gemeinden sollen antvvorten ——— Wir mügen gut drein vvilligen ——— vermeinend hiemit des Kaysers Macht zu vvehren. Zum andern: So hat nun der Podestat zu Trahona in unsern Veltlin, den Predicanten zu Caspan im vergangeneu Julio, nach gehaltener Predigt gefangen, und ihn vvider die Statuta aus seyt geschlagen, und also gruesamlich gemartert, also das er vvider sein Wissen und Willen vergehen: Er hab das Crucifix Nachts in der Kirchen gholffen zerschlagen. Nach der Bekantnuss hat der Podestat geurtheilt, und ihn um 140 Kronen gstrafft, und die dry Pünds verbotten &c. Und vvie er gen Cieffen kommen, hand sie ihn uns gen Chur geschickt; hand vvir diesen Handel für den izt gehaltenen Bytag bracht in der Gstalt, vvir syend in Hoffnung unsere gn. Herren habend diesem Potestaten den Befelch also mit den Predicanten ze handlen nit geben. Und ist der Podestat uff künfftigen gm. Pundstag citirt, da auf unser Klag Antvvurt ze geben. Nun vermeinend etlich*

flatu Romanenſium ſuſpiciones vituperiaque abſterſit: dira vero illorum in Miniſtrum actio novo declararavit exemplo, quo illi affectu in Reformatos concives quove ſpiritu ducantur. Orbatae interea Eccleſiae ſacra peragere a Blaſio in Vallem Tellinam deputato, juſſus fuit RAPHAEL Paravicinius, a) quem ego eundem eſſe credo nobilem, cujus ſupra meminimus. Hujus nempe operam recentis adhuc Eccleſiae exigebat diſcrimen; neque novum erat viros illuſtres auctoritati qua valebant, etiam operam ipſam ad ſacra peragenda, poſtulante ſic neceſſitate, adjeciſſe quando periculum erat, ne per illam omiſſionem quodpiam detrimentum Eccleſiae accederet; prout id IO. TRAVERSII, FRID. SALICEI, ULYSSIS MARTINENGI etc. allata aut afferenda exempla edocent. Raphaëlem eo onere mox levaturus erat ANDREAS PARAVINUS eodem nobili genere ortus; ſed quia opiniones Magiſtri CAMILLI aequo fortius tenebat, a Curienſi Miniſterio, quod Synodi nomine agebat, confirmationem in ſacrum munus obtinere non potuit; quantumcunque pro eo ſollicitaverit Vergerius. b)

CAMIL-

etlich gutwillig Paravicinus von Caſpan der izt Ze Zürich ſtudirt, der habe dem Götzen das Unglük angethan. Welches ſo er gegen Euch (als er ſchuldig iſt) bekänt, wurde ihm in mittler Zeit wohl geſcheiden, dem guten Bruder und uns allen treffentlich wol geholffen. Es ſeind wohl mehr Götzen zerſchlagen, und in Pündten verbrandt, hat keins alſo lut geſchrauen. In 2. Jahr komt ein ander Poteſtat; da iſt dem Handel ſchon gholffen. Hierumb, hat ers thon, ſo mag er's fry, und ohn minderen Nachtheil dann dieſer Bruder litten, bekännen. Hierumb nun begehrend wir hieruff von ihme ein gütige und Chriſtliche Antwurt han.

a) Blaſ. ad Bull. d. 20. Sept. 1547. *Ewwere Brieff mit ſamt des Kayſers Propoſition haben wir von den Kaufflüthen empfangen, und dem Nigro ſeinen Brief zugeſtellt. Und bin in vergangner Wochen, zu Cleven und im Veltlin zu Trahona und Caſpan gſyn, ein andern Miniſtrum an ſtatt des Vertriebenen conſtituirt, ein den ſy erwehlt, ein Doctor, und von Geſchlecht ein Edelmann, genant D. Raphael Paravicin. Wird ſich der Sathan abermal übel drein machen. Zu Cleven hab Ich endzwiſchen D. Auguſtinum und Camillum eine ſchadliche Contention von wegen der Sacramenten gefunden. Aug. will das die Sacramenten confirmirend Pacta Dei. Camillus widerſprichts, und beſorg es werde zu groſſer Aergerniß dienen: dann es ſeynd veré italica ingenia.*

b) Gallic. ad Bull. die 23. Febr. 1552. adduc. infr. Cap. V.

CAMILLUS modo memoratus non modo Caſpani haeſit, ſed etiam TRAHONAE commoratus eſt, Ludimagiſterio privato defungens, et nobilium aliquot filios aut forte alios quoque ejus curae commiſſos adoleſcentulos latinis litteris erudiens. Quia vero in homine illo eruditio erat plusquam vulgaris cum Zelo conjuncta, certum mihi fit ab eo praetermiſſam occaſionem nullam fuiſſe augmentum Evangelii promovendi c), niſi ejus Zelum velimus inclareſcendi tribuere cupidini, quod

c) Camillus ad Bull. litt. expreſs. in Muſ. Helv. Part. XIX. pag. 479. Accepi litteras tuas; accepi cum his quoque confeſſionem veſtram, tantas me tibi gratias agere velim ſcias de dono, quem gratum Chriſtiano homini donum arbitrere, eoque majores quo veſtra magis noſtrae ſententiae reſpondet de coena Domini. Ita propemodum noſtros homines docemus, ut (quod ad hanc rationem pertinet) Camillum dicere poſſis Bullingerum, et Bullingerum Camillum. Quam ob rem nihil dubites, quin mihi proberis, vel potius probentur quicunque eo pervenerunt ut ipſum idem ſentiant. Nihil enim in coena, quam a Chriſto inſtitutam ab Apoſtolis uſurpatam celebrare nuper inſtitui praeter memoriam mortis Chriſti, qua a Sathanae tyrannide et poteſtate tenebrarum in regnum lucis aſciti ſumus, agnoſcimus, ut nihil putes a nobis impetraturos, qui aliter ſentiunt ac docent. Id vero commodius explicabimus ubi majus erit otium, teque certiorem faciemus. Nunc enim hoc tantum ad Te quod D. Petrum Phinerium, cujus nunc primum hic amicitiam conflavimus, ad Te propediem venturum audiverimus, virum ſummae autoritatis, et (ut audio) pietatis ſtudioſiſſimum, cui ut me (ita n. videtur) plurimum commendes etiam atque etiam rogo: neque id ſolum, ſed ut religioni ex animo faveat, et iis qui publice profitentur non deſit, nunc praeſertim cum ejus filius legatum quem Comiſſarium appellant apud Praefectum Vallis Tellinae. De Concilio Tridentino nihil ſerium exſpectes: ajunt tres Cardinales ibi etiam nunc commorari, atque Concilii nomine indulgere ut ſolent ventri, nihil plane facturos, quam imperitae multitudini, per ſe non ſtetiſſe, quo minus res religionis componeretur, oſtentaturos. Noſti hominum ingenia, noſti mores. Res pietatis belliſſime procedunt in Italia, optime ceſſurum ſperamus; id ut quam occiſſime eveniat, comprecemur. Salutant te fratres, atque vobis omnibus de ejusmodi conſenſione gratulantur. Salutabis nobis Eccleſiam Tigurinam: aliquando ad Te advolabo. Bene valete, idque in Domino. Ego non Tirani conciionatorem ago, ſed Trahonae, quod eſt oppidulum Vallis Tellinae, ludimagiſtrum. Non ſilemus tamen ——. Non adſcriptus eſt annus, quo fuerit Epiſtola exarata: ex indiciis vero datis licet colligere eam ad medium fere anni 1545. referendam eſſe. Eo enim anno congregari coeptum eſt Concilium Tridenti. Eo quoque Anno 1545. Jacobus Finerius, Petri Finerii Curienſis filius, Vicariatum Vallis Telinae iniit, et per biennium defunctus eſt; unde niſi in mendo cubet locus, loco Comiſſarii, Vicarium debuiſſet ſcribere Camillus.

in exule ob veritatis confessionem, mihi non fit probabile, nec est caritati Christianae consonum.

Feliciori progressu radices egit doctrina Evangelica in communitatibus Jurisdictionis PRAEGALLIAE, per quas sparsi haerebant pii exsules, corporis saltem libertate paceque sub piorum Patronorum patrocinio gaudentes. Promovebant in ea Jurisd. reformationem, inprimis nobiles a PRAEPOSITIS ceu Praevoltii dicti, qui ex antiqua FABIORUM Romanorum gente orti esse credi volunt, d) et qui ea aetate auctoritate, opibusque florebant, e) credibileque non est HERCULEM illum, piorum Patronum qui Clavennensibus exercitii facultatem adtulerat, simul non adnisum fuisse, ut patria sua, in quam identidem remigrabat, eadem gratia bearetur. Ex profelytis maxime eminebat VERGERIUS tum ob corporis externas dotes, tum ob honoris quos in Curia Romana ornaverat gradus, ob eloquentiam denique, sagacitatem, et in negotiis tractandis dexteritatem; is vero commorationis suae lustrum elegerat VICOSUPRANUM, unde paullo ante MATURUS discesserat: et quamvis domi raro se contineret, sed aut in Vallem Tellinam, aut in vicinas, remotioresque Raetiae Ecclesias, aut in Helvetiam identidem excurreret, beneficium tamen dictae Ecclesiae, quod CL. coronatis constabat, haud secus ac Pastor ordinarius, ipse percepit. f) Et quia homo artibus Curiae adsuetus erat, ad detrimentum rei Romanae plus conferebat per familiares discursus, et consilia quam per doctrinam et praedicationem, qua nec adeo libenter fungebatur, neque unus ex Ministris Raetiae audire volebat. g) Non diu is substiterat Vico-Suprani cum factum auditum est, in templo s. GAUDENTII in vico CASACCIAE ad montis Malogiae radices, uno supra Vico-Supranum milliari, omnes imagines una nocte ejectas fuisse, pari fere fato quo

d) Vid. Bucelin passim et inprimis pag. 363. seq.

e) Vadian ad Stumph. d. 26. April. 1546. ap. Hotting. in Suppl. Libri VIti. Tom. IV. pag. 157.

f) Coelius Curio ad Abr. Musculum. d. 1. Aug. 1550. adduc. infr. cap. V.

g) Maynard. ad Bull. d. 3. Sept. 1553. Vid. infr. Cap. V.

quo idola Jerubbalis olim interierant. Factum id exeunte Aprili Anni MDLI. quo ipso tempore etiam Samadoeni Missam abrogatam fuisse suo loco dictum est, nos quidem conjicimus. h) Ob dictam vero repurgationem Vergerius non modo in jus vocatus fuit: sed et ipsemet haud obscure de illa gloriatur, certo indicio ejectionem idolorum ipsius consiliis deberi. Et votis revera respondebat successus; siquidem enim alii Evangelio nomen addixerant, igitur ex reliqui ipsorum numero citius accedebant, quam ad restituendas imagines adducerentur. Ex eo tempore abrogata ibi Missa, et praedicatio Evangelica introducta fuit, docueruntque in ea Ecclesiola indidem venientes et discedentes ad usque illius seculi finem numero XIII. puta, Leonardus Eremita, Guido Tonetta, Barth. Sylvius, Dominicus Genuensis, Jo. Bapt. Vicentinus, Thomas Casella, Jo. Planta Samadoenus, Jo. de Lovigo, Simon de Valle, Lucius Papa Samadoenus, Nic. Carmelitanus, Nic. Eremitanus, et Jo. Ant. Cortesius Brixiensis, qui Anno MDXCVIII. adhuc ibidem perdurabat.

In Pragalliae inferioris praealto colle eminet SOLIUM oppidum natalibus Saliceorum inclitum; ex quibus quia perplures avitis superstitionibus mordicus adhaerebant adeo facile et celeri gradu reformatio non processit, quantumvis civium plurimi HERCULIS Salicei Clavennae plerumque habitantis religionem et partes sequerentur. Superavit tandem pars melior, et cum exeunte Anno MDLII. etiam imagines

h) Vide Verger. ad Gualth. d. 15. Maji 1551. Supra Cap. XII. Libri I. Quibus oblata occasione et has adjicimus ejusdem Vergerii ad Gualth. die 22. Maji. Onorato fratello. Care mi sono state le vostre del Bulingero e Pellicano —— Risponderò a bocca come io spero, perché vegno al Sinodo di Coira, et indi passerò a voi, *nisi sensero structas esse Insidias in via. Ardent in odio maximo contra me, et Papa acerbissime minatur: Sed confido in Domino meo Papa Jesu Christo, qui pro me vicit mundum.* Qui son stato vessato in giudicio con molte contenzioni, e poco è mancato che la rabbia d'alcuni potenti non mi ha oppresso, et tutto per il cadaver Gaudenziano, che fu gittato via, (En Casacciam) e per le statue distrutte et per la Messa ejetta fuor d'un altra terra (intellige Sammadaenum) in gloria di Dio. Fate comune questo a' fratelli pregandogli, che preghino per me ——. Di Chiavenna, a. XX. di Maggio 1551.

nes ex illo sanctuario ejectae, missa abrogata, in hujusque locum divini verbi praedicatio introducta fuit. Impense sibi de hujus loci repurgatione, et oppidi ad Evangelicorum numerum accessione, gratulabatur Vergerius, protinus de re ad Tigurinorum Antistitem Bullingerum perscribens: *SOLII multi potentes Papistae*, (innuuntur quaedam ex Saliceiis familiis capita) *habitant: Sed Deus fuit potentior; nam ante octiduum fuit inde exturbata Missa.* Litterae hae datae sunt postridie Kal. Januarias Ann. 1553. unde pronum est colligere superstitiones Papisticas natalitiorum Christi parasceve Anno MDLII. SOLIO exsulare jussas fuisse; digna sane ad excipiendum Christum praeparatione. Peracta Reformatione docuerunt inibi; primo LACTANTIUS BERGOMENSIS, qui extremum inibi mox clausit diem; ei successit MICHAEL ANGELUS FLORIUS per complures annos; vir doctus et facundus, Camilli placitis addictior, pacis interea studiosus, ibidem defunctus. Isti surrogatus fuit JO. MARTIUS Senensis, litteris haud mediocriter tinctus, cujus Ministerium supra initia Seculi XVIImi. porrigitur.

Stabilita Reformatione in metrocomiis, mox etiam facili opera abolita missa est, et praedicatio Evangelii introducta in reliquas quoque ejus Jurisdictionis Ecclesias, quae sunt CASTANETI, atque BONDI, ad quas villae sacellaque hinc inde sparsa plura spectant. Operam Pastoralem illis navabant exsules illi Italia profugi; nec enim indigenae ulli adhuc suppetebant, a quibus adjuvari patria potuisset. CASTANETI quidem per primos L. a Missae abrogatione annos, Evangelium praedicaverunt Hieron. Ferlitus Siculus, Augustinus Venetus, Jo. Bapt. Vicentinus, ibidem defunctus, Antonius de Macerata, Jo. Marra, et Jo. Planta Samadoenus.

Qui apud BONDENSEM Ecclesiam, ad Annum usque MDXCVIII. doctrinam Evangelii exposuerunt, ordine referuntur sequentes: Hieronymus Turrianus Cremonensis, Antonius Boccafogo, Jo. Beccaria Locarnensis exsul, Armenius Neapolitanus, Natalis Vicentinus qui ibi etiam fato functus est, Jo. la Marra, et Jo. Bapt. Carmelitanus, ibidem extremum diem clausit.

Quod

Quod autem piorum Exsulum opera tantos non fecerit in Valle Tellina, Clavennaeque Comitatu, progressus, quantos in Praegallia edidit, non socordiae ipsorum adtribuendum est; sed partim tenebris quae erant in oris illis plusquam cimmeriae, partim vero obstaculis quae bonis viris in cumulum objecta fuerunt. Certe Romanam Curiam pessime habuit quod exsules illi adhuc cis montes asylum, subterfugiumque repererint, atque ad Italiae portas stantes de istis jugis haereseos ultramontanae semina in suum sanctuarium immittant. Hinc ad prima initia omnia media ceu ad restinguendum incendium, a Papae creaturis adhibita sunt, metuentes scilicet ne de his scintilis concepto igne integra Italia conflagraret. Igitur quam primum a Comitiis Anni MDXLIV. declarata fuit libertas, etiam in Valle Tellina, Clavennaeque Comitatu retinendi alendique privatos Ludimagistros et concessa exsulibus ob Evangelium libera in Raetorum terris habitatio, statim Clerus totus commotus est. Hi quum non haberent quod priori Diplomatis articulo opponerent, vel potius non auderent, clamare coeperunt in posterius ejus membrum, intonantes non esse nec de decore Reipublicae Raetorum, ut in suis terris sedem reperiant homines advenae, de quorum fide vitaque non constet certitudo, qui denique a Christianis aliis Principibus e ditionibus suis pulsi sint. Legem allegabant fundamentalem per quam omni bandito, (hoc termino usitate etiam ab illis infamabantur pii exsules) extero Raetorum esset negatum solum et auxilium; contendebant proinde ut in istos, itidem a Principibus, Magistratibusque suis legitimis fugitivos, haud secus ac banditos alios perduellesve aut criminum aliorum reos ad legum tenorem animadverteretur. i) Erant hae voces in omnium ore; quae tamen non effecere ut supremus Raetorum Senatus suum quod semel stabiliverat Decretum revocaret: itaque a suo in Valle Tellina Magistratu

i) Celsus Martinengus ad Bull. Curia prid. Kal. Sept. 1551. —— A vobis discedens recta Curiam veni. Circa Comitia: nec publica, nec privata hic acta sunt ob discordiam Foederis superioris. Asperrimum iter fuerit licet, veni, et inveni ipsos discordantes. Homines differunt, et proh dolor! cum homicidis et ob sua scelera exsulibus tuta et libera habitatio non sit, sic et nos qui exsulamus, prorsus ejectos et profligatos volunt. —— Ego fortasse in tribus Foederibus non potero manere: adeo Sathanas adversum me furit etc.

ſtratu cuſam voluerunt legem ab omnibus Communitatibus in Valle-Tellina obſervandam, cujus tenore nulli exſuli concionatorive Evangelico ulterior quam per tres dies mora in Valle Tellina permittebatur. Ejus vero exſecutionem ea rabie a Raetorum Repraeſentante poſtulabant ut detractare huic tutum minime eſſet; nam convitiorum etiam plauſtra in miſeros exſules vel ideo congerebantur, ut omnibus certum eſſet, exſulibus ſtare paratam in Valle Tellina internecionem. k) Eo furore fracti plures egregii viri, qui ſedem apud Raetos in illis terris ſibi deſignaverant, conſilium mutarunt, et in Helvetiam, aliorſumque exceſſerunt; quos inter fuere CELSUS et MAXIMILIHNUS MARTINENGI Viri illuſtres et eruditi. Tentaverunt hi Anno 1555. impetrare abrogationem legis contra fideles adeo injuriae: Sed obtinere non potuerunt; quotquot enim Romanenſes ad Comitia ſe contulerant, Senatores,

k) Idem Eid. Tiranno d. 5. Octobr. 1551. Certum te facio me decretum illorum exſpectaſſe. Tandem multis Strophis ac technis ab adverſariis contra Chriſtum et ejus Eccleſiam factis ac ſtrictis maxime ab illis qui a partibus noſtris ſtare debebant, imo et antehac ſemper ſteterunt. Exiit edictum ab illo Magiſtratu ibi congregato, ut quoddam Decretum alias factum: ne aliquis concionator aut Ludimagiſter non poſſet amplius quam tres dies in Vallo Tellina morari, obſervaretur. Interim usque ad Dietam proximam quid fiet, dicis, cum nobis, qui nec concionatores publici, nec Ludimagiſtri ſumus? Decreverunt ut hoc ſit in facultate Communitatum, ut ajunt, ut in quam Sententiam diſceſſerit major pars, ea obtineat, ac ab omnibus ſervetur. Praetermitto calumnias falſiſſimas, quas in meam perſonam particulariter confinxerunt, vel vero ut voti ſui facilius compotes fierent. Quid faceres? Homines reprobi, ac in ſemet ipſis, ut ait Paullus, jam damnati. Ut ad rem redeam. Veni Tiranum, vere juxta Etymologiam: Nuspiam major rabies adverſus Evangelium eſt conſpecta. Edictum Praetori (ut dicunt) praeſentant: fit concilium ab omnibus civibus. Nec unus ſolus pro Evangelio: omnes conclamant ad internecionem noſtram. Praetor qui jam per multos annos Chriſto nomen dederat (eo anno erat Tirani Praetor Antonius Planta Peſclavienſis) omnia confirmat, ac ſua auctoritate imo et ſigillo corroborat. Si autem quaeras unde tanta hominis immutatio procedat: Alii dicunt pecunia corruptum fuiſſe: Alii ut Epiſcopo Curienſi faciat ſatis, ejus nam eſt affinis ac cognatus. Aves ſcire rei eventum? Praetor jam et pecuniae et Epiſcopi mancipium ejecit hos optimos ac praeſtantiſſimos viros ac feminas, qui meis litteris ad Te veniunt — quos TIBI commendo. Tendunt ad D. Calvinum, ut ibi habitent. — Ego cum meo ſodali relictus ſum ſolus, et quaerunt etiam animam meam. De me quid fiet neſcio: nondum mihi declaravit Dominus, quo ejus ſapientiſſima voluntas propendeat: hanc quantocyus mihi affulſerit ſequar.

res, exsulibus propitii non erant: praeterea ob litem de sedis praerogativa, quae inter Gryfaeum et Cathedrale Foedera agebatur eo Anno sessio nulla habita fuit. Igitur e Raetia discesserunt, substiteruntque Genevae; ubi MAXIMILIANUS coetui qui tunc temporis in ea urbe colligebatur italico, per plures annos fideliter praefuit. Ad repagulum istud admovebantur a Clero arietes omnis generis, ut nempe immunis ab haeresi conservaretur Italia. Solebant omni tempore in Vallem, Comitatusque exteri quidam Monachi immitti, qui effreni lingua in Evangelicos ceu haereticorum pestilentissimos, debachantes, populorum animos odio et furore speciatim implebant adversum exsules, inter eos commorantes. Agebatur haec tragoedia, Scenave cum primis per hebdomadas quadragesimales, quo tempore exterorum Monachorum, simul et calumniantium adque rebellionem in legitimos Dominos intendentium omnia plena erant. Inter adventitios illos plerumque a Comensi Episcopo immissos circumvolitabant etiam Capucini de novo ordine pulli, qui per flagellationes, et austerae vitae speciem superstitioforum oculos et animos alliciebant. Quae denique per apertam vim piis exsulibus identidem fuerint intentata nunc praetereo, opportuniori loco recensenda. Ex istis vero persuademur primos in illis terris Evangelicae doctrinae possessores, non a spe commodorum, non a subitanea populi, primariorumve, ut alibi evenit, conversione, ad Protestantium coetum actos fuisse, sed a solo Spirituali semine progenitos et formatos fuisse; quorum sub intemperanti persequentium rabie, numerus oppido semper exiguus esse solet.

Nec tamen intemperantes adeo procellae piis Raetiae Ministris animum dejecerant, quominus cogitationes resumerent, piis fratribus exsulibus succurrendi, simulque subditos populos divinae veritatis cognitione beandi. Ut ergo rabies illa Romanensium compescetur, Anno MDL. statuerunt communi prece ipsum Raetorum amplissimum Senatum pro Comitiis congregatum adire, cogitataque ad publicam mutuamque pacem, Reipublicae utilitatem, et Evangelii Jesu Christi augmentum tendentia libere communicare. Consulebant autem illi, ut Illustrissimi Proceres puri Divini verbi annunciationem et lectionem liberam et licitam faciant, quo sic superstitio ignorantiaque imminuatur, et grassantia scelera cohibeantur; ut item Capucinis, caeterisque

Monachis seu flagellantibus, seu concionantibus et quadragesimali maxime tempore omnia furore replentibus, ut, inquam, periculosis et indoctis illis hominibus dominio Raetorum interdicatur, inque eorum locum pii alii docti, et ex ipsa Raetia orti viri Ecclesiis praeficiantur, quo sic fideles semper et obedientes magis experiantur populos; ut Comensi Episcopo Jurisdictionem Spiritualem in Valle et Clavenna exercenti sub ejusque praetextu multa alia molienti, ejusmodi potestatem denegent; ne subditi ejus exactionibus aere compilentur; ut denique singulis *Terzieris* de idoneo aliquo Ludimagistro providerent, qui juventam humanioribus et piis litteris imbuat; quo timoris divinae et sanae cognitionis semina omnium mentibus instillentur. Perlectum hoc Ministrorum consilium fuit in pleno comitiorum consessu Anno MDL. Ilantii congregato; variasque (ut evenire solet) expertum est crises. Prudentiorum judicium erat: optandum fore ut Ministrorum consilium executioni dari posset: Sed rem esse discriminis plenissimam uno impetu tot inolitorum abusuum abrogationem intimare, novasque consuetudines licet ad omnium salutem vergentes reclamantibus, et collum obvertentibus obtrudere. Tracta interea fuit Ministrorum propositio in privatorum quoque qui publicae rei gubernandae invigilabant deliberationes; iveruntque *plerorum* Suffragia in eam sententiam, quae libertatem utriusque religionis etiam apud subditos promulgandam adferebat, et honestis piisque hominibus religionis causa exsulibus in sua ditione liberam habitationem moramque concedebat. Approbata igitur plurium calculis Sententia in Diploma relata est, quod solemni Sigillo munitum extradatum est Davosii die prima Novembr. MDLII. *) Atque hocce Superiorum

*) *VVir gmeiner III. Pündten Räth und Gesandten auf Davas auf einem gmeinen Bundstag zetagen bey einander versamlet, bekennen und thun kund offentlich allermänniglich mit diesem von uns ausgangnen und gegebenen Abscheid demnach und vvir zum dickern mal von etvvelchen unsern Underthanen des Land: Veltlins angesucht, dass vvir Ihnen vergönnen vvollend vvoforder Personen in dem Land Veltlin ein gelehrten Predicanten, und Schulmeister in Ihre eigne Hauser, und auf Ihre eigene Kostungen bestellen, und erhalten vvollend, das Sie solcher Thun möglich unnachtheilig den Abscheiden vormals von gemeinen dreyen Bünten ausgangen, vvas in einer jeden Gemeind dass mehr vverde, ein Mess-Priester, oder Predicanten zu halten, dass er bey denselben bleiben solle; und so vvir diesen Artickel auf alle Gemeinden der drey Bünten*

rum jussu mox promulgarunt RUDOLPHUS a SALICE, et JOHANNES GULERUS, ille in Valle Tellina tunc Gubernator, hic Vicarius, strenui

ten haben aufschreiben lassen, laut und Inhalt unserer gegebenen Abscheid auf letst gehaltenen Bundts-Tag zu Ilans ausgangen, und jezt auf diesem gegenvvertigen Tag ein jeder Bott von seiner Gemeind vollmächtigen Gewvält und Befelch braucht, auch jeder Bundt deshalb sich des sonderbar darüber berathschlaget hat, haben vvir uns nach dem mehren diser Antvvort und Bescheid entschlossen.

Anfanglich so haben vvir nachgeben, und bevvilliget, dass hinfürohin sonder Personen im Veltlin gelehrte Predicanten und Schulmeister in Ihre eigene Häuser, und in eignen Kostung anstellen und erhalten mögen, doch dergestalt, dass sich dieselbigen in allvvegen geschicht ehrlich und vvohl halten sollen, niemand vveder mit Worten noch Werken beleidige, vvo das beschecha, sollen die Amptleüth dieselben straffen nach Jedes verdienen und gestalt der Sachen; auch ist beschlossen dass ein jeder Predicant oder Schulmeister schuldig seye vor und eher angenommen vverd im Land Veltlin zu vertrösten, und Bürgschafft zu geben, diese Ordnung zu halten, nemlich vor gemeinen Capitel und Synodo der Predicanten aller dreyer Bündten zu erscheinen, sich anzeigen examinieren, und erfahren lassen seine Lehr, Wesens, und Lebens, und vvann der von gemeinem Synodo angenommen admitiert, und approbiert wird, soll er alsdann im Veltlin mögen bleiben, dass Evangelium als obstath in besonder Personen Häusern lehren, von mäinglichen unverhindert, weiter sollen auch bemelte Predicanten und Schulmeister sich jährlich wenn die gemeine Versamlung der Predicanten Zusammenkunfft, vvohin dass vväre, in gemeiner 3er Bündten, oder in Ihrer Underthanen Landen zu presentieren schuldig sein; ihrer Lehr, und Lebens Rechenschaft zu geben, sich der Censur, und Urthel derselben Versammlung undervverffen, und vvas allda zu halten angenommen würd treülichen nachkommen, und darwider nicht thun; noch helffen vverden. Wo aber einer oder mehr betretten vvurden, die vvider diese unsere jetz gegebene Ordnung im Landt Veltlin vvohneten, besondere un Christliche, verdammte Lehre predigten, argvvöhnig, und bös leben, und VVandel führeten, die sollen alsdann von Stund an durch die Oberkeit aus dem Land vervviesen werden, und die gestrafft vverden nach Erkantnus des Amtmanns so ihnen Herberg, Essen und Trinken auch Aufenthalt gegeben hatten; und damit unser Underthanen im Veltlin dieser unser Ordnung vollkommen Bericht und wussen tragen, haben wir diese Ordnung mit unser lieben Bundtsgnossen von den zechen Gerichten eigen ausgetruckten Insigel am End dies Abschiedts bevestnen lassen.

Der geben ist auf Davos am 1. Tag Novembr. 1552.

(*Locus Sigilli in Cera Viridi.*) *Wolfgangus Saletus Cancell.*

ambo Viri. 1) Sic tandem bona aegre causa vicit: Et hocce demum Diploma est, quod Evangelio portam et liberum cursum aperuit. Coronidis loco, ipsum Ministrorum ad Raetorum Comitia consilium huic capiti adteximus, quod praetervehatur quem legere piget.

Clarissimo ac integerrimo totius Rhaetiae Senatui in Ilantz in publicis Comitiis nunc congregato, Divini verbi concionatores in eadem gratiam et pacem optant dari a Deo Patre nostro, et Domino nostro Jesu Christo.

Cum deceat ac par sit unumquemque suae vocationis et officii rationem habere, Praestantissimi Senatores, ac patres Patriae integerrimi; idcirco quo et nos spartam, quam Dei beneficio sumus adepti, juxta tritum sermone proverbium, adornemus, haud praeter decorum, imo necessarium ac maxime operae pretium visum fuit in presentiarum coram Dominationibus Vestris comparere, ac sequentem oratiunculam non quidem elaboratam vel ad humanarum administrationem rerum tendentem, sed piam ac solius Dei, ac Domini nostri JESU CHRISTI gloriam suadentem habere. Itaque praefatas Dominationes vestras iterum atque iterum quamquam humillime rogamus et obsecramus hunc nostrum Sermonem et pium conatum grato ac benigno animo suscipiant; adtribuentes utique hujus nostri ad eas accessus causam, non aliae cuiquam rei, quam obligationis vinculo, quo erga patriam nostram, ejusque subditos, magis vero erga Deum Patrem et Dn. nostrum Jesum Christum divicti et obligati sumus. Cui nostrae, inquam, obligationi, in quantum per nos juxta donum nobis coelitus datum liceat; omnino decrevimus correspondere. Sed ne prooemio plus aequo longiori utamur, rem de qua dicturi sumus pertingamus.

Haud itaque clam vobis est, praestantissimi Domini, nos Sacri Evangelii professores in regionibus nostris quotannis, ex auctoritate nobis coelitus et a Domm. VV. tradita binas celebrare Synodos, in quibus haec unica pertractamus, ac prae oculis habemus, primum quidem quod concernit honorem ac gloriam Christi Salvatoris nostri; dehinc

1) Vid. et Sprech. Chron. Lib. V. pag. 206.

hinc ut et per nos (in quantum per officium aut Ministerium ad quod vocati sumus, liceat) unioni, paci, et status Reip. Vestrae quieti ac tranquillitati perpetuae, quamque et unice promotam, ac ad felicitatis culmen provectam desideramus, consulatur. Quod sane propositum nostrum hinc ortum esse, nemo dubitet, qui, prout supra dictum est, agnoscamus nos operarios quidem esse summi ac optimi Dei ad evangelizandum JEsum Christum Salvatorem nostrum, et insuper etiam famulos Vestrarum Dominationum, ac observandarum Communitatum passim in tota Rhetia existentium, quibus ut Superioribus nobis a Deo datis nos secundum carnem obedire decet ac inservire. Consequenter etiam eodem obligationis vinculo erga inclytarum Regionum Vestrarum subditos, ut sunt Vallistellinenses, Thellienses, Burmenses, Clavennenses, aliosque qui vestris parent mandatis, obstringi nos arbitrabimur. Pro quibus et vestrae Domm. multo magis tanquam eorum superiores, Domini ac Patroni, non solum circa rerum administrationem mundanarum, sed etiam atque intentius circa ea quae salutem animarum concernunt merito providere, ipsisque subvenire tenentur. Et adeo quidem, ut non minus vos ipsi, si subditorum salutem neglexeritis, a summo Deo culpandi, puniendique veniatis, quam subditi si debitam vobis obedientiam denegarent; idque verissimum esse, variis e sacra scriptura sumtis exemplis probari posset. Ideo enim Deus, singulis populis, nationibus, ac provinciis, qui praeessent, elegit, ut simplicioribus subditis, quique suapte se se judicio regere, ac ad normam piae, laudabilis, ac integrae vitae se redigere nequirent, per eos, qui rerum summis potirentur, perfecte, sanctissimeque horumque ad vitam, cum mundanam, tum magis Spiritualem rite degendam conducerent imbuerentur, ac ad unguem edocerentur. Quarum consideratione rerum, procul dubio Vestrae Dom. in proxime praeteritis Comitiis Churiae habitis commotae sunt prudentissimorum electione Virorum qui reformandorum Vallis Tellinae statutorum provinciam subirent, inopis populi indemnitati praevenire, ac consulere. Quod nimirum fuit peropportunum ac commodissimum consilium, quandoquidem iidem electi Commissarii opus sibi injunctum felicissime et sapientissime absolverunt. *)

Caete-

*) Statututorum Vallis Tellinae revisio ac reformatio jussu Excels. III. Foed. commissa fuit Georgio Traverso, et Jacobo Cattaneo J. V. D. feliciterque peracta. Anno 1549.

Caeterum cum non minori cura, induſtriaque, imo tanto majori, inquam, ſedulitate, quanto praeſtat anima corpori, ſinguli Magiſtratus et Superiores, magis rerum ſpiritualium ac animarum ſalutem concernentium, quam mundanarum rationem habere teneantur, idcirco praefatae V. Dom. ut non minus circa adminiſtrationem ſpiritualis Politiae quam circa regimen ſecularis Reipubl. nusquam non bono, commodo, utilitati totius Rhetiae ac Saluti ſuorum ſubditorum magis vero Chriſti Salvatoris gloriae praeſto adeſſent, Nobis verbi divini concionatoribus in Rhetia veſtra authoritatem dedere ejus incolas in fide catholica inſtruendi, edocendique. At ſi eodem officio noſtro ſedulo fungi velimus adeo ut reprehenſione careamus, opportune ſane et maxime neceſſarium viſum fuit, V. Dom. humillimo ac piiſſimo animo (prout decet Evangelii Miniſtros) admonere, ut praememoratis Vallistellinenſibus, caeterisque ſubditis veſtris, fidelibus iisque in ſacra Theologia apprime verſatis concionatoribus provideant, ut ſcilicet eorum ſpiritualis Politia magis regulata, ac Chriſti Salvatoris Evangelio conformior efficiatur.

Porro modus hujus ſpiritualis Politiae reformandae, haud conſimilis eſt ſecularis Politiae ordinandae. Non enim humanis traditionibus et ſtatutis opus eſt, quemadmodum in Secularibus, cum ipſe omnium rerum opifex, quae ſuam gloriam ac noſtram ſalutem pertingant, abunde ſtatuerit quibus ſummis interminationibus et minis inhibuit, neminem quidquam adjungere aut adimere debere. Nam qui Deum honorant ac inſerviunt cultu per ſemetipſos excogitato, tantum abeſt ut Deo placeant, ut etiam ejus iram mordicus in ſe concitent. Eoque ſingulo Magiſtratu Chriſtiano maxime cavendum ne leges, ſtatuta, aut traditiones aliquas ſubditis, ex ſuo decreto praeſcribant, quibus Deo inſerviatur. Siquidem hujusmodi propriis excogitationibus infeſtiſſimi Dei hoſtes Nabuchodonoſor, Herodes, aliorumque quamplurimi Deum ſumme offenderunt, quorum etiam praepoſteri conatus eo usque proceſſerunt, ut ſe ſe tanquam Deos et paſſi ſint, et praeceperint adorari. Sed enim vero populo vere Chriſtiano debent praecepta et ordinationes Dei una cum expoſitione ſacroſancti Chriſti Salvatoris Evangelii proponi. Nam haec unice et incorrupte Dominus Deus noſter (ut in quibus eſt perfectio, et plenitudo omnis

omnis veritatis et justitiae Dei) omnibus creaturis sedulo praescribi et inculcari praecepit, idque fecerunt omnes sancti Magistratus et Superiores, qui totis viribus enixi sunt Subditos suos ad aeterni Dei cognitionem ac Evangelii gratiam capessendam inducere, ac alias pie regere. Quorum hercle plurima, eaque maxime insignia exempla adduci possent, sed quae tamen ut relatu minime necessaria, eo quia V. Dom. horum gnarae sint in praesenti, omittuntur. Unicum tamen hoc ex ipsis admonemur plurimum quidem referre, atque adeo in hoc uno rerum summam cardine versari, ut populo Christiano verbum Dei incontaminate, perfecteque praedicetur. Quandoquidem hoc pro confesso est, nedum regiones, provincias, Communitatesve, sed ne hominum quidem unicum, absque verbi Dei cognitione, pie, christiane, ac ut Deo placat, vivere posse. Depulsa etenim luce offunduntur tenebrae, quae nullo, inquam, alio, quam verbi Dei, quod in utroque Testamento edocemur, sincera praedicatione tolli ac summoveri queunt.

At vero quod tantae superstitiones ac impii errores in hisce Vallistellinensium, Clavennensiumque Vallibus exstant, nulli aut mediocris judicii et pietatis viro dubium est, quin hinc proveniant quod hactenus plus satis frigide, longeque negligentius quam decuisset, de verbo Dei ac sacro sancto Evangelio praedicatum sit. Quomodo autem Deum agnoscent, ut clamat Apostolus, cujus Sermonem non audiunt? Quomodo rursus audient, si praedicatores non habeant? Non enim temere Scriptura dicit: O quam specioſi pedes Evangelizantium pacem! Mera itaque solaque sancti Evangelii praedicatione et non alio quoquam modo, tam simplicis ac inopis populi (ut qui prout palam dicitur partim non novit orare, nec quid credat pro comperto habet) superstitionibus erroribusque mederi potest. Certe hoc unico remedio et pharmaco poterunt vestrorum ditiones subditorum a veneficarum, incantatricum, strigarum, Medeaeque consimilium hominum suspicione purgari. Quorum quidem cum genere hominum praeteritis temporibus vestris Officialibus tantum accrevit laboris ac negotii, ut dum sedulo tales homines e medio tollere ac exstirpare curaverint, citius labori succubuisse quam conatus adimpleviſſe, adeoque nihilo plus egisse visi sint, quam si caput hydrae amputassent, eoque ab in-

coepto veluti morbo incurabili deſtiterint. Et ſane prudentiſſime. Non enim humanis viribus, Decretisque, nec ſeveriori aliqua cenſura, punitioneve, tam impiae ſuperſtitiones deleri, ſed ſola divini verbi praedicatione mitigari, evelli, ac funditus eradicari queunt. Si vero unicum hoc et praeſentiſſimum pharmacum non adhibeatur, exſpectandum porro nihil eſt quam ut impii in ſua pereant impietate. Sed enim cui horum interitum Deus imputabit, et a quo Sanguinem eorum requiret, Veſtrum erit judicare.

I. Caeterum cum ad ſuperius enarrata, multa adhuc alia exſtent, quorum haud fuerit praeter decorum Veſtras Domm. admoneri, tamen his ad aliud tempus, quo ſcilicet eae Rerum publicarum agitatione minus detineantur, reſervatis, unius duntaxat aut alterius abuſus eas certiores reddere viſum eſt perquam neceſſarium. Nec enim horum absque Chriſti gloriae et ſubditorum veſtrorum jactura, nec etiam ſine diſpendio publicae utilitatis Veſtrae obticeri poteſt. Horum itaque abuſuum primus eſt Caputzinorum, diſciplinaliumque (ut vocant) Monachorum Sectae, ac horrendae haereſis ac abominabilis ſuperſtitionis excogitatio. Cui quidem peſtifero malo tanquam Evangelio et gratiae Chriſti Salvatoris refraganti, renitentique parem per providam prudentiam veſtram occurri, et adeo ne in pejus ſerpat mederi. Illi ſiquidem jam dicti Caputzini ac Diſciplinantes ſtatutis diebus ſeſe flagellantes ac quibusdam aliis exercitationibus, eorumque proprio judicio, contraque omnis ſacrae Scripturae ſeriem, excogitatis ſeſe comminuentes, flagella Chriſti, et ut paucis abſolvamus, totam ejus ſanctiſſimam paſſionem vituperant obfuſcant, ac ejus gloriae ſumme detrahunt, ſibimet ſalutem animarum ſuarum attribuentes, eo ſcil. quod ipſimet pro peccatis ſuis paſſi ſint vel indies patiantur. Contrarium autem in Evangelio docemur. Nempe unicam Chriſti paſſionem abundantiſſimam credentibus fore ad Salutem, nec in quoquam niſi in Chriſto ſolo gloriandum; ipſe ſolus eſt juſtitia et ſanctificatio noſtra. Scriptura etiam palam teſtatur maledictos fore qui brachium ſuum ponant in homine, aut propriis confidunt meritis. Ideoque uni Chriſto fidendum, eique ſoli gratiae agendae, per quem ſalvati, cujusque cruore ſanati ſumus: et non excogitandae ullae paſſionum rationes, quibus per nosmet ipſos juſtificari velimus. Repugnat enim hoc Evangelio,

lio, (quod dicitur) e diametro. At cum adversitatum procellis nobis a summo Deo immissis opprimimur, sunt illae utique constanti patientique animo ferendae propter Christum, qui et ipse languores nostros et infirmitates in ligno crucis patientissime tulit, eaque illa crux est, quam et ipsi ferre jubemur. Quare praestantissimi Domini, ut ob pietatem qua et erga Deum et erga patriam vestrosque subditos devincti estis, tenemini tam impio errori occurrere, vestrisque Officialibus mandare quatenus sedulam navent operam in delendis his ac similibus superstitionibus. Quod si fiet, haud fuerit dubium quin commissa (ut credimus) strenue ac impigre exsequantur. Displicent enim et ipsis haec enormia facinora, licet nullus in his corrigendis manum admoveat. Ancipites enim haerent, an si hanc subiverint provinciam, vobis omnibus ex aequo placeant, quandoquidem ipsis, ut circa Spiritualia quidquam statuant, a vobis nulla peculiaris commissio sit hactenus data. Vellent autem vobis omnibus ex aequo placere, nec quenquam Superiorum suorum offendere, indeque a talium dispositione, correctioneque rerum abstinent. Verum Integerrimi Domini quid hoc aliud est quam oleum camino adjungere, ac malum adaugere? Siquidem cum videant praefati Caputzini et Disciplinantes non solum impune sed et cum astantium applausu impiam comoediam ac Christi Evangelio renitentem se se peragere, indeque igitur incoepto sedulius instantes famam sibi indies celebriorem parare, ac alios symplices seducere. Itaque vestra ac vestrorum Officialium indulgentia aliud nihil effeceritis, quam si quis insanienti gladium quo se se propediem esset confossurus subministraret, nec malum, etiamsi optime posset, impediret. Atqui sacra Scriptura palam attestatur, non eos duntaxat qui peccaverint, sed et qui peccatoribus assenserint puniendos fore. Vestrum itaque erit Viri Ornatissimi non negligentia haec praeterire, sed hisce, inquam, malis, maturis consiliis ac prudentibus decretis praevenire; quandoquidem concernunt haec Christi gloriam ac Fidelium salutem.

II. Alter autem abusus, cujus Vestras Dom. admonendas operae pretium fore credidimus, hic est. Nempe qui hactenus Episcopo Comensi dominandi authoritatem vobis coelitus datam in Spiritualibus negotiis, haud mediocri Subditorum Vestrorum jactura, admisistis; cu-

jus jacturae tamen ne vestra quidem Rhaetia fuit inexpers. Is siquidem, ut sub spiritualium praetextu rerum totus huic operi fuit intentus, ut inopem plebem aere compilaret instar aliorum mundanae factionis tyrannorum, ita etiam opportune quidem, nedum ipse solus, sed et multi alii per Monachos, qui quadragesimali tempore quotannis ad praedicandum in Vallem Tellinam et Clavennam mittebantur, arcana ac secreta consilia vestra, tum etiam subditorum vestrorum voluntates experiri, ac ad amussim elicere, enucleareque potuerunt. Constat enim quae et quanta Castellanus Mussiensis capitalis ille hostis vester per hujusmodi Monachos et errones in detrimentum vestrum sit machinatus, et ad quae eorum proditionibus pericula vos tandem deduxerit, ex quo non nulli horum deprehensi, vita privati sunt, reliqui vero fuga et exsilio sibi salutem quaesiverunt. Non etiam abs re ultimi Commissarii a vobis ad syndicandum in Vallem Tellinam missi, sed bono ac commodo Vallis Clavennae consulentes Monachum itidem ante annum eo ab Episcopo Comensi ad concionandum missum e dominio subditorum vestrorum quam ocyssime recedere et exsulare jusserunt. Usque adeo rarissime hactenus vel belli aut pacis temporibus unquam reperti sunt aliqui talium erronum, qui quae ad salutem et tranquillitatem regionum vestrarum conducerent, populo proponerent. Quae si vos parum moveant, at hoc saltem prudentissimi viri vos expergefaciat, commoveatque, quod instar sacrosancti Evangelii ad plurimum nugae, frivolaeque fabulae non absque ingenti animarum detrimento ab hujusmodi Monachis praedicari solent, hercle quam longissime a Christiano Ministerio deviantes. Quibus sane consideratis, nihil fuerit utilius, consultiusve quam tam periculosis indoctisque erronibus dominio vestro interdicere, inque eorum locum alios, pios quidem doctos ac ex Rhetia vestra oriundos viros substituere, qui subditos vestros vicatim sacrosancti Evangelii praedicationem docerent, et ad vitam pietate ac sanctimonia insignem deducerent. Itaque brevi magnum verae Christianae religionis incrementum facillimum foret conspicere.

III. Ad praedicta autem omnia, unum adhuc est reliquum quod vobis insinuemus; nempe Subditis vestris fructuosissimum fore, si ex decreto

decreto vestro singulis Tertieriis provideatur de idoneo ac singularis eruditionis viro qui Ludimagistri officio fungatur. Dictu enim mirum fuerit, quam hoc instituto succrescenti juventuti ac futurae posteritati consuleretur. Ita enim e mentibus eorum omnes superstitionum ac impiorum errorum scintillae abolerentur. Nec aliis hercle institutis veteres ac sancti illi Magistratus, quorum in sacro Bibliorum opere celeberrima fit mentio, populum Dei sibi concreditum instituere ac rexere: e diverso autem omnes illi, qui idololatriam, caeterasque abominabiles sectas promotas cupivere, praedicationem Verbi Dei interdixerunt, ac scholas omnes everterunt; scilicet ne senibus aditus pateret ad Evangelium per praedicationem, neque juniores per Ludimagistrorum indefessum laborem, ac piam verae eruditionis infusionem sanctis praeceptis imbuerentur, itaque Christiana ac vera Orthodoxae fidei norma aboleretur. Hunc etenim vivendi ordinem a primis statim suis exordiis observarunt et etiamnum observant Turcae; cum apud omnes Christianos, quibus dominantur, nec sacrarum usum concionum, nec aliqua etiam ludorum litterariorum exercitia admittant. Quapropter praestantissimi Domini ac Patriae Patres Integerrimi Vestras Dominationes iterum atque iterum, maxime vero propter Christi gloriae incrementum, rogatas atque obsecratas esse volumus, ut contenta in hac frugali tenuique nostra oratione bono benignoque animo ac corde suscipiant, nec minori sedulitate prudentiaque suorum subditorum necessitati, imo praesentaneo, exitiabilique malo occurrant, quam nos tanquam Ministri sacri Evangelii, bono Zelo, ob amorem patriae, Subditorum salutem, maxime vero ob Christi Salvatoris gloriam singula haec proposuimus. Quorum hercle absque Evangelii, quod profitemur, offensione, ac multarum jactura animarum obticere minime potuissemus. Itaque non quae nostra, sed quae summi Dei sunt et proximorum quaerimus. Postremo autem hoc est reliquum, integerrimi ac observandissimi Patres Rhetiae, ut Deum optimum maximum instantissimis precibus oremus, ut pro solita ac ineffabili ejus in humanum genus misericordia, et per unigenitum ejus filium Dominum nostrum Jesum Christum, corda vestra Spiritus sancti gratia illustrare dignetur, ut omnes nostrae actiones et meditationes, omniaque ac singula, quae agetis ac statuetis, ad aeterni Dei patris ac Christi Salvatoris nostri lau-

dem et gloriam, Patriae noſtrae, ac veſtrorum Subditorum ſalutem cedant. Amen.

Iidem Veſtris Dominationibus

deditiſſimi ac obedientiſſimi
Concionatores ac Miniſtri ſancti Evangelii
CHRISTI in Rhaetia Veſtra.

CAP. III.

A. 1544 — 1548.

Adventantium Italorum aliqui fovent et ſpargunt opiniones varii generis, maxime ad Photinianiſmum inclinantes. Franciſcus Calaber eo doctrinae genere imbuit Eccleſiam Vettonienſem, et Hieronymus quidam Mediolanenſis Lavinienſem. Ea ſuper oritur contentio tam inter Miniſtros quam in vulgus: indicitur que ad cauſae ventilationem SUSAE ſolennis Diſputatio; in qua ſuccumbit Franciſcus, atque ex ditione TRIUM FOEDERUM relegatur. Poſt ipſum TITIANUS quoque Curiae in vincula conjicitur, et peracta palinodia relegatur; inflicta pluribus ejus farinae ſociis eadem poena.

Utcunque vero plurimi ex Italia advenarum per eximiam qua valebant eruditionem, Zelum ac pietatem, praeclaram Evangelio in Raeticis Eccleſiis operam navaverint; non tamen omnes ejusdem generis erant: Sed nonnulli quoque exſtitere qui ſubtiles quasdam et a recepta docendi forma multum differentes opiniones pectore fovebant,

bant, et aliis easdem insinuare satagebant; generaliori nomenclatione SERVETI fere discipuli dicebantur aut habebantur. Prodiderat namque Servetus super varia puncta alienam mentem a recepta Ecclesiae doctrina statim sub ipsa Reformationis initia, quod vel ex ejus ad Oecolampadium litteris liquet; a) et quos de erroribus Trinitatis Libros VII. Hagenoae jam A. 1531. ediderat, quando in Italorum manus devenerunt, multos in eandem sententiam pertraxerunt. Anno certe MDXXXIX. PHIL. MELANCHTON litteris expressis ad Senatum Venetum exaratis, illum monere consultum judicavit, ut sibi ab ejus farinae hominibus caverent, salvamque, dum adhuc tempus esset, servarent Rempublicam, non vaga enim fama dicebatur supra XL. in eorum urbe, agrove numerari qui veneno illo infecti essent, viros nempe praenobiles et acumine ingenii eximios. b) Post quod monitum num majorem adtentionem adhibuerint Veneti, haud habeo dicere: alibi tamen reperio duos hujus commatis homines JULIUM nempe TREVISANUM, et FRANCISCUM de RUEGO Anno 1546. Venetiis, aquis submersos fuisse, quos proinde Unitarii inter suos Martyres jure numerant. c) Interea etiam inter exsules illos qui aut apud Raetos confederant, aut in Helvetiam excurrerant, non pauci erant in Serveti placita inclinantes, viri sane ingenio, et eruditione summi, etiam a vitae innocentia commendati, interque tales numerantur BERNHARDINUS OCHINUS, CAMILLUS RENATUS, CELSUS MARTINENGUS, COELIUS SEC. CURIO, LELIUS SOCINUS, FRANCISCUS CALABER, et quod mirere, ipse PETRUS PAULLUS VERGERIUS, ut obscuriorum nomina praeteream. Non tamen calcabant omnes eandem viam, sed alii plura, alii pauciora capita tenebant in quibus a communi doctrina discedebant: usitato tamen nomine vulgo ANABAPTISTAE dicebantur, inde sine dubio derivata nomenclatione, quod istorum quoque dogma inter sua admitterent. Erant caeterum multo majoris ponderis et subtilioris indaginis, quae homines isti

a) Vid. ad. Servetum Eploocol. inter Ep. Oecol. et Zvingl. fol. 1. conf. Ott. Annal. Anabapt. p. 116. et Cl. Fuesl. in Centur. Epi.

b) Melanchton. Epist. Tom. I. pag. 100. Sq. et in Consil. et Resp. P. I. p. 336.

c) Andr. Wissovat. apud Sand. Append. nucl. Histor. Eccl. pag. 86.

isti afferebant. Etenim omnium primo hi Sacrosanctae Trinitatis dogma trahebant in censuram, ajentes eam doctrinam quali modo soleat exponi, secum stare non posse, ut quum concipi nequeat abstrusum sibi adeo contrarium atque contradictorium. Tum vero de Statu animae post mortem curiosi, animę immortalitatem aperte fateri renuebant, ajentes pro certo asseri non posse, an anima suas functiones post mortem quoque continuet, vel an somno quasi consopita, ad diem usque judicii stupeat. Praedestinationem particularem hi concoquere non poterant, sed inculcabant eos solum ultimo Dei judicio peremtorio damnari qui negligentia aut inobedientia justas poenas commeriti essent. Circa redemtionem hominum, credebant nos salvatos esse non tam morte Christi, quam gratia Dei Patris, atque phrases meriti, ac Sanguinis Christi quae tantopore ingeminarentur, debere sano sensu explicari, nisi talem Deo liberationem adscribere velimus, quae a nullo sano ac justo admitti possit. Iidem dicebant Christi justitiam nemini posse imputari, sed ex suis quae quisque fecerit coram Tribunali divino judicandum esse: non adeo per peccatum, hominem esse corruptum, ut nullum ad vere bonum habeat liberum arbitrium: concupiscentiam autem in peccatis numerandam non esse. Sacramenta nil aliud esse quam tesseras confessionis Christianae, et commemorativa signa mortis Jesu Christi. Praestare interea baptismum parvulis non adhibere; sed illum ad annos usque discretionis, cognitionisque differre. dd) Et

dd) Osvaldus Myconius ad Bulling. d. 30. Mart. 1543. Venit ad nos vir italicus, nescio quid magni spirans de regno Dei, petitque colloquium non tam mecum quam cum fratribus doctioribus, et, ut ipsius verbis utar, audiri. Incipiebat ita praecinere apud me ut protinus succurreret Decanus ille Patavienſis quem nosti. Equidem honesta petenti non potui quidquam denegare, statui ergo horam, in qua et fratres vocavi, ut inter nos invicem audiremus. Interim accipio, quendam esse apud nos qui noscat hominem. Mox igitur illum advoco, rogo, respondet: Equidem pro exploratore habeo, nam Luccae audivi pridem ipsum disputantem cum Paullo Italo, qui nunc est Argentinae, cum Petro Martire, et ita quidem ut vix auditur sic alius contra Christum pro Papatu verbis sic digladians. Conabatur enim Papatum erigere velut de novo, quidquid Christo placeret. Placebat super modum vel tantulam me hominis habere cognitionem: nam hoc modo longe facilior erat futurus congressus. Adfuit jam hora; congregamur. Sic tam diu moratus est, ut fratres taedio affecti discederent, exceptis Marco, Vuolphio, et me; erat enim quod nos diutius simul

Et haec quidem subtiles illi et emunctae naris. Erant autem et alii qui praeter dictos articulos plures, paucioresve (nec enim omnes unam inflabant tibiam) de sequentibus quoque sibi verba excidere patiebantur, nempe Christi beneficium non tam in eo consistere quod sua morte peccatorum remissionem nobis adquisierit, quam vero potius vim quandam, qua in hoc mundo fiamus impeccabiles. Apostolos dum viverent non fuisse semper eousque peccatores, ut necesse habuerint precari ut sibi remitterentur peccata. Ecclesiasticam disciplinam nec a Domino institutam, nec ab Apostolis pie inviolateque servatam. Sed vero nec Ministerium adeo esse necessarium, quin erant qui illud ceu puerorum et carnalium paedagogeum et exercitationem fere contemnerent. Alii diem Dominicum observandum non esse crepabant. Et quae hujus furfuris plura patebunt ex iis quae cum CAMILLO aliisque istiusmodi hominibus acta sunt, et a nobis suis locis referentur. Erant istorum hominum aliqui prorsus illiterati, atque vix primis elementis tincti, et tamen Ecclesiis Pastore carentibus se ceu viae salutis duces ingerebant, sancto et humili quodam fastu cuivis ingeminantes etiam Apostolos fuisse idiotas et Gentium tamen Doctores. Rursus alii sacra Pontificia rejiciebant, nec tamen Evangelicae Ecclesiae nomen dare vole-

simul retinuerat. Et nobis jam quoque digressuris, adest ille; salutat. Ego mox: quod tu tam tarde: fratres abierunt, ades igitur frustra. Age, inquit, differemus negotium in reditum meum; et cum hoc semina jacit, ut clare posset intelligi a Patavienſi eum prorsus nihil, quod adtinet ad consilium, dissentire. Uterque enim unum pastorem vult, et unum ovile, sed diversis rationibus. Nam hic multo crassissime fertur. Decanus astute et pene fraudulenter agit. Coepit igitur vituperare Italus, quod Quadragesimam negligeremus et statuta jejunia et ferias, et sanctorum intercessionem et horas canonicas, et nescio quae alia, ut nemini posset obscurum esse velle ipsum Belial et Christum, modo valeret, connectere. Paucis respondimus, quod reliquum est reservaturi in reditum ejus scil. Sed quid, inquis, haec tam multis? Ut colloquar. Tempus sic fallere non nunquam soleo. Miramur interea tamen quî factum sit, ut nemo ex vobis praemonuerit. Dicit enim se per Tigurum ad nos venisse, et cum quibusdam isthic collocutum. Verum de hoc satis. Est alius Italus qui cum Calvino tam egit placide et pie, ut ei dederit commendaticias. Is postquam pervenit Aroviam exspuit: Se non credere quidquam de Spiritu sancto. Sic transiit per nos. Bene quidem. Si venturus est, ut constituit, cavete.

volebant, sed horum haud secus ac Papistarum coetus horrebant, refugiebantque, ad quas vani ingenii inventiones alii eorum vitae quoque maculis sordidi erant, mores habentes Ministris Jesu Christi indignos, et tota cervice in dissolutam vitam cui in Italia assueverant induratos. Atque istos nauci fucos non pudebat hinc inde ubi se intruserant stertere, nil curantes quod a Synodo rejecti essent, nec fuissent ab ea unquam in fidelium divini verbi Ministrorum numerum adsciti, inter omnium indignationem sanctae doctrinae detrimento, et Ministerii vituperio. In genere vero, captabant Itali semper aliquid novi. Sic boni alias viri cupiebant angelicam cantionem (*Ave Maria* dictam) post orationis Dominicae recitationem etiam publice retineri et recitari: alii in S. Coenae distributione ipsa Christi verba: *Hoc est corpus meum* retineri: alii *panem azymum* in Eucharistia adhiberi volebant; alii alia: et si quis ob innovationes eis aliquid opponebat, statim morose in hos ceu sacrae doctrinae ignaros et ritibus veterum ceu ad palum affixos invehebantur. Consueverant etiam Evangelici ubi cum Romanensibus immixti habitabant, bonos amicos etiamsi Papistas pro Testibus baptismalibus, (Compatres vocant) sacrae functioni accersere; id quod et a Romanis reciproce observabatur. Minus ea consuetudo probabatur a Ministris: pro publicae tamen pacis conservatione tolerabatur. Sed itali morose in eam detonare, absolute abrogatam volebant, quidquid de Statu publico fieret. Hinc vero inter ipsos Ministros simultas et contentio. ee)

Initio

ee) Gallicius Henrico suo d. 12. Octobr. 1551. Qui in nostris Foederibus baptizamus compatres admittimus quoscunque volunt, et ad hoc vocant infantium parentes, adeo ut Episcopus Curiensis, ille qui hunc antecessit *) plus semel infantes portarit ad Comandri nostri baptismum. Fratres itali hoc impium esse dicunt, nec pro compatribus in baptismo ullos esse admittendos, qui papistica sint fide irretiti, nec nostram teneant ac confiteantur pro vera illa ac Christiana. Nos quidem saepe monemus eos qui sunt Christiani ne sibi accersant pro compatribus non christianos; nihilo minus tamen eos, quos habere voluerint et cum infantibus ad baptismum miserint, non repellimus, ipsi modo confiteantur Deum et filium ejus Jesum Christum ac caetera quae Symb. illud Apost. quod recitamus cum baptizamus; Domino

*) Episcopus Curiae Anno quo litterae hae scriptae sunt erat Thomas Planta et qui eum antecessit vocabatur Lucius Iter, patria etiam Curiensis.

Initio quidem adventus eorum in Raetiam suas illi opiniones aut dissimulabant, aut caute admodum iis apud quos opportunum videbatur insinuare studebant. Hinc primi Evangelii Ministri probi viri nihil unquam siniſtri de illis suspicabantur, quantumvis ex eorum ore novas fere semper, dubias, captiosasque quaestiones in medium protrahi audirent: Sed haec omnia italico genio tribuebant. Verum Sorex mox suo se indicio prodidit; et hi qualia mente premerent semper occultare non potuerunt. Primi qui ante allegata dogmata publice docere ausi sunt, fuere duo Monachi excucullati, quorum unus FRANCISCUS de patria CALABER, alter HIERONYMUS pari etymo Mediolanensis dicebantur. Asserebant se celebris illius Patris BERNHARDINI OCHINI discipulos: et quum ea tempestate Ecclesia VETTONIENSIS atque LAVINIANA Pastore, quae erat tunc pecunia. destituerentur, FRANCISCUS illi, huic HIERONYMUS operam suam obtulerunt. Facile recepti sunt, valebant namque eloquio et praeprimis Franciscus, promtum, doctum, audacem et ingeniosum se auditoribus suis exhibebat: non diu tamen concionati illi sunt, quando adverterunt auditores, nova prorsus et paradoxa a novis duobus istis praeconibus propinari; qua re observata Laviniani Hieronymum statim dimiserunt. Vettonienses vero Praeconis sui facundia delectantes, eum non modo retinuerunt, sed laudibus quoque in coelum efferebant, et quasi oraculum divinitus demissum venerabantur. Prodidit Campellus Calabrum illius loci homi-

 nibus

mino interim committentes, corde ne credant, an non quod ore confitentur. Et certe hos admittendo probare, illos repellendo damnare satis, sive forte sive audax fuerit, adde et periculosum, quandoquidem major pars in Foederibus nostris, inter quos multi minime mali viri, adhuc sunt in pristina sua fide, unde timeri possent turbae Evangelio ac nobis, hac maxime tempestate. Igitur licet colligi possit ex lucidis tuis scriptis, quid hic sequendum, malumus tamen ex Te Sententiae Tuae summam et complexionem audire, quam ipsi pro Te eam dicere. Nam illud et nobis ipsis et aliis erit certius. Tu ergo qui tanta a Domino accepisti dona, quibus Monstris conficiendis, tolerandisque laboribus, plane Herculem jam diu Te praestitisti, respondere nobis digneris. Omnes enim qui Evangelium in Foed. praedicamus, Te rogamus ut nos hujus certiores facias, quamprimum per occupationes poteris. Non parum enim quaeritur, utri melius sentiant et utrum sit faciendum. Caeterum de Concilio, quod agitur Tridenti, nos jam nihil audimus, nisi quod videmus illud ab omnibus fere parvi pendi, etiamsi illic sint congregati multi purpurati. Vale ——

nibus sequentia dogmata persuasisse quae ipsiusmet verbis exponere placet.

1mo. Infantes non esse baptizandos, donec ad perfectum rationis suae jam confirmatae usum pertingerent. Unde et inter Sectatores doctrinae illius non defuere qui dicerent quod tenerent, se eo quo infantes baptizati essent baptismate non magis esse baptizatos, quam (proh Scelus) equum aliquem; digni sane qui nec ullius salutis ac verae felicitatis magis participes unquam fierent, quam equi, quibus se aequi parabant, multo etiam equis et equabus, atque universis quae usquam sunt brutis bestiis ac belluis magis insaetuati, nequiores, nefandioresque.

2do. Deum esse primam originem authoremque omnium perinde prave ac scelerate, atque bene justeque factorum, quibus omnibus aeque voluptate afficeretur, qui utraque perinde vellet et ordinaret, ac praedestinaret, etiamsi quis alterum per latrocinium trucidaret.

3tio. Quod nulla mala pravave opera, quae usquam ab homine perpetrentur damnent hominem, aut ulli aeternae poenae obnoxium quenquam reddant, ejusve salutem impediant. Ut neque ulla rursus bona et quae cum virtute fiant opera, quidquam coram Deo homini prosint, vel ad felicitatem ac vitam aeternam consequendam conferant, quum salus simul et damnatio hominum, ab una eaque mera praedestinatione divina, absque omnium bonorum vel malorum operum respectu, perinde pendeant. Ubi rursus erant, qui (ab illo ita haud dubie instituti persuasi) peccatum laudarent sublata voce clamantes: O sanctum peccatum, veluti quo factum esset, ut a Deo electi, et ad Salutem praedestinati homines, per Christum a peccato, et a morte peccati stipendio redemti ac liberati longe majorem jam perfectioremque felicitatem ea assecuti sint ac fruantur, quam habuissent in terrestri paradiso, si nullum commissum peccatum fuisset, et unde item factum esset ut ubi peccatum abundasset, abundasset etiam gratia Dei quae longe hinc amplioribus, dignioribus, uberioribusque

busque laudibus ferretur a praedestinatis: et reliqua quae ad suae vesaniae confirmationem facere putantes perperam e scripturis citabant, et ad alienum sensum torquebant; dum laudem Salutis, ac bene factorum, bonique, quae solius Dei est, uni illius bonitati atque virtuti accepta ferenda, ad peccatum et sic ad hominem peccati authorem et omnis laudis per se expertum transferunt, ut rursus omnium simul peccatorum, imo scelerum, flagitiorumque crimen, quod uni homini illa cacodaemonis instinctu designanti, ejusque nequitiae ac impietati debetur, in Deum summe sanctum et justum congerant, et sic scelerum suorum obscoenitatem, sordesque quae sibi inhaerescunt, quibusque toti obruti ipsi sordent, divinae Majestatis sanctitati ab omni crimine alieniſſimae illinere ac affricare conantur: sicque dum se criminum sordiumque onere relevare, vel illud dejicere studeant, magis se totos immaniſſima illorum mole obruunt, coinquinant, sordidantque, hominum absurdiſſimi, simulque nefandiſſimi.

4to. Praeterea quod corpus (affirmabat nebulo ille Calaber) vel caro aut mors seu passio denique ac supplicium Christi Jesu nos non bearit, vel a morte servarit, aut redemerit. Quocirca nulli jam dictarum rerum nos pro parta sive restituta nobis Salute, gratos esse debere, sed soli divinae gratiae.

5to. Item quod de necessitate non fuerit ut Christus pro nobis redimendis de coelo in terram descenderet. Hoc tamen rursus diffitebatur, licet ejus instinctu ipsius assectae confessi saepius fuerint, parum utique memor mendax.

6to. Postremo denique quod Scripturae sanctaee Auctoritate evinci nequeat, ullas hominum animas a corporibus separatas (quod et duo alii Itali Camillus Renatus, et Petrus Leo appellati, docti alias homines, tenuisse dicuntur, et Clavennae ac in Volturena, multis clam saltem instillasse semelque persuasisse) ante noviſſimum judicii diem beari. Quum hominum nemo in coelis esse, ille inquiebat, reperiretur, praeterquam latro ille de quo Lucas in Evangelio memeriae mandarit. Luc. XXIII. d)

Haec illius fide, verbisque; ad quae nihil quod excipiam habeo: nisi quod secundi ac tertii Articuli talis sit repraesentatio, ut vehementer dubitem an Franciscus cruda adeo protruserit. Forte de Deo Auctore omnium, deque ipsius Praedestinatione, ac permissione in malis efficaci paullo incautius locutus est, et hinc sumta occasio est omnem ejus doctrinam in sequiorem partem interpretandi: quo enim animo Historicus in illum affectus sit, qui allata prorismata legit, abunde perspicere potest. Aut potius asseclarum ejus hominum rusticorum et idiotarum voces erant, qui Magistri mentem assecuti non erant; quas idcirco Franciscus pro suis nunquam agnovit. Emunctioris certe naris erat Ochinus, quam ut impia ac cruda ejusmodi dogmata cuiquam suorum instillasset. At vero si ea aperte docuisset ac propugnasset Franciscus, non tacuisset Gallicius ac Comander quando de causis ad conscribendam confessionem Raeticae Synodi impellentibus ad Tigurinum Ministerium perscripserunt, atque Calabri dogmata expresse in causam traxerunt, recensueruntque; quam in rem exstertas eorum litteras cupimus inspici a nobis infra Cap. VII. Confessioni, Praefationis loco, adjiciendas.

Crediderim interea eum in sensum diffamatam fuisse Franciscl praedicationom quem nobis ille enarravit: namque reperio vix illum pedem fixisse Nettanii, suorumque animos lucratum fuisse, cum undiquaque in auditores clamatum est ut Ecclesiasten dimitterent, dogmata docentem quae omnibus sceleribus fenestram imo portam amplissimam aperiant. Sed illi monitis, suasionibusque exterorum morem gerere recusabant, sollertiam ac fidelitatem Ministerii Franciscl opponentes aliorum dictis; reponebant item ea esse Pastorem suum ornatum eruditione, ut in conspectu virorum doctorum paratus sit de iis quae doceret promtam et solidam rationem dare. Igitur quum cedere illi nollent, Franciscus autem reliquorum Ministrorum, qui quidem pauci adhuc in Oengadina numero erant, indignationem contemneret, ad rei adeo momentosae disquisitionem tam a Papanis quam Evangelicis visum fuit oportunum, publicam indicere Disputationem, in qua a congregatis

d) Campe. Lib. II. Cap. LX. pag. 1251. sqq.

gregatis prudentibus doctisque Franciscus audiretur, ipsiusque doctrina examini subjiciatur. Locus conventus datus fuit SUSA in Vallis Oengadinae fere meditullio, ubi etiam ante Sexennium Pontificos inter et Evangelicos super mulierum baptismo disceptatio haud incelebris habita fuerat; eoque ad condictam diem convolarunt omnes totius Oengadinae superioris, inferioris, et Monasterienſis Vallis, ex singulis Communitatibus delegati oratores, quos inter etiam praeclarus erat JO. TRAVERSIUS ille; advolaverat item ex Athesina regione THOMAS PLANTA Fürstenburgensis tum Castellanus, Curiensis postea Episcopus: Arcis quoque Oenudrienſis Praefectus, Jurisdictionis infra Pontem Altum Austriae Ducis nomine Administrator (habebant enim Comites Tyrolenses certa adhuc quaedam jura in Jurisdictione illa in criminalibus) suos quoque deputatos ad Disputationem illam legaverat, ex causa adposita, sui fori esse praecavere ne ex perversis subrepentibus doctrinis, qualis Francisci de divina Praedestinatione, et Providentia esse dicatur, homines ad scelera animari possint: Accesserant etiam quotquot erant in Oengadina et Monast. Valle Ministri Evangelici, licet pauci adhuc numero, certe haud supra quatuor; nec non aliqui Missificorum. Quorum caput agebat PETRUS BARDUS PETRONIUS ille Parochus Tutiensis. Ad amplissimum istum confessum comparere jussus est etiam Vettonienſium Mysta Franciscus. Spem iste sibi semper fecerat de mitiori Evangelicorum in se animo: Sed ubi communi utriusque partis impetu se impugnatum iri vidit, animo fractus exstitit; facile quippe animus praesagiebat ecquid secum foret successurum. Nihilominus antequam hastam projiceret, ut saltem impetum redderet languidiorem, Evangelicorum pietatem implorare statuit, sperans ut si eorum corda lucrifacere contigisset, fore ut judicibus in diversa Suffragia tractis forte benigniorem consequeretur Sententiam, neque in exsilium relegaretur. Conversus igitur ad Ministros: „ *Totus ad vestrum,* „ inquit, *conspectum stupeo, adtonitus qui fiat quod vos qui Evange-* „ *licae veritatis fortes propugnatores, nec minus strenui Papisticae impie-* „ *tatis debellatores hactenus videri voluistis, subita nunc et mira plane* „ *metamorphosi in eorundem gratiam, conjunctis cum ipsis Evangelicae* „ *veritatis hostibus viribus vestris, adversus miserum Franciscum ve-* „ *strum, vestrum Symmistam, et ob veritatis sibi vobiscum hactenus* „ *communem causam patria profugum, inter vos autem exsulem, et ad* „ *debel-*

„ *debellandam impiam superstitionem omnes vires intrepide intendentem,*
„ *vos toto impetu in eum Solum sic feramini, ut infortunio obrutum vel*
„ *e rerum natura tollatis, vel a vobis rursus ad hostes bis terque mise-*
„ *rum rejiciatis. Stupendam sane rerum vicissitudinem! An nescitis a*
„ *Scriptura illum praedicari beatum, qui non ambulaverit in consilio*
„ *impiorum, nec steterit in via peccatorum, neque in Cathedra aut Con-*
„ *sessu pestilentiae vel derisorum (ut apparet vos jam facere instituisse)*
„ *sedisset?*„ Haec quum coram omnibus etiam Pontificiis dixisset, Philippus Gallicius qui nuper Curia, ubi Ludimagistrum egerat, Lavinium reversus fuerat, probe intelligens quorsum vulpes illa versuto astu tenderet, suo et Symmistarum nomine, vulgari lingua omnes (ea enim utebantur) respondet: *Non esse quod se Evangelicis Symmistam jactaret; eo quod a Synodo Ministrorum examinatus, et non sanus in fide repertus, nunquam sit pro Symmista agnitus, nec in Synodi consortium admissus. Impudentissimam esse calumniam audentis dicere in quorumpiam gratiam se convenisse, quum non nisi in Dei gratiam unius, et propriam conscientiam, quam animarum cura onerarunt, agant, et impugnent, quidquid agunt. Atque si Pontificia pars eandem secum veritatis causam tueri, impios et perniciem Ecclesiae minantes errores exstirpare cupit, reputandum cum Christo Domino esse, et congregare, quotquot non spargunt. Hoc vero dum agunt haud se magis peccare quam vel Christum vel Paullum, qui adversus impios Sadducaeos resurrectionem negantes, bonam utique veritatis causam cum Pharisaeis conjunxerunt.* Matth. XXII. Act. XXIII. Ita vulpis cuniculus miro, ut putabat, stratagemate machinatus, subrutus, et suffossus fuit.

Quum ad certamen deventum est, imprimis cum illo congressi sunt Philippus Gallicius, et Petrus Petronius; duravitque disputatio duos dies. Animadversum est in Disputatione illum penitus languere et frigere, quem tamen tantum ardelionem et temerarium, parturbatiorem, longe doctiorem et instructiorem, quam compertum est, esse putabant omnes: notatumque, ejus asseclas, qui eum undique stipabant, Vetoniensium scil. primores magis perite et pie ad quaesita respondisse, suamque quam Dei putabant causam propugnasse, quam ipse Magister; ut mirum omnibus visum fuerit, qui boni viri, hominem nugacissimum tanto patrocinio sustentarent; eum non modo virum bonum haberent,

sed

sed et quasi pro coelitus sibi misso semideo colerent, et tantum non adorarent. Objecta dogmata diffiteri non est ausus se docuisse, ut neque poterat; illa tamen elevare, aut quibusdam verborum praestigiis obducere conabatur, ne illorum foeditas et turpitudo appareret; nec tamen quantumvis sua frigide tueretur, ab adversariis vero valide et animose impeteretur et redargueretur, unquam adduci potuit ut vel unico verbo errasse se fateretur, nedum ut retractaret, praeter *quartum* numero supra allegatum. Devoluta quippe ad illum Artic. tractatione acrior exarsit contentio. Etenim ad illum adstruendum aut plausibilem reddendum hac parabola utebatur Franciscus: *Si dives*, inquiebat, *quispiam et nummosus homo, pannosum et nudum conspiciens mendicum, illius inopiae misertus, novam exsoluto pretio illi ad tegendam nuditatem comparaverit vestem, non ne dives ille, et minime exsolutum pretium, amictum comparasse, et misero nuditatem texisse dicendus est? Aut num pecuniae pro veste expositae, vel homini eam mercanti grates debebit miser? Pari modo*, claudebat, *Deus: et non corpus Christi, quod ille in Redemtionis nostrae pretium dedit nos redemit: proindeque minime filii ejus Corpori, id est carni et sanguini, pro nobis tradito pretio, sed diviti donantis illa, Dei Clementiae et misericordiae, grates debemimus.* Vix clauserat sermonem, cum Joannes Traversus haud sibi diutius temperare potis, prorupit dicens: *Dum ita inter Deum et Christum, vel hunc et hujus corpus distinguis, videris omnino vel a Manichaeo, vel ab Ario, vel a Turca aliquo seductus, nesciusque veram naturam humanam in eandem Christi personam, ita ut impermixtae inter se maneant, coaluisse, et sic verbum, carnem esse factum.* Responde ergo Francisce: *Fateris ne Christum Jesum verum esse Deum et vitam aeternam?* ut Apost. Joh. primae suae Ep. Cap. V. diserte testatur. *Fateor*; ait ille. Traversus: *Patri per omnia aequalem, ut Deum quidem, non ut hominem? Ita*, dicit Calaber, sed voce submissiore et vix perceptibili. *Fateris intemne*, rogat porro Traversus, *eundem Christum Jesum, perinde verum quoque hominem nobis consubstantialem, Spiritus sancti virtute in utero virginis conceptum et ex illa natum, nostrae carni et sanguini per omnia, solo excepto vitiato ingenio, similem esse?* Respondens ille fatetur etiam hoc, verum non ingenue, sed contractis humeris satis ambigue. Ex

his tandem inferens Traverſus, ſequitur: ergo, inquit, irrefragabiliter quod ſi quidem *Chriſtus verus Deus et homo, corpus ſuum, carnem et ſanguinem, ut ipſe fateris, pretium redemtionis pro omnibus dederit, et totum ſimul Chriſtum Deum et hominem cum anima corpore et ſanguine nos redemiſſe, et utrique ejus parti unius Chriſti nos ſalutem noſtram debere.* In hanc Traverſii illationem quum ſe pararet diluere diſtinctione forte officiorum, unius ab altera natura in opere redemtionis diſtinctorum qua fieret, ut denotatio, tota rurſus in divinam naturam recideret; juxta id quod inventio medii redemtionis in hac unione nemini alii quam Deo debeatur, hic, inquam, Philippus prius dicere occupans quam ille ſententiam ſuam abſolveret, paullo concitatior, libro N. T. in menſa exiſtente, arrepto, et loco quem volebat, invento, ſubito ſurgens, et ad illum accedens dicit: *Dic tu, Agnoſcisne librum hunc et in illo peculiariter hanc S. Joannis Epiſtolam ipſiſſimum Dei verbum eſſe?* Reſpondet ille trepidans: *Agnoſco.* Et Philippus commotior atque ira in deſtinatam nequitiam excandeſcens, verba iſta, intonat, locum indice oſtendens, alteriore voce ut omnes exaudiant, recitato. Quod ille faciens legit: SANGUIS JESU CHRISTI FILII DEI EMUNDAT NOS AB OMNI PECCATO. Haec, inquit Philippus, vulgariter etiam ut omnes audientes verba intelligant interpretator; et hoc poſtquam ille idonee feciſſet, rogat Gallicius: *Cedo Franciſce: Utri Chriſti naturae Spiritus S. per Apoſtolum hoc tribuit, divinaene an humanae proprie quidem?* Hic ille paullisper adtonitus ſubſiſtens, tandem *quum hunc locum*, ait, *non obſervaverim, cedo hic.* Quae quum impetraſſet Gallicius acrius paullo et prolixius in Franciſci pertinaciam invectus, et ut ad vivas veritatis demonſtrationes mentis oculos aperiat, neque Spiritui loquenti diutius obluctetur, ſed reſpicat, graviter hortatus eſt. Deinde oratione in prolixum tracta probatum ivit piorum animas quam primum a corporibus fuerint ſeparatae ſtatim ad beatas ſedes transferri. In hujus probationem autem juxta multa alia Chriſti imprimis urgebat verba locuti ad latronem in cruce: *hodie mecum eris in paradiſo*, ex quibus nempe ſole clarius conſpiceretur, ipſo quo corpus deſerebat die animam reſipiſcentis ad Chriſtum commigraſſe; jam vero pergebat, eadem promiſit etiam fidelibus caeteris verbis paullulum differentibus cum inquit: *Pater volo ut quos dediſti mihi, ſint ubi Ego ſum, ut mecum ſint et videant gloriam meam Joh. XVII.* Heic

tum

tum Jacobus Heinricus STUPPANUS et ipse inter alios Vettonienses Calabri latus arcte claudens ejusque opinionibus captus, vir alias de prudentia et pietate collaudatus, Gallicii orationem interpellavit excipiens: istam Domini ap. JOANNEM sententiam intelligendam esse de eo quod a novissimo demum die exsecutioni dandum foret. Verum Gallitius id quidquid exceptionis erat responso dignatus non est; sed quo coeperat filo orationem pertexuit, hypothesinque ab omnibus lubenter agnitam invictam dedit.

Disputatum fuit integros duos dies: causa deinde mature perpensa Communitatum oratores sententiam pronunciarunt, qua Calabrum utpote quietis civilis et Ecclesiasticae perturbatorem de Oengadina simulque et omni trium Foederum ditione, atque Comitatu Tyrolensi exire jusserunt perpetuo relegatum. Verum Franciscus ad suos reversus in peragendis sacri officii muniis nihilo id judicium moratus pergebat: imo vero audebant Vettonienses ejus aperte suscipere patrocinium, vellent nollent caeterae Communitates, dicendo: aliorum nihil referre fido an minus utantur Pastore, sed suis haec cuncta impendiis stare. Itaque GEBHARDO STUPPANO civilis tum in Ardeatiana Jurisdictione fori Praetori negotium datum est, ut Decreti facti exsecutionem intimet, et si monitis aures negari animadvertat, Curiensium Consulem moneat ut hanc in rem malum exemplum daturam in illorum expensas Comitia convocet, qui causa succubuerint. Id quando urgeri adverterunt Vettonienses de obstinatione remiserunt, et Evangelistam ire suam viam jusserunt. Acta haec sunt anno post Christum natum MDXLIV.

Quanquam vero Franciscus ejectus esset, tantum tamen ille de semine suo sparserat, ut multum laboris devorare primi Ecclesiis illis suffecti Ministri debuerint, antequam Zizania illa evulsa fuerint. Laborem hac in parte permagnum exantlavit Phil. Gallitius, et eo Curiam vocato Huldr. Campellus; plerisque (sunt verba posteriora) aestimantibus, quod nisi duo illi sectae illi identidem repullulescere conanti restitissent, tam altas illa radices egisset, ut nulla ejus eradicandae spes amplius reliqua superfuisset. Laudatur etiam JOANNIS CONTII BISAZII Zuzienses Mystae opera, ut qui Spiritui illi Anabaptistico etiam inter

ſuos caput exſerere geſtienti, fortiter reſtiterit, et feliciter ſuppreſſerit. Remanſere nihilo minus aliquae ſub cinere favillae, quae viginti ab inde annis adhuc prorumpere tentarunt, ſucceſſu aequo infructuoſo, ut ſuo dicetur loco.

Calabro iſti jungimus adhuc TITIANUM quendam ejusdem commatis hominem, qui in Eccleſiis italicis et paſſim per Raetiam vagans, omni ſtudio ſuas opiniones aliis affricare allaborabat. Ob ſedulam in hoc genere operam factus hic erat omnibus inviſus: jam enim ex ſparſo ſemine, ubivis gliſcere animorum diſſidia adparebat: monebantque prudentiores ex conceſſa ſemel quaevis dogmata diſſeminandi licentia, non niſi contentiones ſequi, animorumque divortia, quae non Eccleſiam modo, ſed cum temporis progreſſu et ipſam Rempublicam peſſumdare poſſent. Eapropter et Evangelica Synodus Proceres monuit, ab eisque poſtulavit ut hominem malum exemplum daturum ſuis a finibus abigant, dum ſuffocari in terra virus quiret. Quapiam igitur occaſione Anno fere MDXLVII. e) in civitate Curienſi palare deprehenſus Titianus, ex Magiſtratus juſſu, in carcerm conjectus eſt; provida ſane cura: quum tantus in illum plebis eſſet furor, ut omnes trucidandum clamarent: neque is ullo modo iratae multitudinis evaſiſſet manus, niſi ſub cuſtodia publica ſervatus fuiſſet. Dum eo in ſtatu detinebatur, omnis in eo Gallicius fuit, ut primum a Magiſtratu nil durius in illum ſtatueretur; deinde ut hominem miſere deceptum ab erroribus ad ſanam mentem revocaret. Prius facile impetravit, at quoad poſterius omnem operam luſit. De fide interrogatus Titianus reſpondebat ſermonibus amphibologicis, aptis ad imponendum imperitioribus. Sed per quos planam volentibus confeſſionem non ſatisfaciebat. Ad abſcindenda igitur effugia illa praeſcripſit illi Gallicius articulos quosdam, acceptandos vel rejiciendos; ſed neutrum ille volebat, dicens priusquam id faciat cupere ſe doceri ſuper illis a Spiritu Dei, ſi quis eſſet qui haberet. Tandem ſive bono ductus Spiritu, ſive mortis timore abſterritus; opiniones quarum arguebatur, omnes retractavit, ipſique praeſcriptos articulos eſt confeſſus. Eo facto ex Magiſtratus ſententia per totam urbem virgis caeſus eſt, et ditione Raetica in perpetuum relegatus.

De

e) Maynard. ad Bull. 7. Aug. 1549. inf.

De tali actionis illius succeſſu admodum contentus erat Gallicius, non quod hominem lucrifeciſſe crederet, ſciebat enim hominem ex metu mortis retractaſſe, ſed quod miſerum furori plebis eripiendo, calumniis adverſus Evangelium praeſtruxiſſet. Atque Gothofr. ARNOLDUS quando hanc Titiani capturam et ſanguinoſum (ut explicat) proceſſum, Bullingero Tigurinisve adtribuit ut Reformatorum circa diſſentientes agendi modum traducat, utrisque injuriam infert haud levem nec excuſandam; f) quam jure ei exprobavit cel. JO. JAC. HOTTINGERUS. g) Ego ut illius imputatio in auras tota abeat, et cognoſcatur modus ad quem cum Titiano Curiae actum fuit, ipſam Gallicii ea ſuper re a Bullingero rogati ad hunc Epiſtolam relatoriam apponam, quae hujusmodi eſt.

„ Litteras tuas ad Pontiſellam ſcriptas, mihi is legendas exhibuit, „ rogans ut Ego Tibi reſpondeam, quod ipſe rem neque geſſerit cum „ Anabaptiſta illo, neque actioni interfuerit. Ego in tui gratiam lu„ bens pareo. In Ingadinam enim nondum ivi; iturus autem ſum „ quandoquidem ſerio ſum vocatus, perendie ſi Deus voluerit. Quum „ reverſus fuero ſcribam ad Te omnia, quae quidem bona fuerint, qui„ bus Tu occuparis. Ego rem omnem a principio cum male ſano „ homine iſto litteris commendavi liberis quidem meis. Ipſe enim „ egi omnia et privatim et publice cum eo. Quaeris quid tentavit, „ aut prius dixerit? quae cura tua eſt pro Eccleſiis. Aſſeverat omnia, „ quae contra articulos hic ſcriptos ſunt. Noviſſime ſive bono Spi„ ritu ductus, ſive timore mortis abſterritus (certiſſime enim occiſus „ eſſet, ſi perſtitiſſet in haereſi ſua prima) retractavit omnia, hosque „ eſt articulos confeſſus. Scias tamen hoc, cum multa agerem cum „ eo preſente Senatu, aut delectis ad hoc ipſum Senatu, ſemper mihi „ viſus eſt amphibologicis uti ſermonibus, et verbis, quibus ſatisfa„ cere poterat illiteratis et technarum haereticarum imperitis. Iſtius„ modi Ego ut praevenirem, taliaque praeciderem, certumque aliquid „ et fixum reſcire ex illo affirmareque poſſemus, articulos compoſui, et

 „ Teu-

f) Haereſiol. Part. II. Lib. XVI. Cap. XXXIII. §. 10.

g) Helv. K. G. Tom. III. pag. 814.

„ Teutonica et Latina lingua certis et definitis, ut puto Ego, verbis, „ quos ei proponeremus, atque legendos exhiberemus, recipiendos aut „ reprobandos ab eo. Coram judicio et Senatu ſtatim aliquos rece- „ pit; aliquos reprobavit petens doceri Spiritu Dei, ſi quis eſſet qui „ haberet. Sententia data conceſſum eſt ei loqui et probare quae „ vellet: nobis imperatum ut ſcripturis ſanctis ageremus cum eo. Co- „ mander voluit ut Ego reſpondeam homini. Reſpondi egique cum „ illo. Noviſſime recepit articulos conſcriptos his verbis, de verbo „ ad verbum:

„ *In nomine Domini Amen.* Ego *Titianus hic Curiae coram Ve-* „ *nerando Senatu multisque aliis Chriſti fidelibus confiteor me male er-* „ *raſſe in multis articulis contra veram Chriſtianam et divinam fidem.* „ *Nunc autem confiteor unum eſſe Deum, et Deitatis unam atque ean-* „ *dem prorſus eſſe naturam eſſentiamque. Unius vero et ejusdem eſſen-* „ *tiae illius naturaeque perſonas eſſe tres diſtinctas, Patrem et Filium et* „ *Spiritum Sanctum.*

„ *Credo etiam et confiteor Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum fili-* „ *um illum Dei genitum ex Patre ſecundum divinitatem ante omnia* „ *Secula, et ob id Patri conſubſtantialem et coaeternum, noviſſimo tem-* „ *pore propter nos homines noſtra culpa perditos deſcendiſſe de coelis et* „ *hominem factum ex Maria, et nominatim in ea conceptum eſſe de* „ *Spiritu S. ſine ullo cujusquam mortalis viri ſemine. Et praeterea* „ *eundem Dominum Jeſum et verum Deum ex Patre Deo genitum eſſe,* „ *et verum hominem ex vera homine Maria natum. Hanc quoque* „ *Mariam benedictam Matrem Domini Jeſu intactam veramque fuiſſe* „ *permanſiſſeque Virginem et ante et poſt partum.*

„ *Textum quatuor illorum Evangeliſtarum Mathaei, Marci, Lucae,* „ *et Joannis, item Pauli Petrique et caeterorum Apoſtolorum Epiſtolas,* „ *itidem Moſis et Prophetarum Vet. Teſt. ut eos Textus habet et legit* „ *Eccleſia catholica, illos, inquam, Textus omnes confiteor veros ac non* „ *falſificatos eſſe neque a Sancto Hieronymo, neque a Papiſtis, neque ab* „ *aliis: Sed eſſe ſcripta illa omnia, divinas ſcripturas, et ob id vera* „ *omnia quaecunque in illis litteris canonicorum illorum librorum con-*

„ *tineau-*

„ *tineantur, et quae ex scriptis illis possint probari. Credo enim quod*
„ *Spiritus debeant probari an ex Deo sint, ad vel juxta regulam et*
„ *sensum qui est scriptus in scriptura illa canonicorum librorum.*„

„ *Anabaptistarum sectam dicentium infantes non esse baptizandos,*
„ *sed eos solum qui proprio ore confiteantur fidem christianam, jamque*
„ *sint adulti, aut eos qui dicunt illos qui infantes sint baptizati debere*
„ *denuo baptizari, cum jam fuerint adulti, istam talia dicentium*
„ *sectam, jam fateor errare.*

„ *Fateor etiam errare eos qui dicunt Christianum non posse ad-*
„ *ministrare officium justitiae gladio in puniendis malis et bonis tu-*
„ *tandis.*

„ *Et quia Ego idem Titianus jam dicta omnia credo et confiteor*
„ *esse vera et divina, testor scripto hoc manus meae, libensque pro-*
„ *mitto, me posthac in nullo loco nec acturum, nec loquuturum nec*
„ *scripturum quidquam contra superius hic scripta et a me jam con-*
„ *fessa: Sed servaturum me defensurumque illa, quamdiu Dominus*
„ *gratiae suae auxilium mihi, spiritumque suum bonum non abstulerit.*
„ *Hoc toto me juvet clemens et misericors Deus per Christum Jesum,*
„ *Dominum nostrum Amen.*

„ Ego jam inde ab initio semper existimavi et hodie existimo
„ melius esse Ecclesiae ut sit vivus dimissus. Si occisus esset, confir-
„ mati essent multi in sua haeresi quasi fortis fuisset, perstitisletque in
„ veritate semel asserta. Nunc autem quum audiunt hominem recan-
„ tasse et ob id dimissum, palpabunt hominem esse vanum, innanem-
„ que omnem ejus doctrinam. D. Bajonensis jussit me scribere Tibi,
„ se litteras tuas fideliter, rectaque Romam misisse, nec esse de hoc
„ dubites: responsi tamen nihil dum accepisse. - - - Ex Italia novi
„ nihil audimus. Milites nostrates dicuntur bene tractari illic, et
„ recta Florentiam proficisci, quod isto modo retrahi censeant mili-
„ tem Caesareanum ab obsidione Senae. Si nunc non sum prolixus,
„ ero Dodonaeum aes, quum ex Ingadina rediero. Interim vale vir
„ humanissime, et Philippum Tuum redamare non desine. Salutat te

„ pater

„ pater Comander: Pontiſella ſcribit ipſe. Ex Curia, die 25. Junii, „ Anni 1554. „

Tuus totus Phil. Gallicius.

Ad allatas litteras obſervare oportet. Bullingerum ideo paullo ſtudioſius in acta cum hoc homine inquiſiviſſe, ut iſto exemplo Calvinum erigeret ac ſolaretur aegerrime ferentem quod Serveti ſupplicium illi imputaretur. Videri ea ſuper poteſt illius ad hunc Epiſtola quae a Beza inter Calvini Ep. et Reſponſa edita eſt, ſcripta d. 12. Jun. 1554. ubi inter alia ſic fatur: *Nuper Titianus quidam Italus Anabaptiſta et Hebionita et Helvidianus in carcerem conjectus a tribus Rhetiae Foederibus igni concremandus fuiſſet, niſi ceciniſſet palinodiam: nihilominus Curiae virgis caeſus e Rhetia ejectus eſt. Quis ibi erat ſaevitiae et atrocitatis Magiſter. Calvinus hoc non fecit, nec ſuaſit etc.* Illud autem nuper cum aliqua latitudine accipiendum eſt: namque ante ſumptum de Serveto ſupplicium minimum quadriennium Titianus e Raetia ejectus fuit. Patet id ex Maynardi ad Bull. litteris d. 7. Aug. 1549. datis, et infr. Cap. IV. adducendis, in quibus ſcribit: *Titianum a Synodo, medio ſecularis brachii expulſum eſſe, intimum Camilli amicum.*

Caeterum non Titianum ſolum ſenſiſſe Synodi indignationem, verum in plures quoque ejus farinae Socios exſilii mulctam intentatam fuiſſe, probabile mihi omnino videtur; licet expulſorum ignorentur nomina. Colligere id pronum eſt vel ex Scipionis LENTULI in Reſp. pro Edicto Rhetorum adv. SILVIUM verbis, ſic ſcribentis: *a Curienſibus palinodiam coacti ſunt canere Anabaptiſtae aliquot, et qui id facere renuerunt expulſi. Inter eos Titianus ille fuit, infamis horum nebulonum choragus in carcerem coniectus, qui ubi Anabaptiſmum, Servetanasque blasphemias ejuravit, fuit etiam per totam urbem virgis caeſus, denique ex Rhetica ditione in perpetuum relegatus. Peſclavii quoque Magiſtratus item ad palinodiam adegit quendam Dominicum PISADELLUM Anabaptiſtam; quod ni feciſſet, ſine dubio bene prius mulctatus exſulaſſet.* h) Ex iſtis perſpicitur, Neo-Arianiſmi ſectatores, et ſibi et placitis ſuis in Raetia locum abunde adinventuros fuiſſe, niſi ſub ipſa

h) Reſp. orthod. pag. 102.

ipsa statim plantationis initia, piorum Mystarum instigatione et impulsu exsulare jussa fuissent; ad quod consilium arripiendum necessitate adacti sunt, ni ea gangrena infici totum corpus voluissent.

CAP. IIII.

1545 — 1550.

Camillus Renatus Siculus spargit in Clavennensi Ecclesia opiniones Photinianis similes, reperitque assecias complures. Resistit illi Pastor Maynardus; sed ob tortuosum Camilli ingenium nihilo minus serpit malum. Devolvitur negotium ad Synodum Evangelicam, et hinc ad Ministerium Tigurinum: conatibus semper infructuosis. Denique superiorum auctoritate instructi ex Synodi corpore quatuorviri Clavennam mittuntur, coram quibus causa disceptatur et super controversos articulos positiones stabiliuntur. Camillus sui semper similis manet.

Ex isto hominum genere nemo tantum Ecclesiis negotium facessivit earumque tranquillitatem turbavit, quantum Siculus ille CAMILLUS, qui postquam nomen Evangelio dederat RENATUS dici voluit. Hic eodem fere tempore in Vallem Tellinam accessit, quo COELIUS CURIO Pedemontanus e vinculis elapsus eundem portum adtigerat. Quod circa Annum fere MDXLII. evenit; uti itaque duo casu sibi obviam facti, contraxerunt amicitiam, et quanquam ambo peculiares quasdam foverent opiniones, eam tamen intemeratam perpetuo servarunt. Discessit autem CURIO statim Basileam ubi mox docendi provinciam nactus est: Camillus vero Caspani substitit erudien-

dis RAPHAELIS PARAVICINI nobilis ejus loci viri liberis, quorum complures habebat, operam navans: ad quos et alii confluebant quamprimum opera ejus innotuit. Anno deinde circiter MDXLVII. Clavennam commigravit illectus spe majoris emolumenti, quod, per discipulorum sibi confidendorum accessionem ob civium frequentiam et populi concursum, sibi promittebat; ibique ad erudiendos adolescentes operam cuivis suam et offerebat, et cum fide diligentiaque navabat. Et erat Camillus, quantum intelligere datur, vir litteris plusquam mediocriter tinctus, ingenii vero foecundi et acuti, animi vero timidi et subdoli, nisi potius cautum et perspicacem dicere malis. Etenim quamvis in valde multis doctrinae Christianae, iisque gravissimis capitibus a vulgari sententia discederet, et privas plane teneret opiniones, dissensum tamen suum non nisi in angulis apud amiculos testabatur, eumque sub dubitandi formulis potius, quam per exsertam affirmationem insinuabat. Hinc ad Bullingerum quoties perscripsit, (id quod a suo in Raetiam adventu saepissime fecit) strenuus semper Reformatae juxta Tigurinorum exemplum doctrinae propugnator videri voluit; qui tamen semina ejus jacta dissipabat potius Ecclesiamque vastabat, quam aedificabat. Minus id observatum fuerat feciſſe Caspani vico minus frequente; licet Hospitis sui domum et forte alios suis principiis imbuisset; verum Clavennae non diu fefellit vigilantiam MAYNARDI, qui statim atque indicia leviſſima de hominis machinationibus habuit, omni cura acta gressusque ejus adtendebat, ne quid ex eo detrimenti in Ecclesiam redundaret. Et tamen id praecavere satis non potuit: adeo glisçit contagio in caligine. Interea vero quia per adtentionem Maynardi placita Camilli in lucem producebantur citius quam dogmatista voluisset, et repagulum forte per ejus diligentiam hujus progressibus opponebatur, mox simultas inter binos illos in apertam contentionem prorupit, ex cujus ventilatione omnia illa dogmata cognoscere datum fuit quae hominibus clam in angulis insinuabantur. Cogitans nempe Maynardus de ratione qua sisti glisçens istud malum in principiis commodissime posset, haud aliud aptius apud se compererat, quam si de omnibus Christianae fidei capitibus expositio plana et dilucida conficeretur ad quam accedere, eique subscribere omnia Ecclesiae membra juberentur: fore enim putabat neminem tam profanum exstiturum qui receptae doctrinae aperte contradicere ausurus esset; formula autem Heno-

Henotica semel acceptata, amisisse Camillum omnem sectarios colligendi viam. Conscripsit igitur Ecclesiae Clavennensis nomine CONFESSIONEM, omnia doctrinae Christianae capita exponentem, amplamque capitibus XX. constantem; in quorum decimo omnes Camilli, suppresso licet ejus nomine, errores ordine recensuerat, et anathemate confixerat: Sed quando a singulis Ecclesiae membris calculum et subscriptionem urgere coepit, tum vero eridos pomum confessio extitit: Nullo enim modo adduci poterant, ut confessioni subjicerent nomen quotquot Camillo aperte, occulteve favebant. Intercidit, quantum scio, haec Clavennensis Ecclesiae confessio, prima quae in Raetia confecta fuit, nisi ex Bibliothecae cujuspiam aut archivi latebris aliquando forte protrahi detur: verum aliquot post lustra anno videl. MDLXI. quidam Camilli assecla PETRUS LEONIS nomine, italico idiomate Mediolani libellum excudi curavit, in quo causas allegabat, eccur positionibus Maynardi in Cap. Xmo expressis minus subscribere possit, et in eam rem Articulos ipsos anathemate notatos expressit: hos autem ex ipso Leonis libro in latinum converterat et Bullingero transmiserat Philippus Gallicius, quarum litterarum exemplum adhuc extat. Fragmentum proinde istud ex deperditis adhuc residuum ab interitu vindicabimus, tanto magis luce dignum quod Camilli placita in compendio exhibeat. Sic autem ex autographo sonant.

Articuli quos D. Aug. Maynardus in libro confessionis suae et Ecclesiae Clavennensis damnat, propter quos Petrus Leonis libello Mediolani impresso mundo testatur se nolle confessioni Augustini subscribere, propterea quod ipse non possit neque velit eos articulos probare ut nec damnare, interpretati ad fidem et veritatem per Philippum Gallitium.

Damnamus inquit Augustinus omnes sectas et errores Anabaptistarum una cum sequentibus dogmatis impiis istis:

I. Damnamus eos qui dicunt quod anima rationalis sit mortalis, ac moriatur una cum corpore: sed in novissimo die resuscitetur una cum corpore, et quod tunc demum totus homo fiat immortalis.

II. Damnamus eos qui dicunt quod animae defunctorum utut vivant, dormiant usque ad noviſſimum diem, et tunc ſuſcitentur a ſomno.

III. Item eos damnamus qui dicunt quod homines non reſuſcitentur in eadem ipſa natura et ſubſtantia in qua prius fuerunt, ſed in alia, quia corpus animale et corpus ſpirituale differunt et ſubſtantia et natura.

IV. Quod non ſit aliqua lex naturalis in homine, qua cognoſcuntur res, quas vel facere vel vitare debemus.

V. Quod Decalogus non ſit utilis credentibus, cauſa quod non ſint ſub lege, et quod homines pii non habeant opus alia lege quam Spiritus.

VI. Quod per peccatum Adae mors corporis intrarit in mundum, et quod ſi non peccaſſet Adam, mortuus nihilominus fuiſſet corporali morte, tam ipſe quam poſteri ipſius.

VII. Quod Sacramenta veluti Baptiſmus et coena Domini non ſint utilia his qui recipiunt: ſed ſint inſtituta tantum pro ſignis quibus diſcernuntur Chriſtiani a non Chriſtianis, et ut homo teſtificetur ſe in Chriſtum credere.

VIII. Quod Chriſtus habuerit carnem peccati et concupiſcentiam, et ob id ſit dictus maledictus peccator non quod fuerit ſacrificium pro peccato, aut crucis ignominiam paſſus pro peccatore, ſed quia fuit conceptus in peccato originali, et quantumcunque non habuerit peccatum actuale, potuit tamen peccare.

IX. Quod Deus per Sacramenta nullam rem operetur in his qui utuntur, ſed quod ſolummodo monſtrent illa quae eſt operatus.

X. Quod Chriſtus non habuerit aliquod meritum, quia hoc non invenitur expreſſum in Scriptura ſancta.

XI.

XI. Quod Christus in cruce desperarit, vel Deo sit diffisus quando dicebat: Deus meus, Deus meus, quid me dereliquisti?

XII. Quod homines impii non sint resurrecturi corporaliter in extremo die.

XIII. Qui dicit quod non referat servare Ecclesiae formam in Baptismo pronunciando verba illa: Ego te baptizo in nomine Patris et filii et Sp. S. etc. mihi videtur quod debeant ante baptismum moneri significationis istius, se istud qui dicit errat.

XIV. Quod baptismus non successerit circumcisioni, nec aliquam habeat similitudinem cum illa.

XV. Quod sermo Dei et ejus Sacramenta solum confirment audientes et astantes, non eum qui loquitur vel accipit Sacramenta.

XVI. Quod fides justificans non habeat opus confirmatione.

XVII. Quod homines qui a Deo non sint renati sint irrationales sicut bruta, quousque per Spiritum Dei non fuerint translati in regnum Christi.

XVIII. Quod Christus nullam fecerit promissionem in institutione coenae.

XIX. Quod baptismus et coena Domini non sint dignae promissionibus divinis.

XX. Quod exspoliatio vel exuitio veteris hominis in baptismo non sit repraesentata ei qui baptizatur sed astantibus.

XXI. Quod baptismus et coena Domini sint solummodo signa rerum praeteritarum, et nullo modo rerum futurarum.

XXII. Quod memoria rei alicujus non fiat, ut is qui illam facit, rei vel facti certior fiat.

Ex poriſmatibus iſtis nullo negotio perſpicitur CAMILLUM, ipſum illud Religionis Syſtema quod poſtea Lelius ac Fauſtus SOCINI in formam redegerunt, et ſcriptis exornarunt, jam eo tempore quo Lelii nomen ignotum erat, ſecundum praecipuas ſtricturas animo conceptum habuiſſe, et exſerte docuiſſe. Imo vero omnem ſuam ſcientiam Theologicam didiciſſe Lelium ab ipſo Camillo haud pauca ſuadent. Etenim haeſit Lelius Clavennae et in Praegallia per ipſum illud tempus, quo contentio inter Maynardum et Camillum ſummo fervore agitabatur; b) et in coevis documentis Lelius haud alio loco habetur quam alius quivis ex Anabaptiſtarum grege, cui praeeſſe ſemper datus fuit honos CAMILLO. Praeterea ſumma illa cautio quam Lelius in occultandis, diſſimulandis, et non niſi clam diſſeminandis opinionibus ſuis per omnem vitam obſervavit, adeo digna eſt Camillo Magiſtro, ut dignior videatur non potuiſſe ei obtingere diſcipulus, quam ipſe Lelius qui in ea arte adeo exercitatus erat, ut bonis fere omnibus, ipſique Bullingero impoſuerit. Pulcre haec edocemur e litteris JULII MEDIOLANENSIS quibus ad pacificas Bullingeri Peſclavio die 4. Nov. Anno MDLV. reſpondit; quas piaculum eſſet heic non adtuliſſe. Ita autem ille: „ Litterae tuae refertae quidem et fraterna dilectione et Eccleſiaſtica „ diſciplina, quibus ſignificabas Lelium (Socinum) Senenſem jam pri„ dem a nobis ſuſpectum et a multis bonis fratribus habitum pro ma„ nifeſto Anabaptiſta coram te non tantum profeſſum fuiſſe bonam „ confeſſionem, ſed et propria manu ſubſcripſiſſe ſanae doctrinae quae „ ſemper fuit in catholica Eccleſia. Ob id fraterne me hortabaris ut „ non tantum Lelium apud me purgatum habeam ab omni mala ſu„ ſpicione, ſed et apud alios de ipſius fide ſuſpicantes hominem excu„ ſem.

b) Vergerius ad Pellicanum. Bone Pellicane meus Pater. Is nuncius meus eſt, et vir plane doctus, atque idem profugus propter Evangelium Jeſu Chriſti. Cupit te videre atque agnoſcere de facie; itaque aperio illi aditum his meis litteris ad tuam amicitiam et valde commendo hominem. Lelius noſter mecum commoratus eſt per tres ſeptimanas, poſtea ad Patrem profectus eſt, ſed per magna pericula quod ſat ſcio. Deus eum eripiat. Dominus Jeſus benedicat laboribus veſtris. Vico-Soprani. XX. Jun. 1552.

„ sem. Agnosco mi ornatissime Bullingere et exosculor in Te Ze-
„ lum domus Dei, cum non vulgari charitate conjunctum etc.
„ Enimvero tanti ponderis et merito quidem est apud nos Ecclesiastica
„ tua Auctoritas, ut nobis in hac re abunde satisfactum sit, si tibi satis-
„ factum est. Quare tuo fretus consilio et judicio curabo, ut Eccle-
„ siae nostrae posthac pro fratre Lelium agnoscant, etsi non cito po-
„ tero diluere maculam tantae suspicionis. Oro tamen D. Jesum ut
„ Lelius toto corde credat, quae coram Te confessus est. Nolebam,
„ sed ut cautior fias cogor referre, Lelium Camillo Renato dedisse
„ manus, ita ut deserta catholica veritate publice non erubuerit Gene-
„ vae, Clavennae et alibi stare a parte Anabaptistarum. Arbitror enim
„ Te non ignorare calliditatem et tortuosi Camilli ingenium et mores. Ea
„ igitur de causa si de Lelii confessione aliquantisper suspicatus sum,
„ ne miraberis quaeso, cum plus satis experiamur Servetanos et Ana-
„ baptistas non facile deponere, quod semel imbiberunt. Quod indies
„ magis ac magis deprehendimus in uno Camillo. Vix enim credi
„ potest quam flexibilis sit vafricies et quam obliquo et volubili flexu
„ iste anguis effugiat, nisi fortiter prematur. Sed quid dico de Camillo,
„ nam omnes Anabaptistae ea sunt perfidia, ut non vereantur efflare
„ modo calidum, modo frigidum. „ c) Haec Julius.

De Camillo vero notandum, adeo versute in instillandis suis dogmatibus versatum fuisse, ut vix fuerit in palaestram educendus: hinc placita sua de animae immortalitate propugnare aperte nunquam sustinuit quae privatim docuerat: praevidebat quippe hominum callidissimus magnam offensionem et invidiam quam eo dicto in se coacervaturus fuisset. Quare sicubi forte eum contingebat fortius a Maynardo premi ad fatendum num anima sit immortatis, fere hujusmodi responso effugiebat: Camillus nescit an anima sit mortalis nec ne, aut si indignari forte advertisset praesentes: non affirmo animam hominis esse mortalem, sed disputationis causa id dico. d) Causam itaque suae a May-

c) Expressae extant ipsae hae ap. Ott. Annal. Anab. p. 120. a Clariss. Breiting in Mus. Helv. Part. XIV. p. 289. Clar. Fuesslin. Epl. Reform. N. LXXII.

d) Maynard. ad Bull. 10. Sebt. 1548.

Maynardo dissensionis daturus, et in arenam proditurus, haudquaquam graves illos de immortalitate animae, de corporum resurrectione, deque Christi meritis articulos in scenam protraxit: verum doctrinam de Sacramentis discidii causam haberi voluit. Conscripserat igitur integrum librum *adversum Baptismum quem sub regno Papae atque Anti-Christi acceperamus*, in quo totus erat adstruendo nulli infantium esse sacrum lavacrum citius conferendum quam Evangelii doctrinam probe perceperint. *) Imo vero baptismum necessarium amplius non esse, Ecclesia quippe plantata et constituta. e) Ejusdem fere commatis erant quae de S. EUCHARISTIA propalabat. Quoad hanc procul valere jussa Lutheri consubstantiatione ceu contradictoria et absurda, ajebat nihil in ea ultra recondi quam mortis Christi commemorationem; et cassos sine mente sonos esse quaecunque de carnis Christi manducatione soleant disputari, aut ex figuratis scripturae phrasibus plura procudi. Manducationem fieri semel tantum, tum nempe, quum Evangelio assensum praebemus: commemorationem vero quotiescunque libet. Distinguebat idem inter coenam a Christo cum Apostolis habitam et eam quam fideles nunc temporis inter se habent: in illa requisitam fuisse fidem, qua nempe Apostoli crederent Christum corpus suum in mortem traditurum, et sanguinem in peccatorum remissionem effusurum: quae siquidem sint praestita, nobis solam rei factae com-

*) Notare hic subit Socini Sobolem in Polonia ac Transylvania editam, qui Unitarii dici voluerunt statim ac pipire coeperunt, iisdem phrasibus usos fuisse, ut Camilli loquela facile agnoscatur. Memini me in illorum hominum res paullo curiosius inquirentem in Illustris Collegii Bethlenii olim Albae Juliae nunc Nagy-Enyedini in Transylvania residentis Bibliotheca (tum docentium Professorum DD. Borosnyai, et Mich. Aitai virorum clarissimorum opera, selecta et praeclara reddita) incidisse in libellum quempiam cujus titulus erat: *De Regno CHRISTI Liber primus, et de Regno Anti-Christi Liber secundus: accessit tractatus de Paedo-baptismo et circumcisione. Joh. V. 14. Albae Juliae Ao. MDLXIX.* dedicatusque Serenissimo Principi IOHANNI II. et Regi Ungariae a Ministris et Senioribus Ecclesiarum de uno Deo Patre consentientium in Transylvania. Cujus vero commatis liber ille sit, liceat ex Epillogo colligere; qui ita claudit: *Quisque vere credit Papam esse Antichristum, vere quoque credit Papisticam Trinitatem, Paedobaptismum et alia Papatus Sacramenta esse doctrinas daemoniorum.* Extat codex dictae Biblioth. thec. 1. merid. ord. VI. lib. 1.

e) Gallic. ad eund. ult. Febr. 1548.

commemorationem relictam esse, et extra *mnimosonon* illud, nil quidquam nec doctrinae nec promissionis per Eucharistiam obsignari aut confirmari. Circa Christi in Coena praesentiam nullus dubitabat, quin etiam Christus in medio convictorum esset, non carne, sed spiritu, non praecipuo singulari ac proprio quodam modo, sed eo tantum quo se in medio eorum qui suo nomine aliquo conveniunt affuturum pollicitus est. Distinguebat idem inter libationem et Epulum, i. e. inter Eucharistiae communicationem et convivium charitatis olim haberi solitum: cupiebatque veterum agapas rursum in usum revocari, ut quum per eas Christianae Societatis unio vivide magis repraesentetur: et sancti hujus Epuli celebratio ad Apostolicae Ecclesiae consuetudinem efformetur. In hunc sensum plures ad Tigurinorum Antistitem Bullingerum perscripsit litteras; in quibus adhuc ita suffenus erat, ut suam ei sententiam persuaderi posse sibi blandiretur: f) unde non modo dehortanti non cessit, sed et fortior instabat, animo ad pertinaciam obstinato. g)

Igitur quum Maynardus doceret Sacramenta equidem non conferre gratiam aut justificare, sed earum rerum esse signa, quae tamen remissionem peccatorum obsignent et nobis confirment, diversamque doctrinam pro rostris configeret, Camillus clamare intollerabile esse sibi illius Ministri audire conciones qui erronea credi vellet; atque sub hoc obtentu Ecclesiae coetui se subtraxit, ejusque exemplum secuti sunt omnes qui ejus placitis capti erant. Ita infelix haec dissensio in Ecclesia Clavennensi apertum Schisma progeneravit.

Speciosum causae Camilli colorem dabant duo caetera perdocti viri, qui dum illa contentio agitabatur, Clavennae commorabantur, FRANCISCUS nempe STANCARUS Mantuanus, et FRANCISCUS NIGER Bassianus, alias LOVERIO ex Tellina Valle oriundus. Equidem ille diversam

f) Vid. Camill. ad Bull. litteras supr. lib. II. cap. II. num. cc) Illis ad latus ponantur datae 10. Aug. 1545. infr. hoc Cap.

g) Camill. ad Bull. 15. Aug. 1546. sub finem hujus Cap.

sam plane Camillo, quoad Sacramentorum naturam, fovebat sententiam, contendebat enim Sacramenta esse veluti organa, quibus Deus et gratiam qua peccata remittat, et justificet, et regeneret, impertiat: Sed quia inquieti animi erat, facilius cum novaturiente Camillo societatem fovebat, quam ut receptae doctrinae calculum tribuisset, contra quam alias in Helvetia Bullingero fecerat fidem. g) Niger autem qui antea Camillo totus adsentiebatur, mox in Stancari concessit sententiam: adeo levi videtur fuisse animo, aut exigua tantum in divinis rebus cognitione praeditus. Advenerat Stancarus Clavennam ex Helvetia, in qua sedem frustra quaesiverat; desiderans opima aliqua apud Raetos conditione frui, ast eam adipiscendi spes cum non affulgeret, post aliquot mensium, ut videtur, moram in Poloniam digressus est medio fere Anno 1548. Duo isti pro consequenda victoria novo plane stratagemate usi sunt: conscripserunt nempe de fide Christiana confessionem verbis, in ea parte qua de Sacramentis agebatur, cautis, et quibus nihil subesse periculi videbatur, ast et quibus illorum *hrysphgiton* tecte asserebatur: eamque Comandro et Blasio Curiensibus Ministris consignarunt. Comander, ut erat vir bonus, perlectam confessionem sibi probari dixit,

g) Stancarus ad Bull. Redditae mihi fuerunt litterae tuae, Venerande Antistes, quibus lectis totus summo perfusus sum gaudio. Quod enim de prospicienda mihi conditione apud Bernates te curaturum scribis, quid gratius, quid antiquius, mihi contingere posset? Perge itaque Te rogo in instituto, et quod Tibi suggerit Dominus effice. Et si quid confeceris, Deo inprimis, deinde Tibi summas agam gratias. Quod vero Bernates subtilitates ac naedas tam in doctrina, quam in planissimo Coenae D. negotio Ecclesiis suis tradi nolunt, hoc etiam atque etiam laudo, neque Ego talia doceo, nec unquam docebo. Placet enim mihi puram ac simplicem doctrinam Christi, ejusque verum Sacramentorum intellectum sine tricis Ecclesiis tradere. Quod praeterea Lutheranismum ac Papismum odiunt, hoc mihi a multis jam annis commune est. Testes enim (ut alios taceam) sunt Laelius, Hallerus, Michael —— arius, testantur scripta mea, testis est tota Viennensis Academia. Amo itaque verbi Domini simplicitatem illam, quam S. litterae nobis proponunt. Quod tandem in aliis etiam rebus, omnem tuam operam, si ea indiguero, mihi polliceris, primum quod verum et christianismum Episcopum decet, facis: deinde me tibi maximo beneficio devinctum semper habebis. Quam ob rem exspectabo ut quam citius fieri poterit de toto negotio me certiorem facias. Vale. Basileae, 7. Febr. 1547. Mus. Helv. Part. XIX.

Tuus in Domino
Franc. Stancarus.

dixit, et petentibus, chirographo quoque suo idipsum testatus est. Id quando adepti sunt illi magnopere apud Clavennensem Ecclesiam de Curiensis Ecclesiae cum suis consensu gloriabantur, quasi hoc facto tota res confecta esset. Ea erat hominum malitiosa pervicacia, ut nec baptizari suos a Maynardo desiderarent, nisi sua quam et Commander probaverat acceptata confessione. Ausus id facere est ipse NIGER; qui quum ex uxore infantulum suscepisset, venit ad Maynardum adhibito secum teste, et producta sua de baptismo fidei confessione volebat *infantem baptizari in sua fide*. Respondit Ecclesiastes se baptizaturum esse infantem in nomine P. et F. et Sp. S. in fide Ecclesiae Christi non sua: nam tametsi etiam parens erraret in fide, non propterea infans male baptizatus esset; praeterea nolebat aliam servare formam in baptizando unius Scioli infantulo, quam hucusque cum fidelium omnium infantibus servaverat. Tantum de se praesumebat Vergerius, ut crederet, pari modo quo Comander et Blasius ad approbandam Nigri confessionem inducti fuissent, a se ipsum Maynardum circumveniendum fore. Conveniens igitur captata occasione Maynardum, jussit coram eo Nigri confessionem legi: eaque perlecta ipsius super ea judicium rogavit. Maynardus post accuratiorem scripti inspectionem, Nigri confessionem dixit sibi placere quod ad articulos pertineret fidei: sed in parte de Sacramentis plura esse quae notari mereantur, et inter ea etiam illud ubi ait: Sacramenta conferre quod promittunt, gratiam videlicet, remissionem peccatorum, et vitam aeternam. Tanto liberius haec Vergerio dixit ut moneret eum ne praeceps eam confessionem in publicum (quod postea feciſse memoratur) daret, et per Italiam spargeret, sicque Scandalum oriatur, quod inevitabile foret, edita etiam Maynardi confessione: ex iis enim editis patebat duorum qui in eodem loco docebant diversas aut plane contrarias esse confessiones. Vergerius ubi nihil se proficere vidit, aliam tibiam inflavit, dicens contentiones has esse de lana caprina, nec dignas super quas contendatur: oportereque vitae reformationem urgere. At quamvis istud peropportunum esse et necessarium judicaret et ipse Maynardus, nequaquam tamen adduci poterat, ut quovis Spiritu permitteret suum ovile per paradoxas et noxias quaestiones turbari, quod Camillus et Niger vellent, hinc enim aliud evenire non posset quam ut ipsa Ecclesia dissipetur, et Italia sic lustrum corruptorum hominum evadat: consulebat ergo

ut antequam Vergerius Nigri confessionem ederet, amicam inter se collationem haberent, quum forte sit hac via eventurum ut in concordiam coëant, siquidem saepius eveniat controversias in verbis tantum, non in sensu consistere. Verum recusarunt id consilium uterque, dicentes non velle se verbis contendere. Ad quod quasi remissus confedit Maynardus, videns agendum sibi cum hominibus qui prodire in palaestram illicitum clamarent, Schisma vero interea facere ac diducere licitum re ipsa facerent. h)

Dolebant pii Ministri reliquae Raetiae per infelicem Camillum florentem adeo Ecclesiam in partes scissam esse: pacemque tam Mayn. quam Camillo suadebant: sed cadebat omnis opera in vanum, cedere quippe hic nolebat, ille non poterat. i) Conscripsit circa idem tempus, et eam forte ipsam ob causam, Bullingerus Declarationem sive demonstrationem de Sacramentorum usu ac virtute, quam Comandro et Blasio submisit, ut si libelli usu forte contendentes componantur: k) verum nullus his movebatur Camillus. Integra quoque Ministrorum Raetiae Synodus Ao. MDXLVII. disceptantes ad rationem fidei dandam ad se evocavit: kk) Sed nec comparuit Camillus, nec ad eam quid-

h) Mayn. ad Bull. infr. adduc.

i) Blas. ad Bull. 20. Sept. 1547. Supr. cap. II.

k) Blas. ad Bull. ult. Octobr. 1547. Remitto tibi hic una cum Epistolio, quo tibi juvenem Italum commendavit Coelius Secundus, quem et nos litteris, nec non et viatico non poenitendo fratribus in itinere versus Patavium versantibus impense commendavimus, Demonstrationem tuam clarissimam de Sacramentorum usu ac virtute, pro qua tibi, et quod tam diligenter ad nos digneris scribere. Commander et Ego ingentes habemus gratias. Nam nihil dubitamus, quin in componendo hoc dissidio inter fratres multum nobis accommodabis: quam et prelo edendam jugiter optaremus. Quis non dubitat, quam plurimos non tantum inter nos, verum alias ignorantia non malitia, circa hanc quaestionum de usu et virtute Sacramentorum, quam tu hoc opere clarissime enucleasti, errant, quos sine dubio illius editione ab errore revocares, multosque mordaciter inter se contendentes reconciliares. ——

kk) Blas. ad Bull. 16. Kal. Nov. 1547. Discordiam illam inter Augustinum et Camillum Ecclesiae Clavennensis Ministros aegerrime ferimus, quam videmus e Satana

quidpiam scribere voluit. Adfuit autem Maynardus, et confessio ipsius coram venerando consessu lecta, orthodoxa, ac pia judicata fuit. 1) Imposuit itaque Synodus Camillo silentium, et ne in posterum se Maynardo amplius opponat injunxit: verum surdo fabula, id quod ipsi praesagiebant decernentes, quibus notum erat tortuosum et pertinax hominis ingenium. Ea enim illius erat calliditas ut nunquam videri vellet Sanctorum judicium refugere: Sed ubi ad id deveniebatur, indidem ad mentem pristinam resiliebat. Hinc quum aliquando controversiae decisionem Ministris Curiensibus submittere promitteret, hi causae discussionem in se recipere recusarunt, auctoresque fuerunt utrique parti Tigurum, ubi eruditionis et auctoritatis copia major esset, abeundi, illorumque judicium expetendi. Maynardus consilium amplexus, Symmistarum commendationibus stipatus m) Junio mense Anno

M 3 MDXLVIII.

Satana excitatam ad conturbandas Ecclesias nostras. —— Tuum erit ad hanc sopiendam consilium et auxilium tuum praebere. Unus asserit promissa Dei Sacramentis quodam modo confirmari, alter negat. Citavimus utrosque ad futuram nostram Synodum, quae dicta est proximis post D. Martini diebus, qua uterque ut contentionis suae rationem reddat injungetur.

1) Id. Eid. 12. Decembr. 1547. —— Postremo et certamen inter Dominos et fratres Augustinum et Camillum, et quo medio compositum sit accipe. Lectis tuis de institutione et virtute Sacramentorum dogmatibus citavimus utrosque quo ambo ad proximam Synodum compareant, nobis fidei suae et doctrinae quilibet rationem reddat. Quam ab Aug. scriptam in consessu nostro legimus, eamque et orthodoxam et piam, hoc est tuae doctrinae, caeterorumque cum veterum tum recentiorum Auctorum consonam et undique conformem approbavimus. Camillus vero nescitur quo Spiritu ductus, non comparuit, nec quidquam rescripsit, cui ne in posterum vera concionanti contradicat, silentium imposuimus. Sed veremur surdo fabulam ceciniſſe. Nosti enim quam pertinacia et contentiosa hujusmodi habent ingenia etc.

m) Id. Eid. 3. Jun. 1540. Venit ad Te et caeteros Ecclesiae vestrae Proceres D. Aug. Maynardus Clavennensis Ecclesiae Minister, qui tametsi senex et onustus dierum sit, nihil tamen laboris ac molestiarum ut Ecclesiae Christi consulat perferre detrectat. Cupiebat ipse ut nos de doctrina ipsius judicaremus, et nostro judicio paratus erat stare: Verum quo sua confessio fidei et doctrina quam credimus Vestrae et nostrae, quin imo verbo Domini conformem esse, vestro calculo magis approbaretur, decrevimus illum ad vos mittere, ut et hominem agno-

MDXLVIII. Turicum se contulit, Bullingero integroque Ministerio, Camilli mores, turbas, et Ecclesiae Clavennensis faciem exposuit, confessionem suam eorum censurae subjecit. Tigurini confessionem adprobarunt; idem fecere et Basilienses, quorum calculis reduci Maynardo faciles etiam suum addiderunt Curienses duo supramemorati. His albis calculis onustus Maynardus Clavennam rediens in prima statim concione audientibus confessionem suam explicavit, subscriptionis et sigilla Tigurinorum, Basileensium, et Curiensium quibus confirmabatur ostendit; sequenti vero sermone litteras eorundem, quibus omnes ad concordiam et doctrinae consensionem hortabantur, vernacule (italice) recitavit, benignitatem sibi exhibitam, caritatem et laborem in confessionis examinatione impensum prolixe edisseruit, denique subscriptionem illius ea cum declaratione a coetu suo exegit, ut si se velint Ministrum, primo unitatem doctrinae, quae ab illis Ecclesiis unde Raetis Evangelii lux affulsit, intemeratam et conformem omnes teneant: secundo ut introducta observetur disciplina Ecclesiastica hactenus neglecta, cujus lege in infideles et contumaces excommunicatio vibrari queat. Quantumcunque haec omnia pro Maynardo militarent, movere tamen Camillum non potuere ut manus daret; quinimo is potius per acerbiora media in diversa omnia agebatur; eratque abunde clarum Camil-

agnoscatis pie de Christo sentientem, et probate vitae virum. Hisce brevis. tibi eum commendatum volo, ac vale. —— Item Command. ad eund. Kal. Jun. 1548. Rogavit me venerabilis Pater Augustinus Maynardus Ecclesiae Clavennensis Antistes, vir bene meritus de Ecclesia Christi: litteras petiit a me ut occasione Te accedendi et commodior illi aditus pateat, quamvis mihi tua pietas et ingenua facilitas ita perspectae et cognitae sint, ut quivis Christum recte docens et ipsius Evangelium promovens Tibi semper et per se satis sit gratus et acceptus. Tu igitur virum pium et honestum benigne suscipias ut soles. Orta est quaedam controversia in Ecclesia Clavennensi ut a partibus ambabus audies; des operam cum caeteris Symmistis ut complanetur, ne gravior offensa ingruat. Sunt enim ingenia illa italica ad contentionem prona, et ad placandum difficilia: possent tandem illorum litigia et contentiones nobis omnibus damnum, et jacturam Evangelio quoque adferre. A nobis quidem petierunt ut eorum causam et controversiam ad definiendum suscipieremus. Sed cum exigua et tenuis esset nostra tum eruditio tum auctoritas, etiam cum sentiremus amborum animum, Tigurum adeundi promtum esse, consuluimus, ut potius ad vos, ubi eruditionis et auctoritatis sufficientia est, pergerent. Tu igitur viros illos pro candore tuo suscipias, et tractes ut nosti et solitus es.

Camillum citius illam Ecclesiam disperditurum, quam a sententia animo infixa recessurus esset.

Ne igitur simultas infelix apertam rupturam gigneret, fuerunt pii et pacis Ecclesiae studiosi Maynardo auctores, ut de rigore paullulum remittat, deque controversis articulis in Sermonibus sacris loqui abstineant, et Camillo faventes haud secus ac alia Ecclesiae membra tractet. Ipse quoque Bullingerus fraterne illum monuit ut moderationi studeret, et incolumitatem doctrinae quantum pote sine contentione servaret. Et Maynardus lubentissime ipsorum consiliis obsecundasset, nisi ex ejusmodi silentio fuisset periculum, ne omnis doctrina totumque Maynardi ministerium ceu vanum et falsum proclamaretur, et medicina ipso morbo deterior evaderet: unde totus animo haesit anxius quî Ecclesiae concordiam adinveniret, adversantes lucraret, simulque sui Ministerii honorem salvum tueretur. En sollicita ejus ad Bullingerum verba: „Quod me mones, inquit, ut quantum caveam a schismate „ salva nihilominus et incolumi doctrina, continuo feci et adhuc „ facio. Sed qui se a nobis separaverunt, qui tamen pauci sunt, se „ doctrinae causa separaverunt. Nolunt jam ad nos redire nisi tace- „ am veritatem, videl. Sacramenta de Dei promissionibus fideles con- „ firmare. Volunt hoc taceam quod verbo Domini probatur et „ auctoritate illustrium Ecclesiarum, nempe a vobis et a Dominis Ba- „ silienſis Ecclesiae et demum a Curienſi Ecclesia confirmatum est. „ Tacebo veritatem ut placeam hominibus, non jam firmis sed obstinaci- „ bus, et his quidem paucis cum detrimento reliquae Ecclesiae, et „ magno aliorum Scandalo! Ajunt se bona conscientia coenam Domini „ non posse nobiscum sumere stante ea praedicatione. Haec est ipso- „ rum responsio. Possunt cum bona conscientia schisma facere et non „ possunt nisi taceatur ac negetur veritas, nobiscum Sacramenta suscipere! „ Possunt cum bona conscientia Ecclesiae unitatem scindere, pro qua „ Christus mortuus est ut illam congregaret in unum, et non pos- „ sunt symbola pacis et unitatis cum reliquo Christi corpore participa- „ re! Et ut noveris, nunquam coëgi illos ut id crederent aut tene- „ rent, tantum, ne ea causa Schisma facerent, monui. Ipsi me Mini- „ strum cogere volunt ut taceam. Tanti ergo faciam malam ac per- „ versam pacem, ut sanctam Dei profstituam veritatem? Absit maledica

„ pax,

„ pax, quae nisi veritas dimittatur, retinenda non proponit. Omnia „ tentavi, hortatus sum, rogavi cum lacrymis ne discederent, imo ve„ niam petii, si quid eos offendissem. Si tacuero, dixi, suspectum de „ falsitate reddam Ministerium meum; doctrinam meam hucusque va„ nam putabit Ecclesia: me vero contra conscientiam, quod semper „ docui ab eo die, quo primum vobiscum fui, abnegare coget. In„ cassum omnia feci! Doce tu me quid mihi agendum sit, qui sapi„ ens es. Ego inops consilii sum. Decrevi igitur adtendere reliquae „ Ecclesiae: illos non abjiciam: si exire volunt, exeant quos retinere „ non possum. Si redire voluerint, humanissime et cum gaudio reci„ piam amplexaborque. STANCARUS abiit, et nulla ei datur fides „ praeterquam a FRANCISCO NIGRO viro bono sed facili; et vero post „ Stancari discessum iis se adjungit, qui favent Camillo. Continet „ se nunc in Valle Tellina, ubi nonnullos Grammaticam Hebraeam „ docet. „ Ea Camillianorum pervicacia adeo lassaverat Maynardum, ut pertaesus injuriarum Ecclesiam deserere cogitaret, et discessum in Angliam, quo ab OCHINO invitabatur, moliretur. Ast obstitere nova de tumultibus, et periculis in eo regno indies orientibus personantia; quare in statione remansit, Deo sic dirigente, ne fido Pastore grex orbaretur.

Ingemuit Clavennensis Ecclesiae sorti BALTHASAR ALTERIUS, qui ex Helvetia, apud quos Protestantium italorum causam commendaverat, per Raetorum ditionem in Italiam remeabat; quantumvis minus accurate edoctus credebat malum illud sopiri facile potuisse, si Maynardus minus odio indulgeret. Mature tamen is Bullingero suggessit, ut Curiensibus Ministris, qui auctoritate aut opinione apud caeteros magis valerent, auctor esset, ex Synodi integrae numero dexteritate eruditioneque valentes aliquos deligendi, qui causam cognoscerent et dirimerent. n) Providum sane consilium, ut quum nisi mature obveniretur

n) Alterius Curia ad Bulling. 28. Jul. 1549. Venetiis dum hic essem allatus est nuntius, acerbiorem indies fieri persecutionem in sanctos Dei. Itaque non sine discrimine illuc proficiscor; scis enim quam invisus sum Papistis et impiis: Sed non temere committo me itineri. Deus vero servabit me ab omnibus his malis. Tu pro me rogabis illum.

Eccle-

retur metus esset ne Vallis Tellina lustrum evaderet hominum corruptorum, oo) opinio enim erat omnium, totum Italiae Anabaptismum ab uno Camillo pendere, pp) unde in superstitibus amoebeis fere Anabapti-

Ecclesiae hujus Vallis Volturenae mirum in modum ubique augerentur in via Domini, ni duo mirifice obstarent. Alterum est venenosa Camilli doctrina, quem nosti; inficit et perturbat is omnium mentes. Alterum vero ignavia quod tibi fortasse incredibile videbitur Doct. Augustini Clavennensis Ecclesiae Antistitis: is enim nulla in re Pastorem agit, ut ex multorum probatissimorum Virorum Testimoniis saepe audivi, et ego ipse aliqua inspexi. Nam ejus incuria illa Ecclesia penitus dissipata est. Quare huic calamitati ita prospici poterit, si ii duo sistere jubebuntur ad Synodum Curiensem, quae ab illis Ministris ut scis bis in Anno celebratur, reddituri rationem alter de doctrina, alter vero de sua administratione. Res est non negligenda ——. Poteris Blasio significare ——. Antehac Ego recte sentiebam de Augustino, nec ea mihi potuissem persuadere, nisi hisce oculis vidissem. Sed optarim ejusmodi apud Te servari, ne si forte rescisserent detractoris aut delatoris subirem nomen ——. Has curabis ad Lelium nostrum transmitti ——.

Id. Eid. Postclav. d. 3. Aug. 1549. Scripseram Tibi quid fideles cupiant ad salutem primum Ecclesiae Clavennensis, quae multis ac magnis discordiis pene dissipata est; id autem est ut per Synod. Curiens. ii duo removeantur facta cognitione causae, Augustinus scil. Minister Clavennae, et Camillus Anabaptistarum Patronus. Quod si ad Ministros Curienses scripseris ea de re, non tam mihi qui Te unice observo, sed Episcopo Vergerio, imo omnibus fidelibus qui sunt in hisce partibus gratissimum feceris, et gloriae Christi, quae nunc eo pacto periclitatur, rectissime prospices. Dabis igitur operam, ut in hac tam gravi causa, Te eum esse sentiamus, qualem semper existimavimus, i. e. Ecclesiae Christi summum Patronum et curatorem.

Ego Postclavium veni una cum Episcopo Vergerio. Is habet omnia parata contra Anti-Christum fulmina, quae jaculaturus contra illam bestiam. Dicit se hic hyematurum, ut opus suum perficiat. De me vero nihil spei pollicetur ista nimis insolens persecutio Venetorum. Litterae illae commendatitiae nihil proderunt ——. Commendo Tibi hunc fratrem qui deserto Monachatu et Missa ex Italia aufugit ——.

oo) Verba sunt Verger. ad Bull. 11. Oct. 1552.

pp) Id. ad eund. 10. Jun. 1553.

baptistarum *coryphaeus*, *nauclerus*, et *patronus*, ab orthodoxis vero *pestis* Ecclesiarum et magnus *haereticus*, *haereticissimus* Camillus vocatur. Nolebat Camillus pro tali turbone haberi; ferebatque aegerrimo animo Bullingeri indignationem, qui omne litterarium commercium, aliasque amicitiae testificationes post aliquoties factas admonitiones abruperat, et ejus nomen haeretici elogio apud amicos notaverat: tentavitque Camillus sibi eam recuperare. Ast Bullingerus ex tunc nil sibi cum homine illo commune voluit; maxime quando post frequentes instantias etiam a Maynardo ipso rogaretur causam Ecclesiae Clavennensis Commandro et Blasio Curiensibus Ministris eum in tenorem commendare, ut vel ipsimet Clavennam veniant, vel sua opera efficiant, ut superiorum auctoritate instructi cordati aliquot viri eo delegentur, qui in Schismatis causam inquirant et omni partium studio procul habito de restituenda Ecclesiae pace decernant: quod ipsius quoque Alterii consilium fuerat. Placuit sancto illi viro remedium oblatum, ejusque adplicationem Raetiae Ministris persuasit; unde hi pro Synodo congregati quatuor hosce PHIL. GALLICIUM Lavinienſis, JO. BLASIUM Curienſis, ad Div. Regulae, ANDR. FABRICIUM Davosianae, et CONRADUM JEKLINUM Thosanenſis Ecclesiarum Pastores delegerunt, qui ad tollendum infelix certamen Clavennam se conferant, et quod opportunum videretur ad manus sumerent.

Perculsus exstitit Camillus quando Ministerii Raetii in suos cuniculos adtentionem futuramque inquisitionem intellexit: igitur ne quidem deputatorum Evangelicorum Mystarum adventum exspectandum ratus discessum a Clavenna moliebatur. Sed quum ejusmodi subitus ac clancularius discessus malam ipsius causae et personae adspergeret famam, adhuc causae inquisitionem operiri decrevit; intereaque semet ad causae suae tractationem omni studio paravit. Scripsit primo confessionem fidei ad illustrem virum FRIDERICUM a SALICE, per quam evictum nempe iri putabat nullatenus Camillum in ullo religionis Christianae dogmate a vero aberrare. Paucis illa versibus concepta est ad Symboli Apostolici articulos: videturque auctor metrum prae libera elegisse oratione, ut tanto facilius lateret, et sua nihilo minus propinaret: Caeterum articulos plures, quorum ipsi dica impingebatur, dissimulans praeteriit. Deinde Schismatis omnem causam in Maynardum devol-

devolvere conatus est, scripto libello, cui titulum fecit: *Errores ineptiae, scandala, et contradictiones Augustini Maynardi ab Anno MDXLV. et citra*; in quo farragine non minus operosa quam prodigiosa Maynardum centum et viginti quinque errorum reum agebat. Libello Praefatio adjecta erat circa personam Maynardi, quamvis in ejus mores utpote inculpatissimos, et quorum ipse olim apud alios praeco exstiterat, nihil habuerit, aut sustinuerit effutire. Maynardus ne causae justae deesset in libellum responsionem adornavit, quantum colligere datur judiciosam, et in qua cum pietate certavit modestia: interiere tamen utraque, jactura admodum levi: Camilli confessionem sub capitis finem mantissae loco adjiciemus. Supramemorati autem a Veneranda Synodo delecti quatuorviri mense Decembri Anni MDXLIX. in viam se dederunt, et altero postquam iter ingressi essent die ipsis nonis Decembr. Clavennam appulerunt, et a submisso obviam nuncio in aedes FRANCISCI PESTALOTZAE deducti, humanissime excepti fuere.

Quandoquidem vero per nundinas ipsis illis diebus celebrari solitas, cives negotiis distracti essent, simultates item comperirentur supra quam opinati erant graves, dies aliquot absumti sunt infructuosi. Interea ad resarciendam pacem consilia capientibus in mentem venit concertatio illa adversus Calabrum Vettonienſem ante quinquennium habita, et qua quo modo communibus tam Evangelicorum quam Romanensium viribus feliciter turbo ille debellatus fuerit: idem itaque medium hac quoque occasione tentare opportunum duxerunt. Sacerdotii proin ejus loci Societatem ambituri, sequens ad Archipresbyterum et Canonicorum collegium submisere epistolium:

„ Missis nobis a fratribus Capituli praedicantium Evangelium Do-
„ mini in nostris Foederibus ad sarciendam concordiam hic inter fra-
„ tres et cives vestros, visum est civile christianaeque charitati conso-
„ num et Vos Viros praestantissimos salutare. Nam etiamsi in fide
„ per omnia concordes non adhuc sumus, speramus tamen per Dei
„ gratiam omnes nos aliquando unanimes fore. Certe enim ditionis
„ et patriae sumus unius. Deinde si vobis placet Viri praestantissimi,
„ parati sumus et vobiscum loqui de communibus rebus fidei Christia-
„ nae nostrûm omnium, si inquam volueritis vos. Nos enim liben-

„ ter et loquimur et audimus de rebus Domini et Servatoris noſtri Jeſu „ Chriſti, extra quem ſalus eſt nulla usquam. Interim petimus a Vo„ bis ut reſponſum aliquod Veſtra humanitate dignum nobis detis. „ Sed tamen quidquid eſt optamus vobis omnibus bona omnia. Da„ tum Clavennae, ex aedibus Domini Franciſci Peſtalutzae, die octava „ Decembr. Anno 1549.„

Sacerdotibus invitatio ejusmodi inſueta admodum viſa fuit: ad eam interea ſequentia repoſuerunt:

„ Per chirographum quoddam Veſtrum, in noſtra adeſſe Vos pa„ tria intelleximus: quapropter adventui ſummopere congratulamur, ni„ mirum adtendentes cauſae, per quam translati eſtis, videlicet ad re„ conciliandos quosdam ex noſtratibus imbecilles in articulis fidei ri„ xantes; quod ex Deo non eſt. Quoniam non eſt Auctor confuſio„ nis Deus, ſed pacis in omnibus congregationibus ſanctorum. Quam „ ob rem per Chriſtum Jeſum obſecramus vos diligenter ſatagere ope„ ris Veſtris ut unanimitati ſtudeatis, ut uno ore honorificetur Deus; „ quod fieri non poteſt niſi adjuvante Domino Jeſu Chriſto benedicto, „ quemadmodum ait Paullus ſecundo Capite ad Epheſios: *Ipſe enim* „ *eſt pax veſtra, qui fecit ex utrisque unum etc.* Cujus finis preca„ tonis erat ut ſuos redigeret in unum eo obſecrante Joannis deci„ mo ſeptimo: *Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo quos dediſti mihi,* „ *ut ſint unum ſicut et nos.* Caeterum Auguſtinus de Civitate Dei „ ait: *in civitate Dei recta eſt veritas, lex, charitas, dignitas, aequi„ tas, pax, felicitas, vita, aeternitas etc.* Poetae: *Moribus in ſanctis* „ *pulcra eſt concordia pacis. Concordia res parvae creſcunt, diſcordia* „ *vero maxima dilabuntur.* De poenitentia diſtinct. Sept. *Diſcordia* „ *eſt peſtis charitatis, et ſine charitate non eſt vera ſalus. Cura ſuper* „ *omnia charitatem, quia charitas eſt vinculum pacis etc.* De caetero „ autem de convenientia in unum, ad colloquendum de ſacris ſcriptu„ ris, quoniam inter vos et nos magnum chaos firmatum, propterea „ huic operam dare, erit arenae ſemina mandare, idcirco praetermittere „ certamen, dijudicamus eſſe eligendum. Attamen propter vos in „ nonnullis hactenus, nos ac noſtra Vobis chariſſimis oblata ſunt om„ nia. Quod ſupereſt fratres valete, integri eſtote, conſolationem „ habete,

„ habete, unanimes sitis, in pace agite, et Deus charitatis ac pacis
„ sit vobiscum. Salutant vos omnes sancti. Gratia Domini nostri
„ Jesu Christi, et charitas ac communicatio sancti Spiritus sit cum
„ omnibus Vobis. Quinta Idus Decembris Anni 1549.„

Vestrae fraternitatis

Capitulum Clavennense.

Quorsum hoc responso in omnem licet modestiam composito Sacerdotes intenderint, nemo tam obesae naris fuit qui non perciperet: igitur delegati, sentientes a sacrificulis Evangelicorum dissidia perstringi, ab Epistolio ceu stimulo tanto fortius commoti sunt ad eruendas dissidii causas, et reddendam Ecclesiae pacem. Convocatae partes sunt: et satis acriter odioseque per integros duos dies disputatum est. Camillus, Niger, et alii qui Maynardum ab Ecclesia illa remotum cupivissent, in eum ceu mali fontem inclamare: Maynardus Camilli libros quos de Paedobaptismo, et Coena Domini, alium item in se directe oppositum scripserat, producere, errores in illis sparsos notare, turbelasque in Ecclesia motas edisserere. Non poterat Camillus objecta negare, quum in omnium manibus exstarent ipsius libelli, et facta erant lippis ac tonsoribus nota: e contra laudi datur Maynardi quod mansuete, pie, et cordate respondendo jacta et impetus adversantium, unus sic exceperit, ut imputata omnia in fumum evanescerent. Delegati postquam utriusque partis Argumenta sufficienter auscultassent, ad deliberationem processerunt; in qua Camillo tum publice tum privatim leg ndi docendive provinciam abjudicarunt: Aliud vero gravius quid peculiare in dissidentes statuere voluerunt, solummodo contenti de controversis articulis suam exponere declarationem. Ea in scripta relata, dissidentes convocati de novo sunt: Quos primo omnium nomine PHILIPPUS GALLICIUS praeclara oratione latina ad concordiam efficaciter hortatus est, tum quae circa disceptatos articulos ex Dei verbo, et reliquae Evangelicae Ecclesiae consensu credenda observandaque judicaverant porismata enunciavit et praelegit; quae hujus sensus fuisse referuntur.

I. Fidelium infantes baptizare esse Christianum.

II. Semel

II. Semel baptizatos, vel a Papistico Sacerdote in nomine P. F. et Sp. S. rebaptizari non debere.

III. Deum nosse quando infantibus Spiritum sanctum largiatur.

IV. Infantes sine baptismo decedentes, dici non debere damnatos.

V. Panem et vinum coenae Dominicae, item baptismum, recte appellari Sacramenta.

VI. Sacramenta confirmare suo quodam modo fideles, veluti instrumenta, quibus Dominus quasi verbo suo, licet non sonoro, sed innuente idem quod vox sonora et scripta significet, et quasi sigillis signaculisve utatur, quibus promissionem verbo scripto et sonante a se factam adtestetur, confirmet, et ratam habeat.

VII. Sacramenta non proprie sed improprie loquendo (nempe per tropum scripturae de Sacramentis consuetum, forte alloeosin) gratiam conferant.

VIII. Ad coenam Dominicam posse eum accedere qui remittat proximo, alioqui vere pius, et compellaverit eum de concordia, petieritque pacem.

IX. Jejunium indictum non vituperandum, etsi mallemus libere fieri, quam coacte aut statis diebus.

X. Testamento legare aliquid pauperibus contra fidem non esse.

XI. Sepulcra sibi constituere ac praeparare tantopere non esse clamandum, quanquam redoleat quid carnale et nominis avidum.

XII. Loca terrae sanctae invisere non esse peccatum per se, maxime ut loca scripturis celebrata melius intelligantur.

XIII. Monasterio nuper egresso Christiano, cingulum gestare vestesque

que Monasticas indifferens esse, pro circumstantiarum ratione temperandum.

XIV. Animos defunctorum non scire quae hic geruntur.

XV. Sanctos in coelis non esse intercessores pro nobis, sed Christum.

XVI. Animas post primam mortem corporis nimirum, vivere et sentire.

XVII. Argumentis et sequelis, ut ita loquar, agere posse Christianum Doctorem.

XVIII. Optandum esse ut excommunicatio sit in Ecclesia.

XIX. Puerorum Catechismum valde probandum.

XX. Ecclesiam statuere debere quoties sit concionandum.

XXI. Si quid denique aliud acciderit inter Pastorem et oves, id esse deferendum ad Synodum, quo omnes conveniant. o)

Conclusiones dictas utraque pars acceptavit, et pro christiana interpositione arbitris gratias agit: quare omnibus, ut species dabat, feliter compositis, Arbitri honorifice dimissi, laetique domum suam reversi sunt. Quia vero conclusiones istae non singulis respondent lemmatibus ex Camilli libris protractis et superius exhibitis, pronum est Colligere Camillum eorum, quorum hic nulla mentio, defensionem suscipere detrectasse. Nec tamen post Disputationem mutatus est, sed eundem semper pro ingenio se gessit. In primis quoad articulos de Paedo sive Anabaptismo et animorum mortalitate priscam semper sonuit sententiam. Quare ex seniorum itidem censura illi, primum lectione sacra tum publica tum privata interdictum fuit, et quum pertinax audire

o) Conf. Camp. Hist. Lib. II. Cap. LX. pag. 1253. et Cap. LXII. pag. 1286. sqq.

dire Eccleſiam recuſaret, coram toto coetu ſacro die 6. Julii Ao. MDL. excommunicationis fulmen in eum vibratum eſt. Ex quo tempore tranquillior equidem Eccleſiae illi aura affulſit, quanquam ſemper remanerent qui placitis ejus delectarentur; opiniones mente ſolum prementes. Demum Anno MDLXI. Petrus LEONIS eadem veſtigia premens, confeſſioni Eccleſiiae Clavennenſis, et omnium maxime articulis contra Camillum directis, ſubſcribere recuſabat: Sed et cum eo cauſa mox transacta et nubes diſcuſſa fuit.

Nunc ad pleniorem dictorum confirmationem et illuſtrationem, Camilli confeſſionem, et litteras aliquot amoeboeas, ex ipſis *Avtographois* mantiſſae loco adjiciemus.

I.

Camillus improbat Lutheri ſententiam de S. Coena, ſimul et vehementiam in Tigurinos: Sed nec Bullingeri ſeu Tigurinorum quoad illum articulum in totum vult approbare. Quaenam igitur de S. Coena ex ſua mente habenda ſint prolixius, dilucide, et acute exponit: et injecta de Conc. Trid. mentione Epiſtolam claudit.

Superioribus diebus Domino Petro Phinēro ad Te litteras dedi. -- In his libellum nobis dono miſſum pergratum fuiſſe ſignificabam, eoque magis quod nondum ejusmodi ad nos pervenerat quod tantopere exſpectabamus. Quem non Lutherus ille ad ſcribendum non impelleret, Vobis maxime gratulabar, tum quod adverſarium ſumma, quantum licet modeſtia, confutaretis, tum vero quod plerique noſtrûm quoque in Italia Chriſti Evangelio, ut licet, operam damus, in Veſtram prope ſententiam ire videmur. Libellum perlegimus, non poteſt non nobis maxime probari in cauſa praeſertim tam juſta, dolere nos vehementer D. Lutheri fratri noſtri fortuna; ſperare tamen eidem ipſi Deum, quo *propitio* tam magnifica olim ediderit, ea in re tandem affuturum. Itaque quo ex ſententia citius eveniat, aſſidue precamur ex animo. At veſtro in libello (ut dicam plane rogatus quod ſentio) eſt quidem quod non adhuc nobis ſatis arrideat, neque id vos aegre laturos,

turos, nisi, quod absit, non putetis nobis quoque licere ad eam rem nostram afferre sententiam, cum ob id genus rerum extra fidei articulos esse Vestro judicio scribatis, ut nos cum fratribus vobiscum, scil. omnium ut eruditissimis, ita etiam suavissimis agamus.

Vos affirmatis in Coena, quam nobis Christus ipse celebrandam, cum liberet, instituit praeter panem et vinum vere quodam modo corpus Christi edi et Sanguinem potari. Id nos quo scripturae testimonio firmari possit, non satis adhuc perspectum habemus. Atqui scripturae tantum utrique nostrûm tribuendum censent, ut nihil extra illam dictum a quovis accipiendum nobis aut defendendum arbitremur. At cum Christus hoc inquit facite in mei commemorationem, quibus sane verbis coena Christianis praecepta est, non modum manducandi corpus, aut bibendi sanguinem posteritati praescriptum esse arbitramur, sed tantum commemorandi. Quandoquidem manducandi corporis aut bibendi sanguinis unus plane modus est: at commemorandi plures possunt esse. Novum itaque modum commemorationis iisdem verbis, non manducationis instituit. Et diversa quidem inter se plurimum videntur esse manducatio et commemoratio, ut non possint facile convenire Manducatio namque fit semel, tum cum primum Evangelio assensus fueris ex animo: at commemoratio fit quotiescunque libet. Illud a singulis quibusque: hoc non nisi in conventu et concione. Illud clam etiam: hoc non nisi palam. Illud citra panem aut vinum: hoc nunquam rite nisi panem et vinum adhibeas. Illud ut peccatorum condonationem assequare: hoc ut Te assecutum jam pridem testere. Illud hortatus: hoc jussus facies. Illud si quo tibi modo non contingat, nequaquam proditionis accusabere: hoc vero si audeas, nulla fide vel diminuta, proditoris poenas et daturum certo scias: Ad illud impios hypocritasque invitari; ad hoc non nisi pios et Christianos rei peritos admitti. Illic corpus et sanguinem accipere perinde est ac credere, persuasumque esse Christum in rem tuam mortuum, corpus in crucem traditum, sanguinem effusum: hic panem et vinum libare est recordari ac commemorare mortem Christi pro nobis, hoc est corpus cruci traditum et sanguinem fusum in remissionem peccatorum nostrorum.

Dictum Christi, scilicet: hoc facite, Paullus 1. Cor. XI. ita interpretatur, quotiescunque n. manducabitis panem hunc, et biberitis calicem, mortem Domini usque dum veniet vos adnunciare velim arbitremini. Itaque praescriptum nobis a Christo putamus, ut panem; non corpus; vinum non sanguinem, ubi convenitur, edamus et bibamus, idque in eum finem qui sane spiritualis est et sacrosanctus, ut videlicet commemoremus mortem Christi, credamusque nos in perpetuum liberatos a morte. Scriptura quoque, quod ipsi plane nostis, fractionem appellat panis non corporis manducationem. Deinde si recordatio est rerum plane factarum, eoque absentium non praesentium aut futurarum sit necesse est. Postremo ineptum sane fuerit ac Christo indignum si dixisset: edite me in mei commemorationem, quam Domini vocat Paullus et mensam Domini, non plane ad quam accumbas ut Dominum edas; sed ad quam una accumbas, et ex praecepto Christi Te ad Christi Societatem, regnumque pertinere testatum facias.

Et meo judicio quidem, ut hoc etiam obiter dicam, coena de qua Paullus ad Corinthios scripsit ab iisdem corruptam, neque ad institutum Christi celebratam, duo continebat: Epulum videlicet ac libationem. Epulum praeter panem et vinum, alterius generis quoque ut res ferebat obsonia habebat: libatio vero praeter panem et vinum nihil praeterea. Atqui corruptela non quidem (ut conjicio) libationis erat sed epuli. Eo nam spectant illa: alius esurit, alius ebrius est. Atque si quis esuriat, ut famem exspectandis convictoribus ferre non possit, domi manducet. Non n. molestum erat ad libationem exspectare; id nam facillimum pransis fuisset, secus ad Epulum. Quare coenam Dominicam non manducabant, qui reliquos ad epulum non operiebantur. Atque id erat eosdem reos esse corporis et sanguinis Domini, neque corpus Domini dijudicare. At verisimile cuinam fuerit in Epulo corpus Domini edi, aut sanguinem bibi quovis modo. Et quidem epulum illud christianum, ad quod omnes una promiscue accumbebant, spiritualis cujusdam et divinae conjunctionis symbolum erat, quam omnes una promiscue in corpore Christi et sanguine plane haberent tanquam uno in corpore conjuncta inter se membra. Hanc labefactari, ubi suo quisque ventri fame lacessitus, non exspectatis aliis, indulgeret, ut non injuria reus corporis et sanguinis Domini censendus esset,

esset, qui conjunctionem illam corporum, qua nimirum spiritualis illa repraesentabatur, ut dixi, neglexisset, nimirum ignarus quorsum eam Coenam promiscue atque aggregatim celebrandam Christus instituisset. Quod epulum utinam nobis aliquando restituatur, ut libatio propter Dei benignitatem jam restituta est, quo plenam non dimidiatam Coenam alacrius coenemus. Jam quorsum haec scripserim vides optime Bullingere: itaque frustra mihi videntur laborare, qui eas Paulli sententias adversus nos jaciunt, ut edi quodam modo corpus, et sanguinem bibi in coena Domini comprobent.

Quod si quis Coenam, quam una cum Apostolis Dominus fecit nobis objiciat, ut ex dictis in ea nostram sententiam evertat, est plane quod illi nec opinanti demus, fateri nos ex animo in ea coena Christum praeter panem et vinum, corpus quoque et sanguinem suum accumbentibus accipiendum proposuisse; panem ibi vinumque similitudinem tum fuisse et figuram corporis et sanguinis. Ad utrumque accipiendum ibi tum hortabatur accumbentes, panem manu, corpus animo. Itaque accepisse eos profitemur, qui id ita re ipsa procul dubio futurum crederent ut promittebatur a Christo, nempe se corpus in mortem traditurum, et sanguinem in remissionem peccatorum effusurum. Id qui certo credebant futurum id plane illis erat accipere; ut qui non crederent vel addubitarent nullo modo corpus aut sanguinem Christi viderentur accepisse, utcunque oblatum panem aut vinum in os immitterent. At cur non idem, inquis, in coena nostra fieri concedis? Quia ibi ad manducandum hortabatur: hic vero ad commemorandum. Nec plane una est et conjuncta utriusque coenae ratio. Utramque ab altera nisi distinguas mi Billingere, video nullum fore modum controversiis. In ea enim coena, quam tum coenavit Christus dictis factisque accumbentes hortabatur ad credendum, quod se in rem eorum facturum pollicebatur, ut ex ea credulitate maximum reportarent fructum, nempe remissionem peccatorum et regni coelestis donationem. In hac nostra diversa omnia. Ad eam impii hypocritaeque, atque ii, si qui erant, qui non essent satis firma fide admittebantur. Ad nostram non ita. Ibi quod futurum erat promitti accipique poterat quodam modo: At hic rerum sane praeteritarum est recordatio. Quare ibi exhiberi atque accipi corpus qua corpus est, qua res est, qua adspe-

ctabile quiddam atque mortale est, atque item sanguinem potuisse, ad eum tamen modum, quem supra paullo ante descripsimus, nemo negarit. Trahendi nam vel confirmandi erant qui ibi tum aderant. At in nostra coena nihil tale hactenus videmus, ad quam tantum modo fide praediti, confirmatique adhibentur.

Quod vero ad praesentiam Christi in coena pertinet, nihil nos dubitare quin in medio convictorum sit, idque non in carne sed spiritu, non praecipuo, singulari ac proprio quodam modo, sed eo quo se affuturum saepe pollicitus est in medio eorum, qui ejus nomine aliquando quopiam convenirent, sive concoenandi, sive alterius cujuspiam christianae rei gratia. Quo fit, ut non satis intelligam, quorsum praecipuam quandam et propriam in coena Domini plerique Christi praesentiam tam morose exigerent, cum praesertim nullam aliam ab ea quam diximus in divinis Evangelii monumentis constitui posse videamus. In tractatione rerum divinarum novi aliquid ex ingenio nostro commentari periculum est. Quare cum Dominus nihil ad eam rationem aliud adhibuerit, quam ut una commanducantes et compotantes sui memoriam celebraremus: isque sit praecipuus coenae scopus et Christi propositum: nihil nobis praeterea commentandum, nihil desiderandum putavimus. De his atque aliis fusius ad Te scripsissem mi Bullingere, si plus otii fuisset: Verum ex his quae hactenus scripsimus, id tibi velim persuadeas, nos nequaquam dogma seu sententiam nostram ad eam rationem adtulisse, vosque quos alioqui scimus esse rerum Christianarum longe nobis peritiores, de hac re consultos voluisse. Ut n. (quod nostra plurimum interest) Christianae disciplinae studiosi plane sumus, ita plerunque accidit ut ad nostram sententiam trepidemus. Vestrum ergo fuerit vel a sententia deterrere, vel confirmare, idque (quod maxime optamus) ex scripturae testimoniis.

De Concilio Tridentino fama est illuviem illam Papisticae factionis Tridento discessisse, ob annonae caritatem. Videntur n. timuisse, ne diuturniore inedia absumti, qui nunquam fere consuessent, nobis quos Lutheranos vocant, spem victoriae ac Triumphi reliquam facerent, Tu si quod habes novi vel de fortuna Principum hujus mundi, vel de causa religionis, quod nobis vel voluptati vel usui sit futurum,

ad

ad nos fac scribas diligentissime. Nihil n. est jucundi, nihil grati, quod non putemus tuis nobis suavissimis litteris nunciari. Bene valete in Domino, cujus etiam nomine salutabis nobis Ecclesiam Tigurinam. Salutant vos hinc vicissim fratres. X. Aug. MDXXXXV. Caspani.

Camillus Renatus Vester.

Pergratum praeterea mihi feceris si curabis ut hae litterae alligatae per aliquem tuto et quamprimum ad Celium secundum, qui Lusannae agit, perferantur.

II.

Camillus defendit suam sententiam de non comestione corporis Christi in Eucharistia adversus crisin Bullingeri. Attendi vult ad indolem locutionum figuratarum; in fidei vero articulis simplicitatem retineri. Quo modo fideles pascantur per symbola exponit, denique Epulum coenae conjungi ad eum modum quo in primitiva habebatur Ecclesia. Sub calce adspergit quaedam de Concilio Trident. et in laudes Maynardi.

Camillus Renatus optimarum litterarum peritissimo Henr. Bullingero, Evangelico Doctori integerrimo S. D. Jucundissimae mihi fuerunt litterae tuae Bullingere suavissime, quibus significasti et tibi fuisse gratissimum nostram nos sententiam de coena Domini libere dixisse, et quid ipse contra sentires. Nos libertatem dicendi plane retinemus, in hoc praesertim genere rerum, et citra tamen temeritatem ut putamus. At Sententiam Vestram ut non omnino abjicimus: ita expendi arbitramur oportere. Fidem nos a Coena certe non excludimus, imo fide, procul dubio, impellimur ad coenandum. At ea fides est non qua plane corpus de integro aut sanguinem Christi desumturi simus praeter panem et vinum commemorationis; verum quam diutius, antequam coenaturi sumus, desumsimus. Nisi n. actum persuasumque haberemus nos ad Societatem, et corporis, sanguinisque Christi communitatem pertinere, nunquam sane de pane et vino cum caeteris communicaremus.

Id n. est: probet seipsum homo etc. Itaque qui nulla vel diminuta fide accesserit, ut indigne accedit, ita suo maximo damno coenat. Fides antecedit corporis sanguinisque spiritalem illam perceptionem: haec vero panis et vini libationem. Libatio haec si rem ordine expendamus, sequitur illam perceptionem, illa fructus est fidei. Neque proprie aut significanter corpus et sanguis Christi accipi tum potest intelligi, cum panis et vinum ad mensam e Ministri manibus accipiuntur, quemadmodum nec frangi tum corpus cum panis mihi frangitur, sed jam pridem fractum esse et creditum. Sed nec proprie dictum est meo judicio, recolere corpus et sanguinem perinde esse atque percipere. Quod n. recolitur et commemoratur, non tum sane percipitur, sed aliquamdiu ante perceptum est. Si proprietatem rerum aut Sermonis in divinarum rerum tractatione negligimus, quo id pacto possit licere non video. Caeterum ad eam rem nihil me novi afferre velle suspiceris, sed potius timere, ne qua in futurum astu Satanae, quod etiamnum deploramus, opinio vulgi animis irrepat, quae ut nullo Scripturae loco firmetur, ita profectum christianae pietatis retardet. Veritatem non hominum conjectura consequimur: sed certo Christi oraculo. Nullus perfecto est reliquus errori, aut etiam Antichristo locus simplicitate retenta. In Coena, inquis, et signa, ipsaque Symbola et verbum Dei adhibentur, ut non possit non pasci animus Christiani hominis. Id nos certe fatemur, sentimus n. aspectu panis et vini, conventus sanctitate, precatione, praedicatione, et gratiarum actione ali fidem, confirmari fiduciam, inflammari animum, atque in cognitione Domini succrescere. Si id pasci percipereve corpus et sanguinem Christi censes, communia coenae plane dicis non propria. Idem n. accidit saepe, dum soli precamus, dum concioni adsumus, dum meditamur, dum legimus, dum una confabulamur de fide, de morte, de vita Christi. At nos Coenae propria quaerimus, non communia illi cum caeteris. Id velim expendatis diligentius, si dignum est, accuratiusque.

De Epulo vero id ex Te scire cupio, num ex praescripto Christi censeas libationi conjungendum. Paulus, nisi hallucinor. 1. Cor. XI. de Epuli corruptela loquens a Christo se illud accepisse videtur affirmare. Deinde formam Christianae coenae a quonam desumtam oportuit

tuit rectius quam ab Apostolorum usu? Scripturae auctoritas plane retinenda est.

Postremo si qua est priscorum Patrum exemplis fides, Epulum libationi conjunctum etiam usque ad Tertuliani tempora legimus. Neque Paullus abrupit Epulum a coena Domini, propterea quod Corinthi illud corrupissent: Sed modum, certamque Epuli Christiani rationem praescripsit. Corruptela debet tolli: res ipsa retineri.

Atque abs re fuerit nomen coenae proprietate privare. Coenam n. non panis vinique tantum degustatione fit: reliqua addas necesse est, ut coenam verius coenes. Verum haec leviora, illa graviora meo judicio sunt.

Si tibi molestus fortasse videor dum hoc scribo, ignoscas velim mitissime Bullingere. Religionis studio cogimur haec ipsa perscribere saepius et pluribus verbis, ut frequenti rerum consideratione et tractatione veri facies illustrior nobis sit et oratio purior. Id si peccatum est, ignoscas: Sin minus, quod commodo tuo fiat, de eadem re ad nos saepissime scribas.

De Concilio Tridentino adhuc, ut audio, insistunt Tridenti Cardinales aliquot, Episcopi, Monachique; quo animo, quove consilio incertum est.

Hic fama est bello afflictari liberas, easdemque Evangelii Christi studiosissimas urbes Germaniae. Id an ita sit, et quid ex eo futurum conjicias, gratissimum feceris, si ad me pluribus verbis scribas. Orabimus interim Deum, ut nobis adsit Christi Jesu nomine, resque omnes optime vertat. Salutant Te in Domine fratres et Tigurinam Ecclesiam. Vale, nosque ut facis ama, idque in Domino. 2do Novembr. 1545. Clavennae.

Augustinus Maynardus Pedemontanus, Clavennensis Ecclesiae Minister, Vir sane scientia et pietate non mediocri Tibi salutem plurimam dicit, maximasque gratias agit, quod illi gratissimum certe libellum

dono

dono transmiseris, repensurus plane si qua in re illum Tibi potes commodare. Is Te rogat ut Pellicanum reliquosque suo nomine salutes. Iterum Vale.

III.

Camillus postposita Tigurinorum sententia suae mordicus insistit, hancque solam verbo Dei esse consentaneam urget. Monet Bullingerum ne paroramate suo obsit junioribus, altius utique provehendis, si et ipse exemplo praeeat. Nova quaedam.

Postremas litteras tuas mihi sane jucundissimas accepi optime Henrice, ex quibus quid sententiae vobis plane sit de ratione coenae Dominicae cognovi. Nihil est quod Ego ad Te de eadem re saepius scribam, ne tibi aliquando videamur vel molesti, vel nimium morosi. Nos interim optamus, atque idem a Deo per D. N. J. Chr. comprecamur, ut omnibus praesertim verbi sui Ministris, quantum sat est, mentis ad disciplinam Christianam tribuat. Illud n. animo cujusque obversari debet semper: ne quid nimis. Ubi fines aut lineas transimus quacunque in re peccatum sit oportet. Nisi verbi Dei lineam Adamus ille omnium ut hominum ita malorum parens emigrasset, nos profecto ad rem divinam non tantum laboraremus. Itaque contenti simus, eoque animum intendamus, ut nihil quod nobis arrideat, quod in libro vitae nusquam reperias, populo obtrudamus vel mandemus libris. Periculum enim est fore, ut quod vanum sit et nullum, in rebus divinis per nos posteritati negotium sit. Exemplo sunt Augustini, Ambrosii, Hieronymi, Gregoriique qui vel mortui nos vexant. Multi loquimur, multi scribimus, arbitrati nos vel voce vel scripto plurimum adjuturos rem Christianam, atque posteris relicturos, unde suam semper ipsi pietatem tueri ac alere et Anti-Christi injuriam devitare possint. Utinam quod maxime optamus, tandem consequamur, idque in gloriam Dei Patris nostri et Domini nostri Jesu Christi cedat triumphum. Amen. Rectum est id Ego ut scribam non ut deterream. Ex veterum scriptis maximam plagam accepimus, necdum sanabilem. Omitto recentiores quos nosti. De his hactenus. Quid novi, quid consilii,

consilii, quid spei habeas in tanto rerum quae nunc sunt tumultu certiores nos facias magnopere rogamus. Tridenti adhuc concilium Romanorum Episcoporum immoratur, utinam si Deo placet immoriatur. At Deus eorum spiritum, in quo se congregatos jactitant, aperit. Gallus n. quidam Episcopus inter disputandum, ut amici ad nos scribunt, alium pugnis Episcopum cognomine Grechettum Franciscanum pessime tractavit, opera plane Spirituum Papisticorum. Quod reliquum est, has litteras ad Coelium Secundum perferri Lausannam, teque id facturum diligenter spero. Salutes nobis Tigurinam Ecclesiam in Domino. Hinc omnes inprimisque D. Augustinus Maynardus Clavennensis Ecclesiae Minister vos salutant, idque in Domino. Valete XV. Augusti 1546.

IV.

CAMILLI RENATI certa in Symbolum Professio ad FRIDERICUM SALICEM Virum Optimum.

Credo in unum Deum.

Est Deus, hic Pater est, quem me fateorque proboque
Credere jam, fidensque animi haud spe ludor inani,
Unus et omnipotens, cujus sunt terra, polusque
Facta manu, virtute ingenti, et quicquid ubique est.

Et in Jesum Christum.

Credo etiam, aeque nam Sobolem (quam dicere fas sit
Jesum) Christumque illum, quem prisca piorum
Magnarum haudquaquam cecinit rerum inscia, signis
Et licet obscuris, certis tamen extulit aetas.

Unicum Dominum nostrum.

Hunc unum nobis dominari, unumque tenere
Hunc Sceptrum omnipotens, uni omnia cedere dignum est.

Qui de Spiritu S. conceptus.

Quem non casus, non hominum importuna libido
At Sacer intacta conceptum Virginis alvo
Spiritus excluſum, vitalibus addidit auris.

Paſſus ſub Pontio Pilato.

Pontius hunc populis dum curtis jura Pilatus
Imponit, variis objectum caſibus altae
Tormento affixum CRUCIS e medio abſtulit atrox.

Sepultus eſt et deſcendit.

Is quanquam exſtincti laceros poſcentibus artus
Condere permiſit vacuo de more ſepulcro
Atque ſub inferna clauſum requieſcere terra.

Tertia die reſurrexit, aſcendit.

Ille tamen, croceo cum primum fulſit eoo
Tertia lux, ſuperas redivivo in corpore ſedeis
Victor adit. Parvo poſt tempore rite peractis
Muneribus patriis, coelo ſublimis aperto
Attollit ſe ſe, et pedibus terit altus olympum.

Sedet ad dexteram.

Tum coelo admiſſus dextrae ſedet ipſe Parentis
Qui Deus eſt, qui cuncta poteſt, quicum imperat unus
Ipſe ſuis obnixus opem ut paret unus, ex alto
Promiſſum coelo auxilium, victriciaque arma
Adverſus immanem hoſtem, et quodcunque pericli
Quo fretus ne quaere alium, ſeu letiſer horror
Seu bellum, ſeu dira fames invaſerit orbem.

Inde venturus.

Inde ubi materiam aeternis dabit ignibus omne
Hoc quodcunque vides, magna ſtipante caterva,

Lapſus

Lapsus in aetheria pendebit nobilis ora
Iudicio exercens extremi nescia fati
Et quae olim fuerint expertia pectora vitae.

Credo in Spiritum Sanctum.

Vimque Dei spirantem etiam et pia corda moventem
Amplector foveoque libens, fateorque fideli
Ore palam, atque uni nitor discrimine in omni
Humano se se insinuans quae pectore mentem
Format agens, rebusque facit coelestibus aptam
Vera docens, animosque adversum obfirmat in hostem.

Sanctam Ecclesiam, communionem Sanct.

Nec non et late populus, terrisque poloque
Concio et haec sancta est, divinisque usibus apta
Quae tamen arcanis mirum compagibus unum
Augustum coit in corpus, variosque per artus
Membra ministeriis pulcherrimus explicat ordo
Ut se se alternis foveant, tueantur, alantque
Officiis, nihil atque minus quam commoda curent
Quodque sua. Est adeo illis corporis omnibus una
Cura sui: quae cum (stant certa oracula) sanctus
Spiritus aeternae donarit munere vitae
Semper agens, nulloque usquam semel additus absit
Tempore, non aliud jungi decet aptius ullum
His Caput aeterno quam qui victurus in aevo est
Omnipotens Christus, vitae certissimus autor
Unus divino qui amplectitur omnia nexu
Ac fovet, et qui corporea nunc mole premuntur
In terris, et qui laeti potiuntur Olympo.
Hoc regnum, hoc corpus, haec fida Ecclesia Christi est.
Sic Graii dixere, tenax haec nomina servat
Posteritas. Haec SIGNA duo haud injussa frequentat
Praesulis arbitrio, imperium referentia Christi
Sacramenta vocant. Nam primum ubi contigit ullis

Certa fides, Chriſtumque ſequi non vana cupido
Adſcribi in coetum petimus, luſtramur et hymbri
Membra ſacro: Caput ac Dominum, Chriſtumque fatemur
Jeſum, nos jamque mori et communia fata
Eluere, atque aliis cum Chriſto emergere fatis
In vitam coelo dignam et melioribus annis.
Inde per occiduae male tuta volumina vitae
Ad Chriſtum acciti, ſanctaeque ad pocula coenae
Magno adſertori, Dominoque epulamur ovantes
Chriſticolae, Divúm genus et coeleſtis origo
Non his non Servos liber, non divos egentem
Foemineusve mares pudor a conſeſſibus arcet
Una omneis adeo pietas et gratia jungit.
Hunc Ego ſanctorum coetum opto proboque
Certus ut ex illo Signa elabantur acerbis
In Phlegetontheos mox deſtinet arbiter igneis
Legibus, et diris addicat pectora poenis
Chriſtus: inoffenſi tanta eſt injuria veri.

Remiſſionem peccatorum.

Credo etiam, certusque cano, intrepidusque repono
Unius haud aliis, quam Chriſti ſanguine ſacris
Placatum ſemel afflictis mortalibus, ipſum
Condonaſſe Deum, peccatum quicquid ubique eſt.
Chriſtigenas ut nulla usquam fortuna moretur
Durior, aut trepidas tortura piacula menteis
Usque adeo adſcribi magnum eſt in pignora ſummi
Chara patris, Chriſti auſpiciis, nil tale merentes.

Carnis reſurrectionem.

Quin fateor ventura olim nova ſecula, quando
His vetus indomitis ardeſcet in ignibus orbis
Cunctorum in poenas, et triſtia fata malorum.
Tum vero ſanctorum hominum craſſiſſima moles

Car-

Carnis in aetheream mutabitur altera sortem,
Cognataeque illis terrenae ab origine labes:
Seu functi repetant vitam, seu sorte supersint:
Cunctarum omnipotens rerum quid non queat Auctor.

Vitam aeternam.

Quid TE suspensum moror amplius? accipe nostrae
Extremum hoc fidei. Quod namque ediximus, uno
Clauditur, idque ipsum cernes volventibus annis,
Mente novos nos esse homines, sed carne novandos
Vi magna, quae olim moriturum a funere Christum
Aeternam in vitam, stygiisque reduxit ab umbris
Et quanquam hic saepe humanis exercita curis
Pectora versantur terrenisque anxia votis,
Cum tamen exutam tenebris nullisque notatam
Criminibus, (Christi monumentum insigne cruoris)
Spiritus insidens mentem SACER imbuat, excors
Quis neget aeternam pietate fideque renatos
Coelitibus, Christoque parem deducere vitam?
Nec mirere; mori si nobis contigit unâ
Cum Christo unâ etiam divinas hausimus auras
Et fruimur verso communibus ordine fatis
Omnes coelicolae, omnes et supera alta tenentes.
Haec nobis quondam vates cecinere priores,
Haec Christus sibi dum mortalis vita manebat
Edocuitque suos passim turbamque sequentem.
Aeternam hanc vitam non attigit ulla Sophorum
Clara olim ingenio, studiisque atque artibus aetas
Quaesitam: neque enim est humana industria tanti
Christophili potuere, agitataque pectora Christo.

V.

Camill. Renat ad Bull. d. 6. Jul. 1547. Vide FUESLINI Centuria No. XLIV.

VI.

Maynardus profitetur non esse de institutione Christi celebrationem Epuli, quod Camillus cuperet restitutum: verum stare in libertate Ecclesiae, num ejus restitutio sit et procuranda an minus.

Libellum vestrae Ecclesiae contra Lutheri dicacitates, quem mihi tua humanitate dono dedisti, gratulanter accepi et perlegi, et gratias Tibi ago quod mei memoriam habeas. Id vero quod Camillus noster ad Te scribit de coena, sive ut ipse dicit de Epulo, quod ante Sumtionem Sacramenti vetus Ecclesia frequentabat exemplo Apostolorum ac Domini, nihil dubito quin liberum sit. Neque n. ut puto de coena illa sicuti de Sacramento panis et Vini Salvator noster praecepit: Tametsi autem Paullus se accepisse a Domino quod Corinthiis tradiderat, asserat, id tamen de Sacramento intelligendum puto, non de coena illa, cum satius esset illam relinquere et domi edere, quam violata charitate pauperes pudefacere et Ecclesiam contemnere judicaverit; et Christus ipse quid faciendum mandavit sumto a discipulis pane et vino de Sacramento quod intelligat non de Epulo: Quare aestimo Ecclesiam liberam esse in hujusmodi; et quanquam usurpata ab Apostolis et Veteri Ecclesia coena illa fuerit: exemplo Christi nos tamen et Christi Ecclesia quum liberi simus variare ac mutare possumus secundum tempora, secundum loca et qualitates hominum, quod Dominus et Christus ipse non praecepit. Dixi quid mihi videatur, nil temere definiens. Tu pro tua pietate et benignitate Sententiam Tuam afferre, et nos docere propter Deum non gravaberis. Dominum meum ac Patrem colendissimum Dn. Pellicanum ut verbis meis salutes etiam atque etiam oro, et bene Vale in Domino Jesu. Clavennae, d. 5. Novembr. 1545.

Aug. Maynardus tuus.

VII.

VII.

Ex Muſ. Helv. Part. XIX. p. 481 —— 487.

Maynardus ex Helvetia redux Eccleſiae Clavennenſi exponit approbationem ſuae confeſſionis a Tigurinis Bſilienſibus et Curienſibus factam. Stancarus Clavenna diſceſſit: ſed reliquit Franc. Nigrum ſtudioſum aſſeclam. De Stancari ingenio informationes ex ipſa Italia allegata ſubjunguntur.

Colendiſſimo atque ſapientiſſimo Viro Dom. HENR. BULLINGERO Tigurinae Eccl. Epiſcopo Gratiam Domini noſtri Jeſu Chr. cum Spiritu S.

Quod ad Te hactenus poſteaquam a vobis diſceſſi litteras non dedi Vir colendiſſ. et obſervandiſſ. nulla negligentia aut lentitudo fuit; tametſi enim tarditas ſenectutis comes eſſe ſolet, et tu etiamſi erraviſſemus, hanc culpam tua benignitate nobis condonares, non eſt tamen quod accuſari debeamus ullius incuriae, quia alia noſtrae ceſſationis cauſa fuit. Nam cum videre prius vellem, qui noſtrarum rerum exitus futurus eſſet, triſtis an felix, ut certa de nobis tibi ſcriberem, exſpectarem quoque litteras e Venetiis pro D. Bibliandro, in hunc usque diem invitus etiam diſtuli. Nunc autem ne diutius forte maneas cogitatione ſuſpenſus, quae in praeſenti habemus qualiacunque ſunt Tibi facere decrevi. Quum rediiſſem domum noſtram Confeſſionem in prima mea concione cunctis audientibus explicavi; ſubſcriptiones et Sigilla tum veſtrae tum caeterarum Eccleſiarum, quibus confirmabatur oſtendi: Sequenti vero ſermone litteras veſtras et quas Baſilienſes et Curienſes Patres dederant, quod omnes ad concordiam et doctrinae confeſſionem hortabantur, in lingua noſtra, ut omnes clare intelligerent, recitavi; narravimus pro ſuggeſtu cunctam humanitatem cum omnium veſtrum ſimul, tum uniuscujusque in particulari nobis exhibitam, quam honorifice et quanta charitate in viſceribus Chriſti Jeſu nos exceperitis; labores praeterea veſtros, quos tum nos audiendo, tum cauſam noſtram examinando et demum etiam Sententiam Veſtram ſcribendo ſuſcepiſtis: poſtremo ordinem Veſtrae Eccleſiae, doctrinam, mores, multi-

multiformem sapientiam, lectiones, conciones, genera linguarum, quorum omnium ingenti laetitia cuncti sunt affecti et laudem Deo dederunt. Mihi autem nostrae Ecclesiae Syndici imposuerunt ut pro ea tota vobis quantascunque possum gratias agerem; fatentur enim se plus quam dici potest Vestris dignitatibus esse obnoxios et se suaque omnia vobis offerunt rogantque ut eis jubere dignemini. In quo statu res nostrae sint, scito STANCARUM hinc abiisse; nam cum adhuc tumultuaretur causa cujusdam scripti, quod e manibus D. Comandri spontene habuerit, an sua importunitate extorserit ignoro, cujus exemplar ad Te mitto: rogavi illum ut de caetero non me molestaret, quod et fecit: quó autem abierit nescio. Qui autem adhaerebant Camillo adhuc sunt in ea Sententia: attamen spero in Domino brevi futurum ut in viam redeant. De ipso nolim judicare; Domino enim suo stabit aut cadet, et spero non cadet gratia Domini nostri Jesu Christi. Franciscus Niger, praesentium lator, est in sententia Franciscí Stancari, cum nihilominus alias diversae fuerint opinionis: videlicet, Sacramenta esse veluti organa quibus Deus et gratiam, qua peccata remittat et justificet, et regeneret, impertiat. Alias hoc non credebat, nunc credit persuasus a Stancaro, neque id Tibi scriberem (rogo Te noli offendi ex verbis meis, quae invitus imo coactus dico) Franciscus Niger est Vir facilis. Nolui hoc Tibi dicere cum apud Te essem, neque enim tunc causa fuit, nunc autem causa est, et ea quidem urgens et magna. Paucis diebus quum ex uxore sua infantulum suscepisset, venit ad me adhibito secum Teste et confessionem suae fidei de baptismo aperuit, volens, ut videbatur, infantem baptizari in sua fide. Respondi illi me baptizaturum esse infantem in nomine Patris F. et Sp. S. in fide Ecclesiae Christi non sua; nam tametsi etiam ipse erraret in fide, non propterea infans male baptizatus esset, neque aliam formam servare intendebam in baptizando suo infantulo quam hucusque servaveram. Est alioqui vir bonus, sed non satis constans et firmus. Is enim cum amicissimus mihi esset et Ego illi (et fateor coram Deo nunquam me tot laudibus hominem extulisse quot illum magnificavi) nihilominus defecit et amicitiae jura (ni fallor) violavit. Tu judicabis. Mitto ad Te exemplar suarum litterarum quas ad totam Synodum Curiensem, ubi Comander, Blasius, et caeteri Ministri Christi aderant, me nesciente antequam legerentur, dedit; non me monuit, nihil dixit.

Labo-

Latorem litterarum esse voluit Franciscum Stancarum quem commendabat. Audivi Ego, legi litteras magno animi maerore, totus attonitus, quî fieri potuisset, ut contra me Niger scribere potuisset. Quia autem diebus praeteritis se ad Vos venturum esse dixit, monere Te volui ne vobis accidat quod ipsi Comandro, quanquam occulatiores vigilantiores estis, scio. Comander bona fide et ut est Vir bonus, dedit scriptum quoddam Stancaro, quod dare non debuit, quia et nocebat Ecclesiae nostrae, et derogabat honori suo. Nam confirmavit sua subscriptione et sigillo nostram confessionem post vos: in ea autem confessione continetur Sacramenta non conferre gratiam aut justificare, sed earum rerum esse signa. In scripto autem suo affirmat illa conferre gratiam et justificare. Ego volui illud apud nostros per id quod quandoque signo tribuitur quod non est signi, sed rei signatae. Verum mihi respondent aliqui quod sibi non constet Comander, quamvis enim verba sua rectum sensum habere possint: non erat tamen in praesentiarum opus illud scriptum quod dubium gignere potest apud imperitos dare Stancaro, quia videtur Stancaro favere et contradicere confessioni et etiam ipsi. Ratione ejus scripti ipse Niger non assentitur Confessioni sed Stancaro, et iterum vult vos interrogare de ea re, ut eo die quando ad me venit pro baptizando infantulo promisit. Nostis quid respondendum illi sit. Ipse fuit author nostrae Ecclesiae, ut prodit in suis litteris, ut confessioni sive Sententiae vestrae et Ecclesiarum de ea re staret, nihilominus decedit a suo consilio. Recepi me missurum ad Te litteras quorundam nobilium ad quos de Stancaro scripseram, ut me de qualitatibus hominis ipsis notis me informarent. Miserunt et Venetiis has litteras quas ad Te mitto, ut legi tibi facias per aliquem Italum si velis et declarari, quum vulgari nostro Sermone conscriptae sunt. Primus est Balthasar Alterius qui est a Secretis Legati Anglici apud Venetos: Secundus Dominicus Manzonus: Tertius Marcus de Lilio civis Venetus Vir pius et fidelis. Balthasar Alterius de Stancaro sic scribit: *Cerebrum STANCARI a multo tempore novi, et scio optime quo pede claudicet.* Haec est conclusio: *Is pauperculus semper fuit, scandalosus et extranearum opinionum; et quandam habet instabilitatem ut nesciat quid expiscetur, temerarius multo plus quam in tuis litteris dicas: propterea fugite illum amore Domini et amovete illum ab oculis, quo citius potestis: aliter nunquam quiescet, neque Tu*

neque Ecclesia vestra. Manzonus sic scribit: *Quantum ad desiderium tuum ut informeris de D. FRANCISCO STANCARO, tibi dicam simpliciter et in veritate id totum quod scio et sentio de ipso. Primum palam est et manifestum ipsum esse levem, instabilem, sui amatorem, et ut brevi dicam, praecipitem in omnibus rebus suis; et pejus hoc est quod vult desponsare suas opiniones, quamquam discrepent a communi ritu et vere christiano.* Deinde post pauca verba addit: *Quod fuerit Sacrificus:* Non credit tamen ipsum fuisse Judaeum licet de facie videatur; et addit *quod Venetiis acceperit uxorem pauperculam a via aberrantem. Modum sui matrimonii* (ait) *tacebo. Dicam tamen ipsum diu me tenuisse domi meae meis expensis, et id invitum feciisse propter suam inquietudinem.* Marcus de Lilio pauca scribit; *comparat ipsum limaci, quod signa sua, quàcunque transit relinquat, et qui agnoscatur ab omnibus. Respondebo*, ait *Tibi alias copiosius.* Haec Vir Christianissime et colendissime! non ideo mittere aut scribere volui quod me delectent: Sed quoniam id Tibi promisi et ut agnoscatur, quales sint qui Ecclesias conturbant. Nihil tamen horum quae ad Te scribo conscium esse volo Franciscum Nigrum; cave Te, rogo ne is quicquam horum sciat. Quum legi feceris litteras, si voles, plica et remitte eas omnes ad me inclusas in charta, quemadmodum Ego ad Te in his mitto inclusas. Non scribo in praesenti D. Pellicano Patri nostro Reverendissimo: saluta illum Te rogo nomine meo: propediem scribam illi et D. Rodolpho, quem ex corde quoque saluto, illis enim plurimum debeo. Saluta D. Frisium D. Gesnerum et caeteros omnes Vestrae Ecclesiae Patres. Audivi istic esse D. Musculum, dicito illi ex parte mea, si volet ad nos venire non deseram illum donec ulla sba (forte stiva) mihi supererit, et veriora experietur facta quam verba. Hic rumor est Argentinam diabolicum *Interim* accepisse, quod credere non possum: Verum Tu nosti veritatem. Parce precor mi Domine quod tam longus sum, non enim satiari possum Tecum colloquendo. Vale in Christo Jesu, et scito August. Tibi dedissimum esse. Clavennae, 22. Sept. 1548.

Totus tuus

Aug. Maynardus.

VIII.

VIII.

Ex Mus. Helv. Part. XIX. pag. 487.

Maynardus ad Bull. 15. Maji 1549.

Mayn. gratias Bullingero agit de communicatione notitiarum circa Statum Ecclesiarum in Germania, Anglia, et renovat querelas super Camilli turbelas in Ecclesia Clavennensi, ingenioque ejus versipelli. Petri de Casali Majore praecipitem excandescentiam in se verbaque injuriosa enarrat. Balthasarem Alterium Tigurum tendentem commendat.

Recepi tuas litteras Domine mi observandissime plurimum cum Decadibus Sermonum duabus, quae mihi super omne aurum et lapidem pretiosum cimelium sunt: nondum eas per mea negotia perlegere licuit: perlegam tamen, deinde pro suggestu illas praedicare instituí, neque enim possunt non ab electa officina prodire quae a Te edita sunt: ago igitur Tibi quotquot verbis agere et mente complecti gratias valeo. Ego autem quod ad Te mittam pro tenuitate nihil habeo, tametsi tot modis tibi sum obnoxius, nisi forte quod Te affligat, et animum Tuum excruciet. Gratissima mihi fuerunt quae de Saxonia, Pomerania etc. scribis. Audiveram quidem nonnulla, sed quibus vix fidem praestarem, cum nostro tempore tot vana falsaque evulgentur in aures hominum. Super omnia tamen gratissimum fuit audire vicisse in Anglia Vestram ac nostram de Coena Domini Sententiam: quando verum est, spes est profecto ut et in reliquis sit victura. De Ecclesia nostra quod tibi scribam nihil habeo quod Te laetificet: praesentium lator statum tibi nostrae Ecclesiae indicabit. Unum est, quod hi qui Schismatum causa fuerunt Anabaptistae sunt, et quidam ex his, qui Camillo, Viro illi etiam adhaerebant, multis audientibus, dum essemus in mensa cujusdam nobilis Viri, praesente Paullo Vergerio Viro eximio et Justinopolitano Episcopo, quique ad nos aufugit, timore Anti-Christi, clara voce confessus est se noviter baptismum suscepisse, et eo suscepto alium hominem, nempe innovatum et Spiritu Dei plenum redditum fuisse; Papae vero et omnibus quae sub

Papatu receperat, baptiſmo etiam renuntiaviſſe, quia baptiſmus ille non Chriſti ſed Anti-Chriſti et Diaboli fuit, me vero lupum eſſe, falſum prophetam et ſeducrorem. *) Camillus ipſorum corypheus et nauclerus non tam praeceps eſt, ut tam aperte loquatur, prudentior eſt non quod non pejor ſit, ſed quoniam loqui timet, ut exiſtimo: neque enim poſſunt qui tam arcta conſuetudine ſunt conjuncti, non eisdem erroribus implicari. Doluit eis quod is de quo dixi tam praeceps fuerit, ut talia effutiret; nam cupiunt in abſcondito eſſe ut Synagoga ipſorum augeatur, et plures contaminentur. Neſcio quid ſim facturus, vocatus ſum in Angliam; nam hic nemo eſt qui me juvet; torcular calco ſolus. Parce mihi Domine! nam hoc ſoli Chriſto convenit, ſolus ſum volui dicere. Dirigat Dominus greſſus meos, inops conſilii ſum. Audio Camillum ad Te ſcribere; Tu reſponde illi quod pro Tua prudentia reſpondendum judicaveris; peſtis eſt Eccleſiarum et magnus haereticus. Fama eſt illum parare abitum a Clavenna: utinam alibi melior fiat. Optandum eſt, ut peſtem ſuam ſecum portet, ſed timeo, reliquias non ſecum feret. Harum lator ad Te venit Balthaſar Alterius Vir eximius ac ſingularis ingenii, audies illum, neque enim poſſum quae ille ad Te perferet brevi ſcripto, et illo, ut vides, magna celeritate exarato explicare. Ipſe Tibi conceptus ſuos aperiet. Tu Vir magnae prudentiae ſi videris rem ſuam ad Chriſti gloriam promovendam facere, juva illum et conſilio et favore. Ego quantum ingeniolo aſſequi poſſum vota ſua omnia ad propagandum (niſi me fallat) Chriſti Evangelium eſtimo maxime conducere: verum quae ipſe cuperet, difficile erit his qui praeſunt et cogitata ſua correſpondere. Vale bene in Chriſto Jeſu Domino noſtro, et ora pro me. Clavennae, 15. Maji 1549. (Muſ. Helv. Part. XIX. p. 489. male habet 1545.)

*) Praeceps iſte homo dicebatur Petrus a Caſali Majore. Vid. Mayn. ad Bull. 7. Aug. 1549.

VIIII.

Maynardus dolet ingratitudinem Evangelicorum ob lucem divinam minus fideliter obſervatam: ad conſtantiam et devotionem in Deum ſe erigit. Gratulatur ſibi quod Stancarus Clavenna diſceſſerit; ad Bullingeri petionem Camilli errores diſtincte enarrat, deque tortuoſo ejus ingenio conqueritur.

Salve Vir eximie in Domino noſtro Jeſu Chriſto. Me poenitet atque etiam ſuppudet, mi obſervandiſſime Domine quod Te Virum occupatiſſimum et multis magnisque negotiis veluti obrutum, adde et de Eccleſiarum Germaniae caſu et metu noſtrarum afflictiſſimum, tot litterarum quas ad Te miſi cumulo moleſtavi. Volens n. Ego fidem apud Te meam liberare ut STANCARUM agnoſceres, quod me dum iſtic eſſem promiſi facturum, non bene cogitavi, aut recte judicavi, ſatius fuiſſe illas apud me retinere, quam ad Te mittere: non n. tanti ea valoris erat, ut Te occupare deberem et taedio afficere; parce precor et da veniam ignorantiae meae. Quod ſcribis de Superiori Germania a Domino factum eſt, nam nulla vis humana, ut aeſtimo, quantumcunque potens ac robuſta, tam exiguo tempore tantam rerum inverſionem potuiſſet efficere. Defecerunt illae Eccleſiae; defecerunt propter peccata ſua. Nobis vero, qui meliores non ſumus, ſed forte deteriores quid exſpectandum, quam quod illis, ut et graviora accidiſſe videmus? Quid n. hucusque fuit noſtra praedicatio apud ingratos homines (pauciſſimos excipio, qui pii et electi Dei ſunt) quam praetextus avaritiae et libertatis carnis? De noſtris loquor; quales tui ſint tu noſti. Quid meremur niſi ut auferatur nobis regnum Dei, et detur genti facienti fructus ejus? Video ni fallor ad radicem arboris ſecurim poſitam eſſe: rogemus Dominum ut non ſecundum peccata noſtra, ſed ſecundum ſuam miſericordiam faciat nobiscum; hortemur ad poenitentiam populos, arguamus, obſecremus, interim dum licet in omni patientia et doctrina; reliqua commendemus Deo. Si venerit tribulatio, diligentibus Deum omnia vertentur in bonum. Tui vero mi Domine Bullingere et caeterorum qui in Eccleſia Chriſti multum laboraviſtis, et adhuc laboratis, curam habebit Dominus (ne timeas) qui novit pios de tentatione eripere: fortes ſimus per Dominum, neque

deficiamus, qui faciet cum tentatione eventum ut possimus sustinere. Scio de hac mea hortatione opus non habere. Sed huc me adegit amor erga Te meus.

Quod vero mones ut, quantum possum, caveam a Schismate salva nihilominus et incolumi doctrina, continuo feci et adhuc facio: Sed qui se a nobis separaverunt, qui tamen pauci sunt, se doctrinae causa separaverunt, Nolunt n. ad nos redire nisi taceam veritatem videl. Sacramenta de Dei promissionibus fideles confirmare; volunt ut taceam quod verbo Domini probatur et auctoritate illustrium Ecclesiarum nempe a vobis et a Dominis Basilienſis Ecclesiae, et demum a Curienſi Ecclesia confirmatum est. Tacebo veritatem ut placeam hominibus non jam firmis sed obstinacibus et his quidem paucis cum detrimento reliquae Ecclesiae et magno aliorum scandalo. Ajunt se bona conscientia coenam Domini non posse nobiscum sumere, stante ea praedicatione: haec est ipsorum responsio. Possunt cum bona conscientia Schisma facere, et non possunt, nisi taceatur ac negetur veritas, nobiscum Sacramenta suscipere. Possunt cum bona conscientia Ecclesiae unitatem scindere pro qua mortuus est Christus, ut illam congregaret in unum, et non possunt symbola pacis et unitatis cum reliquo Christi corpore participare. Et ut noveris, nunquam coëgi illos ut id crederent et tenerent: tantum ne ea causa Schisma facerent, monui. Ipsi me Ministrum cogere volunt ut taceam. Tanti ergo faciam malam ac perversam pacem ut sanctam Dei prostituam veritatem? Absit maledicta pax, qua nisi veritas dimittatur, retinenda non proponit. Omnia tentavi. Hortatus sum. Rogavi cum lacrimis ne discederent; imo veniam petii, si quid eos offendissem. Si tacuero, dixi, suspectum de falsitate reddam Ministerium meum: doctrinam meam hucusque vanam fuisse putabit Ecclesia: Me vero contra conscientiam quod semper docui ab eo die quo primum vobiscum fui, abnegare coget. Incassum omnia feci. Doce Tu me, quid mihi agendum sit, qui sapiens es. Ego inops consilii sum. Decrevi igitur attendere reliquae Ecclesiae. Illos non abjiciam; si exire volunt, exeant quos retinere non possum. Si redire voluerint, humanissime et cum gaudio recipiam amplexaborque. STANCARUS abiit, et nulla ei datur fides praeterquam a Franc. Nigro, ut ad Te scripsi Viro bono sed facili.

Con-

Continet se nunc in Valle Tellina, ubi nonnullos Grammaticam Hebraeam docet. Dixi toti meae Ecclesiae: Si volunt me Ministrum, ut duo concedant: primum ut unitatem doctrinae, quae ab Ecclesiis, unde nobis Evangelii lux orta, est confirmata, omnes teneamus: Secundum ut disciplina Ecclesiastica recipiatur. Cogor hoc facere propter impios, quibus nisi vigeat excommunicatio, erimus ludibrio. Nam video propter nonnullos blasphemari nomen Domini. Hoc ferre non debeo neque possum. Si nolunt, quaerant alium, quia Minister peccatorum esse nolo. Estimo, omnia concedent.

In calce litterarum scribis te opus habere articulis Camilli Renati, quum ad Te scribit se velle abs Te scire num haereticos articulos illum tenere putes, et qui illi sunt. Haec autem ad Te ideo illum scripsisse puto ut certior fiat, num Ego cum istic essem, quid de ea re Tibi dixerim, quod nisi me ferente scire non potueris, et postea dicat: Ecce Augustinus apud Ecclesias et clarissimos Viros me traducit, ut ansam habeat de me conquerendi. Sed nihil curo; veritatem dicam; Tu prudens es ac dexter, et satis nosti quale sit ei respondendum. Si memoria tenes in confessione nostra, cujus Tu exemplar retinuisti, sunt viginti capitula: decimum vero continet viginti duos errores, qui omnes sunt Camilli, uno excepto qui de dormitione animarum loquitur. Caeteros omnes partim manu sua conscriptos habeo, vel aliis referentibus audivi (et hi tantum sunt XI. XII. et XVII.) aut legi in tractatu quem de Sacramentis contra me exaravit aut auribus propriis audivi, quos omnes ne Te fatiges in quaerendo confessionis meae exemplum in hac scedula conscripsi. Quatuor expresse haereticos esse judico Ium IIIum VItum et VIIIvum; de reliquis Tu judica. Primum defendit, quanto ingenio et viribus potest, et divinas scripturas quae de immortalitate animarum loquuntur ita exponit imo lacerat et in diversum sensum trahit, ut nulla pia patientia illum vel ferre vel audire possit. Nihilominus cum videt hoc dogma omnes offendere ait: non affirmo animam hominis esse mortalem: Sed disputationis causa id dico. Et cum adstringitur, ut quid sentiat confiteatur, ait: Camillus adhuc nescit an anima sit mortalis nec ne; et hoc habeo manu sua scriptum. Nos volumus ut pleno ore confiteatur animam esse immortalem, si a nobis vult haberi Christianus, neque oportet se excusare

sare quid non sentiat, quia nonnullos eo dogmate jam infecit, neque diceret se nescire an ita sit, nisi contrarium sentiret. Tertium errorem habeo sua manu scriptum, ex quo sequi videtur ipsum negare resurrectionem mortuorum. Nam si non eadem substantia redibit, sed alia, non erit resurrectio: Sed alterius rei nova conditio. Resurrectio n. idcirco dicitur quando id quod cecidit, ipsummet iterum redit et non aliud loco ejus. VI. et VIIIvum audivi ex ore ejus: attamen non amplius audet affirmare octavum quem videt esse odiosum. Quotquot autem loquuntur de Sacramentis scripti sunt in suo tractatu de Sacramentis. IV. V. X. et XIII. audivi ex ore ipsius. Hi vero omnes de Sacramentis sunt errores videl. VII. IX. XIV. XVI. usque ad ultimum XXII. Scripti sunt in suo libello de Sacramentis. Haec ad Te ideo scripsi quia tu voluisti, alias non scripsissem de Camillo quidquam, qui utinam longe abfuisset a nobis in pace.

Quae de Camillo et de Ecclesia nostra Tibi significavi, Te rogo, paucis significa, vel etiam nulli, ne offendiculo simus Ecclesiis. Saluta, si placet, nomine meo, cum Tibi occurrerint, Dominum Bibliandrum et Dominum Rudolphum (i. e. Gualtherum) et si vel tua vel amicorum causa me velis aliquid facere, servo Tuo fiducialiter jube, nam nihil gratius ei potes efficere. Bene vale in Domino Jesu Servatore nostro. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit in corde Tuo semper, et ora Deum pro nobis. Clavennae, 10. Xbris 1548.

AUG. MAYNARDI

Est manus propria, licet in residuo
Αὐτογε desit subscriptio.

X.

X.

Ex Muſ. Helv. Part. XIX. p. 480.

Camillus exprobat Bullingero quod cum Stancaro loquens haereſeos nota inuſſerit: imputationis hujus cupit cognoſcere cauſam: ob intermiſſum litterarum commercium et ruptam amicitiam graviter expoſtulat.

Camillus Renatus Henrico Bullingero S. P. D. ex Chriſto.

Proximis litteris ego ad Te, ut ſi quot Tibi eſſet ſtudium charitatis, mihi per litteras ſignificares, quibus in rebus tu me omnium haereticiſſimum exiſtimares: eo enim nomine a te appellatum eſſe me Franciſcus Stancarus dixit. Franc. Niger, qui a me Tibi litteras reddidit renunciavit Te per occupationes non potuiſſe reſcribere, cum tamen vacaret omnino reſcripturum. Verum a Te nihil adhuc accipio litterarum. Ea intermiſſio (niſi fallor) indicio eſt Te fratris ſalutem vel negligere vel deſperaſſe. Quod ſi ita eſt, quod certe nolim, nullam ſane videris et noſtrae veteris amicitiae et tuae dignitatis habuiſſe rationem. Quid autem jus amicitiae, quid Tua dignitas poſtularit tu ipſe videris. Ego certe utramque mutuis officiis conſervatam quam quorundam hominum perverſitate labefactatam maluiſſem. Id Tu ſi aequae curaſſes atque Ego, nec tu cur tam diu tibi ſilendum eſſet haberes, nec ego cur tecum expoſtulandum. Sed eſto plus apud Te veteris cujuspiam malevoli atque invidi calumniae valuerint quam officii ratio, et utriusque noſtrum dignitatis: tamen Chriſtiana Te charitas, ſi qua ineſt, impellere debuerat, ut erratorum, ſi qua eſſent, me, quem non ut amicum modo, ſed ut fratrem etiam et chriſtianum hominem dilectum oportuit, admoneres. Eo namque pacto Tibi et de officio gratias egiſſem, et de erratis plane ſatisfeciſſem. Quare tametſi utrumque omiſſum eſt, tamen poſtulo, ſive aequum eſt Te oro, ut quo monitore, quibus in rebus Tibi videri poſſim haereticiſſimus, aliquando tandem ad me perſcribas. Ita Te cum amicum, tum etiam

Christianum hominem judicabo. Vale meque christiane diligas. Ad d. 12. Maji, Clavennae 1549.

XI.

Vergerius curat Franc. Nigri confessionem legi coram Maynardo, sub spe quod absque ulteriori examine ab eo adprobetur, prout arte eadem circumventi antea erant Comander et Blasius, et circumvenire intendebat Tigurinos quoque. Sed fallitur. Inde indignatio. Monetur ea de re Bullingerus. Stancari et Nigri Sententia de efficacia Sacramentorum.

PAULLUS VERGERIUS quem nunc aestimo apud Te esse, proximis vindemiis venit ad me cum socio nepote, cui inter loquendum jussit quandam Francisci Nigri confessionem legi coram me, quumque ea lecta is judicium meum, quid de illa confessione sentirem, exspectaret, dixi prius cogitandum mihi esse non nihil super ea confessione antequam judicium meum proferrem. Sciebam n. quid ille intenderet. Ego examinata diligenter hujus confessione, scripsi ad eum postea in haec verba: confessionem Nigri mihi placere quod ad articulos pertinet fidei: verum non ita in ea parte ubi de Sacramentis agit. Nam illic nonnulla mihi dubia videbantur, et expostu quae illa essent, nempe inter caetera ubi ait: Sacramenta conferre quod promittunt, gratiam videl. et remissionem peccatorum, justitiam, vitam aeternam. Haec autem ad Vergerium scripsi non ea intentione ut carperem sive taxarem confessionem Nigri: Sed ut monerem illum ne praeceps eam confessionem in publicum, quemadmodum fecit, mitteus, illam per Italiam daret. Nam cum et Ego meam quam Vos et Basileensis Ecclesia vestris sigillis et subscriptionibus approbavistis per Italiam evulgare instituerim, si viderint itali et quicunque recte sapiunt nostras confessiones non concordare sed esse contrarias, ut quod una dicit altera neget, dicent nos in doctrina pietatis dissentire et scandalizabuntur, cum sciant nos hic esse in eadem Ecclesia et eodem loco. Propterea consului antequam suam confessionem ederet ut invicem coram ipso Vergerio amice et cum pace conferremus, quia saepe accidit in dogmatibus oriri contentiones

tiones, ut ajunt, de lana caprina, et controverſiam in verbis tantum et non in ſenſu conſiſtere. Sed Vergerius et Niger huic meo conſilio acquieſcere noluerunt, quia nolunt ut ajunt contendere, ſed vitae reformationi inſiſtere, quaſi amicae collationes et chriſtianae, ſint contentiones, et quaſi ad Miniſtros Chriſti non pertineat dogmata examinare et doctrinae adtendere. Imo ipſe Vergerius me reprehendit in quadam epiſtola ad me miſſa. Ego ut verum fatear ſatis miratus ſum de illo qui legi faciat confeſſionem coram me, qui qualis qualis ſum hic Miniſtrum ago, et tamen nolit de illa judicare; eo maxime cum ea de cauſa ipſe hujus confeſſionem mihi examinandam reliquerit. Haec autem non ideo ad Te ſcribo Vir ſapientiſſime quod velim ſive Nigrum ſive alios meae Sententiae ac opinioni ſe ſubſcribere: abundet quisque in ſuo ſenſu; ſed ut Te moneam ne et Tu, quem ad modum boni Viri et mihi venerandi Patres Commander et Blaſius ſimpliciter ac bona fide incedentes, decipiaris. Nam illi, neſcio an ad Vergerii preces vel Nigri, vel aliqua perſuaſione inducti, confirmarunt ambo totam Nigri confeſſionem et illi ſe ſubſcripſerunt. Non adverterunt autem, ut puto, quod noſtram pariter confeſſionem, ipſorum ſigillo et ſubſcriptione firmaverint; in qua contradictorium continetur expreſſum Sententiae Nigri de Sacramentis. Nam Cap. XIII. noſtrae confeſſionis, cujus et Tu domi habes exemplum ait clariſſime: Sacramenta non conferre gratiam ſive remiſſionem peccatorum: Sed potius ſigna eſſe earum rerum. Nigri autem confeſſio oppoſitum affirmat, videl. Sacramenta conferre gratiam, remiſſionem peccatorum et caetera quae promittunt. Quidquid n. dicat, effici id non Miniſtri vel operis gratia in ſe, ſed Sp. S. efficacia, vult nihilominus eſſe ea media et inſtrumenta, quibus ipſe Spiritus hujus opera efficiat, cum dicat Sacramenta id conferre quod promittunt, et cum dicat Spiritum aquae conjunctum interne a quovis peccato lavare homines. Niſi n. vellet Sacramenta eſſe media et inſtrumenta quibus Spiritus illa opera efficiat, non ita loqueretur. Quod autem ſint media per quae Spiritus operetur remiſſionem peccatorum, juſtificet ac ſalvet, eſt contrarium Paullo. Nam Paullus vult hominem ante Sacramenta, ſi de adulto fiat ſermo, remiſſionem peccatorum percipere ac juſtificari, quemadmodum Abraam ante circumciſionem non per circumciſionem juſtificatus eſt, ut Tu Rom. IV. ſcientiſſime declaras verba Paulli exponens. Nam et ipſi

Judaei qui justificationem circumcisioni adtribuebant, et nostri Papaei qui baptismo ac coenae Domini, non ita dicant Sacramenta conferre gratiam et peccata remittere ac salvare, quasi ipsa in se et propria virtute id efficiant, non sunt tam grossi et stupidi ut hoc velint: norunt egregie Spiritum Dei illa efficere opera. Sed in hoc errant quia volunt ea esse media, per quae Spiritus illa opera efficiat; tametsi n. Spiritus S. efficax sit per Sacramenta, et aliquid efficiat ac operetur, verbi gratia quia nos confirmet, nos corroboret in fide promissionum Dei, et certiores de gratia ipsius reddat: haec tamen maxima opera, quae sunt remittere peccata, conferre gratiam justificationis, per Sacramenta non operatur, sed ante Sacramenta. Ipsa vero Sacramenta postea veluti horum signacula et Sigilla addunt. Tenes nunc opinionem Nigri, quae eadem est cum Sententia perturbatoris nostri Stancari, in hac parte Praeceptoris sui. Vergerius defendit Nigrum et ad me scribit, se velle idem vobiscum facere quod cum Commandro et Blasio, videlicet impetrare confessionis Nigri confirmationem a vobis, ut possint, et hic et ubi volent, scripta Vestra ostendere, Franciscum Nigrum rite de Sacramentis sentire contra Maynardi Sententiam. Ego ut verum fatear, nihil horum moror, ut dixi, quod ad me attinet; dicant quid velint: sed rationem dignitatis vestrae habere volui, et vos monere ne in confirmando confessiones, contraria dicere videamini, et vestrae auctoritati oblivionis vel inconstantiae notam inurere. Haec ad Te scribere volui, et fortasse plura quam debui: Sed tu Patronus et Pater mihi es, quia omnia boni consules. Alias ad Te dabo propediem. Iterum vale, et si dignaris commenda me Comandro et Blasio.

(Caret haec Epistola nota temporis: sed scripta
esse oportuit exeunte Anno 1549.)

Idem Aug. tuus.

XII.

XII.

Camillus scribit librum famosum adversus Mayn. quo eum plurimorum errorum reum arguit. Respondet accusatus modeste. Assectae Camilli Titianus et Petrus de Casali Majore. Maynardus prae tanta obstinatione totus fractus est, et in Angliam discessurus esset, si pacatius illic coelum foret. Igitur perdurare statuit, et auxilium petit Superiorum auctoritate munitum ad decidendam odiosam contentionem.

Salve in Domino Jesu Vir Dei, ac mi Domine observandissime!

Gaudio singulari tuae litterae me affecerunt, ex his quae de Anglia, de Saxonia, orbibus quoque maritimis et demum de regno Poloniae adtulisti. De Camillo autem quod commotissimam Epistolam ad Te scripserit non miror: sui moris est; non uni tantum sed multis, imo quotquot potest Christi Ministris molestus esse, Ecclesias perturbare, dividere et Schismata facere. Is farraginem quandam adversum me nunc collegit centumviginti quinque articulorum cui titulus est: *Errores, ineptiae, scandala, contradictiones Augustini Maynardi a XLV. anno citra,* addita ad lectorem Epistola tam immodesta ac mordaci ut nauseam legenti possit afferre, cui nihilominus christiane et mihi temperans ita respondi, ut quicunque cum tractatum legerint, sint Camillum judicaturi hominem multis et magis erroribus refertissimum: neque quisquam posset illum quam ipse se suis veris ac germanis coloribus depingere melius atque exactius: ita manifeste a recta via exorbitat. Abiit hinc ipse, verum adhuc remanent discipuli ipsius quos sic docuit suos mores, ut Praeceptorem satis abunde sectentur. Mones me ut veritatis puritatem tueri contendam, nihilominus sicubi a rixis mihi possum temperare, hortaris ut abstineam. Omninoque displicent rixae mihi tanquam praesentissimum venenum: Scio me non decere contentiones nempe senio prope confecum, et Ministrum Christi, cui pax atque concordia nedum placere, verum qui alios quoque ad eam hortari debeat. Sed quid possum facere qui tot adversarios sustineo, nullum vero habeam qui opem ferat, aut saltem

qui me consoletur? Tanto in odio accensi sunt in me qui Camillo favent ut doctrinam meam prope totam dilacerent. Si nihil respondero periclitabit veritas: Si respondeo morosus sum senex, impatiens, nullum volo audire, pertinax sum et duri capitis. Tot namque calumnias congregant, ut nihil aliud cogitare videantur, quam ut Ministerium meum elevent, ut exosum me cunctis reddant. Franciscus Niger qui pridem cum Stancaro faciebat, nunc se his adjungit qui favent Camillo: non amplius concionibus nostris adest: quotidie sunt cum eo nostri adversarii et consilia inter se nova excogitant. Diebus praeteritis quidam chirurgus vocatus Petrus a Casali Majore in tantam prorupit insaniam ut palam diceret: Se noviter baptizatum fuisse; aperte confessus est se esse Anabaptistam, et tanto furore in me debachatus est, et me seductorem vocans, lupum rapacem, falsorum concionatorem, ut a Spiritu maligno agitari videretur. Hic amicissimus ipsorum erat et habitus ab eis vir Christianissimus et sanctissimus. Alius quoque Anabaptista Titianus nomine, quem Synodus seculari, ut ajunt, brachio expulit, Camilli quoque et suorum amicus erat. Invitavi saepe illos ad Disputationem: ajunt nolle contendere. Hoc idem Camillus et Franciscus Niger ajunt. Licet eis Schisma facere, disputare non licet. Quanquam Franc. Niger, ut puto non eis erroribus involvatur ut quibus Camillus et caeteri. Petii a Camillo fidei suae confessionem: respondit se facturum suo tempore non nunc. Hujus infinita sunt quae narrare possem, quae libens praetereo; nolo Te pluribus onerare. Haec pauca dicere volui et invitus et sine ordine, Tu mihi parce; obruit n. me tantae indignitatis cognitio. Quapropter cum videam nostrae Ecclesiae certum interitum, nisi boni Viri suppetias ferant; Ego autem inops consilii sum, et quid amplius faciam ignoro: Te rogo Vir Dei colendissime ut scribas ad Comandrum et Blasium ut mihi opitulentur, et vel ipsi ad nos veniant, vel mittant aliquos cordatos viros, qui auctoritate etiam Dominorum, si opus sit, Ecclesiam congregent, et de causa Schismatis diligenter inquirant. Nam adversarii infinita quae nihil ad rem faciunt, ut quid in causa primarium est effugiant, studebunt adducere. Mone Tu Blasium et Comandrum ut prudentes sint in ea re, neminem audiant vel alios vel me nisi praesente parte, et coram tota Ecclesia; alias omnia confundentur. Inquirant cur noluerint confessionem, quae ab Ecclesiis

siis confirmata est, acceptare. Quaeratur ab ipsis suae fidei confessio, alias nosti mores talium hominum quomodo sint adversus Christi Ministros mordacissimi. Credere non possES quanta passus sim, et adhuc patiar continuo. Decreveram proficisci in Angliam, nam me eo vocaverat Bernhardinus Ochinus: verum qui nuper inde rediit, ait, omnia esse perturbata bellis, factionibus, et pericula illic multa esse; quae omnia divinitus geri putavi ne huic pusillo gregi pastor desit. Tametsi cupio alium huic muneri praefici me meliorem atque fortiorem. Tu interim Vir Domini roga Dominum pro me et pro Ecclesia mea. Praesentium latorem Hieronymum Illyricum hominem pium et ab amicis ex Italia quam maxime commendatum Tibi pariter commendo. Illi me, meaque omnia obtuli: verum ille suo labore panem suum manducare cupit, et se se honesto exercitio dedere, nec cibum gratis accipere. Juva illum si potes Tuo auxilio ac favore. Noli mirari quod tam fidens ad Te scribo: Te nam veluti Patrem meum reputo. Tu in Domino vale. Raptim Clavennae, 7. Aug. 1549. Saluta, Te rogo, meis verbis Dominum Pellicanum ac Rod. Gualterum.

Aug. Maynardus tuus.

XIII.

Enarratur Successus Disputationis habitae cum Camillo in praesentia quatuor Visitatorum a Raetica Synodo Clavennam delegatorum. Camillus nihilo fit melior, quare excommunicatur. A Lelio (Socino) transmissus auctor Jo. Lucidus Samotheus ad Bull. perfertur. Pestis Curiae grassatur et Blasium aufert.

Praestantissimo Domino Heinr. Bullingero orbis Episcopo!

Gratia Domini nostri JESU CHRISTI et pax in Sp. S. Noli mirari eximie Vir Domini, ac mi Domine quod tam longo tempore a me nil litterarum acceperis: dedita n. opera tamdiu tacui, neque n. poteram meis litteris nisi molestia afficere. Quid n. scripsissem nisi tristia et quae nisi cum indignatione atque ira audire non potuisses? Satius

tius ergo duxi laborare atque anxiari ſolus, quam Tui ſimiles, Te precipue qui tantis ſollicitudinibus pro Eccleſia Dei premeris, moeroris ac taediorum meorum participem facere. Non texam Tibi nunc Hiſtoriam longam: Sed brevi rei ſummam tantum exponam. Noſti Camillum, qui ſe Renatum vult appellari (utinam Deo renatus eſſet) perturbaviſſe et quaſi diſſipaviſſe Eccleſiam noſtram. Verum Dominus, qui *impiorum* hominum conſilia facit irrita, non paſſus eſt mala, quae ille conceperat, illó usque progredi, quo deſtinarat: Sed miſericordi manu atque auxilio nobis ſuccurrit. Cum n. veniſſent quatuor viſitatores miſſi a tota Synodo, ut diſſenſionum cauſas tollerent, in me unum tanquam omnium malorum fontem, uti dicebant, converſus eſt totus eorum furor, quos Camillus excitaverat, et mihi hoſtes fecerat, et tot puncta tot errata in doctrina mea invenire conati ſunt ut cuiquam vix ſit credibile. Nam Camillus centum viginti quinque eorum, ut putabat, farraginem collegerat, non uno menſe aut anno, ſed a quadrageſimo quinto ad eam usque horam, cui titulum praefixerat: Errores, ineptiae, ſcandala, contradictiones Auguſtini Maynardi a XLV. Anno citra, eamque in particulares materias veluti in Turmas ordinate diviſerat addens Epiſtolam in principio maledictis plenam atque mordaciſſimam. De vita mea, ſive de moribus tametſi peccator ſim, et in multis correctione dignus, non auſi tamen ſunt, Deo ſit gratia, mentionem facere. Reſpondi ut ſcivi et ſolus ad ea quae mihi objiciebantur. Confuſi abierunt, quotquot me oppugnaverunt. Camillus cum reſpondere neſciret ad illa quae illi objiciebantur; neque enim negare auſus eſt vera eſſe omnia, efficere non potuit quin haereticus adpareret. Interdictum fuit illi lectione ſacra cum privata tum publica. Diſceſſione viſitatorum facta cum is in aſſerendis erroribus, quos tam multos habet quam punicum grana, pergeret, factis de morum fraterna correctione admonitionibus, quia pertinax in ſuo ſenſu eſſe voluit, nolens Eccleſiam audire coram tota congregatione die 6. Julii fuit excommunicatus. Jam collegerat Eccleſiam nonnullorum Anabaptiſtarum. Ab his praecipue non poteſt deduci erroribus: uno quod in dubium revocat animorum noſtrorum immortalitatem, et revera tradit moriente corpore mori animam humanam; ſcilicet affirmare aperte non audet, videl. quod ſit odioſum. Altero quia affirmat baptiſmum quem nos in regno Papae, antequam nobis Evangelii veritas illuceſceret, ſuſcepimus, eſſe

esse baptismum Antichristi, non verum baptismum. Omitto quae plura: nolo Te tam multis gravare.

Caeterum Laelius tua causa ad nos scripserat petens ut quendam Joannem Lucidum Samotheum de temporum elucidatione Venetiis emtum ad Te mitteremus. Ego cum recepissem litteras ipsius statim curavi ut ad Te mitteretur, quem non ante multo receperis tempore, quia praesente in causa multa fuerunt impedimenta: Sed illud precipue videl. pestis quae grassata est Curiae, in qua proh dolor! Blasius noster fidelis Christi Minister et charissimus frater vitam obiit et diem clausit extremum. Fama quoque est Dominum Comandrum morbo illo correptum fuisse; neque scitur an vivat, an ipse defunctus quoque vita sit. Nos hic Clavennae adhuc mundi ea contagione sumus: Sed in maximo timore versamur. Dominus misereatur nostri. Ora pro nobis Vir Domini, et Curiam desolatam tuae Ecclesiae orationibus commenda. Jube si quid velis Vir Domini, Tui sumus, et nostra omnia tua sunt. Viris Clariss. D. Pellicano, Domino Theodoro, et Domino Gualthero nomine meo Salutem dic, Te oro. Gratia Domini nostri Jesu Christi sit cum omnibus vobis. Clavennae, 4. Augusti. 1550.

Aug. Maynardus tuus.

XIV.

Maynardus rogat ne delatoribus contra se faciles aures tribuat, verum potius delata significet, quae mox disparitura sint. Litteras suas in causa Ecclesiae Clavennensis scriptas asservari jubet, quemadmodum et se apografa custodire profitetur.

Colendissime atque observandissime Vir Dei. Quia Sathan modis innumeris Ecclesiolam Christi hanc nostram nititur diruere, et quod maxime dolendum est, qui opem ferre deberent hi primi sunt qui nostro Ministerio contrariantur: abs Te nunc hoc tantum peto, ut si quenquam audiveris mihi detrahentem, ut honestam quam de me tenes opinionem elevet apud dignitatem Tuam, judicium tuum tantisper suspendas, donec ad Te plenius et brevi scripsero; et tunc suspicionis

meae causas intelliges. Ita autem scribam ut si voles cuipiam quae ad Te mittentur, in faciem eorum legi; tantum abest ut latere desiderem. Te autem rogo ut litteras meas omnes quae in rem nostrae Ecclesiae ad Te dantur serves: nam magni momenti res est, ut postea scias. Ego copias, ut dicitur, earum apud me retineo. Scribo ad Laelium Senensem multa, non tamen omnia, quae monebis ut taceat, sicubi et Ego illum monui ne praeterquam dignitati Tuae ulli hominum, quidquam ex his quae scribo communicet. Propediem Te de multis informabo quae vix crediturus sis, nisi vera esse manifeste aperiam. Bene in Domino vale Vir Dei et ora Deum pro nobis. Clavennae, 23. Octobr. 1549.

Aug. Maynardus Tuus.

CAP. V.

CAP. V.

1549 — 1553.

„ *Petrus Paullus Vergerius, Juſtinopolitanus Epiſcopus derelicta Ita-*
„ *lia in Raetiam advolat: Vicoſueprani in Praegallia Eccleſiae*
„ *curam exercet: libellos adverſum Romanenſes procudit, nego-*
„ *tium Tridentini Concilii exagitat: cum Camillo et Laelio Socino*
„ *caeterisque Anabaptiſtarum coryphеis amicitiam colit. Cupit*
„ *Inquiſitor ſeu Viſitator Eccleſiarum Evang. in Raetia renun-*
„ *ciari. Ejus Sententia quoad controverſias Religionis inter*
„ *Proteſtantes agitatas: genius et animi indoles. Vocatus in*
„ *Virtembergiam Sententiam Lutheranorum de Euch. adſciſcit,*
„ *eandemque Vallis Tellinae Eccleſiis cupit propinare, reclaman-*
„ *tibus Raetiae Miniſtris. Ante obitum in Raetiam redire cu-*
„ *pit, ſed inſidiarum metu dum detinetur, fato occumbit.* „

Inter exſules, qui ob Evangelii confeſſionem Italiae profugi in Raetia conſederunt, haud ullus ſive generis nobilitatem, ſive dignitatem, ſive vitae actae rationem ſpectes, majorem meretur adtentionem quam PETRUS PAULLUS VERGERIUS; qui cum diuturniorem paullo in trium Foederum ditione moram traxerit, variaque molitus fuerit, ei tanto potiori jure hoc caput aſſignare viſum eſt, quod omnes, qui ejus nobis exhibuerunt vitam actaque, hoc temporis intervallum levi ſaltem commorationis mentione adjecta praetervehantur. Natus is erat in Hiſtria ditionis Venetae, ſub ſeculi illius initium, genere praeclaro; quumque ab ineunte aetate litteris excolendis dicatus fuiſſet, tantos pro ingenii felicitate in matura ſtatim aetate ediderat progreſſus, ut

omnibus de se spem maximam concitaverit. In Academia Patavina Jurisprudentiae caeterisque bonis artibus ac disciplinis navavit strenuam operam, Doctorisque Lauream consecutus inter familiares Casparis CONTARENI, deinde Cardinalis fuit, nec tamen ante Pontificatum CLEMENTIS VII. coepit in aula Romana clarere. a) Ab hoc inter domesticos receptus cum in illo juvene Viro conpareret tum eruditio, tum in tractandis civilibus negotiis dexteritas, ut dignum judicaverit Clemens VII. Pontifex Rom. quem Nuntii titulo insignem Ao. MDXXX. ad Regem Ferdinandum, Augustam Vindelicorum, ubi Imperii Comitia tum agebantur, ablegarit, ad efficiendum ne Germani ullum suae nationis concilium, (prout ejus generis agebantur consilia) indicerent haberenturve, commissum ea fidelitate ad Apostolicae Sedis votum exsecutus fuit Vergerius, ut Paullus III. defunto Clementi surrogatus in functione illa pergere eum voluerit; acceptaque de iis quae tractaverat relatione, Anno MDXXXV. secretis cum commissionibus instructum illum rursum in Germaniam ablegarit. Hac sparta rite defuncturus, Vittebergam transeuns ipsum Lutherum ad se accersi curavit, eumque blanditiis et amplis promissis ad Rom. Eccl. gremium revocare tentavit: Pragam ad FERDINANDUM Romanorum Regem se contulit; apud GEORGIUM Marchionem Brandenburgicum divertit: Smalcaldiae a Protestantium conventu responsum supra locum concilii, quod a Sede Rom. Mantuae offerebatur, accepit; sic ut nemini magis consilia curiae Rom. circa componenda religionis dissidia notiora esse potuerint. Ob industriam adeo ac sedulam operam a dicto Pontifice Vergerius Anno MDXXXVI. in Episcopum Justinopolitanum Provinciae Histriae creatus est. Verum in sede illa quietum esse ipsi datum non fuit, quin imo identidem ad gravioris momenti commissiones expediendas adhibebatur. Ita eodem anno ad Caesarem Carolum V. Neapolin, ubi ex Africa redux appulerat, a Pontifice missus fuit. Anno item MDXLI. in celebri Principum et Theologorum utriusque religionis, Germaniae conventu VORMATIAE habito, Regis Galliae nomine, eo quod in eo coetu negarent Protestantes ullum Ministris Pontificiis locum fore, interfuit; in quo de concordia et pace Ecclesiae peroravit, oratione celebratissima, quae paullo post in lucem edita

a) Nic. Papadopolus in Hist. Gymn. Patav. Tom. II. fol. 66.

edita est. b) Credit Pallavicinus ex frequenti cum Protestantium theologis et primariis viris conversatione, et articulorum controversorum accuratiore discussione ac ventilatione circa adnotatum tempus factum fuisse, ut scintillae religionis Evang. in Vergerii animum illapsae sint; indeque ejus a Romana Ecclesia aversionem arcessendam esse. Et sane ea conjectura omni veri specie se commendat. c) Id saltem certum est ex eo tempore Romae Vergerii fidem apud plerosque in suspicionem venisse, quasi Lutheranis pectore faveret. Hanc suspicionem ei malevoli indidem in causam trahentes per eum praetextum effecerunt, ut Vergerius, cui pileus cardinalitius antea dicatus erat, Anno MDXLV. in Purpuratorum electione nec in censum quidem veniret. Id Vergerium, ubi rescivit, pessime habuit: quare ut se ab omni haereseos suspicione purgaret, ad Episcopatum suum reverti, opusque quoddam *adversum Apostatas Germaniae* moliri animo suscepit. Ast hoc institutum persequenti idem ipsi quod pluribus aliis evenit, quo scilicet Lutheranorum adversus superstitiones et crimina Curiae Romanae rationes altius perpendens, loco eas confutandi, potius ab illis victus animo et in sententiam pertractus fuit. Haec postquam aliquamdiu secum volutasset, tandem fratri germano quoque suo JO. BAPT. VERGERIO Episcopo etiam in Istria Polano, animi sensa aperuit: ad quae audita Polanus primo cohorruit totus, lapsui fratris in damnatam haeresin ingemiscens. Ast non discessit Paullus a fratre citius quam accuratam dogmatum, abusuumque Ecclesiae Romanae cum divinis scripturis collationem ei ob oculos posuisset; quo facto et illi de oculis delapsae sunt squammae, atque dilucida expositione argumentorumque pondere et hic victum se fassus est. Proinde unitis viribus duo hi fratres populis suis agnitam veritatem exponere, ignorantiae ac superstitionum regnum paullatim eliminare adgressi sunt. Ast statim atque hoc facere illos compertum est, a Monachorum turba protinus apud

 plebem

b) In lucem emissa fuit haec oratio cum praef. EGNATII Venetiis A. 1542. recusa a ROEDERO in Disq. de Coll. Vormat. Norib. 1744. Epistolam Melanchtonis in hoc conventu Vormat. ad Vergerium scriptam Pezelius inseruit Libro III. Ep. Melanchtonis Bremae A. 1590. in 8vo. Cl. Schelh. Apolog. Verger. in Mantissa.

c) Salig. Hist. Conf. Aug. Part. II. Lib. VII. Cap. IV. §. 2. sq.

plebem dica haereseos traducti sunt: statim etiam Inquisitores Justinopolin deportati, suspectos reosve novorum dogmatum, sollicitudine maxima perquisiverunt, prohibitos de religione libros domatim corraptarunt, eos qui vernacula lingua Novum Domini Jesu Testamentum legisse fatebantur, ne ulterius id faciant minis truculentissimis terruerunt. Ex hujusmodi actis planum factum est a Vergeriis Ecclesiarum Episcopis omnia illa sparsae religionis Lutheranae semina derivari: quare ex tunc insidiae et omnes haeresiarchis in coetu Romano adjudicari solitae poenae, in caput illorum construi ac dirigi coeperunt.

Equidem JOANNES BAPTISTA mature diem obiit, veneno (ut Sleidanus probatissimus auctor perhibet) sublatus: PAULLUS vero ut artium Curiae Rom. peritissimus erat, discrimen in quo versabatur intime noscens, ad Cardinalem Herculem GONZAGAM, cum quo ei olim familiaritas intercesserat, Mantuam confugit, num ut securus tantum esset, an etiam ut culpam excusaret, Sedisque Rom. veniam recuperaret, mihi liquidum non est. Posterius si quaesivit spe frustratus est; Mantuanus namque tum a JO. CASA Episcopo Beneventano et Venetiis residente Legato Pontificio, tum ab ipso Pontifice ut haereticum hominem dimitteret monitus statim fuit; quibus et is facilis obtemperavit. Hac quoque igitur ope destitutus Vergerius Tridentum, ubi concilium tunc congregabatur, proficisci, Patribusque inibi collectis se purgare, et securitatem ab eis obtinere in animum reduxit. Ast eo profectus quando adventum suum coetui illi declarare voluit, a Patribus illis nec auditus nec in consultantium numerum admissus est: ob causam a quovis facile conjectandam, quin imo erant qui eum vinculis comprehendendum Romam transmittendum, et debitis haeretico poenis, antequam elaberetur, subjiciendum suaderent: nisi contra alii curandum esse ne hoc facto Concilium, cujus fine hoc auctoritas plus nimio in disceptationes trahatur, male audiat, prudenter utique et caute consuluissent. Vergerius igitur negato sibi ad Concilii Sessiones aditu, Tridento discedere et in patriam remeare apud se constituerat, existimans popularium suorum furorem deferbuisse, licereque derelictas fasces sibi de novo resumere. Verum JO. CASA id ne tentaret prohibuit, sed ut prius Romam se conferat, Sanctissimoque inibi criminis impacti culpam

eluat

eluat suasit et injunxit: Durum utique consilium, nec enim Vergerius ignorabat quaenam ipsum fata Romae mansura essent. Inter anxias istas cogitationes, inter desiderium placendi Pontifici pristinamque retinendi dignitatem, et inter conscientiae morsus, dum dies Patavii terit Vergerius, tristis inibi accidit FRANCISCI SPIERAE Causidici Patavini exitus, qui ob publice Venetiis abnegatam Evangelicae religionis veritatem de qua intime persuasus erat, in animi extremis doloribus aliquot septimanas decubuerat, a quibus ut se eximeret surrepto clanculum cultro, postquam de divina misericordia nullam spem sibi fieri debere professus esset, truces sibi manus intulerat. Adstiterat decumbenti misero homini Vergerius juxta cum eruditis aliis pluribus, nec potuerat quisquam illorum efficere ut miser homo aliquam Spiritus divini consolationem sentiret: suumque in eo contemplatus statum, numinis judicium veritus, agnitam veritatem porro profiteri, et Italiae juxta ac religioni Romanensi nuntium mittere decrevit. *) Emensis itaque

*) En ipsa Vergerii verba ex Hist. Fr. Spierae fol. 77. Spiera licet in miserrimo statu qualia tamen verba quaeso, quam suavia, quam efficacia, nobis praesentibus nonnunquam proferebat! Etenim libet asserere nunquam amantiores ac diligentiores, quam quae ex ipsius ore manabant admonitiones nos audivisse, praesertim quum de Christianis hominis vita loqui ordiretur. Nam ajebat Christianum hominem oportere vitam expurgatam, vitam innocuam, vitam denique ipso nomine Christiano dignam vivere; frequenterque illud Petri habebat in ore: Satagite fratres per bona opera certam facere vocationem vestram. His addebat, majoris negotii ac momenti rem esse profiteri se Christianum quam vulgo arbitrarentur. Aliud requiri quam sub externo baptismo, externae aliquid opellae peragere, atque interim quod reliquum sit exspatiari: Sed oportere continuis huc laboribus atque omni animorum affectuumque nostrorum impetu ferri; oportere Dei gloriae perpetuum desiderium ac maximam in servanda ubique veritate constantiam adhibere: neque Legatorum aut Inquisitorum, quos vocant, faciem, neque carceres aut mortes pertimescere. Quae licet mihi antea quoque nota forent, fateor tamen, et mea et eorum omnium qui aderant viscera, dum haec ab illo dicebantur, contremuisse, quandoquidem efficacissime dici ab eo, qui maximos cruciatus ob id tantum sustineret, quod haec eadem dum potuerit, non observasset, animadvertebamus. Quare si quid mihi periculi ob hanc causam imminebit, Tibi affirmo, me id quicquid erit libentissime passurum. Dei optimi optima voluntas fiat, omnis licet generis afflictiones adveniant nil timebo, sed lubens amplectar omnia. Utinam per meum sanguinem ac meos cineres et irrigaretur, et impinguesceret illa semen-

tis,

itaque Venetorum terris circa anni MDXLIX. initium in Vallem Tellinam appulit, in qua respirans, per vicos, ubicunque audientes reperiebat, circumeuns, miserum Ecclesiae, sub Romano Pontifice, jugum deplorabat, necessariosque fidei articulos ex divino verbo edocebat. Supra caeterorum exsulum autem ejus aestimabatur oratio, non ideo modo quod externo quopiam corporis habitu niteret, parrhesia et eloquio emineret: Sed et maxime quia de arcanis Romanae Curiae ceu eorum optime gnarus promebat quae omnes rapiebant in stuporem. Nec enim vel fando Romana stratagemata tantae profunditatis fuisse credidissent. Num is Balthasarem ALTERIUM, cujus supra saepe meminimus, viae habuerit in has oras comitem, haud certo mihi constat: certum vero quod duo hi, Pesclavii, de modo quo atrox illa Venetorum persecutio sisti posset, consilia miscuerint. b) Substiterat enim Vergerius Pesclavii, ubi a Julio Mediol. jam pius coetus collectus erat, et in conscribendis quibusdam adversus Pontificem opusculis occupabatur, quam in rem integram ibi hyemem extraxit. c) Adtentus in omnem occasionem qua detrimentum Papismo afferret, quando Pesclavii intellexit, vici Pontresinae ad ultramontanam jugi Berninae radicem siti, plebanum lethali morbo decumbere, ipso quo sepeliebatur die ad paroecos devolavit, cumque sacerdote destituerentur, sacra ipse illis habuit, tantumque opera sua effecit ut intra paucos menses abrogata Missa, ejectae statuae, in eorumque locum explicatio sacrarum scripturarum surrogata

tis, quam per tot operariorum suorum manus hac pulcherrima aetate Dominus facere perseverat. Nam etiamsi frequenti populo ad accensum ignem ligatus adducerer, non tamen ut sceleribus ac vitiis plenus, non ut Praesul ociosus aut delicioſus aut negligens comburerer, sed quod pro lumine mihi concesso verum a falso discernere potuerim. Dicam quod res est, mihi in animo nonnunquam talem exoriri ardorem, ut ejus, qui apud Venetos Legatum agit, cubiculi ostium adire ferme cogar, atque in haec verba prorumpere: Eja adsum, ubinam vestri carceres, ubinam vester ignis est? Animi vestri cupidissimam cupiditatem explete, me quaeso ob Christum comburite, propterea quod miserrimum Spieram consolatum accesserim, atque invulgaverim, quod invulgari Deus ipse vult. etc.

b) Alter. ad Bull. d. 24. Mart. 1549. sup. Cap. II. f)

c) Ejusd. ad eund. d. 3. Aug. 1549. Cap. IV. n)

rogata sit, uti suo loco narravimus. d) Erectae in pedes Evangelicae Pontresinensi Ecclesiae Successores reliquit JO. PETR. PARISOTTUM Bergomatem, et BARTHOLOM. SYLVIUM Cremonensem, per quos S. Evangelii praedicatio inibi conservata est. Quamprimum coeli clementia nivosorum montium claustra aperuit, Vergerius in alias quoque Raetiae partes excurrit; interea vero Vicosuprani Superioris Praegalliae metrocomiae Ecclesiae curam suscepit, spem faciens habitationis perennaturae. Revera autem adstrictior haec erat vitae ratio quam ad eam tolerandam spiritus componere potuisset: hinc identidem Clavennam, Curiam, saepissime in Vallem Tellinam excursabat, pro inspectione nempe et cura quam in Ecclesias gerere videri volebat. Quare ubi a Ministris Raetiae, stationi suae invigilare jussus est, impatiens et laboris et moneri, jugum excussit, ajens nolle se unum esse ex Ministris. Dum Vicosuprani haesit, commoratus est apud eum LELIUS SOCINUS aliquamdiu, redeuntique Bononiam ad Patrem Marianum invisendum, etiam Vergerius illi se comitem adjunxit, quantumvis ob insidias iter illud non sine maximo discrimine perfecerint et clandestine. f) Caeterum ex Vico Suprano Vergerius ineunte aestate anni MDL.

d) Lib. 1. Cap. XII. add. Blas. ad Bull. d. 27. Mart. 1550. Ex Italia omnino nihil scribitur; omnia sunt tranquilla. D. Vergerius vocatus est in Ingadinam, quae est nostri Foederis; ibi concionatur non sine fructu. Scribit se brevi Tigurinos et Basileenses invisurum.

e) Blas. ad Bull. 26. April. 1550. *Unser Bischoff ist gen Rom citiert, und wird da als ein lutherischer Bischoff verklagt.* Ergo *so seye er nicht würdig ein Papstischer Bischoff zu seyn. Us Italia ist nüt neüwes. D. Vergerius halt sich zu Vespran wohl.*

f) Julius Mediol. ad Bull. Ex Tirano 9. Kal. Jul. 1552. Hunc qui Tibi litteras tradet, Deus hoc modo visitavit. Deus —— permisit quod ejus gemini filii confitentes Christum ab impiis in carceres conjecti sint, brevique futurum ut aut patiantur martyrium, aut per totum aevum ad triemes damnentur. Quoniam autem iidem filii hujus miserandi senis habent uxores et 13. liberos utriusque sexus, quorum maximus est quem secum ducit, et forte 13. annorum. —— Ne ergo haec familia inedia dispereat, commendo ut aliquid aeris colligatur, et commendentur in itinere pro hospitalitate. —— Lelius Socinus et

MDL. Blasii commendatione ad Tigurinos stipatus in Helvetiam excurrit, g) fuitque Tiguri ab Ecclesiae Doctoribus, maxime vero a Bullingero, Pellicano, Gualthero humanissime et benignissime exceptus. Tiguro Basileam, Bernam et Genevam digressus est, doctrinam et disciplinam illarum Ecclesiarum contemplans; credo et de commodioris futurae habitationis sede circumspiciens. Prae caeteris placuisset ei in D. Bernensium ditione lares figere, quod ut obtineret a Tigurino Antistite petiit Amplissimo illi Senatui commendari, praetexta causa ut a periculis in Raetiae gremio sibi semper imminentibus tutior foret. h) Revera

et Paullus Vergerius scriptis uberioribus eorum inopiam exponere susceperunt —— Nunc vero uterque illorum clam ivere Bononiam visitatum Marianum, Laelii praedicti patrem.

g) Blas. ad Bull. 6. Jun. 1550. Salve colendissime Vir. Cum in praesentiarum ad Te nihil scitu dignum haberem, nolui tamen Reverendiss. Dominum Vergerium Te sine meis convenire, quibus eum apud nostrates sincere, pie, ac fortiter, magnoque cum fructu gessisse testarer. Est enim quantum judicare Ego possum, testantibus ejus moribus Vir magnae eruditionis et pietatis, vere ac dignus ut in suo proposito ab omnibus piis promoveatur. Rhaetia enim nostra merito eum observat, atque colit non tam propter ejus pietatem, verum propter linguae ejusdem miram facundiam, qua solet non tantum docere verum et contradicentes convincere ac confutare. Quid vero cum Episcopo nostro egerit, ipse tecum enarrabit. Postremo de rebus nostris perplexis nihil habeo quod scribam. Exspectamus trium Foedd. legatos ad proximam hebdomadam: quid vero sint acturi, ignoramus. Scies vero quamprimum nactus fuero nuntium. Multi multa sibi de his Comitiis promittunt. Non nulli urbi nostrae minantur. Dominus Deus conservet Ecclesiam suam. Vale per Dominum.

h) Verg. ad Bull. 26. Jul. 1551. —— Prima desidero che si dica al Dottor Gribaldo o vero ad altri che venisse a Zurico per parlarmi, che doman mi parto da Basilea e vado a Berna, e se 'l Gribaldo venirà, sarà piu contento d'intendere che io l'aspetti a Berna che qua, e di condurre seco a Berna mio nipote. Dopo desidero che tutti voi con molta istanzia raccomandiate me e le cose mie a M. Gioan Halero ringraziandolo dei buonissimi officj ch' egli fè per me, nell' Anno passato. Ancora vi prego che voi Ministri scriviate ai Signori di Berna, e quanto piu calde saran le raccomandazioni, più mi saran care —— In fine consultate tra voi, cari fratelli se vi paresse d'impetrarmi appresso la vostra una raccommandazione dei vostri Signori Tigurini i quali dassero testimonio di me ai Signori Bernati, ed avendola impetrata, mandatemela.

In

Revera autem sterilior illius gustui, et angustior ejus animo Raetia erat, quam ut ejus incola evadere serio unquam cupiverit. i) Consilium id cum minus pro voto successisset, ad Vico Supranos suos reversus est, auctorque suis exstitit cadaver S. GAUDENTII quod CASACCIAE reconditum asservabatur, nec non imagines noctu deturbandi et ejiciendi. Hinc in eum odium ingens Romanensium: et quia eodem tempore etiam SAMADOENI Missa abrogata fuit, factum utrumque illi adtribuebatur: id quod Vergerius ad suas laudes pertinere omnino putabat: tanto magis postquam super eam causam coram judicio stare jussus fuerit. ii) Inprimis frequens itabat in Vallem Tellinam, sive ad confirmandos fideles, sive ad coercendos (ut dicebat) Anabaptistas Camillo auctore cristas tollere tentantes: nunquam tamen absque notabili Papismi detrimento. Notus hinc amicis juxta ac hostibus, et quantum ab illis aestimabatur, tanto magis cane pejus et angue ab istis devitabatur et odio habebatur. In Sacerdotum vero illius Vallis oculis plane sudes erat. Isti quum disputando adversus eum in arenam descendere non valerent, nec ejus praesentiam sustinere diutius possent, generale Vallis consilium convocari, hujusque edicto Vergerium Valle expelli juraverunt. Praeerant eo anno Valli Tellinae RO-

In somma grandemente vi raccomando questa causa mia, nella qual si tratta di collocarmi in qualche luogo di riposo e sicurrezza, fuor dei pericoli della Rezia, et altro non avendo, molto mi vi raccomando, di Basilea, a 26. Luglio, 1551.

i) Verg. ad Gualth. 7. April. 1551. Fratello onoratissimo. Hebbi due vostre, le quali mi portò M. Guglielmo Prevosto, e care mi furono le lettere e carissimo quel dolce ospite. Egli fu meco la Pasqua, e poi sen' ando inviato a' buoni fratelli, che gli potran far più carezza nella grassa e delizioса Italia che non gli ho potuto far io in queste sterili convalli: pur non gli ho mancato di ciò che ho potuto e per amor Vostro e per la virtù di lui. Ecco quì una cosetta nuova, non cessо mai di sparger giù nell' Italia queste come tarme e tinee, le quali rodano l'Antecristo. —— Mi metterò in camino tosto per venire da Voi. Qui son ora occupato da certi Anabattisti, e certi Papisti: ma mi espedirò dico presto. Saluto il Bullingero, di Vico Soprano, a 7. Apr. 1551.

ii) Verg. ad Gualth. 15. Maji 1551. Sup. Lib. I. Cap. XII. item d. 20. Maji ad eund. h. lib. cap. II.

DOLPHUS a SALICIBUS Capitaneus, eique ad latus JO. GULERUS Vicarius, viri ſtrenui, et Religioni Proteſtantium addictiſſimi: Sed ne horum favore Vergerii cauſa ſuſtentari poſſet, a quavis communitate miſſi fuerunt conſilio qui adſiderent, cultui Evangelico infenſiſſimi, quos inter numerabantur Petrus Angelus et Nicolaus de LAMBERTENGIS, Nicolaus et Vincentius de Quadrio, idem qui poſtea in Equitem Pontificium a PIO IV. reſignatus fuit, Doctor item Marcus Antonius de Quadrio Curatus de Ponte, a Rom. Pont. Vallis Tellinae Vicarius et haereticae pravitatis Inquiſitor conſtitutus, l) Bartholomeus a Salice Archipresbiter Sondrii, cum fratre Friderico a Salicibus, juxta cum aliis eandem tibiam inflantibus, numero completo XXXIII. ex quibus duo tantum cauſae Evangelicae favebant, nempe pro Squadra Trahonae Barthol. de Vicedominis et pro communitate Montanae Laurentius de la Chieſa. Coram Ampliſſimo Conſeſſu comparentes deputati nomine totius univerſitatis Vallis Tellinae petierunt licentiari (ipſis utor actorum verbis) a Communi Sondrii et a tota Valle Tellina hominem illum Vergerium, qui audiatur reſidentiam habere in monte Rovoledi Communis Sondrii, docere et praedicare doctrinam repugnantem fidei ipſorum. Allegabant hi Conſilii Vallis ſtatutum olim factum, cujus tenore nulli Praedicatori aut Ludimagiſtro per aliquem Vallis Tellinae locum ſine licentia et voluntate majoris partis hominum cujuslibet communitatis, curati ſeu plebani ipſius Communis ſub poena ducentorum Scutorum auri Dominicali Camerae applicandorum ultra tres dies retineri aut hoſpitari permittebatur; allegabant, inquam, ſua placita boni, et urgebant quidquid circa Religionis Evangelice libertatem a Dominis Raetis aliud decretum, aç per Repraeſentantes promulgatum fuiſſet. Ibi paci conſulturi Judices deliberaverunt alios quoque Vallis Tellinae Officiales ad proximum diem Dominicum convocare, et cum eorum conſilio id concludere quod aequitati conſonum viſum fuerit. Aſt non placebat tale deliberatum, quin imo declaratione audita qui comparuerant omnes (numero ſcilicet XXXI.) petitionem ex nunc Vergerium licenziandi fortius urſerunt: proteſtatique ſunt ni id fiat, *ſcandala* quae eventura forent, ſine culpa ſua accidere.

k) Quadr. Tom. II. pag. 53.

l) Idem Tom. III. p. 217.

re. m) Scandali vero voce, usitato in illis locis termino, quaevis deteriores consequentiae innuebantur. Sed emphasin vocabuli nemo melius percepit ipso Vergerio qui solebat in hunc sensum efferre: *Scripturis mecum non pugnabunt, sed subornabunt viros qui sclopeto, pugione, veneno, mecum agant.* n) Id igitur illorum propositum intelligens Vergerius abinde cavit, ne sua culpa scandala orirentur.

Dici vix potest quantopere praeclari adeo viri ad Protestantes defectio male habuerit Romanenses: quem intimorum Curiae Romanae consiliorum participem amisisse, hostibusque adversum se arma, pugiones validissimos suppeditare, ex animo sane dolebant. Recenti ergo adhuc vulnere medelam adhibiturus Julius III. Pontifex Rom. statim per HIERON. FRANCUM Legatum suum celebrationem concilii Tridentini tunc apud Helvetios urgentem, Vergerium ad Ecclesiae unde exiverat, gremium revocare tentavit; id quod aureorum montium pollicitatione sollicitare iste non neglexit: Sed Vergerius verbis haud fidendum ratus nec minis nec promissis cessit: imo vero potius ad detegenda coram Christiano orbe Rom. Curiae pudenda totum se convertit. Statim atque coetui Pontificio renunciavit, calamum in eum arripuit, edebatque de die in diem libellos quospiam, alios historico, dogmatico alios, alios denique satyrico scribendi genere exornatos, superstitionem et praxin religionis quam dereliquerat acerbe traducentes. Inprimis volutavit concilium Tridentinum, circa cujus indictionem, celebrandique modum quia secretas olim habuerat a sacra sede commissiones, comperta proferebat, ad quorum amussim rem Concilii dirigi, cuivis clarum erat. Edebat proin, ut res occasioque ferebat, libellos mole exiguos, quos in Epistolae modum complicatos huc illuc per Italiam submittebat, credens per immissas ejusmodi scintillas ipsum Roman. Episcopi domicilium conflagraturum. Extant libellorum ejus tituli plures, qui conjuncti circiter tria conficerent mediae, ut in 4to vocant, formae volumina: quae ne exiguitate perirent ipse Vergerius uno ante obi-

 tum

m) Act. Vall. ad 1553. die Jovis, 2da Febr.

n) Verg. ad Bull. 21. Jun. 1553.

tum anno collecta edere coeperat, jamque volumen unum in publicam lucem emiserat, sed fato praeventus editionem in vado haerentem reliquit. Recensuit attamen ea, ut fere in manus incidebant, Clariss. SCHELHORNIUS in amoenitatibus suis litterariis, qui omnia illius vel raro licet obvia in promtuario suo se numerare fidem facit. o) Nobis ea tantum hic enotare placet, quae durante sua in Raetia mora confecta esse cognoscere potuimus. . . . Dicto igitur temporis intervallo sequentes debentur lucubratiunculae.

1. AL SERENISSIMO RE D' INGHILTERRA EDUARDO VI. *della creazione del nuovo Papa Julio III. e ciocchè di lui sperare si possa.* Dat. XV. di Febr. del. Ao. 1550. Eo libello morem agendi, quem hic Pontifex Tridenti in celebrando Concilio, quando Cardinalis Montanus adhuc vocabatur, tenuerat, lepide edocet: hinc sine loci et auctoris nomine excusus esse conspicitur. Anno autem proxime secuto in Gallicum conversus prodiit sub hac rubrica: *Des faits et gestes du Pape Jules III. et ce qui se peut esperer de ce Concile, le quel il pretent recommencer a Trente; ou sont descouvertes les pratiques et menèes Papales, par les queles le Pape cuidoit abuser le monde sous le converture du nom de Concile, addressè au tres humain et tres magnanime Roy Eduard VI. de ce nom, composé en italien par Mr. Vergerius Eveque de Capo d'Istria et traduit par M. Joach. de Coigniac.* 1551. 12mo. Libri titulus argumentum abunde declarat: fusius autem in eo Pontificis vita percensetur, illius violentia, luxus, nec non caeterorum Italiae Praesulum pro supprimendo in Italia pullulanti Evangelio artes acriori sale perstringuntur. Videtur Serenis. Angliae Rex Dedicationem ei inscriptam considerabili aliquo honorario remuneratus esse; sic enim Auctor libri ad Gualth. e Vico Suprano Ao. 1551. d. 8. Mart. Dite al Bullingero, *inquit*, che l'Ambasciator del Sereniſſimo Re d'Inghilterra, che è in Augusta mi ha scritto di sapere che sua Maestà mi vuol dar qualche ajuto, onde io possa continuare a far la guerra al Diavolo: adunque esso Bullingero sapendo questa buona

o) *Ergötzlichk.* Tom. II. Part. VI. p. 215.

buona disposizione del Re, potrà con sue lettere ajutar il negozio, scrivendo in Anglia.

II. Dodici Trattatelli d. MS. P. P. Vergerio Vescovo di Capo d'Istria, fatti poco avanti il suo partire d'Italia. 8vo. Subscriptio Praefationis, qua conversionem suam edisserit, data est Basileae. Kal. Jan. 1550.

III. Espozizione e Parafrasi sopra il Salmo CXIX. di M. Gio. Battista Vergerio Vescovo di Pola data d. 6. Gennajo. 1550.

IV. La forma delle pubbliche orazioni e della confessione ed assoluzione la qual si usa nella Chiesa di forastieri, che è nuovamente stata instituta in Londra. Praefationem inscripsit Vergerius: ai Ministri e Predicatori delle Chiese dei Magnifici Signori Grisoni. 8vo.

V. Del Battesimo e de' fiumi che nascono ne' paesi dei Signori Grisoni. Constat unica plagula. 8vo.

VI. Epistola del Vergerio nella quale sono descritte molte cose della città e Chiesa di Geneva. In Geneva A. MDL.

VII. Declaratio Jubilei futuri Romae Anno MDL. Exponitur tractatu illo optimae frugis origo Jubileorum a BONIFATIO IX. adque illud quo vivebant tempus producitur. Scopus institutionis Jubileorum avaritia, simonia, in regimine Ecclesiae Rom. usitata lepide edisseritur. Opusculo adjecta est praefatio scripta a Martino PARAVICINO tum Basileae commorante, ad Patrem suum RAPHAELEM Paravicinum, Volturenum, qua eum rogabat ut dictum librum a magno olim Ecclesiae persecutore, nunc vero sub Christi obedientiam redacto eximio professore professum, in italicam item gallicam ac germanicam linguas conversum, nationalibus commendet, et cognoscere faciat.

VIII.

VIII. Al Sereniſs. Duce Donato et alla Eccelſiſſima Rep. di Venezia, orazione e defenſione del Vergerio, di Vico Suprano, A. X. Aprile MDLI. Argumentum ſcribendae illius Epiſtolae ſubminiſtravit fama qua dicebatur Ser. Remp. Venetam ex Thomae S. Stellae, Inquiſitoris incitatione Hiſtriae civitates populis muniviſſe, quaſi abs Vergerio quaedam fuiſſet extimeſcenda invaſio: quam vana autem ejusmodi in ſe ſit ſuſpicio exponit, et orationem ad cauſae Evangelicae inſinuationem inclinat.

IX. Concilium Tridentinum fugiendum eſſe omnibus piis. MDLI. 8vo. et 4to. Hoc ſcripto Bulla indictionis JULII III. Caeſaris invitatoriae et ſalvus conductus, formula juramenti, librorum prohibitorum quidam catalogus, nec non Poggii Florentini de Huſſi ſupplicio Epiſtola, acutis Vergerii notulis inſtruuntur, quarum ſcopus eſt docere nil minus Concilio cordi eſſe quam abuſuum abrogationem. Auctior aliquot titulis prodiit hic tractatus Ao. MDLIII. 4to in qua poſteriore editione continentur.

1. Excerpta ex receſſu Comitiorum Auguſtanorum Anno 1548. quo praeſcribitur forma, juxta quam celebrandum fuiſſet Concilium Tridentinum.

2. Excerpta ex receſſu Comitiorum Auguſtanorum Ao. 1551. de eadem re.

3. Bulla Indictionis Julii III. tota inſidioſa.

4. Prior ſalvus conductus Concilii Tridentini.

5. Salvus conductus Baſileenſis Concilii.

6. Alter ſalvus conductus Tridentini Concilii.

7. Duae Caeſaris litterae de Concilio Tridentino.

8. Canon

8. Canon ex veteribus Paparum libris, quinam habeant vocem deliberativam in Conciliis.

9. Juramentum Episcoporum. 10. Juramentum Paparum.

11. Canon quod Concilia fieri debeant singulis decem annis, 12. Canon. quod non sit servanda haereticis fides.

13. Historia de Hieron. Pragensis supplicio a Poggio Florentino scripta.

14. Indictio a Paullo Papa III. facta, qua Germanos diserte appellat haereticos et infideles.

15. Catalogus haereticorum D. Joannis della Casa legati Papalis, qua idem agitur.

16. Punctum Bullae Julii Papae III. qua prohibet Episcopis nempe judicibus Concilii lectionem libror. haereticor.

17. Excerptum ex libro Mutii a Julio P. III. approbato, qui affirmavit Papam ipsum habere Germanos non solum pro haereticis et infidelibus, sed pro sceleratissimis, ebriosisque hominibus, et nullo modo eos auditurum esse in Concilio, sed illis inauditis comprobaturum omnes suas regulas, et consuetudines hactenus observatas.

18. Protestatio Henrici II. Regis Gallorum Concilio Trid. facta, qua affirmat nolle se illud agnoscere pro legitimo et universali.

Equidem quin ad alienandos a Romana religione animos permultum contulerit Vergerius dubium nullum est, nam et eruditione haud leviter imbutus, et in tractandis controversiis versatissimus erat: at vitae delicata ratio cui insueverat, supercilioſus quoque animus, qui a dignitatis fastigio ab ipso olim exornato, legationibusque ad summos Europae Principes, ei adhaeserat, et nescio quae ejus genio adnatae

Curiae artes faciebant, ut ejus operam neutiquam ille Evangelii progressus sequeretur, quem alias sibi tributum voluisset. Certe in Raetiam quando adpulit Episcopales adhuc secum gerebat Spiritus, forteque humili Ministrorum surgentis Ecclesiae conspecta in mentem sibi venire passus fuerat Inspectionem in Ecclesias nescio quam sibi arrogandi: aususque fuit postulare ut Inquisitor seu visitator Ecclesiarum in tribus Foederibus crearetur, ex qua potestate per eum staret Pastores pro lubitu instituendi, removendi, substituendi. Non phantasma id erat, sed hanc potestatem sibi jure deberi, nec quenquam tam procacem futurum qui eam ipsi denegare sustineret, persuadebat: quare et per Italiam (absque dubio per ipsummet Vergerium) talis ipsi in Ecclesiis Raeticis locus spartaque esse vulgo adtribuebatur, quin imo in impressis libris spargebatur. Scilicet hujusmodi semel potestatem adeptus faciliorem et commodiorem vitam trahendi rationem habiturus fuerat, a priore non nimium discrepantem: causam item cur huc illuove excurraret, occasionem denique negotia varii generis (ut amabat) tractandi. Sed falsus opinione fuit. Raetiae quippe Ministri in libero solo nati, Magistrali extranei cujuspiam splendidi licet et eminentis inspectioni fasces nullo modo submittebant; verum aperte profitebantur se a solo confratrum collegio in SYNODUM congregato censuras et directionem accepturos. Tali postulatione quum prodidisset genium, sublimis qui in eo esse credebatur Spiritus, haud alio loco quam praesumtuosi fastus loco haberi coepit; quantoque plura moliebatur, tanto invisus magis fiebat. Edixit aliquando id ei Gallicius in os: *Alium eum esse quam appareat: foris velle eum videri purae Christi doctrinae quam nunquam non habeat in ore tenacem, ac fraternitatis amatorem, propius vero consideratum non reperiri eundem.* At quantum ex superinfusa aqua calx adscendere facit fumi, tantum indignationis ex eo verbo postea exhalavit Justinopolitanus; deque parum civili sui tractatione Gallicium apud Bullingerum incusavit, quasi nempe injuria ejus sanctissimo animo illata fuerit. Sane fidem in tantum apud praeclarum Antistitem meruit, ut hic quo in omnes amore pro Ecclesiarum bono ferebatur, Gallicium monuerit, majorem Vergerii rationem haberet, tantumque Virum honorificentius haberet. Verum habebat datae invectivae Gallicius causas utique praegnantes: Nam in ponderosis illis articulis in quibus Camillus Renatus, Lelius Socinus, Franc. Stancarus,

et

et post hunc Fr. Niger a recepta doctrinae methodo discedebant, talis comperiebatur Vergerius, ut perinde illi esset quaecunque sententia praevaleret. Hinc etiam ab Huldr. CAMPELLO inter dissonos ab orthodoxa fidei methodo juxta cum supramemoratis numeratur. Quali modo Maynardum fallere et in eandem cum Fr. Nigro sententiam cogere tentaverit, narravimus suo loco; et tamen is est qui de exantlatis ad sopiendos Anabaptistas laboribus, ausus est identidem gloriari. Nempe prout ad honorem suum facere credebat quod dijudicatio controversiarum fidei ad ipsum deferretur; sic et is disceptantium talem habebat rationem, ut neuter causa cecidisse debuerit. Ast malo hanc in rem ipsam facti speciem verbis Gallicii enarrare, prout is ad Bullingerum eam querulus perscripserat, epistola quam integram exhibebo:
„ Joannes Metzpergerus, sic Gallicius, Augustanus frater reliquit Eccle-
„ siam, cui apud nos erat praefectus, et denuo Sangallum repetiit,
„ pertaesus Rhaetiae nostrae, quod in ea uxor ei sit carissima ademta.
„ Ecclesia illa alium pastorem non ineptum petit; homines enim sunt
„ non parum sibi tribuentes. Metzpergerus misit duos alios in sui
„ locum: nos vero Ecclesiae illi (quae in Valle Rheni apud nos) quem
„ commendemus a Te exspectamus. - - Scias, in nostris Foederibus
„ non est in potestate nec Episcopi illius inquam Romani nec nostrùm,
„ nec alterius cujusquam conferre parochias, et dare parochos: Sed
„ rejiciendi et repellendi potestas omnis est penes singulas Ecclesias.
„ Id dico ut scias precario tantum nos agere cum Communitatibus,
„ non autem imperare: idcirco si veniet, commendabimus. Addo et
„ hoc, quod invitus forte audies: multae sunt Ecclesiae in nostris foe-
„ deribus tam Papae quam Christi, quae parocho jam diu carent, nec
„ ob id dolent caeci et avari. Hoc conquerimur indies, nonnun-
„ quam et coram Dominis TRIUM FOEDD. congregatis: Sed surdo
„ quod dicitur fabulam narramus. VERGERIUS noster hac Tigurum
„ properans duxit secum JO. ANDR. PARAVICINUM huc, hominem
„ certe litteraturae non inelegantis, nec ineptum. Is ab Ecclesia
„ CASPANENSI quae in Valle Tellina, unde iste est, electus est concio-
„ nator verbi divini, cui et ipsi jam adhaerere coeperunt. Is inquam
„ quum esset hic in D. Paulli nundinis hic cum Vergerio, dixit: Se
„ venisse ad nos ut Ecclesiam suam se seque purgaret a Schismatis no-
„ ta, quam inurerent ipsis quidam, nullam aliam ob causam, quam quod

„ CAMILLUM RENATUM ad ipsos confugientem recepissent in suam
„ communitatem, hominem alienum ab omni haeresi, miserum et opis
„ indigum, et litteris haud trivialiter ornatum; petere ergo se a nobis,
„ qui ipsum jam audissemus, litteras quibus approbaretur, et Ecclesiae
„ tanquam Orthodoxus confirmaretur. Nos audita hominis purga-
„ tione, fideique confessione plane christiana, audire tamen plura ex
„ ipso volentes quam dixerat, ut de omnibus eum possemus appro-
„ bare, hominem paullo adtentius examinavimus. Deprehendimus
„ SABELLII et HELVIDII haeresibus non parum esse infectum, siquidem
„ nolebat confiteri neque recipere Trinitatem discrimenque persona-
„ rum illarum Deitatis, neque sempiternam B. Virg. virginitatem. Esse
„ quidem dicebat Patrem, Filium, Spiritum S. (voces in Evangelio etiam
„ positas) unum Deum: Sed personas tres distinctasque Scripturis non
„ traditum. Ac Domini matrem concepisse et peperisse Dominum Jesum,
„ Virginem concedebat: Sed quod virgo permansisset etiam post par-
„ tum illum, scripturis adstrui non posse: et idcirco se hoc ut rem
„ curiosam et supersluam omittere; nec velle quaerere, quod Christiani
„ nihil interesset. Nondum finis. Animas nostras post hanc corpo-
„ ris mortem fateri nolebat vivere; etsi hic certi quidpiam non ita
„ potuerimus extorquere ex eo. Rogatus enim, rogabat et ipse,
„ nunquam non subinde quaerens (quasi clavum clavo retundere vo-
„ lens) quid esset anima. Distinguebat nescio quid inter animam et
„ animum. Hunc quidem non interire: Animam vero nescire se
„ quid esset: non posse ergo quid affirmare de eo. Reliqua velut
„ Leonem ex unguibus, ut dicunt, aestima. Pater Comander, Jo.
„ Pontisella, et Ego, nam reliqui fratres nondum advenerant, nec eos
„ diutius exspectare se posse dicebat ille et Vergerius, pronunciavimus:
„ haec nolentem confiteri, neque doceri esse approbandum nequaquam.
„ Vergerius quid ad haec? Vergerius censere confirmandum: esse enim
„ Virum doctum, vitae honestae, familiae nobilis potentisque, et Ec-
„ clesiae suae charum, aptum ad docendum: cito rediturum in viam,
„ nec adhaesurum articulis illis perpetuo: Se se acturum cum illo de
„ mutanda Sententia: tantum nos hominem Ecclesiae suae commen-
„ daremus; quod ni faceremus, odium nobis nos conflaturos magnum
„ a piis omnibus Ecclesiae illius, et hujusmodi multa, verbis ut solet
„ plerumque plurimis et ad satietatem usque repetitis. Nos reputare

„ bona

„ bona illa, quae haberet homo, redundatura non in lucrum sed detri-
„ mentum orthodoxae pietatis, quod aleator juxta mimi illius dictum
„ quanto in arte sit melior tanto sit iniquior: perstare ergo in sen-
„ tentia. Illi videntes loco moveri non posse, Tigurum ex templo
„ petunt, quasi acturi nescio quid contra nos. Vergerius ferventior
„ epistolam bene longam ad Synodum nostram ex itinere scripsit: ap-
„ parere nos qui Curiae concionemur affectare majoritatem quan-
„ dam inter nos, quique causas omnes et quae in Foederibus toto
„ anno fiant Curiam trahamus, et ibidem velimus agi et judicari; quod
„ certe itali sui fratres non sint passuri, nec velit ipse consentire, ut
„ aliquot ex nostris (Curienses subintelligens) primatum nescio quem
„ instruerent, et tertiam Ecclesiam veluti majorem aliis et primam se-
„ dem faciant: caveant sibi fratres: et istusmodi commoti perturbatique
„ animi verba plura. Quorum quam habeat causam faciendorum
„ praeter superadditam, quaeso accipe. Vergerius plus semel italorum
„ suorum nomine petiit, ut liceret sibi Synodos aut Capitula celebrare
„ separatim sine nobis, sine aliis inquam Ecclesiastis indigenis in III.
„ Foederibus, propter linguae diversitatem et itinerum difficultates.
„ Negavimus non modo nos Curienses, sed quotquot Evangelium prae-
„ dicamus in Foederibus. Post haec Vergerius hac hyeme tertio jam
„ accusavit Ministrum quempiam ex nostratibus quod esset Anabaptista
„ et Papista. (Hujus vero non aliud erat crimen quam quod conten-
„ deret in coenae Dominicae celebratione non satis esse verba institutio-
„ nis Domini e suggestu praedicasse, verum etiam esse illa super in
„ in mensa posita panem et vinum pronuncianda. p) Nos lentius
„ agentes in causa, quum certis testimoniis piorum et vere doctorum
„ laudaretur nobis Minister ille, displicuimus Vergerio. Morae ergo
„ impatiens petiit a nobis ut ipsi et aliis italis liceret cum illo dispu-
„ tare et agere. Noluimus nos Curienses, sed potius jussimus ut huc
„ Curiam venirent, quo et alii fratres conveniant, ibi cognoscendam
„ rem ab omnibus esse: Esse etiam hoc Italis tutius, nam multi mi-
„ nantur exsilium illis: agant ergo nobiscum. Hoc male habuit Ver-
„ gerium. Utinam scires quae de minutis, quae omnes Christi Ec-
„ clesiae tenent, nunquam non rixentur nobiscum Itali. Utinam Ver-

 „ gerius

p) Gallic. ult. Febr. 1552.

„ gerius quietior esset, nec nodos semper in scirpo quaereret; persua-
„ deret sibi coelum non esse ruiturum, etiamsi ipse alter Atlas, suis
„ illud humeris non sustulciret. Quis vis fumivenditores ut amem?
„ Haec omnia candide. Tibi dico ut provocem judicium Tuum:
„ nunquid et Tu censeas nos erasse, qui noluerimus in consortium
„ nostrum recipere hominem divinitatis personas illas tres nolentem
„ confiteri, nec Virginis Mariae sempiternam Virginitatem, nec anima-
„ rum vitam libere asserere. Visa sunt nobis istiusmodi via strata
„ fenestraque aperta ad plures haereses clam inducendas. Vale. Do-
„ minus noster Vicarius Barthol. a Castelmur obiit. Curia, d. 23.
„ Febr. 1552.„

Merito certe stupeat lector qui suscipi talia potuerint a Vergerio, qui in Helvetia alibique apud praeclaros Viros Orthodoxorum dogmatum supra alios Zelotes, haeresum debellator, volturenorum Apostolus, Raetorumque Evangelicorum columna et *'edraiooma* dici et haberi ambibat, prout harum laudum ipse sui cantator est: et tamen haec sunt sole ipso certiora evidentioraque. Ipso fere quo praefatum Andr. Paravicinum Camilli discipulum Calpanensibus Pastorem dari sollicitabat tempore, scribebat Gualthero ad aedem D. Petri Tiguri Ecclesiastae famigeratissimo: *Mi è bisognato andare in Valle Tellina e patire molti incomodi per alcuni Anabattisti. In fine ne ho riconciliato alcuni, ed alcuni ho fatto partir dal paese. Un' altra grave pugna ho avuto coi Papisti, che ci facevano molte novità e molti insulti, et anche questi ho vinto con l'ajuto del Signore. Ho riconciliato Camillo al Ministro ed alla Chiesa di Chiavenna, e l'ho astretto ad accettare una confessione a mio modo. Queste faccende mi hanno quì rattenuto, ed insieme molti poveri fratelli, che quì sono fuggiti.* q) Nempe quidvis licere sibi existimabat Vergerius in Alpium Raeticarum flexuris, torquere, niutare quadrata rotundis, quidquid demum de ipsius controversiae momento fieret: Sed alium longe sonum intonabat quando ad Bullingerum scribebat, cujus cognoscebat perspicaciam, noveratque auctoritatem multum valere per omnes Ecclesias. In Raetia Lelium Camillo intimum habebat familiarissimum, domique suae eum Vico Suprani fove-

q) Die 21. Jan. 1551. e Vico Suprano.

fovebat, eoque comite in Italiam meabat et remeabat, neque ob opiniones ullam captavit ab eo secedendi occasionem. Ast quamprimum Lelius innotescere, atque digito indicari, statim etiam Vergerius ultimus noluit esse eorum quibus ejus fidem in suspicionem venerit. „ Etiam (sic ad Bull. post plura alia) scripserunt ad me fratres Lelium „ se continere non potuisse quin aperuerit se, et bene multa dixerit con„ tra nostra dogmata. Utinam non ita sit. Audio iviſſe Basileam. „ Si ita est, quaerit suos. At profecto integrascit hoc malum. Egi „ Argentinae cum Massario, qui mihi vilus est a nobis discessisse. Cer„ tum est GRIBALDUM prorsus desciviſſe, et totum in eo esse ut aliis „ SERVETUM insinuet. Non affirmarem de amicissimo nisi certo sci„ rem: imo audio jam parasse sibi discipulos et solere dicere: Basilien„ ses ita sentire. Dolendum profecto ablatos a nobis tales viros. „ Utinam possemus revocare: Sed vix spero, quin deteriora timeo. „ Haec in tuum unius sinum magno cum dolore effundo. Scio Te „ aliis non communicaturum. Est apud me nunc Hieronymus Don„ zelinus medicus, ejectus nuper Venetiis propter Evangelium, Vir „ prudens, qui multa novit quae in Italia fiunt. Is affirmat pestem „ serpere SERVETANAM plus nimio et se fuisse saepe tentatum inpri„ mis a GRIBALDO, ut ad eum opinione accederet. Res certa est „ conspirationem esse aliquorum Basilienſium cum non nullis italis, „ quae nisi comprimatur, pariet nobis aliquod magnum malum. Tu „ haec omnia boni consule pro Tuo candore. q) Nisi alia haberemus ingenii Vergeriani documenta, ex istis colligere pronum esset, Athanasii vel Augustini Spiritum ei insedisse, eumque domus Dei Zelo tantum non consumtum fuisse. At longe abest ut hoc quoad eum fuerit periculum. Vergerius, qui in Raetia omni nisu contendebat ut homo Trinitatis doctrinam et post corporis mortem animae vitam fateri recusans Ecclesiae uni praeficeretur, audenter COELIUM SECUNDUM CURIONEM Basileae Professorem haereseos insimulare nihil dubitabat, eo quod hic asseruisset: *absque Christi cognitione, licet non sine Christo, aliquos salutem adipisci.* Quam jejuna vero ac seculo adtemperata sacra tractandi ratio haec erat! Non impune tamen eam incusationem tulit Vergerius; Curio quippe indignatione concepta Vergerio larvam detra-

q) Verg. ad Bull. 6. Sept. 1554. Tubingae.

detraxit, egregie depexum dedit, apudque amicos ubi poterat male commendavit. Bullingeri judicium super ea re expiscaturus Curio indicabat haud alium in finem has in se turbas concitari a Vergerio, quam quod existimet obstare ipsi Curionis nomen apud eas gentes quarum se faciat Apostolum; caeterum vero esse Vergerium hominem vafrum et callidum, qui alius in Raetia et Helvetia, alius sciat esse in aula. Ad Abrah. vero Musculum Ministrum Bernatem, (occasione qua Vergerius apud Bernenses sedem expetebat, prout et eam in rem ad ipsius petitionem a Bullingero commendatus fuerat) de genio ejus, causa tot excursionum, et desiderio ubivis sedem figendi liberiora cogitata exposuit Epistola ab Editioribus Musei Helv. expressa, quam et heic adesse juvat. „ Quod autem, ita Coelius, tuis litteris de Italiae pro„ gressu in Evangelii cognitione, referente VERGERIO scribebas, non „ est novum, nam indies magis magisque proficit Italia nostra, non „ quod Vergerii libelli (tibi hoc dictum volo) multum adferant adju„ menti: meliores enim longe vidit Italia, ex quibus Deo sic favente „ spiritum hausit salutis. Non sunt Vergerii scripta mala, sed levia, „ et de quibusdam, de quibus etiamsi taceretur, nulla fieret rei chri„ stianae jactura, sed haec ut dixi Tibi dicta volui. Dicis illum im„ petrasse a Dominis ut possit habitare Lausannae, si minus per peri„ cula possit apud Rhaetos. Placet, sed nescio quae sibi fingat peri„ cula, quae nulla sunt: nam Augustinus MAINARDUS Vir sapientissi„ mus et tota Italia celebratus, et qui in ipsa Italia toties cum hosti„ bus conflixit concionibus, disputationibusque acerrimis, et saepe a „ Pontifice in ipsa Italia insidiis et artibus et vi appetitus, is inquam „ jam decem annos Clavennae docet; et illam ipse fundavit Eccle„ siam, nec tamen unquam a quoquam ei vis illata est, nec quidquam „ deterius est passus quam a falsis fratribus, qui illum in ipsa Eccle„ sia exagitarunt; a Romanensibus nihil. Sed Vergerius nondum pror„ sus mitram Rom. deposuit, h. e. adhuc pollet curtisanis artibus et „ res suas augere probe novit. Idcirco si haeret multis in locis, eo„ dem tempore pedem cupit figere, vel saltem aliquot centurias au„ reorum corradere. Dominum precor ut illi vel det vel augeat spi„ ritum. Miror quid peregrinetur! cur non adest suae Ecclesiae? Cur „ si Ministerium suscepit illic apud Raetos honesto etiam cum sti„ pendio non exercet? habet enim CL. aureos in singulos annos.

„ Org-

„ Oremus Patrem illum optimum Jesum Christum, ut illi det Pastoris
„ Evangelii Spiritum et mentem, ut illum loco uno stabiliant, ne more
„ suo antiquo vagetur. Cuperem mi optime Muscule scire quomodo
„ ad vos redierit, quo comitatu? quid de comitibus suis, quos pri-
„ mum habuit, dicat: quid illum reliquerunt? nam fama est illum so-
„ lum Bernam remeasse. Id si ad me scripseris, gratum feceris. Quod
„ scribis illum aliquamdiu Tiguri mansurum, id facile credo; nam
„ propter pestilentiam, quam scit Curiae et per illam regionem grassari,
„ vix audebit redire. Neminem unquam vidi miserius formidare pe-
„ stilentiam, quam Vergerius facit. An ad vos perlatum sit nescio
„ certe, Curiae Minister uterque mortuus est Commander videlicet et
„ Placius (Blasius). Haec habui mi chariſſime frater quae nunc scri-
„ berem. „ Haec Curio in sinum amici ex Basilea d. 1. Aug. 1550. s)

Posset Vergerii cum reprobatarum opinionum hominibus amicitia adtribui illius pacis Ecclesiasticae studio, quo ductus heterodoxis faciliorem aequo se praebuerit: sed concidit et haec excusatio si sciamus, eum inter Protestantes dum vixit non aliam tuitum esse religionem quam ejus regionis aut Principis sub cujus patrocinio illi vivere contingebat. Exemplo sit palmaria illa tanto animorum aestu ea aetate exagitata controversia sacramentaria. Quamdiu Vergerius in Raetia vixit, aut in terris Reformatorum sedem quaesivit, aeque a Lutheri asseclarum atque a Romanensium con- aut trans-substantiatione abhorruit, et ne Reformatae, ut vocantur, partis Antistites de ipso dubitarent, adhuc Tubingam delatus illis constantiam suam testatam voluit, praeter alia plura ad Bullingerum scribens: „ Vix crederes, inquit, „ quam pauci apparent qui vere possint dicere: Zelus domus tuae co- „ medit me: at Deus e coelis mittat spiritum qui nos calefaciat et ac- „ cendat per Christum Dominum nostrum: sine me hoc speciatim di- „ cere, (quod penes te habeto) nullum prorsus hactenus novi qui „ NOSTRAM de Sacramento Eucharist. sententiam non impugnet qua- „ dam veluti rabie. Hoc, hoc dolendum est, non solum eos discor- „ dare

s) Mus. Helv. Part. XXIX. p. 561. sq.

„ dare a NOBIS, sed amaro Zelo discordare. Ille, ille, ad quem „ Sulcerus de falsi crimine scripsit, nosti quem dico, quem Ego qui„ dem aliquando speravi consentire NOBISCUM, dissentit, inquam, in Zelo „ amaro dissentit. Quum nullum dixi, proprie sum locutus: quid „ opus est verbis? et quum nunc habeam tam certum nuncium volui „ deplorare haec tecum, et in tuum sinum amanter effundere, sed in „ tuum unius.„ t) Silentii cautelam in rebus fidei injungere non solent nisi qui quales sunt agnosci et apparere tergiversantur. Sed non modo persistere in sententia Reformata videri voluit Vergerius, sed et credi quod de ea apud Lutheranos bene mereatur. Ipso illo quo ad Virtembergiae Ducem evocatus fuerat anno, in Raetiam adhuc redeuns narrabat concionatores in illo Ducatu mirum quantum abhorrere ab omnium scriptis qui Christi carnem in coelis esse affirmant, non hic in terris: ast effeciisse se ut nomen Bullingeri minus invisum sit in illo Ducatu. u) Nihilominus hanc curam Vergerio postremam fuisse nobis jam certum est. Quippe statim atque aulae Ducis Virtembergici pedem intulit ut suam illi fidem ex omni parte probaret, non modo confessionem Ecclesiarum illius Ducatus, quae confecta erat ut Concilio Tridentino exhiberetur, in italicum idioma transtulit, sed etiam Brentii catechismum, qui consubstantiationis dogma secundum ultimam explanationem ubiquitisticam continebat, in usum Ecclesiarum Vallis Tellinae edere paratus erat. In praef. autem dictae confess. adjecta, ait ille exserte, *placere sibi summam illius confessionis, tametsi nonnullis* (Reformatis) *non placeat unus articulus*, is nempe qui de Eucharistia agit. Quid est Religione in praetextum uti, si hoc non est? Editum fuisse ab eo conversum Brentii catechismum mihi non constat: constat vero Ecclesiae Raeticae vigiles Vergerium res suas sibi habere *jussisse*. Sunt nobis ad manus vigilantissimi Eccl. Clavennensis Antistitis AUG. MAYNARDI ad Bullingerum eam in causam datae litterae, ex quibus quale Ecclesiarum Vallis Tellinae caeterorumque Raetiae Ministrorum super ejus conatus judicium fuerit intelligitur. Sic vero ille: „Quod ad Te „ pluribus mensibus non scripsi, temporis angustia fecit, haec tamen „ ad

t) Dat. d. 16. Jan. 1554.

u) Gallic. ad Bull. 19. Aug. 1553.

„ ad Te succincte. VERGERIUS, ut audimus, imprimi curat catechis-
„ mum quendam Tiguri et dedicare vult Ecclesiis Vallis Tellinae in-
„ sciis Ministris illarum Ecclesiarum. Catechismus is est quem ha-
„ buit a JO. BRENTIO. Tu vero vir Dei per viscera Christi Jesu, si
„ pacem Ecclesiarum nostrarum amas, noli consentire ut nomine Ec-
„ clesiarum nostrarum quidquam imprimat, nisi Ecclesiae nostrae con-
„ sentiant. Ait Vergerius se nolle Ministrum Evangelii agere, vel
„ esse ex nostris. Si ex nostris esse non vult, quid cur suos catechis-
„ mos nostro nomine Ecclesiis vult obtrudere? Nunquam fuit nobis
„ pax, postquam Vir hic fuit in his regionibus. Hoc nihilo minus
„ verbum sit apud Te, tametsi verissimum, et quod forsan esset utile
„ pluribus sciri. Tibi nunc soli scribo, et verum scribo coram Deo.
„ Mitto ad Te catechismum puerorum intitulatum: *Fundamentum Re-*
„ *ligionis Christianae ad usum Vallis Tellinae.* Vide autem Tu in ea
„ parte ubi de coena Domini tractat, et illic reperies haec verba in lin-
„ gua vulgari italice scripta: *Coena Domini est Sacramentum sive divi-*
„ *num signum in quo Christus offert et dat electis suis corpus suum et*
„ *suum sanguinem in pane, et vino, et certificat eos quod ipsis sint re-*
„ *missa peccata, et quod ad vos spectat regnum aeternae vitae.* In con-
„ fessione praeterea Illustrissimi Ducis Virtembergensis circa finem in
„ peroratione ait: *Sibi placere summam illius confessionis;* quasi de
„ summa doctrinae Christianae non sit sententia de coena Domini, et
„ illic addit: *Tametsi non nullis ex nostris non placeat unus articulus.*
„ Innuo tantum et annoto locum. Vide Tu ubi loquitur de se ipso
„ qui eam confessionem e latino in vulgare italicum vertit. Cum re-
„ prehenderetur a nobis quod eo catechismo et hujusmodi suis libris,
„ quos in vulgus spargit, Ecclesias quae in pace sunt, et veram sen-
„ tentiam tenent de coena Domini, perturbaret, imo libros evulgaret,
„ qui contrarium ejus doctrinae, quam in nostris Foederibus conciona-
„ tus est, tenerent, ait se fuisse interpretem, non assertorem. Respon-
„ dimus illi se esse assertorem in eo catechismo quem vult accipi ab
„ Ecclesiis. Demum (NB.) se correcturum recepit eam partem de
„ coena Domini: et denuo curat ut imprimatur Tiguri. Imprimat
„ quando volet, modo nulla de nostris Ecclesiis fiat mentio, ne videa-
„ mur consentire suis catechismis. Habemus nostros catechismos ve-
„ stro conformes: nolumus alios nostro nomine inscriptos. Rogamus

„ igitur

„ igitur Te Vir Domini, ut ne permittas in ſuis catechiſmis de nobis
„ fieri mentionem. Eat in nomine Domini, et non amplius ſit nobis
„ moleſtus, meminerisque COELIUM qui hic adeſt, et omnia vidit vera
„ ad Te ſcripſiſſe, neque mireris, quod tam libere de homine loquor.
„ Si omnia ſcribere vellem, opus eſſet magno volumine, et certo ſcias
„ quam invitus haec dicam: verum cura noſtrarum Eccleſiarum quas
„ Sp. hic Vir perturbavit, me cogit ut hujus hominis mores apud
„ Te ſolum traducam. Bene Vale et ora pro nobis. Clavenna
„ 3. Sept. 1553. „

Antequam Vergerium ex Raetia dimittamus, purgationem GALLITII, qua ad Bullingerum cauſam cur illum liberius perſtrinxerit ex ipſis fontibus derivat, audiemus. „ Quem vocare juſſiſti Jo. Ehinge-
„ rum vocavimus. Is unus ex duobus illis fuit qui huc quaeſitum
„ ſibi locum venerant. Juſſimus itaque ex templo advolare, aut ſi
„ venire nollet, ſcriberet. Veremur eum aegre receptum iri propter
„ liberorum multitudinem: Octo enim illi ſunt. Quodcunque fuerit
„ factum Tibi ſcribemus.

„ Caeterum ex litteris tuis duo percipimus. Unum, invidiam no-
„ bis poteſtate nimia eſſe vitandam, alterum, Vergerium mihi civilius,
„ honorificentiusque tractandum. Ex his ſatis olfacimus quid Tibi ſit
„ nunciatum, etiamſi circumſpectis Tuis verbis diſſimules prudenter ac
„ celes, nec aliter loquaris quam Te deceat objurgantem fratres, hor-
„ tantemque ad concordiam. Ad haec reſpondere viſum eſt ut inno-
„ centiam noſtram Tibi oſtendamus et ut praemonitus non credas
„ omnibus. Devora ergo Vir humaniſs. hoc taedium. Ad primum
„ igitur: Fratres qui in noſtris Foederibus Chriſtum praedicant non
„ conveniunt ad noſtram qui Curiae ſumus convocationem: Sed quan-
„ do ipſis viſum fuerit, et in locum, quem conſtituerint ipſi. Congre-
„ gati et praeſentes jam omnes, primum omnium unum ex omnibus
„ eligunt, qui ſententias roget, et reliqua in ea Synodo neceſſaria
„ peragat. Ei duos addunt (adſeſſores vocamus) qui illum agendo-
„ rum moneant, ut expeditius omnia ac decentius abſolvantur. Finita
„ Synodo ea, indicitur alia futura, cui locum et diem aſſignant con-
„ gregati omnes, ſaepiſſime extra civitatem noſtram, ubicunque viſum
„ fuerit

„ fuerit ipsis. Postremo congregati adhuc omnes unum aliquem ex
„ fratribus eligunt, qui omnium nomine et auctoritate nobiliora quae
„ forte inciderint inter Synodos peragat, scribat, si quid inquam inci-
„ derit, quod differri non possit in sequentem Synodum. Hunc Mi-
„ nistrum vocamus, quem non nisi me; jam plus semel constituerunt
„ Patrem Comandrum quod is caeteros et prudentia et auctoritate
„ excellat. Dices, quid mihi ista? Ut his Synodi nostrae totius pla-
„ citis contexat prudentia tua sibi pro nobis qui Curiae sumus Apolo-
„ giam contra calumniatores qui nos Tyrannos, reliquos autem fratres
„ servos faciunt. Num peccet si qui Curiae constitutus ab omnibus
„ est Minister, solus scribat omnium nomine: Aut si qui electus in
„ congregatione plura verba faciat quam alii non electi ad hoc etc.
„ Certe affectati primatus Ecclesiastes Curienses nemo fratrum unquam
„ insimulavit praeter excommunicatos aliquot propter quotidiana et
„ manifesta sua crimina, quorum calumnias nunc monet iste. Cur fa-
„ ceret hoc dicis? Ipsum noluimus creare Inquisitorem seu Visitatorem
„ in nostris Foederibus, quod saepe jam petere est ausus a nobis. Et
„ nihilo minus libris impressis est sparsum per Italiam, Petrum Paul-
„ lum Vergerium visitatorem esse in ditione Dominorum III. Foede-
„ rum. Si tradidissemus ei potestatem, quam petere eum non puduit,
„ tum quidem fuissemus Viri egregii. Sed hoc ad alterum ad quod
„ nunc descendimus. Vergerium ergo nos honorifice excepimus
„ omnes semper, etiamsi nullis placere possit fastus qui perpetuo illi
„ inest, et plurimis parum gratus ob id sit. De me vero quod que-
„ ratur nescio, nisi forte hoc quod in faciem ei dixerim: alium eum
„ esse quam appareat; foris quidem videri tenacem purae Christi do-
„ ctrinae, quam nunquam non habeat in ore, ac fraternitatis amato-
„ rem, propius vero consideratum non deprehendi eundem. Hoc ver-
„ bum facile concesserim civile non fuisse, at verum fuisse perasseverа-
„ rim. Aufculta rogo per tuam hum. et patientiam: Res mihi agitur
„ seria, ne excidam Viro, Tibi, cui probari malo quam sexcentis aliis.
„ Ergo hominem qui Deitatis personas et Trinitatem confiteri nolebat,
„ qui matris Domini virginitatem sempiternam non recipiebat, qui vi-
„ tam animarum nostrarum post mortem corporis non affirmabat, qui
„ Camillum Renatum pernicioſissimum Anabaptistam ut orthoduxum
„ laudabat (si videris librum quem hic contra parvulorum et nostrum,

„ quem sub Papa accepimus, baptismum scripsit, in quo vos Tiguri-
„ nos nominatim impetit) talem inquam hominem, illa in pectore ge-
„ stantem et proferentem, Vergerius purae doctrinae tam observans,
„ fideique christianae in Italia, in Rhetia, et Helvetia columna et sta-
„ bilimentum, recipi in consortium nostrum volebat, et Ecclesiae Chri-
„ sti praeficiendum esse concionatorem non desinebat. Contra alium
„ qui dixisset in coenae dominicae peractione non satis esse verba insti-
„ tutionis Domini e suggestu praedicasse, verum etiam esse in mensa
„ posita panis et vini recensenda super illa, hunc inquam bonum alio-
„ qui virum, et litteratissimorum, christianissimorumque Ecclesiae suae
„ virorum testimoniis luculentissime purgatum nobis atque laudatum,
„ ipse tamen Vergerius abominabatur, clamitans, accusans, scribens
„ Papistam esse, purae doctrinae sectatorem non esse, qui talia diceret,
„ cavendum, et istiusmodi plura; quae tamen non desineret urgere ac
„ persuadere, ut nimirum reciperetur ille, hic autem papista judicare-
„ tur et pestilens. Tum quidem Ego cum finem non faceret suadendi
„ nobis, motus indignitate praeposteri judicii, et quod modestia nostra
„ abuti pergeret, dixi ei verbum illud ut sciret me rem intelligere, ac
„ tandem desineret obtundere nos iniqua sua petitione. Neque hanc
„ causam solam habui ei objiciendi quod dixi, sed alias adhuc plures,
„ quas possem commemorare, et quid tentarit contra optimos fratres,
„ qui ipsi supplicare noluerint. Sed puto satis esse hujus. Scio in
„ cujus conspectu loquar, ne credas perturbato me animo loqui. Lau-
„ do et Ego Virum, tamen per omnia haudquaquam. Deprehendi
„ saepius quantum sit homo. Ego in ea sum sententia ut credam
„ Vergerium nos amaturum nunquam, nisi eum pro Domino nostro
„ receperimus, et fecerimus quod ipsi libitum fuerit, et nobis solo nutu
„ ostenderit. Nos minus diligimur a nostratibus penes quos aliqua est
„ auctoritas, quia Vergerium habeamus socium, non tam propter reli-
„ gionem, quam propter arrogantiam fastumque ejus. Nihilominus
„ excipimus nos quidem Ecclesiastae, ut semper honorificentissime.
„ Scias et hoc: CELSUS MARTINENGUS his diebus hac transiens et Ver-
„ gerium et Paravicinum illum mihi defendit: scripturis canonicis pro-
„ bari non posse Trinitatis aut personarum vocem; non debere ergo
„ nos qui Christi discipuli simus non Patrum vocibus uti externis. Ma-
„ riae virginitatem post primum illum partum certam nobis ex Scri-

„ pturis

„ pturis non esse. Baptisterium ejiciendum e Templo. . . Coman-
„ der miratur quid sibi istis velint. Ego puto plura illos in pectore
„ gestare, quae propediem effundent, quam fuerint ausi. „

„ Ex Italia auditur esse ibi qui non vereantur dicere: Christum
„ ex Josephi semine natum esse, quae vero Mathaeus et Lucas tradant
„ de conceptione Christi de Sp. S. aliunde infulta esse Evangelio.
„ Ambitiosa ingenia quiescere non possunt, nec eadem via cum aliis
„ ingredi. Posthac tam prolixus nunquam ero. Nunc volui ut rem
„ intelligeres omnem, sciresque innocentem me esse. Nam quod feci
„ non injuria feci. Tu interim dicere poteris cum illo: forsan et
„ hoc olim meminisse juvabit. Deus Te incolumem praestet. Curiae,
„ ult. Febr. 1552.

Tuus Philippus Gallitius. „

Peropportunum interea VERGERIO accidit, ut ipso Anno MDLIII. ineunte, ab Illustrissimo Virtembergiae Duce evocatus fuerit: quam vocationem is ut libenti promtoque animo acceptavit; sic ejus discessum Raeti facile admiserunt. u) Principis illius aulae quamprimum pedem intulit confessionem illius brevi antea ad Conc. Trid. missam, ut et Brentii catechismum in italicam linguam convertit, ut scilicet Dynastae fidem ex omni parte probaret. Satyricos quoque et eristicos adversum Romanenses in Virtembergia libros plures edidit, per quos tamen nec ipsorum Evangelicorum semper merebatur plausum. Ipso illo anno adhuc ex Principis aula in Raetiam reversus est, haud aliam scio ob causam nisi ut tanti Ducis se consiliarium jam factum ostenderet. x) Et

u) Comand. et Gallic. ad Bull. 16. Jan. 1553. —— Tuas litteras ad Nigrum mittemus —— Fuit hic die 8. Januarii Nuncius a Duce Wirtebergensi missus pro Vergerio, qui illuc iret. Montibus et nivibus deterritus nuncius noluit ipse ad Vergerium ire. Nos misimus ad Vergerium, necdum responsum ab illo accepimus, putamus nivibus remoxatum ad nos venire non potuisse.

x) Gallic. ad Bull. d. 19. Aug. 1553. Vergerius rediens a Duce Virtemb. multa bona nobis illinc narravit, et inprimis quomodo nomen tuum minus invisum fecerit concionatoribus qui sunt in eo Ducatu. Mirum enim quantum abhorreant ab omnium scriptis qui Christi carnem in coelis esse affirmant, non hic in terris

Et ne Dux ignoraret quantum adsciverit familiarem, Vergerius a Raetorum Synodo testimoniales expetiit; quas hi etiam illi facile submiserunt, licet non quas vellet, sed quas pro amore et salva veritate poterant. y) Quae negotia, sacrave tractaverit, dum Ducis illius favore aetatem egit, quaeve scripta in lucem ediderit, reperiuntur apud alios, et singulariter ap. Chr. SALIGIUM in praeclara Conf. Aug. Historia. Adjicere solum possum, illum artes curiae quas in juventute imbiberat, nunquam deposuisse: et quia vitam agere delicatiorem amabat, impensae vero non sufficerent, illas quandoque in partes vocatas ab eo fuisse. Exemplo sit consilium MAXIMILIANO Duci persuasum, quo illi Hospitale unum in Raetiae partibus exstruendum persuaserat, esset ut ubi miseri exsules ex Italia de tribulatione adventantes exciperentur, aut respirarent. Hoc pio consilio magnam thalerorum vim a Duce emunxit. Xenodochii vero illius fundamenta, ruderave non nisi in cerebello Vergerii posita fuerunt; quod sero demum Dux ex RUDOLPHO SALICEO Herculis filio summo, si quis unquam exstitit, inter Raetos viro, damno suo cogno-

terris vere. Dicit se bene sperare. Vidimus insuper litteras Ducis sigillo manuque roboratas, testantes ipsum a Duce receptum pro Consiliario suo. —— Principis sui Confessionem, missam ad Trident. olim Concilium a Brentio conscriptam in italicum vertit. Insuper et alios quosdam libellos italice a se scriptos edidit impressos nunc Tubingae. Legi Ego illorum bonam partem; laudo vera cum scripsisse. Vellem tamen ut plus doceret quam exclamaret, et dicendi figura uteretur mirificiore. Dominus Bajonensis nunc Vergerium, Comandrum et me, bis convivio excepit, pascens nos non minus eruditis sermonibus, quam ferculis. Multa nobis dixit de Europae viris doctioribus, quos omnes fere vidit, et est allocutus —— Audires virum enarrantem de omnibus fere rebus Europae. —— Is super coenam inter alia amicissime cum Vergerio collocuta, eidem nobis audientibus, dixit: Reverende Vergeri, Ego hodie et heri avidissime devoravi tuos nunc in Germania impressos libellos, sed ut libere dicam quod decet et liberum et amicum Virum, tua pace, omnia videris mihi, vi atque impetu quodam effundere, et ad permovendos tum plebis animos contra istos qui sunt religiosi: Consilium autem do, ut tibi ipsi posthac attendas, memorque propriae dignitatis, ea scribere cures, quae et doceant possintque doctis etiam gravibusque Viris aliquid conferre. Attamen animadvertimus Vergerium magni ab eo fieri. —— Is etiam in Litteris ad amicum quendam Clavennam scriptis monebat italos omnes et Vergerium, ut a maledicentia sibi temperarent, et agerent quae viderentur, modestius.

y) Id. Eid. d. 3. Febr. 1554. adduct. Supr. Lib. I. Cap. XII. Littr. a)

cognovit. Ex ejusmodi conatibus genium hominis artibus piscatoriis ab inolita aetate adsueti cuivis cognoscere dabatur; suoque damno experiebatur Vergerius eadem se facilitate amicorum amittere favorem, qua sibi illum paraverat, namque Bullingeri caeterorumque Reformatorum ob animi volubilitatem gratia cum excidisset, etiam Virtebergensis Ducis aversionem sibi adtraxerat. Subolfecit eam ut emunctis naribus erat Vergerius, quare ad evitandam omnem ulterioris indignationis exspectationem, solum mutare, novamque quaerere patriam constituerat. Ipso illo quo haec meditabatur tempore Pius IV. Pontifex BERNARDINUM BLANCHINUM Praepositum Scalae Mediol. ad Raetos delegaverat, ad articulos varios in augmentum Romenensis religionis directos, quos suo loco adducemus, obtinendos: hanc occasionem non omittendam ratus Vergerius protinus in Raetiam advolavit, ea, ut adparebat, mente, ut Legatum illum depexum daret, et Raetos adversum ejus postulata confirmaret. Edidit proin eam in rem libellum quendam in vulgus sparsam: qui vero Raetos Pontifici addictos exasperavit. z) Eo negotio peracto Vergerius Evangelicorum gratiam sibi conciliare rursus adnisus est; Legatumque se Virtembergici jactans Prin-

z) Id. ad eund. d. 17. Octobr. 1561. *Die fünff Ort haben ihr Bottschafft hin gesetzt, begehren das D. Beccaria und der Schulmeister geurlaubt werden: man hat aber Ihnen den Bissen nit lassen: man legt es der Gmeind heim; diss sollend drum mehren; das meer soll gelten.* D. Beccaria jam, ut audio, Clavennae est. Speramus eum ibidem posse locum habere. D. Vergerius hic versatur jam aliquot dies. Praetendit ille legationem Principis: sed pauci credunt: exspectat Comitia frequentiora jam futura. Ignorat responsum datum Pontifici. Venit ut confirmaret Rhaetos: Sed edito in haec libello Papistas nostros plurimum exasperat. Multa conquestus est coram, quod Tu sine causa ab illius amicitia discessisses: sed cum et ipse quaedam dicturus essem, noluit me audire. Hoc enim vitii habere videtur ut omnia et dixisse et fecisse videri velit. Multa de Sacramento dixit, hoc est lubrica, et sibi multa contradicit. Venit ad Te ipse (ita recepit) et dicit se cupere tecum redire in gratiam. De Tridentino Concilio multa; Ego credo quantum possum: ipse Te edocebit. Dicit quatuor Cardinales ibi legatos versari, et inter hos Mantuanum et Hosium, praeterea circiter XL. Episcopos. Misissem libellum Vergerii: Sed quia ipse ad vos venit secum feret. Si ad Concilium profecturus est, non ipse solus loquetur: Sed et alios audire cogetur.

Principalis nomine aureos Raetis montes pollicitabatur, et quod Dux etiam sanguinem pro Raetorum salute effundere paratus esset ingeminabat: Sed quod litteris destituebatur credentialibus, fidem ei nemo habuit. Mens ei erat opuscula sua conjunctim edere, denique fundum ad impensas inexhaustum conservare. Dum per ea negotia Curiae haesit, primo acrius Lutheranorum de Eucharistia Sententiam ursit, pro Brentio loquebatur, cujus facta alia negabat, alia emolliebat, aut excusabat; postea cum cantilenam non arridere conspexit, de rigore demisit, et nescio qua ratione sententias conciliabat, nempe contradicendo sibimetipsi; tandem quibusvis ad eum accedentibus dicebat: „esse rem „ indifferentem credere sive carnalem sive spiritualem corporis manducationem: atque si docti ad colloquium evocarentur, tum propter „ concordiam se semper ei parti subscripturum, quae Suffragiis victura „ foret. Si vincerent Zvingliani appellati, se illis subscripturum, si „ Lutherani itidem ad eos accessurum.„ a) Ultimo quia non ignorabat

a) Fabric. ad Bulling. —— —— Mirabere sat scio Reverende in Christo Pater, me proxime in scribendo tam brevem fuisse. Sed mercatus negotia ita me distraxerunt, ut vix recte mecum essem. Est nobis concionandum, baptizandum, scribendum, obvio cuique rustico ad taedium usque respondendum. Vergerius quoque homo molestissimus his omnibus morositate sua cumulum addit; sparsit hic multos germanicos libellos, et in his unum, in quo crassiorem illam carnalem manducationem corporis Christi aperte approbare videtur. Receperat se ad Te iturum, et ita utrinque discessum est. Sed ea nocte consilium mutavit, et in aliam viam se dedit. Si tecum essem haberem integras horas, quibus ipsius negotium et Legationem Tibi enarrarem. Nam cum summam legationis consulibus exponeret, me interprete est usus. Adfuit etiam D. Philippus. Magnificae sunt pollicitationes nomine Principis, qui paratus sit etiam sanguinem vitamque profundere pro Rhaetis. Sed non habuit litteras credentiales, quibus legationis suae fidem faceret: ideoque quod vanitas ipsius omnibus nota est, verba ejus nullam apud nostros fidem merentur. Fuit mecum aliquot horas HERCULES a SALICIBUS, et filius RODOLFUS qui malas ejus hominis artes prolixe depinxerunt. Quid cum Domina Isabella egerit, notum Tibi esse existimo. *) Rodolphus (est ille qui tantam pensionem a Vene-

*) Isabella Manricha foemina nobilissima
Neapoli nata, et Valdesii institutione usa, quae
Christi nomine exulavit Meminit ejus Frid. Salic.
in litteris alicubi. Iosias Simlerus. Vid. et Adami Vitas theologor. exteror. Princip. p. 36.

rabat multum apud Rhaetos, inter quos figere lares constituerat, Bullingeri valere nomen, igitur Tigurum proficisci, ut Bullingeri recuperaret

 gratiam,

Venetis habet) sancte affirmat, eum Vergerium persuasisse Maximiliano se cogitare Hospitale in hisce partibus pro exsulibus Italis instruere, et eo nomine emunxisse Maximiliano magna vi thalerorum. Et Rodolphus affirmat, se a Maximiliano rogatum ipsum. *Der H. Maximil. hat Rodolphum selbs gefragt ob Vergerius das Gelt an die arme Italiener verwendt: und als Rudolf das vermeinet, hat H. Maximilian den Kopf erschütt.* Vide quo modo provehat. Cum suam de Sacramento opinionem satis lubrice proponeret, et inter dicendum multa in Tigurinos diceret, quorum litterae Germaniam pervagarentur, in quibus Principes Christianos Antichristos appellarent, quodque Bullingerus dixisset se, si in Galliam veniret, pro dignitate tractandum etc. Ego cum respondendi partes mihi sumerem, ita furiose exclamavit, ut ne verbum quidem exaudire vellet. *Er that vvie ein tauber Mensch; und so vvollt ich mich an einem solchen — nit verhönen.* Philippus quoque Gallicius adfuit, qui ipse sermonem excepit, sed ne illum quidem audire voluit, sed isdem audire coactus est; *Das Ich by meiner seel, bey dem Menschen nüt dan ein teuffelischer Hoffart gespürt hat.* Et super haec omnia, omnibus quotquot eum accesserunt suam de Sacramento opinionem inculcare voluit; ipse vicissim neminem audire dignatus est: tantum suas ad Reges legationes magno cum fastu tonare. Cum autem quidam Minister eum accessisset, ausus est Aurelius nepos ejus, jam diu omnibus ex virtutibus notus, mihi absenti his verbis insultare: cum Fabricius heri de Sacramenti negotio loqui conaretur, a Vergerio egregie est explosus. Ita isti vanissimi homines de mea modestia triumphant. Inter alia haec pluries ingeminavit, apud omnes quotquot in eum inciderunt: *esse rem indifferentem credere carnalem aut Spiritualem corporis manducationem. Si docti ad colloquium vvocarentur, se semper paratum propter concordiam ei parti subscribere, quae Suffragiis vinceret. Si vincerent Zvingliani appellati, se illis subscripturum; si Lutherani, se ad illos accessurum. Das han ich von Ihm ghört, und redens niemand naeh; es sind aber andere auch mehr verhanden, die es auch ghört. Und so bald man anghebt hat z' reden, hat er thon vvie ein tauber Mensch.* Et seipsum et alios his exclamationibus fatigavit: *Nolo disputare; nolo audire; non veni disputandi gratia; sed a Principe meo propter alia negotia missus sum.* Haec Reverendissime Pater paullo prolixius quam volebam. Si venisset ipse, ne verbum quidem de ipsius moribus scripturus fuissem. Audisses ipse hominem. —— [Carent istae litterae dato temporis: ast licet ex statim apponendis colligere eas Ao. 1561. mense Novembri scriptas fuisse.] Sic namque.

Id. Fabric. ad Bull. d. 24. Nov. 1561. Quae nuper de Vergerio scripsi, non nihil concitatus scripsi, sed vera scripsi, et multa possum adjicere, sed mihi

nunc

gratiam, profitebatur: quod num praestiterit dicere non habeo. Tanta de Ducis Virtembergici in Raetos favore ediſſerverat, ut a HERCULE SALICEO, FABRITIO, MAYNARDO, et FRANC. NIGRO litteras extorſerit b) ad Principem deferendas, forte inſinuatorias, aut gratiarum actorias,

nunc reſervo. Brentii librum non vidi, et dubito ſi nominatim contra Te ſcripſit. Vergerius id factum eſſe pernegat. Non eſt quod mittam librum Vergerii, nam cives noſtri, et inter eos D. Balingketus de eo ad me retulerunt: interim inſpexi ipſe: *iſt des Vergerii Widerruff.* Nam Te librum illum habere, ex eo colligo, quod Vergerius inter alia, cum de re conquereretur, et haec adjecit, te cum librum illum inſpiceres, indignabundum eum ex manibus abjeciſſe, quod Tibi in cauſa Sacramenti non ſatisfaceret. Conſignavi contiones meas Ilantii habitas in unum libellum. Deus mihi teſtis eſt quod non vener aliquam gloriolam: Sed totus in eo ſum ut noſtros confirmem; nam procul dubio Pontifex alia quoque aggredietur. Si is labor meis ſatisfecerit cenſoribus, rogo Te ut per occaſionem aliquam Froſchovero author ſis, ut eum excudat mature; nam tale genus argumenti propter novitatem eſſet gratioſum. —

b) Fabric. ad Bull. Scire cupis quid cum Principe Virtembergico egerim: Sed nuper nihil certi ſignificare potui. Interea ſcripſit Vergerius ad D. Coſs. Ambroſium et ad Philippum collegam. In litteris Philippi haec ſunt „*Herculis, Fabritii, Maynardi, Nigri litteras ad Principem miſi, nam hi ad Principem ſcripſerunt.* Haec ille. Sed dubito Ego, an meae Principi ſint redditae, propterea quod primo omnia in manus Vergerii venerunt. Sed tamen is affirmat reddita omnia, et Principem per ſe, i. e. Vergerium, cum illum ad eos miſerit, reſponſurum ad ſingula. Deinde in progreſſu litterarum haec erant *Tu autem a Fabritio impetrabis, ne ea quae Principes cum Raetis agunt ipſe propalet: nam ſi reſcirent haec Principes, aegre ferrent. Sed de his coram plura, etc.* Nimirum aliquid Tiguro emanavit; ad quod ille alludit. Deinde additum erat exemplar litterarum, Principis ad Vergerium, quarum haec ſumma. „*Exſpectamus litteras a Rege Navariae, et tunc vos aut in Galliam proficiſcemini aut in Rhetiam &c.* Scripſit ad Conſulem et rogat ut ei liceat Curiae Typographiam inſtituere; promittit plura Miniſtris pauperioribus nomine Principis. Habes omnia, quae Tibi ſervabis et caute uteris; nam haec clam eſſe volo, quo poſſim plura ſubinde expiſcari: Alias ſi ſciret, me vobiſcum communicare, non concederet arcana. Quid autem homo ille quaerat, exitus docebit. Te apud Coignetium vigilare eſt neceſſe. Timeo ne vi conentur nobis hunc fumivenditorem obtrudere. Vale feliciſſime, ac diutiſſime.

P. S. Jam veſpera appetebat, cum litterae Glarona veniunt, quibus jubeor P. P. Vergerium commonere de inſidiis ſibi ſtructis, ſi denuo ad Rhaetos inſtituat.

rias: de argumento enim pronunciare non possum: neque ulla suppetunt, ex quibus constet Serenis. Ducem quampiam cum Raetis per Vergerium tractationem habuisse. Rebus sic peractis ad interim in Virtembergiam reversus est; ast mox inde ad Curiensis civitatis Consulem perscripsit, petens liceret ut sibi apud eos sedem figere, et Typographicam simul officinam erigere, ex qua primo opuscula sua, antequam exiguitate perirent, producere, aliquod deinde emolumentum lucrumve ad impensas vitae in senectute magis quam unquam necessarium extrahere intendebat. Id quum facile impetrasset, omnibus ad emigrationem dispositis, ad novae habitationis stabilitionem, elapsa statim hyeme Anni MDLXII. Martio mense, in Raetiam devolavit: in Vallem quoque Tellinam secessit in qua fideles adversum Pontificia dogmata sedulo confirmatum ibat, opera Romanensibus valde molesta. Quare ejus praesentiam quando Marcus Antonius Quadrius, Inquisitionem secreto nomine in ea Valle exercens, cognovit, non defuit suo officio efficere, ut Vergerius mox de abitu cogitare debuerit. c) Vergerio enim citius aut perspicacius nemo insidias subolfacere noverat.

tuat. Communicavi cum consulibus, nam et ad illos spectant: jussus sum scribere ad Vergerium, et eum commonere. Videtur haec occasio divinitus oblata. Nam hanc unam video rationem eum prohibendi et a Raetia arcendi. [Carent hae litterae nota temporis: intelligitur vero ex his quas nunc subjungo:)

Id. Eid. d. 23. Martii 1562. —— Vergerius Lindavium usque processerat, ubi acceptis meis substitit, et secrete apud Ministrum illius Ecclesiae delituit. Miror quid homo molitur. Non puto venturum postquam audivit sibi cum periculo id faciendum. Haec superioribus addere volui. Vale.

c) Quadr. Tom. III. p. 221. —— Marcantonio Quadrio veniva grandemente travagliato dal mal di pietra, al che aggiungevasi l'afflizione che sentiva nell' animo per li progressi che l'Eresia veniva in que' paesi facendo. Uno de' motivi di suo dolore era il Vergerio, che ivi si era portato, il quale (come dice egli in una sua lettera data 15. Maggio 1562. di Ponte) faceva mille conforti a' suoi, e portati aveva danari per li suoi Predicanti, e composto aveva un trattato contro il salvo condotto del sacro Concilio a' Luterani. Ma seppe questo Zelator della vera fede sì fare che vi stette il Vergerio ivi poco. [En ut alium hic suo metitur pede. Unde quaeso Vergerio opes, quas in Ministros erogaret?]

Curiae, remeaturus, PHILIPPO GALLICIO et JO. FABRITIO litteras dictavit, post suum discessum ad se in Virtembergiam mittendas, quibus significabatur Raetos ipsius discessum aegerrime ferre, eoque nomine, quod Raetia eo carere non posset, illum in Raetiam revocabant: quas illi facile dederunt, ne bono viro deesset ad petendam a Principe dimissionem bellus titulus, aut obtentus.

Intervenit autem quod totum propositum subvertit. Intelligentes enim creaturae Pontifici fidae, Vergerium in Raetiam remeaturum, subornarunt qui illum in via interciperent. Id cum resciviſſet bonus quidam vir, ut videtur, Glaronensis, protinus Fabritium Pastorem et Consules Curienses per litteras certos reddidit. Fabritius statim Vergerium, qui Lindaviam jam salvus adpulerat, monuit. Hic accepta de insidiis sibi structis relatione, penes Ministrum Lindaviensis Ecclesiae confugium cepit, delituitque dum usque elabendi oportuna se obtulit occasio, qua Tubingam remeavit. Sic periculis absterritus procul a Raetia aetatem transegit. Caeterum Vergerium adhuc uno ante obitum anno ad Raetos rediisse comperio, sed ne tunc quidem auram leniorem reperisse; fuisseque illi a Fabritio persuasum, ut, quum in Raetia tot ei adversa se offerant, ea cedat. Quod aegre quidem facturus videbatur: Sed ipsius consiliis mors intervenit, quae tot curis et discriminibus jactatum deduxit ad aeternitatis portum die 4. Octobr. Anno MDLXV. Ei parentatus est celebris Theologus JAC. ANDREAE. Ex 1. Tom. II. 12. sq. cujus funebris orationis Epitomen Graeco Sermone exhibet Martinus CRUSIUS d) qui illi interfuit. Corpus illius Tubingae in Templo sancto GEORGIO sacro honorifice sepultum fuit, ejusque tumulo abs Serenis. Principe CHRISTOPHORO Epitaphium erectum est, hanc ostendes inscriptionem:

Hac Ego sum Petrus Paulus cognomine gaudens
Vergerii sancta contumulatus humo.
Qui Justinopoli dicebar Episcopus olim
Legatus fueram regna per ampla Papae.

Attamen

d) Annal. Suevic. Part. III. f. 725.

Attamen abjecto, mundus quem quaerit, honore,
Cum vera amplexus ſum pietate fidem.
Sic volui potius pius exſul in orbe vagari,
Quam Praeſul patriis impius eſſe locis.
Petrus eram primo, quia Te, bone Chriſte, negabam,
Petrus eram paſcens poſt Tibi, Chriſte, gregem.
Paulus eram, quia Te contra, bone Chriſte, fremebam,
Paulus eram pro Te, Chriſte, ferendo crucem.
Vergerius merito vergens dicebar ad orcum,
Vergerius vergens dicar ad aſtra Poli.
Quisquis es, in meritum Chriſti qui fidis, ad unam
Accedens noſtram talia vota feras:
VergerIVs fVerat qVi CLarVs EpisCopVs oLIM
EX JVſtInopoLI: VIVat in arCe poLI.

Quo de Epitaphio et hoc notandum, illud in bello tricennali ſuperiori Sec. geſto a Pontificiis, memoriae ejus etiam poſt cineres inſenſiſſimis, ſublatum: Anno vero 1672. juſſu et ſumtibus Ser. Virtemb. Ducis reparatum fuiſſe. Famam Vergerii ab iniquiſs. JO. CASAE Epiſc. Beneventani criminationibus ſolide vindicavit Cel. SCHELHORNIUS in Apolog. pro Petro Paullo Vergerio Ulmae ante decennium edita. Unum adhuc addendum, quod quum morae Raeticae et Typographiae Curiae erigendae ſpes per inſidias diſparuiſſet, illico ſua opuſcula conjunctim edere coepiſſe Tubingae; prodiitque ex officina Ulr. Morhardi Anno MDCXIII Vergerii operum Tomus I. in 4to; reliqua ipſius opuſcula, quae binos adhuc mediocris molis conficerent Tomos, adhuc diſperſa jacent, quum Auctoris morte editio haeſerit. Et haec quidem Viri utraque fortuna famigerati juxta ac jactati fata et in Raetia noſtra acta fuere; quae nos absque ullo manes ejus laceſſendi animo, ſed in ſolum veritatis teſtimonium, cujus ſtudio nos unice

teneri

teneri jam ab initio sumus professi, exhibere voluimus et debuimus.

Caeterum quia de insidiis quas paullo ante memoravimus, ipsemet relationem extensiorem dedit et sub tit. „ Lettere al Signore Francesco BETTI gentiluomo Romano, delle insidie che il Papa m'ha posto attorno, „ imprimi curavit, mantissae loco huic capiti, ex ea quae in rem allegatam faciunt, heic exhibere et excerpere non ingratum erit.

„ A' X. di questo m' inviai da Tubinga per andar nel Paese de' Magnifici Signiori Grisoni, ed essendo io venuto in questa terra (di Lindo) la qual è alla riva del lago chiamato in latino Aronio, in volgar Brigantino, e stando io per tragettar all' altra riva, ad una villa chiamata Fussaco, evvi un miglio tedesco, ecco venirmi in diligenza grande più d'un avviso, e m' avvertiva che io mi avessi a guardar, periocchè il Papa mi faceva uccellar, onde io non potessi passar, che io non dessi nella sua rete, e che avea anco dato ordine, che s' io v'avessi urtato dentro, gli fossi mandato di lungo a Roma. Di quì a Coira v'e appunto luogo da tendervi una simil rete come ragna, perchè è in lungezza 45. miglia italiani, e stretto 1. miglia, pur d'Italia, e in tal luogo più, ma non molto: e vi sono intorno monti e alpi asprissime, e da un canto della Valle v'e giurisdizioni della Serenissima Casa d'Austria, e dall' altra da' 5. Cantoni uomini da bene, ma molto avversarj (Dio lor perdoni) della nostra religione; benchè ne siano in quel tratto de' vilaggj sudditi agl' altri Cantoni, che sono da' nostri, ma pochi luoghi. Inteso adunque l'avviso mi ridussi in Casa di M. Rocco Cavazza mercatante nostro Italiano, non parendomi di star sicuro nell' Osteria pubblica su questo confine, ove io ho tali insidie addosso. Vedete a che partito io mi truovi. In questa mediisima Valle vi è un Castello de' Signori de Alta Emps, che furon figliuoli d'una sorella del Papa, ed è quì vicino a due miglia tedeschi, per dove s'ha necessariamente a passar, nè può schifarsi da chi ha d'andare di qua a Coira, ove io era per andar. E di più temo che essendo tra Tubinga e Lindo alcuni luogi papistici, tra gl' altri uno ove stanzia un fratel del Cardinale, che anche in questi egli non mi faccia

cia aspettare di ritorno, di maniera che io mi ritrovo, come tolto di mezzo.

Anzi temo d' un' altra cosa, che se costoro i quali mi cercano potransi accorgere d' esser stati scoperti, e che io non sia per andar di lungo al mio viaggio, ma che io voglia tornar per la via, che io son venuto, avendo essi le spie (le quali non è dubbio, che non abbiano) temo dico che in un tratto non mi siano addosso, e non solamente se avran inteso, che io mi metta a tornar nel Ducato di Virtemberga, ma in qualunque verso io m' inviassi, perchè di quì attorno ci è del Papato assai, quasi una giornata di lungo: e voglio dir ancora di più, che avendo io inteso, che qualcheduno di loro si sia vantato di dover questa volta diventar ricco, potendomi coglier, debbo pensar che gl' altri compagni siano anco della medesima avarizia, e cupidità, che sforzeransi di farmi qualche furfanteria e assassinamento fin dentro di Lindo, e fino in casa, per non essersi in vano posto all' ordine, e aver fatto senza frutto un tal rumore nel paese; già ogni uomo il sa, e non si parla d'altro. In somma, ci è che fare. Disegno qualche cosa coll' ajuto di Dio, e spero di tentarlo un dì all' improvisa. Jo son malissimo in gambe come sapete, e mal posso cavalcar, che dopo la malattia ho sempre adoperato la carretta con la quale non posso penetrar anche in qualche monte, come ho fatto qualche volta, e come ora m' avrei sforzato di fare. Ma facciasi la volontà de Dio. Jo son quì, truovomi assai costante, dico eziandio se io vi vedessi maggior pericolo che questo non è (il qual non è però poco) di dover capitar nelle unghie dell' Ante Cristo, e che debbo io desiderar altro come Cristiano, che riuscir finalmente con un bel martirio? E spererei che mi sarebbe dato eccellente, e hollo meritato da lui, non che io abbia fatto cosa che importi. Chi son io il qual possa incomodar un gigante così fiero e così potente? Ma perchè ho avuto gran desiderio e brama di farlo a gloria di Dio, quando io avessi avuto il saper e le forze. Ma per certo poco ha da far la sua riverenza se cerca il mio sangue tanto ansiosamente. E che sarà poi quando egli se n'avrà lavate le mani e il viso per rabbia? mancheran per questo degl' altri senza comparazione e infinitamente migliori di me, i quali si sforzano di cavar fuor dalle tenebre e dal fango la dottrina del

figliuol di Dio: resterà però il Papato di andar ogni dì più alla mal ora, come egli va per grazia di Dio? E pur che ciò abbia ad essere (come tosto sarà senza dubbio,) che mi curo io d'essere più in questo mondo? Ho vivuto assai, e mi basta aver sentito la generazione e la caparra dell' eterna vita, la qual non mi può mancar, e se io so (come io so d'averla, scio cui credidi et certus sum) non debbo più far caso di viver: morirò, ma quando sarà a volontà di Dio, con una infinita consolazione: perchè aurò veduto abbassarsi e diminuirsi le grandissime forze e la gran superbia dell' Ante Cristo capital nemico del mio Padre celeste, e risuscitar come fuor del sepolcro il suo figliuol diletto, che gl' Erodi e Pilati, cioè i Papi con gli Scribi e Farisei avevano un' altra volta tolto del mondo e sotterrato.

Ma udite più de' fatti miei. Il Papato n'ha tentato dell' altre sopra di me, e non gli sono riuscite per grazia di Dio. Dirò adesso d'una sola. Essendo io nel Ducato di Virtemberga in Nirlinga, ove stava la Illustrissima Signora Madre dell' Eccellentissimo Signor Duca mio Paolo IIII. mi differrò addosso tre ladroni, e come tre cani mastini arrabbiati, ma non avendo potuto aver destro d'uccidermi, essendo stati scoperti, se ne fuggirono due d'essi in Franzia, ove furono amazzati in guerra, il terzo, essendo stato preso nella giurisdizione del Signor Conte di Zoler, vedendosi ad aver in ogni modo a morir, da se stesso non domandato, confessò d'esser stato con i due predetti molti giorni ad agguatarmi per farmi la festa, o avendomi potuto portar via vivo, condurmi a Roma, che questa commission egli diceva di aver avuto da sua Santità. Ecco galanterie de' Papi, ecco scherzi, che tentano di far fare a chi cerca di palesar la dottrina e gloria del Signor da lor occultata e imbrattata. Con questa sorte di libri voglion difendersi. O miserabili - - .

Post plura. Ma non contento il Papa di cercarmi di farmi tor la vita, sforzasi tutto ad un tempo, di farmi tor anche l'onor del mondo, quanto in lui è; e questo come sia, il dirò. Avendo io dato fuori pochi mesi sono alcune cosellucce, tra l'altre la risposta degl' Illustrissimi Principi Protestanti a' Nunzj del Papa (e questa è quella che maggior noia gl'ha dato, essendo per l'Italia pubblicata, il che egli non

non avria voluto) e alcuni altri libretti dell' Indizion del Concilio al Cardinal di Mantova Legato in Trento, a' Vescovi congregati in Trento, a' Magnifici Signori Grisoni, della declinazion del Papato e alcune altre le quali non sono più lunghe che di due foglj l'una: io pensava che dovesser andar solamente per le mani di persone basse, e di poveri fratellini, ma mi vien scritto per certissimo, che sono capitate non so come, in mano del medissimo Anti Cristo, il quale a me pare che dovea tenerne quel conto che tien un elefante d'un pulice, o assai manco. E chi son io, gli scritti del quale la formidabile alterezza e superbia d'un Papa debba pur degnarsi di lasciar che sian portati nella Italia, non che alla sua presenza? ma essendo stati portati e da lui veduti, montato in collera, ha dato il carico ad un fra Ippolito di risponder a quelle (come ho detto) frascheriette; nè è da dubitar che il frate non sia per isforzarsi di servir la sua infelice Beatitudine al meglio che potrà, vedendolo essere tanto arrabbiato, che cerca il mio sangue. Chi sia questo fra Ippolito credo che 'l sappiate. Egli è Bresciano della famiglia de Chizzuoli, buona patria, e buona famiglia, così fosse buono egli, ma non ne posso creder niente di buono; perciocchè avendo egli alquanti anni fino avanti che io mi fuggissi dall' Italia, assai bene predicato in Vinezia nel tempio della Carità alcune parti della nostra dottrina, e parendo che Dio l'avesse tirato nella sua Chiesa e Scuola, ecco che gl' Inquisitori furongli addosso, onde ci fece una ritrattazione e negazione da valentuomo. E come posso io o altri concepir buona opinione d'un tale? ecc. - - Di Lindo, a' XV. d' Aprile nel LXII.

Vergerio.

TANTUM.

CAP. VI.

Spicilegium, s. Leiphana Raetica ad Hiſtoriae periocham De controverſia Sacramentaria.

Praeterire nullo modo litem Sacramentariam poſſumus, quae renaſcentem Eccleſiam mox ab initio infelici diſcidio ſic diviſit, ut in unum nunquam amplius corpus coiverit, ea etenim vivo Luthero magna contentione agitata fuit, et poſt ipſius mortem refricata in ſeparationis ſymbolum facta eſt. Non eſt autem quod lector a nobis exſpectet, ut in infelicis diſcidii originem cauſamque, aut controverſiae, ut agitata eſt, fuſiorem deductionem ingrediamur; poſt duumviros enim LUD. LAVATERUM et RUDOLPH. HOSPINIANUM qui hunc articulum penitus exhauſerunt, id aggredi, plane eſſet poſt Homerum Iliada ſcribere. Quandoquidem vero per illam controverſiam integrum Proteſtantium corpus in duas fere aequales partes iverit, cujus una pars Vittebergenſem atque Saxonicas, altera Tigurinam atque Helveticas Eccleſias ceu matres ſecutae ſunt; de Raetica autem nil quidpiam a memoratis ſcriptoribus in commentarios relata reperiam: paucula quae hanc in rem habeo heic quo ſaturae lancis loco Periochae illi adjici poſſunt, conſignare, et tenebris eripere haud abs re viſum eſt. Igitur, quod initio operis diximus Evangelii Lucem ad Raetos Tiguro adlatam fuiſſe, facile fidem quoque facit: idem doctrinae Syſtema, quod ibi exornatum fuit, heic quoque terrarum juxta cum imaginum ſublatione, abuſuumque cultus abrogatione, ſecundum omnes ſuas partes introductum fuiſſe. Tantum de PHILIPPO GALLITIO reperio, adeo inolitam menti ejus haeſiſſe veterem verborum inſtitutionis Euchariſtiae expoſitionem, ut carnalem corporis Chriſti in S. Coena praeſentiam, manducationemque toto animo crediderit; licet interea modeſte eam tuitus fuerit. Sed idem mox meliora edoctus, non modo agnitum errorem exuit, ſed et acerrime in illum invectus fuit, quoad vixit. Non ignorabat Bucerus Argentoratenſium Theologus omnes per Raetiam

tiam Ecclesias abs Tigurinorum, quibus tunc Heinr. BULLINGERUS Antistes praeerat, ore pendere, quare is quo pacis inter Helvetios Saxonesque conciliandae studio ardebat, Raeticae Ecclesiae Antistites bonis demulcere verbis et in suam Sententiam pellicere tentavit, sperans forte ut si insignem adeo Ecclesiarum per has oras partem Tigurinis abstraxisset, ipsosmet quoque Tigurinos ad acceptandam Ecclesiasticae pacis quam super eum articulum proponebat formulam, faciliores fore. Ast vix suggesserat Bucerus Raetiae Doctoribus suum consilium, cum in derelictae fidei cum Tigurinis olim factae et aliquamdiu sartae conservatae societatis suspicionem incurrit: Unde isti nihil absque amicissimorum consensu agere voluerunt, postquam vero a Bullingero in opinione quam conceperant confirmati tanto minus Buceri consilium processit. En quae super hanc rem illustri illi TRAVERSIO praefatus Antistes rescripsit, sub fine prolixarum litterarum quibus conventus Vormatiae habiti successum enarraverat, quam partem studio amittimus: „ Adjeci his nostris, inquit, confessionem Augustanam si forte illam „ desiderares, et hac Te dono, si exiguae chartae merentur doni nomen. Adjeci praeterea nostrorum consultationem Smalkaldiae factam „ superiore anno, cum etiam Comitia Hagenoica communibus votis „ consultarent quid adversariis concedere possent, quid non possent. „ Sed ea lege mitto ut per proximum nuncium bona fide remittas, „ una cum reliquis chartis quibus describuntur Comitia Tigurina „ XXXVIII. Anno inter Argentoratenses et nos celebrata. Ex quibus „ intellges quam vere dicatur Argentinenses et Basileenses a nobis defeciisse. Intelliges etiam Principes et urbes Protestantes recepisse, id est „ non rejeciisse confessionem nostram, a qua nunquam in ullius gratiam „ vel transversam lineam unam discessimus, et Deo volente non discedemus. Argentinensis et Basileensis Respublica et Ecclesiae nobis sunt „ conjunctissimae, et nos illis gratissimi acceptissimique. Confessionem „ nostram una cum Declaratione ad Lutherum, Lutheri vero primam „ responsionem non adjeci, quod illam suppeditare potest charis. et „ colendis. frater Comander aut Balingius. Quod si fallor significabis, ac curabo ut habeas illa. Quanquam vero ita inter nos convenerit, sicut legis: attamen pergit Bucerus nescio quos nodos in re „ clara nectere, et perplexius loqui. Nunc fortassis occasionem et „ boni et mali accipiunt loquendi de defectione. Interim nolo defen-

„ dere Bucerum, qui ipse vix potest omnia sua defendere et excusare „ apud bonos. Verum ut defendere nolo, ita nec accusare. Stat „ quisque et cadit suo Domino. Sumus autem omnes servi Jesu Chri- „ sti: huic soli debetur omnis gloria semper. Vale Tiguro, 21. Ja- „ nuarii, Anno Dom. 1541. Salutabis D. Antonium Traversum et „ alios viros bonos. „

Emanavit relationis hujus Traversio datae fama ad ipsum Bucerum, qui proin invidiam discessionis a communi Societate amoliri litteris ad Comandrum scriptis non neglexit, quibus simul de Bull. ad Traverf. datis ceu justo durioribus conqueritur. *Verum est*, sic Comander ad Bull. non. Jan. 1541., *quod Bucerus litteras ad me dedit, quibus Lutheri et suas de Eucharistia caligines ad longum descripsit, et in eam conatur inducere opinionem. In illis litteris Bullingeri in tantum facit mentionem, quod querulatur Te in Epistola ad Dominum Jo. Traversium durius tractaveris quam sperasset. Salutant Te Blasius, et Nic. Balingius confratres mei.*

Quae vero Comandro quoad Lutheranum Eucharistiae dogma insederit opinio, luculentissime adhuc cognoscere datur ex sequentibus ad eundem Bull. nonis Martii, dicti jam 1541. Anni datis, quando in haec fatur: „ Traversio reddidi Epistolam et confessionem super Euchari- „ stiae negotium Basileae factam. Alios libellos de quibus scripseras „ non habemus. Bucerus dedit mihi germanicam satis longam arti- „ culatim descriptam, in qua Lutherum evehit in tantum ut fere Apo- „ stolos antecedat. Si desideras mittam ad Te. Ego ut ingenue fa- „ tear, nec latinam nec germ. (Confess.) unquam ex integro perlegi. „ Adeo taeduit naeniarum. Miror etiam vehementer viros tantos „ tanto labore rem claram, veram et cognitam obfuscare velle. „ *Ex aliis item Kal. Apr.* 1541. *ubi sic:* „ Accipe praememoratas Buceri „ litteras. - - Mihi plane persuasum est Papisticam illam Eucharistiae „ idololatriam, cujus Lutheranos nondum video esse immunes, omni- „ um errorum principium fundamentum esse et caput. Hoc quidem „ satis mirari non possum, si Apostoli in coena hoc modo, ut illi do- „ cent, Christum sumere integrum crediderint, qui factum sit, quod „ postea de resurrectione dubitarint, cum hoc quod difficillimum est

„ tam

„ tam facile fuſceperint, et hoc quod creditu facilius tam cunctanter. „ Vale et ſimplicitati conſule.„ At vero non Comandro modo Lutherana opinio improbabatur: ſed in Raetia nec Lutheri ſententia placebat, prout nec vehementia qua in Tigurinos inprimis furebat a quoquam probabatur. *Miramur*, ita Blaſius ad Bull. 1546., *quo in ſtatu ſit negotium Euchariſtias non tantum inter fratres Helvetiae noſtros, verum etiam num Lutherus, quid ſuper piiſſimam tuam reſponſionem abſurdiſſimae fidei ſuae confeſſioni datam, replicarit, id nos proximis his litteris certiores reddere digneris.* Paria de Lutheri ſententia etiam judicabant Vergerius, Camillus, Maynardus, Italorum primarii quod ex litteris eorum ſupra allatis adtentus lector advertere potuit. Adeo *'artosarkobin* Italiae exſules horruerunt.

Neminem rerum Eccleſiae paullo peritiorem latet ipſum Joannem CALVINUM Genevenſem Doctorem procurandae in dicto articulo Eccleſiaſticae pacis ſtudio flagraſſe, et ut controverſia tanto facilius complanaretur, ipſas quoque phraſes quibus Lutherani carnalem praeſentiam exponere et explicare ſolebant, illum ad explicandam ſpiritualem Chriſti in Coena praeſentiam adhibuiſſe et transtuliſſe, ſecus ſane ac Zvinglius, qui praeter recordationem et ſigna mortis Chriſti in Sacramento non agnoverat. Ex eo autem docendi modo non deerant qui dicerent diverſa Calvinum ſentire ab Eccleſia Tigurina: igitur ad omne dubium levandum et ſcrupulum infirmioribus eximendum Calvinus aſſumto ſecum GUIL. FARELLO Novocomenſi Paſtore Majo menſe An. MDXLIX. Tigurum venit. Ibi inſtituta cum Eccleſiae Miniſtris collatione et quoad dogma ipſum et quoad tradendi modum amice tractatum eſt: fuitque conſenſus aliquot articulis conceptus et ſubſcriptus. Conſenſus illa formula ſtatim etiam in germanicam linguam converſa, ab omnibus Helvetiis et Raetica quoque Eccleſia recepta fuit, ut SIMLERUS teſtatur in vita Bullingeri p. 24. In amicum adeo conſenſum varia ſtatim judicia. Alii enim Calvinum inconſtantiae arguere non verebantur, quaſi in confecta formula alia ſubſcripſiſſet quam antea docuerat: Alii Tigurinos Calvini ſcripta torſiſſe calumniabantur. Sed malevolos et lividos non curabant pii Doctores quorum intererat pacem mutuam conſervaſſe. Surrexit vero Anno MDLII. JOACH. VESTPHALUS Paſtor Hamburgenſis homo rixoſus, qui conſenſui illi inter

Helve-

Helveticas et Gallicas Ecclesias Calvini et Bullingeri opera facto, invidiam creaturus, litem Sacramentariam morte Lutheri fere consopitam rursum protraxit, edito libello cui titulum fecit: *Farrago confusanearum ac inter se dissidentium opinionum ex Sacramentariorum libris congesta.* Hoc classicum ad bellum fuit: Mox quippe Flacius Illiricus, Wigandus, Heshusius, et praecipue Brentius ac Jac. Andreae controversiam intendentes, alteram illam controversiam de Persona Christi revocarunt, omniaque contentionibus impleverunt. Venenato illi Vestphali libro repositi Calvinus Anno MDLV. Tractatum hoc titulo: *Defensio sanae et orthodoxae doctrinae de Sacramentis, eorumque natura, vi, fine, usu et fructu, quam Pastores et Ministri Ecclesiae Tigurinae et Genevensis antehac brevi confessionis mutuae formula complexi sunt, una cum refutatione probrorum quibus eam indocti et clamosi homines infamant. JOANNE CALVINO auctore.* Tiguri apud Froschov. MDLV. Suppresso Vestphali nomine in eo libello calumniantium impudentia modestissime redarguitur, et sententia in consensu Tiguri firmata ea vi asseritur ac defenditur a Calvino, ut Reformati qui antea Zvingliani audiebant, ex hoc tempore ab adversis Calvinistarum titulo traducti sint, quamvis ille libellus editus ante non fuerit, quam a Tigurinis quoque perlectus et adprobatus fuisset, quam in rem ipsum exemplar manu ipsa Calvini prid. non. Octobr. Ao. 1554. subscriptum visitur asservatum in Scriniis Archivi Tigurini. b) Editus is liber dedicationem inscriptam gerit: *Fidelibus Christi Ministris Tigurinae Ecclesiae, Bernensis, Basilienſis, Curiensis, et totius Rheticae, Sangallensis, Biellensis Neocomensis, Pastoribus, Symmistis et fratribus integerrimis et vere colendis*; subscriptam 4. Kal. Xbr. 1554. Ut autem liqueat quo affectu haec doctrinae Eucharisticae defensio ex parte Ecclesiae Raeticae acceptata fuerit, ipsam ven. Ministerii ad Calvinum responsoriam adpono.

„ Librum de Sacramentis, quem nobis etiam dedicare es digni-
„ tus, ad nos misit officiosissime communis nobis in Domino frater et
„ bonis omnibus longe colendissimus, omnis eruditionis et pietatis no-
„ mine Heinrychus Bullingerus. Agimus tuae humanitati gratias im-
„ mor-

b) Arch. Eccl. Vol. I. f. 601.

„ mortales pro honore quo Patriam ac nos decorasti, nostra etiam
„ nomina etiamsi humilia tu honorificentissime ponis. Majus tamen
„ sit apud pios omnes quod inter fidelissimos Domini et Servatoris
„ nostri Jesu Christi Filii Dei unigeniti et aeterni (pereant qui huic
„ repugnant) Ecclesias nostras commemoras in parvo quidem opere,
„ sed nihil minus quam non serio, gravissimoque: pro quo totus Chri-
„ sti orbis Tibi debebit aeternum. Consultissimum fuit, multoque
„ utilius Te hoc scripsisse quam Tigurinorum aliquem, quod nusquam
„ non gloriari videantur quidam in Te, sibique magna quaedam nescio
„ quae polliceri de Te contra nos. Ut autem rerum nostrarum cer-
„ tus, adhuc certior fias, et in existimatione illa nostri perstes, scias
„ omnes Ecclesias, (quarum nunc major pars sumus per Dominum) in
„ Tribus Foederibus credere et ore confiteri uno Christum Domi-
„ num carne sua in coelis ad dexteram Dei patris esse, et non in alio
„ aliquo loco in terris; Sacramenta esse Sacramenta non res ipsas, et
„ vim habere prorsus eam quam adseris et perscribis in tuo illo no-
„ stro jam facto libello. Nec est in nostris Foederibus aliquis Eccle-
„ siastes, aut Ecclesia aliqua quae Evangelium receperit, et missam
„ Rom. Pont. abrogaverit, quae non hoc ipsum teneat et affirmet magno
„ et mirando consensu, ut verissime de nobis potueris scribere quod
„ scripsisti. Sed et hoc scire Tibi volupe fuerit, in Valle Tellina
„ Evangelium firmas agere radices, et esse ibi qui libere sermonem
„ Christi proloquantur sacros concionatores; etiamsi multi reclament,
„ quidam vero murmure concluso rabiosa silentia rodant: indies itaque
„ speramus meliora. Caeterum qua puritate vos istic Evangelium
„ praedicetis cognoscere licuit vel ex hoc fratre qui - - - integerrime
„ se gessit in Domino. Dominus Jesus det ut diu vos incolumes
„ istic suum sermonem proclamare possitis, unde totus exaudiat orbis.
„ Fratres hic omnes bona omnia precantur symmistis omnibus in di-
„ tione Vestra. Ex Curia Rhaetiarum, die 4. Martii, Anni 1555. „

Tuae Humanitatis toti

Joannes Comander et Philippus Gallicius,
Ecclesiastae Curienses,

Jussu etiam fratrum omnium Christi Evange-
lium in tribus Rhetiae Foederibus praedi-
cantium. „

Quantumcunque BULLINGERUS moderatione nemini cederet: evitare tamen nec ipse in ea palaestra certamen potuit. Ediderat in Anno 1561. Expositionem in verba Johannis Cap. XIV. *in domo Patris mei mansiones multae sunt*; in qua docebat spem salutemque fidelium infallibili certitudine niti, praeterea coelum in quod Christus ingressus est, et in quod electi recipientur, esse difinitum quendam in excelsis locum. In editum tractatum insurrexit JO. BRENTIUS Virtembergensis Theologus eruditione et pietate praestans, emisso in eadem Christi verba libro, quo asserebat Christum cum suo humano corpore praesentem esse ubicunque divina ejus natura subsistit. Stupuerunt Reformatae Ecclesiae Doctores, Theologum litteraturae elegantis in provecta aetate Sententiae adeo a communi sensu remotae patrocinium suscipere potuisse. Sed ea hominum est mentis imbecillitas ut absurdissima citius quaevis propugnare praesumant, quam se errasse fateri velint. Huic Brentiano tractatui satisfecit Bullingerus modesta et solida responsione, Ao. 1562. edita: licet ad eam nec Brentius tacere voluerit, verum in eam rem pluribus vindiciis infelix contentionis serra reciprocata sit. Nos supra istam controversiam mentem Raeticae Ecclesiae ex ore GALLITII audiemus: Hunc in modum iste ad Bull. penult. Mart. MDLXII.

„ Quod ad responsionem Brentio datam adtinet, Deum immortalem,
„ quam liquido apparet virum arrogantia ebrium vigilantem somniare!
„ Nam et ipsius opus ante legeram quod ad Principem contra Te, imo
„ contra nos omnes scripserat. Quid putat hoc seculo non esse ho-
„ mines, ac maxime nos qui Zvingliani sumus, caudices esse? et suis
„ istiusmodi strophis omnibus posse illudi? An enim sua omnia non
„ sunt persimilia male sane bachantis illius, ut vocatur, argumentationi-
„ bus qui colligebat: Deus est ubique: Ubique est adverbium: Ergo
„ Deus est adverbium, quemadmodum saepe soleo dicere Fabricio?
„ Sic et hic: Deus est ubique. Christus est Deus. Ergo Christus
„ est ubique. Quasi non scianus in Christo duas esse naturas pro-
„ prietatibus distinctas. Res tractas serias ac graves, et si aliquae, no-
„ stra tempestate utiles ac gratas, Christiano denique homini scitu pla-
„ ne necessarias. Omnia dispositisti lucidissime. Colligis et absolvis
„ felicissime, verbis semper aptissimis et omnis decori observantissimis.
„ Memoria denique exsuperantissima, et ex omnibus elucet, quam multa
„ legeris, quam omnimoda sis eruditione praeditus. Satis scio invi-
„ tum

„ tum Te haec audire, sed - - - - . scio et mihi posse ab alio objici
„ haud difficile Athenienſem Athenis laudare: Sed quod ſentio ubique
„ dico, rogoque D. O. M. ut Te nobis Helvetiis, Rhetisque praeci-
„ puum decus conſervet incolumem, et omnem terram per tale or-
„ ganum diutiſſime illuminet. - - Vergerius vetus antagoniſta meus
„ huc appulit, et nunc eſt hic. Cum eo heri coenavi: neque enim
„ inimicitias ſoleo exercere. Exſpecto tamen quid ſit facturus fumi-
„ venditor per Jovem egregius. Ago etiam gratias, quod certiores
„ nos facis rerum pertinentium ad nos. „

Ad Bullingeri, totiusque Eccleſiae Tigurinae laudem pertinet, quod nonniſi provocati in arenam cum fratribus deſcenderint: cauſam cum omni modeſtia tractaverint: denique omni occaſione genium ad pacem inclinatum declaraverint. Iſtum genium praeclarus ille Antiſtes omnibus ſuis inculcare non deſtitit, et oblata occaſione in effectum mitti poſtulavit. Neſcio quae opportunitas illum pepulerit ad idem quoad negotium Euchariſticum a Raetico quoque Miniſterio exigendum: declarant vero ſequentes nomine Paſtorum Oengadinae ad Thobiam Eglinum tunc Curiae ad D. Martini Eccleſiaſtem miſſae pios Raetiae Evang. Miniſtros non minus pacis quam veritatis ſtudio actos fuiſſe.

„ S. P. D. Accepi et perlegi Domine frater chariſſime litteras binas ad me et alios miſſas, et quibus Germani Principes Evangelici ceu Proteſtantes cum Helveticis vel etiam noſtratibus Eccleſiis reconciliari petunt. Quod attinet altercationem de modo praeſentiae Chriſti in SS. illius coena, quae illis hactenus nobiſcum plus ſatis odioſa, et ut ipſi confitentur, pernicioſa interceſſit, atque etiam illas quibus Tigurini concionatores pro ſe ſemel ad illas reſpondent, quas utrasque illis communicavi, quibus per anguſtiam temporis licuit, intra quod tantopere reddi reſponſum urges. Atque quo illud feras breviter ſic accipe. Placet nobis, et ita aliis quoque placiturum ſperamus, ut pro hoc tempore, quandoquidem adhuc aliter nec arctius conjungi nequimus, hactenus ſaltem conciliemur, (ſpe fore ut brevi perfectior hinc veriorque concordia ſequatur) ut illa inter partes digladiatio, conviciandique invicem libido, et Chriſtianae charitati penitus adverſa et veritatis Evangelicae progreſſui, hactenus heu dolor! pernicioſa ſemel quieſcat,

tandemque tota consopiatur: modo ne quaeratur nos in aliquas angustias pertrahere, vel in necessitatem illicere a doctrina orthodoxa hactenus nobis consueta desistendi aut aliter Ecclesias nostras de praesentia Christi in coena quam hucusque docendi. Atque ita ut paucis concludam responsum Tigurinorum ut pium et prudentissimum per omnia approbamus. Placeret tamen ut illa conditio seu exceptio disertius poneretur. Attamen gratias D. O. M. agimus immortales qui rem ita tandem temperaverit eoque adduxerit ut adversarii hic nostri, alias pii, qui nos hactenus tantum non pro detestandis haereticis proclamarunt ac abominati sunt, ipsi priores ultro mitiores nimirum a Deo redditi, emollitique, vel ipsa etiam experientia, necessitateque docti, quantum sua importunitate scilicet lucrifecerint, aut spes sit se esse lucraturos, ad nos quasi de pace Legatos vel litteras mittant. Ipse Dominus quod inchoavit, ad optatum etiam finem tandem perducat ad suam gloriam, veritatis profectum, et Ecclesiae suae salutem, quam idem benigne respicere dignetur, ab insidiisque hostium asserere, atque eorum conatus omnes irritos tandem reddere per Jesum Christum Dominum nostrum Amen. Vale. Saluta. D. Jo. Gantnerum collegam, Pontisellam, consobrinum tuum Andream Ruinellum Provisorem. Hissusa, 19. Aug. 1567.

Tuus ut olim

Saluta Huldr. Campellus.

CAP. VII

CAP. VII.

1552.

Unde factum quod subtiles et paradoxae opiniones tam facile in Raetia disseminari potuerint. Novaturientium illorum diversus genius, vita et conatus. Ad praecludendum hominibus illis ad Ecclesias aditum, SYNODUS Raetica confessionem conscribit, ad cujus subscriptionem omnes Evangelium praedicaturos obstrinxit: CONFESSIO ipsa exhibetur.

Quum de plurium ex Italia exsulum paradoxis, novorum studiosis, aliorum etiam morosis ingeniis, deque illorum dogmatibus, et conatibus quos ad stabiliendas in Raetiae Ecclesiis opiniones suas ausi sunt, haud pauca nec exigui momenti a nobis superius in medium adlata sint, haud absque causa lectoris mentem subibit quaerere, unde factum quod dicti *eterodidaskaluntes* in reliquis Helvetiae Evangelicis civitatibus, ad quas illorum aliqui etiam excurrerant et confederant, adeo quietos saltem cautos se continuerint gesserintque, in Raetia vero tanta libertate usi, tot turbarum motores exstiterint. Sed desinet mirari et quaerere, quando cogitaverit illis longe majorem fuisse in Raetia dogmata sua spargendi opportunitatem, quam in ulla Helvetiae Reformatarum civitatum. Primo enim vivendi consuetudines, in Raetia nec quae ad seculi, nec quae divina negotia spectant, usque adeo definitis legibus adstrictae sunt, prout in urbibus populosis id plane necessarium est. Qui eam incolebant, aut avitam sequebantur religionem, aut puriorem profitebantur Evangelii confessionem; illi integra fide absque ulteriori disquisitione a Praesulibus suis Ecclesiasticis toto pectore pendebant: Ministri Evangelici satis sibi factum existimabant, quando advenae aversionem a Romanensi fide testabantur, coetuique suo secundum consuetas boni ordinis regulas se aggregabant, et

et vitam criminis expertem agebant. Enotatae illae de Trinitate, Christi incarnatione, de Praedestinatione et animorum immortalitate quaestiones, subtiliores erant quam ut vel somniando quis cogitarit de immotis fidei capitibus dubia posse a Christiano ullo moveri. Hinc recipiendis in S. Synodi consortium haud aliud doctrinae exemplum quam purum Dei verbum commendabatur, nullae praecisiores exstabant fidei formulae, Symbolave, in quae jurare novitius jussus fuisset. Exoptatae plane novaturientibus circumstantiae: nihil enim illi se praeter Dei verbum loqui ingerebant; eruditio vero perspicacia et fervor quem ex Italiae climate secum adtulerant, plus satis simplicitatem bonorum, fraudibusque non exercitorum aut adsuetorum superabat: unde factum ut ocyus illi plurimos clancularia infecerint, quam detrimentum a vigilibus Ministris animadversum fuerit. Secus Tiguri, Genevae, aut Basileae eveniebat, urbibus ad quas illo tempore quovis fere die novi, iique diversi generis hospites advolabant; in illis enim qui differentem a recepta Evangelii opinionem fovere aut spargere comperiebatur, exemplo prodire in arenam, fideique rationem aut probare, aut loco cedere jubebatur, ni experiri graviora mallet. Inibi praeterea locorum ad gubernacula stabant Viri omnis virtutis eruditionis et auctoritatis copia instructissimi, qui ad enatam apud se Evangelii lucem tanto accuratiori adtentione invigilabant, quanto plures noverant esse qui ipsorum libertati insidiabantur, et multifarias artes per quas Ecclesia pessum dari posset, cognoscebant: adversum istos Heroas illi tenebris nuper excluſi ne hiscere quidem audebant. Unde Lelius Socinus Genevae non nisi per obliquas quaestiones, quasi eximi scrupulos petens, Calvini animum tentavit et Tiguri apud Pellicanum commoratus est, at tectum semper et hypocriticum gerens ingenium, ut deprehendi non potuerit. Idem de caeteris ejus farinae Sociis dici potest, excepto Serveto, qui ob liberius propalata mysteria igne haeresin juxta ac crimina expiavit. Deinde summa erat illa in Raetia penuria Ministrorum, tanta quippe ut plures Ecclesiae numerosiores omni plane sacrorum Praefecto carere debuerint. Eo rerum statu in Pastorem a bonis hominibus adsciscebatur qui se offerebat: acceptabantur a paroecianis etiam illitterati, qui bonarum litterarum prorsus nihil gustaverant, sed idiotae plane solum vulgarem sonabant sermonem; dummodo Praedicantes se dici et conduci paterentur. Nec deerant istis fautores, qui clama-

clamabant etiam Apostolos fuisse illiteratos et idiotas teste in Actis Apost. Luca. Sic fiebat ut advenis quibusvis Ecclesiae patuerint, apud quas illi placita tanto liberius disseminabant, quanto certius noverant se loco expulsos non iri. Mali isti et dolosi operarii praeterea nec Synodos frequentabant, nec ab Ecclesia aliqua accepti, reliquorum examini aut censurae doctrinam vitamque subjiciebant, parum curantes an a reliquis Synodi membris pro idoneis, ac fratribus agnoscerentur. Fuerat equidem publico Comitiorum edicto constitutum, ut quicunque Synodi examini se non subjecerit, ablegaretur ab omni Communitate: Sed in tanta bonorum fideliumve Ministrorum paucitate Communitates in executionem ire tergiversabantur, ajentes praestare qualemcunque habere, quam omni prorsus destitui Pastore.

Ne autem per apertam hanc licentiae fenestram irrumpere pergerent Prophetae illi non vocati, et integra caula ovium, intelligo Ecclesiam, illorum dogmatibus inficeretur, Ministri pro grege commisso vigilantes, in tempore obsistendum et praestruendum esse ex officio et necessarium reputarunt. Ei fini assequendo haud vero aliud reperierunt medium opportunius, quam ut communi nomine super fundamentalia illa quae in disceptationem ab advenis illis traherentur capita dilucida confessio et Expositio ex S. Scriptura ipsa, conscriberetur, in qua planis, et ab omni ambigiutate remotis verbis, sanctae catholicae Ecclesiae fides edissereretur, adversaque doctrina damnaretur: dictae tum confessioni omnes, qui in Ministrorum numerum cooptari peterent, propria manu subscribere juberentur; exserta cum declaratione ab Amplis. Proceribus impetranda, ut qui vel Synodi examini, censurae se subtraheret, aut confessioni subscribere recusaret, eo ipso facto e fratrum numero excommunicatus, ab omni Ecclesia, cui praeesse contigerit, ablegetur. Placuit omnibus consilium: demandataque fuit PHILIPPO GALLITIO sparta confessionem illam conscribendi, cujus valor prae caeteris eminebat. Reclamabant consilio illi vehementer prae primis Vergerius juxta cum Italis ejus farinae pluribus: a) sed frustra. Conscripsit

a) Gallic. 6. Mart. 1553. „Paravimus Synodi nostrae instituta quaedam, quibus venementer Vergerius et Itali apud nos refragantur. Fratres nostrates omnes rogant

scripsit igitur illam Gallicius, et Anno MDLII. coram integra SYNODO praelegit, a qua ex majoris partis (Italos advenas reclamantes nemo morabatur) consensu pia et orthodoxa agnita est. Voluerunt tamen iidem Ministri ut Tigurino Ministerio cognoscenda submitteretur, ne quid forte fervidius egisse viderentur; item ut si quae additionem aut emendationem admittere existimarent amice monerentur. Consensit Gallitius scriptumque suum Bullingero Aprili mense A. 1553. transmisit inspiciendum, ac revidendum. Inspexit illud Bullingerus, et ceu pium, veritatemque orthodoxam dilucide explicans, calculo suo adprobatum Auctori suo remisit. Illius adprobatione visa SYNODUS confessionem in fidei Symbolum extulit, injungens ut ab omnibus in Raetia verbi divini Ministerium exercituturis illius subscriptio exigatur antequam sacro charactere donentur: id quod ad hunc usque diem observatur, quantumvis Helvetica confessio post XIV. annos a Bull. ipso conscripta etiam acceptata fuerit, et illi ad latus posita. Raetica confessio non omnes explicat fidei articulos; sed eos praecipue tangit, qui trahebantur in disceptationem, nempe de Trinitate, Praedestinatione, baptismo etc. Posterior ejus pars Ecclesiasticae gubernationis modum et regulas a Raetiae Ministris observandas proponit. Nunquam edita ea fuit; unde et nulla ejus quod sciam apud ullum Hist. S. Reformationis mentio; quamvis publici nominis ea sit, et ratam nec unquam interruptam apud Raetos obtineat obligationem. Litterae quas exemplari ad Bull. adjunxerat Gallicius, necessitatem conscriptionis illius egregie pandunt ut praefationis luculentae locum ad illam tueri possit. Utrumque *keimylion* a tineis et blattis liberatum optima fide ex ipsis *'avtographois* transsumtum, heic tibi L. B. sistitur.

rogant ut legas, et si quid emendandum putes, moneas. Ne deterrearis magnitudine libelli: Opellam diei unius vix sibi deposcunt: duabus horis poteris totum perlegere. —— Litteras ad Vergerium misi Jo. Traverso qui illi redderet, una cum aliis, quas nos Vergerio in auxilium contra Papistas scripsimus. Secesserat enim Vergerius in Ingadinam ex Valle Tellina, homo certe plus satis vehemens, nostro judicio, ita enim timemus. Vale. Reliqua hujus Epist. vid. Supr. Lib. I. Cap. X. Act.

CON-

CONFESSIO

SEU

FIDES ET PLACITA SYNODI EVANGELIUM JESU CHRISTI IN TRIBUS FOEDERIBUS PRAEDICANTIUM.

PRAEFATIONIS LOCO MERETUR LOCUM

Exemplar Epistolae Ministrorum RAETIAE omnium nomine ad HEINRYCHUM BULLINGERUM Ecclesiae TIGURINAE Antistitem missae, in qua ostenditur qua necessitate coacti confessionem conscribere, et a recipiendis in Ministrorum numerum subscriptionem exigere coacti fuerint.

Placita illa nostra, de quibus et ante scripsi, nunc tandem mittimus ad Te. Fratres Te rogant omnes ut digneris legere. Nec solum hoc, verum etiam ut emendes, mutes, et in his omnibus quod Patrem decet. Te enim agnoscimus ac facile recipimus ut oculatiorem nobis, et Tibi Dominus majorem prudentiam dederit quam multis aliis. Ne vero credas plura decreta nos superstitiosulos sanxisse quam sit necesse,

ceſſe, aut enucleatius, curioſiusve multa nobis poſita quam ſit opus, ſcias ſuper his omnibus quae hic conſtituimus nos jam ſaepe tentatos ab advenis, maxime omnium ab Italis quibusdam moroſis, quibus nihil fere placet, niſi quod a communi uſu variet, et ſit quam rariſſimum, aut certe ab ipſis primo profectum. Propiores enim nobis ſunt quam vobis, et cum his quotidie nobis agendum, imo et conflictandum ſaepius; etiamſi de omnibus non loquimur. Nam novimus aliquot ex Italis ſanos in fide quietos ac tranquillos: Sed de perturbatis ingeniis hic conquerimur. Confitentur omnes ſe credere quaecunque contineantur in ſcripturis ſanctis; adeo ut his nullis decretis, nec aliquibus aliis verbis clarioribus opus eſſe dixeris. Sed accuratius attentiusque examinati deprehenduntur prorſus importuni atque abſurdi, aut etiam peſtilentibus doctrinis infecti, et ſubinde evomentes abſona quaedam horrendaque, paradoxa ingenia redolentia, corrupta atque diſtorta. Alius ſanctam illam Trinitatem confiteri non vult: alius Chriſtum eſſe Deum aequalem Patri affirmare non audet. Iſte ſervatos nos gratia Dei affirmat; non fuiſſe ergo opus Chriſti deſcenſu in terras ad nos, nec corpore ejus ſanguineque, cum ſoli gratiae Dei totum ſalutis noſtrae opus ſit transſcribendum. Alius acrius ſcilicet diſtinguens, dicit ſervatos nos quidem eſſe per Chriſtum, at non per corpus Chriſti pro nobis paſſum, ſed per dolorem quem ſenſerit idem in corpore. Quidam affirmant mala pravaque ex ipſo Deo omnium fonte eſſe; ipſumque Deum non minus ſcelerate factis gaudere, quam bonis et iis quae cum virtute et bene fiant: quod ipſum nusquam non agunt et diſputant. Quorundam buccae

nihil nisi Praedestinationem crepant; hunc servari etiamsi mala omnia operetur: contra illum non posse non damnatum iri, credat quidquid velit, atque etiam operetur bona omnia. Non defuerunt qui dicerent, infernum esse nullum, etiamsi sint poenae malis constitutae, et in coelis hominum esse neminem, praeterquam latronem illum de quo in Evangelio Lucae. Iustiusmodi disputare non puduit Calabrum quendam in Ingadina, in publico ad hoc convocato conventu. Non desunt hodie ex iis qui sunt concionatores qui Dominicum diem aegre recipiunt: Sunt qui articulos hic nostros de baptismo vehementer abominantur nec velint recipere. Certe eo per nos redigi non possunt ut baptizantes, nostra forma aut vestra, qua nimirum Vos in Ecclesia vestra utimini, utantur et ipsi: Sed quilibet illorum proprium habet modum baptizandi quem sectetur, magno laicorum, ut dicitur, scandalo. Quidam nolunt esse in consortio nostro nec Capitulo, ne videantur fidem et placita haec nostra recipere. Habemus etiam inter nos concionatores qui bonarum litterarum prorsus nihil didicerunt, sed tantum vulgarem sermonem modo legere. Et isti impudenter se ingerunt pro concionatoribus. Istis qui favent, clamant Apostolos etiam fuisse illiteratos et idiotas, teste in Actis Apost. Luca; at Spiritum requiri ut quis bene doceat, non litteram: quam dicat Apostolus occidere. Et ne omnia persequamur, vix credis quam quilibet ad nos veniens aliquid novi secum adferat, quo se conspicuum faciat et commendet. Et propriam confessionem unusquisque fere nobis offert quam approbemus atque recipiamus; verbis conscriptas nonnunquam novis, ambiguis, captiosis, et in universum non

satis fidis. Hujusmodi igitur homines cum saepenumero perveniant ad nos, visum est fidem et decreta nostra brevibus perscribere, ut qui aliunde venerint ad nos, audiant atque intelligant fidem nostram, nec non et causas singulorum a nobis decretorum, et quid requiramus ab ipsis si recipi velint in consortium nostrum. Accipe et hoc. Magistratus in nostris Foederibus unius fidei et religionis non est; quod in his statuendis in memoria nobis fuit habendum, ne quam ansam calumniandi Evangelium aut contra nos saeviendi daremus iis qui nos nostraque odio prosequuntur. Tu itaque pro tua fide et integritate haec lege et corrige. Vale in Domino Jesu. Datum Curiae, die secunda et vicesima Aprilis, Anni MDLIII.

Tui

Extat Archiv. Eccl. Tigur. No. B.
Tom. XXXVI. fol. 127.

JOHAN. COMANDER
et PHILIPPUS GALLICIUS
Jussi a fratribus Christum in
Foederibus praedicantibus.

CON-

CONFESSIO.

FIDES AC PLACITA SYNODI EVANGELIUM CHRISTI IN TRIBUS RHAETIAE FOEDERIBUS PRAEDICANTIUM.

Nos qui Filii Dei unigeniti, domini et Servatoris noſtri Jeſu Chriſti, Evangelium in tribus foederibus praedicamus, credimus unanimiter, et ore confitemur uno, eam demum eſſe veram et integram et incorruptam fidem, chriſtianam et ſervantem quae in ſcripturis ſanctis Novi et veteris Teſtamenti Canonicorum illorum librorum traditur atque docetur: et pauculis eſt verbis perſcripta in Symbolis quibusdam, quae fideles omnes, et qui cognoverunt veritatem, a priſcis temporibus ſemper agnoverunt pro piis et rectis. a)

Symbola autem illa, de quibus hic loquimur, ſunt haec. Primum quod dicitur Apoſtolorum, hoc: Credo in Deum patrem omnipotentem, creatorem coeli et terrae.

Et in Jeſum Chriſtum filium ejus unigenitum dominum noſtrum, qui conceptus eſt de Spiritu Sancto: natus ex Maria Virgine: paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et ſepultus: deſcendit ad inferos: tertia die reſurrexit a mortuis: aſcendit ad coelos: ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis: inde venturus eſt judicare viventes et mortuos. b)

Credo in Spiritum Sanctum: Sanctam Eccleſiam catholicam: Sanctorum communionem: Remiſſionem peccatorum: Carnis reſurrectionem, et vitam aeternam. Amen.

Secundum quod incipit: Credo in unum Deum: Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, viſibilium omnium et inviſibilium.

a) pag. 2. b) pag. 3.

Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum et ex patre natum, ante omnia secula; lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, genitum non factum: consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis: et incarnatus est de Spiritu Sancto, et Maria virgine et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas, et ascendit in coelum. Sedet ad dexteram patris: et interum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos, cujus regni non erit finis. a)

Et in Spiritum Sanctum Dominum vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas.

Et unam sanctam, catholicam et apostolicam ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum, et exspecto resurrectionem mortuorum: et vitam venturi seculi. Amen. b)

Tertium, quod Athanasii illius Magni. Quicunque vult salvus esse ante omnia opus est ut teneat catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit absque dubio in aeternum peribit.

Fides autem catholica haec est: ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes personas, neque subsstantiam separantes.

Alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti, una est divinitas, aequalis gloria, coaeterna Majestas. c)

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Im-

a) Pag. 4. b) pag. 5. c) pag. 6.

Immenſus Pater, immenſus Filius, immenſus Spiritus Sanctus.

Aeternus Pater, aeternus Filius, aeternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres aeterni, ſed unus aeternus.

Sicut non tres increati, nec tres immenſi, ſed unus increatus et unus immenſus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes ſed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Dii. Sed unus eſt Deus. Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus; et tamen non tres Domini, ſed unus eſt Dominus. Quia ſicut ſingulatim unamquamque perſonam Deum aut Dominum confiteri chriſtiana veritate compellimur: ita tres Deos ac Dominos dicente catholica religione prohibemur. a)

Pater a nullo eſt factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre ſolo eſt, non factus, nec creatus, ſed genitus.

Spiritus S. a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus. Sed procedens. Unus ergo Pater, non tres Patres: Unus Filius, non tres Filii: Unus Spiritus Sanctus non tres Spiritus Sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut poſterius, nihil majus aut minus: Sed totae tres perſonae coaeterne ſibi ſunt, et coaequales. Ita ut per omnia ſicut jam ſupra dictum eſt, et unitas in Trinitate, et Trinitas in unitate veneranda ſit. b)

Qui vult ergo ſalvus eſſe, ita de Tinitate ſentiat.

Sed

a) pag. 7. b) pag. 8.

Sed neceſſarium eſt ad aeternam ſalutem, ut incarnationem quoque Domini noſtri Jeſu Chriſti unusquisque fideliter credat.

Eſt ergo fides certa ut credamus et confiteamur: quod Dominus noſter Jeſus Chriſtus Dei Filius, Deus et homo eſt.

Deus eſt, ex ſubſtantia Patris ante ſecula genitus, et homo eſt ex ſubſtantia Matris in ſeculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali et humana carne ſubſiſtens, aequalis Patri ſecundum divinitatem: minor Patre ſecundum humanitatem. a)

Qui licet Deus ſit, et homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus. Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumtione humanitatis in Deum. Unus omnino non confuſione ſubſtantiae, ſed unitate perſonae.

Nam ſicut anima rationalis et caro, unus eſt homo, ita Deus et homo unus eſt Chriſtus, qui paſſus eſt pro ſalute noſtra, deſcendit ad inferos, tertia die reſurrexit a mortuis, aſcendit ad coelos, ſedet ad dexteram Dei patris omnipotentis; inde venturus eſt judicare vivos et mortuos. b)

Ad cujus adventum omnes homines reſurgere habent, cum corporibus ſuis, et reddituri ſunt de factis propriis rationem. Et qui bona egerunt ibunt in vitam aeternam: qui vero mala in ignem aeternum. Haec eſt fides catholica, quam niſi quisque fideliter firmiterque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.

Ad haec ſunt alia quaedam, doctorum ſimul atque piorum virorum conciliorumque ſcripturis canonicis, et jam dictis ſimilia atque conſona, quae illi contra Macedonianos et alios haereticos compoſuerunt, nobisque poſteris ſuis commendarunt; quae nos hic brevitatis cauſa omittimus, et quod facilia ſint inventu.

Haec

a) pag. 9. b) pag. 10.

Haec summa est, hic ordo fidei nostrae, quam solam atque unicam pro vera ac coelitus nobis data recipimus, atque tenemus: et mortalibus qui vitam consequi volunt commendamus omnibus. Aliis quaecunque sint, quae huic refragantur, aut cum hac ad amussim per omnia non conveniunt, contemptis, spretis, damnatis. In memoria et ob oculos habentes, verba illa per Apostolum dicta: fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter hoc quod positum est: quod est Jesus Christus, a): et b) etiamsi nos, aut angelus e Coelo praedicaverit vobis Evangelium, praeter id quod praedicavimus vobis, anathema sit.

Hac fide docti, pro Christianis, quae nunc sequuntur pronunciata retinemus: quae necessitas et instantia nos coegit verbis apertioribus et patefactis enunciare. Propter haeresum hac maxime tempestate repullulantium aversandam, detestandamque malitiam versipellium, mentequе corruptorum hominum, qui sapientiae specie inflati avidique nominis, insanientes circa quaestiones, ac disputationum concertationes, nihil nisi verborum pugnas sectantur: ad nullam utilitatem, ad subversionem audientium.

Sententiae igitur, quae nobis hic enarratius videntur perscribendae, sunt hae: Cum ex vitiata corruptaque massa prognati essemus omnes, naturaque filii irae et sub execratione legis, sumus sanctificati, Deoque reconciliati per Jesum Christum, nominatim per oblationem corporis illius semel peractam: per mortem ejus, qua Deo reconciliati fuimus: per resurrectionem ejus vivificam, qua peccato morte et inferis devictis vitam nobis reduxit: carne ejus, qua pro nobis est passus, peccata nostra perferens in corpore, super lignum: per sanguinem ipsius fusum pro nobis, quo abluti et emundati c) sumus. Hoc modo satisfactum pro nobis; hac demum via nos esse servatos contendimus et perseveramus: Jesu Christi (volupe est idem tam salutiferum saepius dicere et inculcare) carne pro nobis immolata et mactata, ac sanguine hujus pro nobis effuso: corpore hoc ejus vero ex mortuis propter justificationem nostri excitato. Hunc d) (verum Deum et hominem) agnum

a) 1. Cor. III. b) Gal. I. c) 1. Joh. I. d) Joh. I.

agnum illum Dei esse immaculatum et incontaminatum qui tollit peccatum mundi, nec esse in alio quoquam salutem. *)

Sola quidem fides servat: sed illa quae per dilectionem operatur. a) Quae vero charitatem et bona opera non habet, fides illa servans non est, sed inanis et mortua: de qua S. Jacobus in epistola sua, b) et Dominus in Evangelio: c) omnis arbor quae non facit fructum bonum exciditur, et in ignem conjicitur. Et: d) discedite a me maledicti in ignem aeternum qui paratus est Diabolo et angelis ejus; esurivi enim et non dedistis mihi cibum etc. Non quod operibus salutem tribuamus qui justificationem soli vendicamus fidei, cum Paulo Apostolo clamitantes: e) justus ex fide victurus est. f) Gratia estis servati per fidem, idque non ex nobis, Dei donum est: non ex operibus, ne quis glorietur. Nec quod putemus opera fidem gignere, sed quod sciamus eamquae fides dici mereatur, nihil minus esse quam mortuum aut otiosum quiddam; et tam non esse sine bonis operibus, quam non arborem bonam sine bono fructu, aut ignem absque splendore ac calore, patremve qui non genuerit. Propterea ne quis se ipsum vano fidei nomine fallat, exponimus fidem, dicimusque servare eam demum quae charitatem habeat, et bona opera: eo quod sequantur fidem; nec sit fides sola sine charitate et benefactis. Quo modo nos bona opera pro signis habemus consummationis et justae jam fidei: adeoque pro fructibus bonis quos facit arbor bona in sui cognitionem: bona nimirum fides bonorum operum mater illa, et demum beans.

Mala pravaque ex Deo non sunt, cum in eo non sit iniquitas, et omne injustum vetet, diligat justitiam, et odio habeat iniquitatem. Disertis etiam verbis clamet et testetur Joannes: g) omne quod est in mundo, velut concupiscentia carnis, et concupiscentia oculorum et fastus vitae non est ex patre: sed ex mundo est. Sunt itaque peccata ex mundo qui Deum odio habet; ex nobis ipsis qui h) caro sumus, ac malum ipsum; ex Diaboli instinctu qui mendax est, i) atque ejus rei pater,

*) Act 4. a) Gal. V. b) Jac. II. c) Math. VII. d) Math. XXV. e) Rom. I. f) Eph. II. g) 1. Joh. II. h) Genes. VI. VIII. i) Joh. VIII. Matth. XIII. Apoc. XII. Eph. II.

pater, qui a) seminat zizania, qui b) totum orbem terrarum seducit, et c) agit in filiis contumacibus.

Displicet igitur quod quidam de providentia verba facientes quibuslibet promiscue insultant ubique: Deum et virtutum et vitiorum auctorem esse, nec minus eum scelerate facta velle, quam quae cum virtute et bene fiant. Hoc absolute placere non potest, cum certis et claris verbis testificetur Apostolus et dicat: d) haec est voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis a scortatione etc. Et alibi Dominus ipse per Prophetam: e) quae nolui elegistis.

At nec illud placere potest, ut quivis de providentia cuilibet loquatur, rei nimirum non satis edoctus, incpte ad tam abstrusa capienda. Si quis igitur loquitur hac de re, prudenter et circumspecte loquatur, ut eloquia Dei loquatur; juxta convenientiam fidei, modum ad hunc: Deum quidem potentia sua regere omnia, cunctaque parere voluntati ipsius, nec geri quidquam in mundo sine ejus jussu aut permissu: cum dicat ipse Magister Christus: f) nonne duo passerculi minuto asse veneunt? et unus ex illis non cadet in terram sine patre vestro. Vestri vero etiam pili capitis omnes numerati sunt. Attamen (dicemus) peccata non esse ex Deo, nec ipsum Auctorem pravorum, si proprie vereque loqui velimus et secundum regulam verbaque scripturae sanctae: Sed enim peccata esse opera NOSTRA, non Dei, nec Deo placere flagitia, cum injusta omnia puniat g); hoc ipsum dubio procul non facturus si placerent. Deum vero permittere, atque etiam agere nobiscum aliquando, quae mala nobis. At non quod propria natura malis delectetur et inique factis: h) sed potius quod malefacta convenienti debitaque poena velit esse punita; videlicet nostram duritiem et inobedientiam, impietatemque et malitiam, quam nos ipsi habemus in nobis, et exercere perpetuo gestimus et contendimus. In quem sensum legantur verba haec a Domino per Prophetam dicta: i) non audivit populus vocem meam, et Israel noluit me, et dimisi illum in pravitate cordis EORUM, ambulent in consiliis SUIS; et quae

 scribit

a) Matth. XIII. b) Apoc. XII. c) Ephes. II. d) 1. Thes. IV. e) Es. LXV. LXVI. f) Math. X. g) Mich. VI. h) Mal. II. i) Ps. LXXXI.

scribit Esaias a) : non est qui invocet nomen tuum, aut qui se se incitet ut TE apprehendat. Ob hoc vultum tuum a nobis avertisti, et contabescere nos finis in manu iniquitatis NOSTRAE. Item haec: sunt Spiritus ad vindictam creati qui furiose vibrant flagella sua. b) Hi tempore perimendi vim effundunt, et consumant iram creatoris sui. Et quae dicit Apostolus: c) Hominis illius scelerosi filii perditi est adventus secundum operationem Satanae cum omni potentia, et signis ac prodigiis mendacibus et cum omni deceptione injustitiae in his qui pereunt. PRO EO quod dilectionem veritatis non receperunt in hoc ut salvi fierent, et propterea mittet illis Deus efficaciam illusionis ut credant mendacio, et judicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed approbaverunt injustitiam. Et alibi: d) cum Deum cognoverint, non ut Deum glorificaverunt, neque grati fuerunt. QUAPROPTER tradidit illos Deus cupiditatibus cordium suorum in immunditiam. Et Stephanus in Actis: e) Vitulum fecerunt in diebus illis et obtulerunt hostiam simulacro. Convertit se autem Deus et tradidit eos ut colerent militiam coeli. Et alia hujusmodi plurima in omnibus scripturis, quibus docemur Deum permittendo aut agendo istiusmodi non gaudere criminibus, sed peccata punire, quae designaverimus ipsi, recta praecepta ipsius, cupiditatibus cordium NOSTRORUM onerati et obsequentes: mirando occultoque nobis, non tamen idcirco non *justo judicio.* Vera enim et *justa judicia ejus.* f) Per *similia* enim punit, et homini rependit quod gesserit, ut illud assequatur ad quod contendit quisque. Procul dubio autem Deus nihil temere agit, et Opt. Max. nulli facit injuriam. Viam, inquit, eorum rependam in caput eorum. Omnia itaque facit justus ille juste, malefactis non delectatus, sed iratus semper ad suam gloriam, in salutem suorum, dicente scriptura: g) Omnia operatur Deus propter se, ut annuncietur nomen meum in tota terra. Propter nomen meum. Ut bona sunt piis omnia: h) ita scelerosis convertuntur in mala. Haec affirmamus certe vereque dici, et quo modo loquitur scriptura, quae finis nobis est posita, ultra quem non progredimur, item sepes, intra quam nos contineamus

a) Es. LXIV. b) Es. XXXIX. c) 2. Thess. II. d) Rom. I. e) Act. VII. f) Ap. XIX. Sap. II. g) Prov. XVI. Rom. IX. Ez. X. h) Eccl. XXXIX. Rom. VIII.

tineamus; denique vallum, ultra quod transilire non velimus, plura quaesituri quam fas sit scire nos, et altiora quam ut nostri ingenioli modulo possimus comprehendere et percipere.

Idem dicimus et de Praedestinatione, ut sobrie cauteque de ea fiant verba, hominum alios servari, alios damnari. Illos qui serventur gratia servari per fidem Jesu Christi. Istos autem qui damnentur propria duritia et incredulitate damnari: sua cum natura corrupta malitiaque innata, non sic a Deo creata. Cum dicat Ecclesiastes: C. 7. Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, ipse vero infinitis se miscuit quaestionibus. Deum itaque servare, peccata vero nostra nos condemnare. Et salutem Dei esse opus. Condemnationem autem malefactorum nostrorum stipendium. Quemadmodum brevibus et dilucidis verbis extulit Apostolus: a) Auctoramenta peccati mors: Donum autem Dei vita aeterna, per Christum Jesum Dominum nostrum. Haec enim censemus vera esse, sobrie dicta, et citra offensionem, quoties fuerit opus posse proferri quolibet in loco.

SIGNA EXTERNA a Domino instituta, Baptismum et Eucharistiam (tot enim numero tenemus Sacramenta) retineri volumus ab Ecclesia, et in ea reverenter tractari; modo rituque non adverso illi quo Dominus et Apostoli sunt usi: Sed ea pro Sacramentis habemus non pro rebus ipsis: Scimus enim baptismo non tam servari nos, quam quo servemur significari. Quid enim possit aquula? Numquid ipsa salus sit nostra, etiamsi dicat Petrus Apostolus b) Baptismum nos salvos reddere? Annon verum est illud toties repetitum et inculcatum: c) justus ex fide victurus est: (d) Gratia estis servati per fidem: e) Sanguis Filii ejus Jesu Christi emundat nos ab omni peccato? Quomodo igitur non maximopere fateamur Baptismum signum magis esse emundationis ac salutis nostrae, quam ipsam salutem et emundationem? Eodem quoque modo scimus panem et vinum coenae illius non magis esse corpus ac sanguinem Jesu (etiamsi sint illa corpus ac sanguis dicta) quam agnum olim Pascha et transitum Domini; quantumvis esset Pascha et

a) Rom. VI. b) 1. Petr. III. c) Rom. I, d) Eph. II. e) 1. Joh. I.

transitus nominatus. Uno enim eodemque loquutionis genere sunt appellata: Baptismus, salus; agnus, pascha: panis denique et vinum, corpus ac sanguis: cum substantiae et revera illorum nullum sit quod nominatur, sed tantum significet, loquutione linguis et scripturis omnibus usitatissima: qua nimirum rerum aliquarum signa ipsis rerum nominibus appellantur figurate, tropiceque.

Quod autem nominatim nostrae etiam scripturae tam novi quam veteris Testamenti, tropicis significantibusque verbis et sermonibus utantur, liquido apparet vel ex his. Tres propagines, tres dies sunt. Non dixit (ut verbis utamur D. Augustini *)) tres dies significant. Et multum haec loquutio notanda est, ubi aliqua significantia earum rerum, quas significant, nominibus appellantur. Inde est quod ait Apostolus, Petra erat Christus; non ait, Petra significabat Christum. Et alibi sic dictum est: anima omnis carnis sanguis est, quo modo dictum est: Petra erat Christus. Non quia hoc erat, sed quia hinc significabatur. **) His sanctissimi Patris verbis uti voluimus, quod malimus sententiam nostram probatissimi seculis omnibus viri verbis exprimere quam nostris. Atque etiam ut manifeste pervideatur et priscos non minus pios quam doctos, tropicas loquutiones agnovisse, nec non et docuisse nos, qui scripturas sacras recte atque condigne exponere velimus, translatas loquutiones. Porro in novo Testamento dicit eadem loquendi forma Dominus ipse: a) Semen est verbum Dei, pro: Semen significat verbum Dei; et sanctus Apostolus Paullus: b) haec sunt duo testamenta. Mater quoque Domini Jesu figurate et improprie mulier dicitur, et Joannis mater. c) Quid quod ipsa Maria Josephum nuncupat patrem Jesu? d) Quis pius non fateatur improprie haec omnia dici? Annon scriptura docti firmiter credimus: Dominum Jesum haudquaquam esse conceptum ex semine Josephi (quod haeretici quidam cum Judaeis insanientes prodere sunt ausi) sed e) de Spiritu Sancto? et benedictam illam matrem virum cognovisse nunquam: sed virginem et intactam permansisse aeternum? f) Sed infinitum fuerit omnes scripturae

*) Loquut. de Genesi Lib. I. Part. 5. Plura explata St. Gen. XLI. **) vid. Aug. de Doctr. Christ. Lib. III. c. 2. Id. L. 3. Cap. 16. Ej. operis. Vid. et Cap. 9. libri 15. dicti 12. Cap. 6. a) Luc. VIII. b) Gal. IV. c)) Joh. XIX. d) Luc. II. e) Luc. I. f) Ezech. XLIV.

rae S. locos producere, ubi illa aliud verbis, aliud sensu ostendit, et penitus aliter velit intelligi quam verbis dicat: hoc tantum dixisse satis sit hic: mirum esse, cum Tropum in jam citatis recipiamus, quod aliis in locis aliter doceant scripturae, de virginitate Mariae, hic in verbis illis: hoc est corpus meum, nolle admittere expositionem. Hoc certe mirandum est cum omnes aliae Scripturae tropum, si usque alibi, hic maxime flagitent, testificantes et disertis patefactisque verbis clamitantes: Jesum illum, illum qui natus ex Maria Virgine ac passus pro nobis, mundum reliquisse, ad coelos ascendisse, ibidem sedere, rediturum quidem inde in hunc mundum, sed tum quum venerit judicatum omnes, hoc mirum quod istis scripturis acquiescere nolunt, cum nullae usque sint quae dicant Christum carne sua in aliquo mundi hujus loco esse.

Pergamus tamen, agite, ostendere, quae nos cogant ut recipiamus hanc expositionem de carnis Christi corpore non hic in terris. Primum igitur quod nos cogit Christum carne sua in coelis esse credere, et coenae verba illa tropice esse dicta, praedictiones ipsius Domini: quibus se dixit relicturum mundum et ad Patrem abiturum. Verba ipsius sunt haec: Pauperes semper habetis vobiscum, me vero non semper habetis. a) Relinquo mundum et vado ad Patrem. Cum primis vero quod tam diserte praemonuit de manducatione carnis suae (quam corporaliter fieri oportere quidam accipiebant) dicens: Caro non prodest quicquam b): quo pacto igitur credi potest a Domino datum ad manducandum corporaliter, quod corporaliter manducatum prodesse negat ipse? Ad haec expositionem hanc accipere nos debere cogit Paulus etiam, c) panem appellans, quod isti volunt esse carnem. Dicit enim: quotiescunque comederitis PANEM hunc; et mox: quisquis ederit panem hunc. Aeterne id ipsum infigens: probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat. Potum quoque exhibitum Dominus ipse vinum testatur, d) vel quod clarius est, e) fructum vitis. His itaque aperte et constanter testantur panem esse ibi, panemque edi, bibique vinum. Quam fortia vero in hoc sunt et haec:

a) Joan. XII. et XVI. b) Joh. VI. c) 1. Cor. XI. d) Matth. XXVI. e) Marc. XIV.

haec: receſſit ab eis, ac ferebatur in coelum: a) aſſumptus eſt a nobis in coelum: b) receptus eſt in coelum et conſedit a dexteris Dei: Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imo qui et ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram Dei, qui et intercedit pro nobis c): Talis decebat ut eſſet nobis pontifex, d) pius, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus et ſublimior coelis factus: e) ſi reſurrexiſtis una cum Chriſto. ſuperna quaerite, ubi Chriſtus eſt ad dextram Dei ſedens? Et illa quam clara ſunt, quibus nos Magiſter tam accurate praemonuit, ſuper adventu ſuo in hunc mundum: ſi quis, inquit f), vobis dixerit: ecce hic Chriſtus aut illic, nolite credere; ecce in deſerto, nolite exire; ecce in penetralibus, nolite credere: ſicut enim fulgur exit ab oriente et apparet usque in occidentem, ita erit adventus filii hominis. Quae omnia aperte atque definite conteſtatur Symbolum illud antiquum Apoſtolis adſcriptum: quod idem Jeſus qui propter nos homo factus, crucifixus, mortuus, ſepultus, et reſurrexit, tandem hinc receſſerit in coelum, ubi ſit donec redeat judicatum mundum. Sed praeſtat ipſa Symboli verba adſcribere, ſunt enim dilucida atque aperta: Adſcendit ad coelos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Inde venturus eſt judicare viventes et mortuos.

Haec et alia multa Scripturae Sanctae verba (ut omittamus hic inconvenientia abſurdaque plurima, quae litteralem ſimplicemque expoſitionem verborum Domini ſequuntur) fateri nos cogunt, et cum priſcis omnibus dicere panem illum coenae Sacramentum, hoc eſt ſacrae rei ſignum eſſe, corporis nimirum Domini noſtri Jeſu Chriſti pro nobis crucifixi. Quod quidem carnis corpus hinc a nobis receſſit, et ſublatum in coelis nunc eſt ad dexteram Dei patris, unde in hunc mundum rediturum non eſt, donec judicaturus ipſe carnem omnem venerit, cum virtute et gloria multa oculo conſpicuus omni.

Interim tamen (ut clariſſime intelligamur) agnoſcimus praeſentiam Chriſti in Eccleſia vivificam, ſed eam quam ipſe eſt loquutus in Evangelio Joannis Cap. XIV. XV. XVI.: Se quidem in coelos ablaturum car-

a) Luc. ultim. b) Act. I. Marc. XVI. c) Rom. VIII. d) Hebr. VII. e) Col. III. f) Math. 24. 26.

carnem, spiritu vero praesentem futurum, et per hunc omnia ecclesiae necessaria largiturum et effecturum.

Agnoscimus spiritualem manducationem carnis Domini verae, et potus sanguinis veri, quam ipse Dominus tam diligenter commendavit et docuit Jo. Cap. VI.

Agnoscimus Sacramenta Christi et Ecclesiae Symbola esse, adeoque obsignationes divinae gratiae et donorum Dei. Tantum corpus in quo resurrexit Dominus in uno loco, in coelis, ad dexteram Patris adseveramus esse.

Christianorum infantes baptizare non minus christianum est quam olim in V. Test. pium erat Israelitarum infantes circumcidere.

Semel a Ministro verbi Dei aqua tincti, et in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti baptizati non debent aliter nec denuo baptizari.

Haec ut necessaria requirimus abs quolibet qui sacrum agere concionatorem velit. Eum autem qui horum, ut oportet, edoctus non fuerit, aut haec audire noluerit, in consortium nostrum, pro concionatore recipimus nequaquam.

At nunc sequentia fide et integritate superioribus similia facimus nequaquam: et ob id pari necessitate neutiquam exigimus. Illa enim divina sunt oracula, stabilita et fixa: quae vero sequuntur Synodi nostrae placita et instituta. Licet autem contra scripturarum non animadvertamus esse haec quae dicimus nostra, nec libertati Christianae adversa: conveniant autem cum scripturam sensu, et in hoc sint penitus, ut omnia decenter et secundum ordinem fiant, ne cuiquam dissimilitudine aliqua odiosa et non necessaria simus scandalo, parati erimus semper auscultare cuilibet certius docenti, cedereque Scripturis Sanctis errare nos commostranti aut decentiora adferenti et quae sint ad aedi-

ficationem aptiora. Homines enim nos esse probe reminiscimur, et ob id facile posse labi errare, nescire et decipi. Etiamsi nullius erroris aut inconventientis conscii nobis simus, in omnibus infra scriptis a nobis vel constitutis vel ex vetere et irroborata consuetudine receptis. Viderit tamen monitor ac corrector, si quis nobis advenerit, ne sibi nimium tribuat et capitis proprij placitis plus satis delectetur. Hoc pronunciatum ac contestatum volumus hic inprimis nos semper fore paratos ad recantandum, si qua per nos male dicta aut instituta fuerint, aliter fortassis quam scripturae canonicae synceritas possit pati. Semper fore paratos ad recipienda convenientiora et quae magis conducant, si quis adtulerit. Interim tamen retineri atque observari volumus haec ab omnibus, qui verbo Christi praesunt Evangelium sequentibus Ecclesiis in nostris Foederibus, et in nostro velint esse consortio ut commoda similitudine ista satisfaciamus ecclesiis nostris primoribusque, et retinere possimus potestatem quam nobis dederunt, ut possimus Evangelium praedicare: modo populum absurdis minimeque necessariis novitatibus non turbemus, nec omnia dissolvere et conculcare quae possint alioqui consistere velimus.

Primum igitur visum est nobis omnibus morem conveniendi, capitulaque ut vocant, celebrandi, ad correctionem et exhortationem, jam inde ab initio praedicati per Apostolos Evangelii in hoc usque tempus observatum, esse etiamnum retinendum atque servandum. Statuimus igitur ut omnes quotquot Evangelium Filii Dei Jesu Christi in Foederibus praedicamus, quotannis bis in unum locum, (quem congregati omnes semper designaverimus) conveniamus, ad monendum atque exhortandum nos ipsos ut in via Domini, quam sumus ingressi, persistamus, atque alacriter jugiter curramus. Scandala item, si quae in nobis aut ecclesiis nostris (homines enim in multis labimur omnes) pro virili tollamus. Omnibus denique quae profectum Evangelii possent remorari, communicatis consiliis, quanta valeamus dexteritate et prudentia, per Dominum medeamur.

Congregatis jam omnibus nobis, et in eodem exsistentibus loco, praesentibus etiam Dominis fratribus, quos communitas loci in quo fue-

fuerimus congregati, ad petitionem noſtram *Aſſeſſores* et *Conſultores* nobis addiderit, nullius enim praeſentiam et conſpectum exhorremus imo cupimus ut omnes quicunque volunt interſint videant, audiant, cognoſcant quam nihil in conventibus noſtris agamus neque quaeramus niſi gloriam Dei, Patriaeque noſtrae pacem atque Salutem: modo non tentandi gratia in coetum noſtrum, malitioſis inſidiis inſtructus quis ingredi videatur, neque fugiat aut averſetur ſanam doctrinam: ſed dignus ob fidem aut honeſtatem ſuam judicari poſſit, qui ab omnibus bonis ametur.: His itaque praeſentibus Senior aliquis noſtrûm, cui mandatum fuerit, aut Miniſter qui tunc temporis fuerit, ſurgens hortetur omnes ut preces fundamus ad Dominum, quandoquidem congregati ſimus ad ea agenda quae ſint gloriae ipſius, ſalutisque ſuorum, ipſe nobis ſapientiam donet, ut illuminati bene omnia perpendere valeamus, quae ſint inſtituti; nec quidquam agamus quod ab ipſius verbo et Evangelio decoro diſſideat. Ac nunc flexis omnium genibus praelegat Senior ille aut Miniſter voce omnibus exaudibili partem aliquam Pſalmi CXIX. latine primum, mox et teutonice, ut itali ſimul et laici qui fuerint apud nos intelligant quae dicantur ibi. Pſalmus ille qui monet et docet quam ſalutiferum ſit ob oculos habere verbum divinum, ſic incipit interpraete Leone:

O beatos qui (vitae) integrum iter tenent, incedentes ad perſcriptum legis Domini. O beatos qui conſervant obteſtationes ipſius, eumque ex toto corde quaerunt. Nam qui per vias ſuas incedunt non patrant iniquitatem.

Tu (namque) mandaſti conſtitutiones tuas, quas (homines) ſummopere cuſtodiant.

Utinam ſic viae meae parentur, ut cuſtodiam decreta tua.

Tunc (enim) minime pudefiam, quum inſpexero omnia praecepta tua.

Tibique confitebor ex animo ſincero, ubi didicere judicia tuae juſtitiae.

Summoque ſtudio decreta tua ſervabo, ſi me non deſeras.

a) Quo pacto adoleſcens vitam inculpatam aget? nempe ſi eam cuſtodiat ut dictat verbum ſuum.

Quum autem te quaeram ex toto corde meo, ne ſinas me aberrare a mandatis tuis.

Qui repoſui eloquium tuum in corde meo, ne peccem in te.

Tu Domine praedicandus es, doce me decreta tua.

(Nam) Labiis meis recenſere ſolitus ſum omnia judicia oris tui.

(Et) incedere per viam obteſtationum tuarum magis juvat, quam omnium rerum copia per permodum.

Ac de conſtitutionibus tuis diſſero, et intueor ſemitas tuas.

Meque oblecto in ſuis decretis, nunquam commiſſurus, ut oblivi-ſcar verbi tui.

b) Hoc beneficium ſervo tuo confer, ut vivam et cuſtodiam verbum tuum, et velamen detrahe occulis meis ut inſpiciam admirabilem ſapientiam, quae recondita eſt in lege tua.

Pſalmi verbis quintum viſum fuerit perlectis et finitis, dicatur etiam pro more communi oratio Dominica: Pater noſter.

Finita precatione poſtquam reſederint omnes, Miniſter qui illuc usque fuerit, deferat ad fratres, de uno aliquo deligendo, qui Sententias

tias super iis quae praeponuntur roget, ac si quando opus fuerit, et interpellet proponentes, aut etiam pro congregatione aliquando verba fortassis faciat.

Postquam delectus fuerit qui sententias roget et loquatur, sumat is statim in manus rem, proponatque fratribus de duobus eligendis sibi assessoribus, qui ipsum agendorum commonefaciant, ut omnia decentius maturiusque expediantur.

Postremo et scribam deligant, qui in ea Synodo decreta haec nostra coram fratribus legat, et quae in Synodo gerantur memorabiliora in libro scribat.

Quibus omnibus constitutis et peractis, legere incipiat scriba voce clara et omnibus intelligibili, omnium primum articulum hunc: Nullus fratrum se a consessu sine urgente causa veniaque petita subducat, ne sua magis curare videatur, quam quae sunt Domini et Ecclesiarum.

Mox si necessarium putarint fratres, legat fidei nostrae confessionem et Symbola illa, maxime Athanasii, ut quotquot adfuerint, eruditantur in fide, nemoque nos haereseos novae damnare possit. Exponat etiam Senior aliquis quem jusserint fratres, aliquid ex Symbolorum illorum aliquo, quod ad omnium doctrinam facere posset.

His omnibus peractis liberum sit cuilibet nostrûm loqui quod voluerit super lectis aut expositis articulis, et ad fratres deferre si quid habuerit, quod non satis intelligat, vel quod fratres scire necessarium et utile existimaverit, quo communi fratrum consilio rei succurratur. Proponat autem et loquatur unus: caeteri reverenter auscultent, ut omnia sine confusione peragantur. Postremo interrogati singuli, suas dicant sententias, nullius alterius dictum aut consilium odiosius insectantes. Quo perspicuum sit audientibus nihil ex affectu nos agere.

Diem dominicum a priscis etiam et Apostolorum temporibus vicinis patribus observatum, nos quoque retinendum esse, feriandumque censemus. Non quod hic sanctior caeteris per se sit diebus: Sed ut hoc doctrina Dei Christique praedicatio magis exerceatur. Pietatis enim conservandae provehendaeque ratio tempus aliquod sibi tribui postulat, adeoque certam statamque diem et horam ut sciant mortales quando negotiis carnis omissis concurrere, convenireque debeant, ad sacrum concionatorem audiendum Dei Sermonem praedicantem et viam qua perveniatur ad Deum bonaque aeterna. Talem diem proximi quoque charitas postulat, ut quiescere possint qui sub aliorum potestate et operum jugo sunt servi et ancillae, valeantque et ipsi nemine impediente rebus vacare divinis ac pariter una cum caeteris pietatis opera liberius exercere. Hoc instituto nemo nos calumniari poterit, quod conscientiis libertatem auferamus; cum fateamur reliquos dies non minus sanctos esse quam hunc. Esse tantum hanc observandam, quod utilis sit religioni alendae, et laboribus obruto necessariis, ut nimirum et hic respirare possit, suumque Christum et Servatorem discere. Eum ergo qui perturbare Christianus non sit, nec praefractus libenter placiti hujus onus cum caeteris portare, pacto vel illo quo justus legem portat, a qua alioquin est liber: modo pietatis rem suo juvet obsequio et proximi inserviat utilitati. Nec damus hanc diem comessationibus et ebrietatibus, spectaculis levibus ac saltationibus. Cum istiusmodi omnibus per honestatis Christianae non satis tenacibus concessis, fortiter his ipsis potissimum diebus reclamemus; a) monentes omnem hominem non immunditiae causa nos vocatos: sed ut in novitate vitae ambulemus digne Deo et Evangelio Christi, eos qui sint Christi carnem crucifixisse cum affectibus et concupiscentiis, illos igitur qui Christo Domino se consecrarint, non agere carnis curam ad concupiscentiam; non saltare et minus honestis motibus gestibusque aliorum libidinem provocare. Corpus tuum (tantum Spiritui hostem) tam curiose et sollicite non exornare neque curare, in carnis forma non gloriari.

Hanc

a) 1. Thes. IV. Rom. VI. 1. Th. II. Phil. I. Gal. V. Rom. XIII.

Hanc confessionem super die dominico confessi sumus et retinemus unanimiter cum aliis Ecclesiis Christi omnes qui indigenae sumus et Evangelium in Foederibus praedicamus. Si quis vero contendere voluerit, contendat: nobis consultum non videtur contra ea multum certare quae sine pietatis dispendio possunt retineri, nec tolli aut mutari citra novitatis causam et multorum non malorum alienationem.

Sed et natalis Domini diem eadem ratione observamus, et ascensionis Domini, ac proxima ab eodem natali, resurrectioneque et pentecoste: propter res memorabilissimas his diebus gestas, quas recordamur, et omnibus altissime infigendas scimus. Alias autem ferias, quas sacrificulorum avaritia invexit, censemus nos esse tollendas. Siqua dexteritate fieri potest, ne turbae in populo inde acerbiores oriantur, ut quam minimum temporis sit choreis et homines effoeminantibus ludis, et intemperantium lasciviis, sublatumque sit et malum ipsum, et species occasioque mali.

Singulis diebus dominicis clare verbotimque e suggestu recitetur oratio Dominica, Symbolum Apostolicum, et decem praecepta: quod in his contineatur quidquid pertinet ad fidem Christianam, et iis breviter omnes admoneantur eorum quae facere debeant.

Unusquisque Ecclesiastes saepius et diligenter suos admoneat ut curam habeant suorum puerorum, quo accurate quae sunt fidei doceantur. Imo quilibet Episcopus parochiae suae pueros quotannis septies aut saepius in templo publice doceat et examinet, ut recte teneant orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, decem praecepta, et alias hujusmodi institutiones fidei Christianae recte intelligant.

Hactenus in Templis frustra quaedam ex Evangelio et aliis scripturis decerpta populo sunt praedicata: Verum censemus utilius esse ut quilibet Ecclesiastes librum aliquem Scripturae Canonicae a principio ad finem usque in Templo praelegat atque exponat. Hoc enim pacto

pacto non modo omnia populo proponentur, quae sunt scripta, verum etiam clarius intelligentur cuncta. Si nimirum non tantum partes aliquae proferentur: sed etiam totum ut cohaereat ac constet commonstretur, et tam praecedentia sequentiaque Textus fuerint visa et audita, quam media.

Quandoquidem Deo credere non possunt homines, si eum, ut oportet, non noverunt, et doceri homines vult ille per homines, dicente Apostolo: a) quomodo credent ei, de quo non audiverunt? quomodo autem audient absque praedicante? et: fides ex exauditu, auditus autem per verbum Dei: Haec itaque cum ita se habeant, judicamus nostri esse officii, summeque necessarium ut quotquot sumus ac quantumcunque possumus omnibus in locis moneamus atque hortemur communitates ut idoneos sibi verbi Ministros quaerant ac habeant; qui cordatis assiduis concionibus ipsos doceant, ut in dies Deum et Dominum nostrum Jesum Christum exactius cognoscant; perennibus etiam populoque necessariissimis exhortationibus excitent, et omnes jugiter in officio per Dominum contineant. Ne in Religionis desuetudinem mortales et doctrinae omnis contemtum deveniant b) (quum enim defecerit prophetia, ait Salomon, c) populus deficit) ac tandem in manus Dei omnium vindicis incidant, quod horrendum esse, dicit Apostolus, non enim irridetur Deus: sed infligit ultionem his qui non noverunt Deum, et qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi, qui poenam luent interitum aeternum.

Neminem conferre debere sacrum baptisma arbitramur praeter verbi Ministrum, cum baptizandi munus non legamus a Domino demandatum nisi iis quibus et praedicandi: nec legamus in Evangeliis sacris alios baptizasse quam Apostolos verbique Ministros. Tum ut sacro hujus instituto suus servetur honos, nec per minus idoneos homines tractatum deveniat in contemtum. Sed neque Minister aliquem baptizet, nisi prius convenientibus verbis rogatus a pueri parentibus ambobus; aut ab alterno horum bene de baptismo sentiente; aut ab illis

a] Rom. X. b] Prov. XXIX. Eccl. VI. 10. c] Gal. VI. 2. Thes. I.

illis qui infanti fuerint proximi, quorum intereſt quum non adfuerint parentes.

Ne quid ſiniſtri de nobis ſuſpicari poſſint alii, nec hominibus nauſeam inſolentia moveamus, ſtatuimus, ut nullus proprium infantem baptizet, etiamſi ſit ipſe Miniſter, niſi alium Miniſtrum qui baptiſmum conferat, nanciſci omnino non potuerit.

Baptiſmum religioſe tractandum eſſe maximopere cenſemus atque fatemur, ut rem a Deo profectam, ab ipſo Chriſto ſuſceptam Joan. I. Matth. III. et Apoſtolis ad conferendum gentibus demandatam, et propterea venerandam ſanctamque ab omnibus piis ſemper habitam. Cenſemus ergo peragendum potiſſimum in templo utpote loco ſacris concionibus et Sacramentis praecipue deſtinato, (etiamſi in domibus honeſtis baptizare, ut res aliquando fert, non putemus impium) Miniſtro eum conferente in pedibus erecto, nec non et compatribus ſive teſtibus decenter aſtantibus. Sedendo autem baptizare aut in horreis aut in campis, ſylvisque, nunc quidem temporis, aut in aliis hujusmodi minus reveritis locis Anabaptiſticum et omnino non religioſum nec decens putamus. Facetis vero dicteriisque jocoſis hoc loco et tempore uti, valde indecorum damnandumque pronunciare non dubitamus. Optaremus etiam ut praeſente Eccleſia baptizarentur infantes, etiamſi neceſſarium hoc non judicemus. Caeterum oleum, ſalem, ſputum, ritus illos multos quibus ſunt uſi Sacerdotes baptizantes, iſtiusmodi omnia ut ſupervacanea penitus omittimus.

Quod ad formam baptizandi adtinet non negamus aliis atque aliis verbis quae pertinent ad inſtitutum, nec diſſentiunt a ſubſtantialibus illis in nomine Patris et Filii et Spiritus S. poſſe baptizari. Quoniam autem a diverſitatibus iſtis, (etiamſi non impiis) ſcandalum accipiunt rudiores, nec rerum ſatis edocti (quorum proh dolor! major ſemper eſt pars in mundo) Paulus quoque vult ut bonum noſtrum hominum maledicentiae non ſit obnoxium. Arbitramur utile fereque neceſſarium

ceſſarium eſſe ut quotquot in Foederibus concionamur ac baptizamus, una baptizandi forma et verbis iisdem utamur. Utatur autem unusquisque forma, aut ea, qua Tigurina utitur Eccleſia ut eſt impreſſa, aut ea qua Curienſis hucusque eſt uſa; quam plerique in manibus habent.

Idem decernimus ut fiat et in forma peractionis coenae dominicae nec non et in illa qua conjuges in Templo copulamus; ut nimirum pio iſto obſequio et commoda ſimilitudine ac unitate incedentes nulli ſimus offendiculo.

Morem infantibus qui baptizantur teſtes, quos Compatres vocamus, adhibendi, retinemus atque laudamus; ut ſint qui ſacrorum, parentum loco adeoque ſimul cum parentibus pueruli curam habeant, ut chriſtiane educetur informeturque: adhaec qui profeſſionis adultum prae caeteris commoneant, teſtificantesque eum baptizatum, conſcientiam ipſius roborent, atque exſtimulent: omnino enim accomodum hoc nobis videtur, ad pietatem plantandam atque fovendam; decorum etiam fidei noſtrae, ut liberorum noſtrorum ſtatim ut nati fuerint curam ſuſcipiamus, iis bonos aliquos aſſiſtentes Magiſtros velut alteros parentes, quorum conſilio protinus ab incunabilis recte inſtituantur et Domino adducantur.

Cupimus igitur et monemus omnes, ut qui libero habent baptizandos compatres ſibi aſciscant fideles et qui non niſi Domino Jeſu pueros conſecratos atque addictos velint. Si tum aliquos nobis adduxerint, quos ipſi non agnoſcamus pro fidelibus, non putamus eos a nobis eſſe abigendos. Quatenus quidem fatentur ſe ſe agnoſcere unum Deum, Patrem, et Filium et Spiritum Sanctum ac credere quaecunque in Symbolo illo Apoſtolorum continentur. Dominus enim novit quos elegerit, quive ſint ipſius; et ventilabrum purgandi aream ſuam in manu ipſius relinquimus.

Pueri

Pueri qui ad participationem coenae Dominicae non admittuntur, pro compatribus in baptismo non recipiantur. Inconveniens enim et ridiculum videtur eos advocare doctores pueris, qui quid doceant nondum tenent: ac rem tam seriam tam negligenter contemtimque per pueros peragere.

Concedimus ut qui baptizet de Patre infantis eum adferentes exquirat, et tunc patre ab adferentibus cognito puerum baptizet. Sin autem patrem indicare noluerint non baptizet infantem Minister; donec magistratui renunciarit, ac tum quidem baptizet, si diutius differendus non videtur baptismus. Hoc ideo toleramus et sequimur ne magistratum contemnere aut morem pro rei utilitate hactenus servatum ad investigandam veritatem impedire nos velle quis possit calumniari, quod quidam rudes faciunt. Verum tamen pro necessaria lege, et quae semper debeat observari, non tenemus.

Placet ut Domini coenam peragentes plane utamur azymo et infermentato omnes, si aliquo modo nanciscimur poterimus. Talis enim proxime ad illum quo usus est Dominus in coena accedit, aut illum magis refert quam communis et fermentatus: Denique et infirmiores in fide minus offendit, si azymo quo usus est Dominus in coena et modo uno similique utantur omnes.

Panem Eucharistiae per domos non circumferimus, cum publicum esse actum omnibus nimirum congregatis innuat Apostolus: et loca nunc huic rei destinata libera atque aperta publica templa habeamus.

Honorabile est inter omnes conjugium et cubile impollutum. Omnium quoque refert scire quomodo cohaereant qui inter nos habitant; quod Christiana honestas non patiatur cohabitare nisi honorifice et secundum praescriptum Christi conglutinatos. Adhaec cogitare debemus et sectari quaecunque bonam parant famam et existimationem praecipiente Apostolo: quaecunque sunt vera, quaecunque honesta,

quaecunque justa, quaecunque pura, quaecunque accomoda, quaecunque boni nominis, si qua virtus et si qua laus haec cogitate. Placet ergo ut qui matrimonium contrahunt publice id in Templo coram Ecclesia confiteantur, et ibi a Ministro facta super eos oratione decentibus verbis copulentur eadem, qua superius diximus, forma.

Monendae frequenter sunt communitates ut circumspectiores sint magisque serii in matrimoniis vel approbandis vel dirimendis; ac maxime ne patiantur adulteria et scortationes tam impunite transire.

Nullus suam Ecclesiam qualibet ex causa relinquat, nec in aliam se ingerat aut ambiat majorem. Potius autem consideret quilibet nostrûm, quo in loco sit ipse futurus toti regioni et Ecclesiae utilior et ubi majorem Domino fructum possit adferre maxime cum tot linguae sint in nostris foederibus, quas omnes non callemus et ob id omnes omnibus in locis non simus idonei. Neque enim nobis solum nati sumus sed magis Christo et aliis qui membra nobiscum corporis illius. Et lumen quod in nobis accensum non uni tantum aut alteri, sed quoad ejus fieri potest, omnibus lucere debet: praecipue nunc in tanta bonorum concionatorum penuria. Expectet igitur quilibet legitimam vocationem, dominumque sequetur ducentem. Fratrum quoque consilio utatur in cognoscendis dijudicandisque hujuscemodi non parvi momenti rebus; prudenter enim dicitur: Res est consiliis secura fidelibus uti.

Quapropter si qui nostrûm in communitates Papae credulitate adhuc irretitas vocantur ad baptizandum aut alia Christiano Episcopo non indigna officia peragenda, eant baptizent nostro quidem more, doceant et quomodocunque poterint populo gratificari in Domino, faciant, ut omnes quantum possimus ad Dominum pertrahamus, nec quenquam importuna odiosaque difficultate et morositate offendentes ab Evangelio alienemus aut abesse patiamur: semper ergo memores simus Apostoli dicentis: a) graecis simul et barbaris, eruditis pariter et rudibus debitor sum. Et: tales estote ut nullum praebeatis

a) Rom. I. 1. Cor. X.

tis offendiculum neque Judaeis neque Graecis, neque Ecclesiae Dei; quemadmodum ego per omnia omnibus placeo, non quaerens meam ipsius utilitatem, sed multorum ut salvi fiant.

Consideramus nos invicem dicit Apostolus a) in hoc ut provocemus ad charitatem et bona opera, non deserentes aggregationem nostri mutuam sicuti mos est non nullis: sed adhortantes invicem, idque hoc magis quod videtis appropinquantem Diem. Volumus igitur ut quoties congregati fuerimus exquiramus nos ipsos super uniuscujusque nostrûm doctrina vitaque et moribus. Quo officii nostri alius alium moneamus et ad constantiam perseverantiamque hortemur. In ea autem censura nullus in cujusquam gratiam aliquod delictum alterius retineat, sive id ipse scierit aut viderit, sive de aliis tantum audierit. Nam etiamsi non imprudenter dixit quidam: credere fallaci gravis est dementia famae: Haud temere cum nasci soleat illa, et vix tam vana est ut non subsit aliquid, ut contemnenda prorsus raro sit. Omnia igitur singuli de unoquoque in medium proferant, ut malis si quae fuerint medeamur, ac non foveamus prava in nobis adulante taciturnitate, deque nobis dici possit: Mutuum muli scabunt.

Ea, quorum fratres in congregationibus nostris insimulantur, nullus temere foris edicat, eo quod non omnia semper sint vera quae ad nos ex aliorum relatione pervenerint. Nostrum quoque non sit, peccata quae fuerint occulta manifestare: b) Sed potius eos qui humana infirmitate peccant magis instaurare Spiritu mansuetudinis, ut ait Apostolus quam traducere, et omnibus irridendos aut maledictis lacerandos proponere. Qui vero secus fecerit, falsus habebitur frater, futilis, diabolus, contentionum et seditionum seminator, scandali turbarumque amans et conventu nostro prorsus indignus.

Causamque propter quam quis fuerit exclusus a nobis atque excommunicatus, annotare in libro nostro utile et propemodum necessarium esse jam saepius comperimus, propter ejectos aliquos ex nobis,

a] Hebr. X. b] Gal. VI.

ubique conquerentes ac clamitantes adversus nos immerito se esse excommunicatos.

Qui semel a nobis ob malefacta sua fuerit excommunicatus, in nostrum consortium ea statim Synodo rursum non recipiatur: Sed prohibitus Ecclesiasten agere privatus vivat, donec evidentibus rectisque resipiscentiae et mutationis signis ab ipso perceptis visisque iterum eum receperimus, ut ad ministerium admiserimus.

Auditum est aliquando fuisse inter nos qui adjurationibus et Spirituum mendaciorum immundorumque familiaritate et auxilio uterentur, in rerum amissarum restitutionibus aliisque curiosis resistendis. Magno igitur consensu praecipimus ut qui Christi Minister et in nostro consortio velit haberi, amplius nullo modo praestigia istiusmodi sequatur, a) quae Deus tantopere vetat et odit, et omnino lapidibus interfici vult. Quod si deprehensum aliquando fuerit aliquem nostri posthac tam exsecranda tentasse, is jam nunc a nobis ut execrabilis atque damnatus malorum daemonum cultor sit ejectus atque excommunicatus.

Nullus nostrûm aedituum agat, nec pulset ipse campanas. Ducit enim res haec Ministerium nostrum (omnium in terrisque alioqui maximum) ad vilitatem quandam, verbique per nos praedicati auctoritatem minuit. Nisi communitas aliqua prorsus rudis tam agrestibus fuerit praedita moribus et decori tam nescia ut pro concionatore receptura non videatur eum qui aedituus esse non voluerit. Tunc quidem concedimus ut etiam concionator aedituum agat: etiamsi id inviti faciamus. Non tamen censemus propter hoc rudes illos privandos sacro concionatore, nec deferendum fideli pastori Ministerium; donec se parum detento, hoc commode poterit exonerare.

Si quid discordiae aut simultatis inter fratrem et fratrem inciderit, ut varii sunt mortalium casus, nec est aliquis qui sapiat omnibus horis, eo magistratum et judices seculares, ut vocant, fatigari nolumus, nec

a] Deut. XVIII. Levit. XX.

nec coram ipsis agitari, ne indecora concertatione liteque molesti simus alioqui satis occupatis judicibus, scandaloque omnibus ac malevolis ansam nostra calumniandi praebeamus. Componi vero rem volumus per duos aut tres nostrúm, quos ipsi voluerint, aut in futuram rejici Synodum. Et tunc fratrem consilio et sententiae acquiescant, sibique mutuo ignoscentes in gratiam redeant.

a) Manus, inquit Apostolus, cito ne cui imponas, neque communices peccatis alienis. Item oportet episcopum irreprehensibilem esse et bonum habere testimonium ab extraneis. Ad haec, aptum ad docendum, tenacem ejus qui secundum doctrinam est fidelis sermonis, ut potens sit etiam exhortari per doctrinam sanam et contradicentes convincere. Ut nimirum ipse bonus, laudatus, et bene doctus, alios quoque et cupiat facere bonos, et possit docere perite et scienter. Statuimus igitur ut qui ex aliis regionibus in nostra Foedera venerint ad nos, et Episcopi munus appetierint, non recipiantur in nostrum consortium nec ad concionandum aliquo per nos mittantur nisi prius a nobis congregatis, aut ab iis quos congregati ad hoc ipsum delegerimus fuerint examinati et approbati; litteras etiam aut testes idoneos suae ante bene actae vitae protulerint. Nam quomodo graviter et solide unquam doceat et populum ad altiora provehat, qui suis oculis gravia, firmaque scripturarum verba per insciti am inspicere non potest, et praeter proculcata vulgo et protrita quaedam pietatis elementa novit nihil? Omnia autem quae loquitur nullo scientiarum fundo sunt concepta, sed susa et vaga et arbitraria ex vulgaribus traditionibus arrepta. Ac ne Rhetos quidem accipimus, nisi vitae fuerint honestae, et in examine satis docti inventi et Christianismi intelligentes.

Nominatim autem pro concionatore a nobis recipi nullus debet qui bonarum litterarum, bonarumque artium nihil didicerit, aut saltem latinam linguam non intellexit. Quid enim certioris videre, aut contra adversarios Evangelii, firmi colligere, aut denique dilucide et distincte proferre poterit, qui linguas artes et hujusmodi, quorum adminiculo dexterius tractantur sacrae litterae, ignoraverit? Annon audimus Pau-

a) 1, Tim. V. — III. Tit. I.

Paulum a) Apostolum clamantem: Oportet Episcopum esse aptum ad docendum, recte secantem sermonem veritatis, potentem etiam ad exhortandum per sanam doctrinam et contradicentes convincendum?

Qui Synodum semel neglexerit, pro non multum curante fratre habeatur, qui bis pro deferente fraternam congregationem: qui denique ter (loquimur de Synodis ejusdem anni aut se se sequentibus) pro contemtore fratrum et Ecclesiae, ac digno qui et a nobis contemnatur, et non teneatur pro collega, ambulanteque concionatore secundum charitatem. Ad haec censemus agendum esse contra ita superbe se separantem a nobis, omnemque monitionem contemnentem ut munere ecclesiastico quo fungitur privetur, nisi instantem ostenderit necessitatem, quae eum venire ad nos non sit passa, causasque bonas, quae sint ipsum remoratae, probarit.

Minister puerorum nomina quos baptizarit, una cum susceptorum in libro parochiae scribat, quemadmodum saepe est decretum a nobis.

a) 1. Tim. III. 2. Tim. II. Tit. I.

CAP. VIII.

CAP. VIII.

Vergerius cum aliquot concionatoribus italis confessioni subscribere tergiversantur. Eam in rem separatas habere Synodos cupiunt; quod ipsis non permittitur. Subscribunt tandem, reservatis aliquot articulis parvi momenti. Contentio de recitatione salutationis angelicae Ave Maria *in precibus Ecclesiasticis.*

Conscriptionem confessionis, ut diximus, remorari conati sunt italici quidam concionatores: jam conscriptae et a Tigurino Ministerio adprobatae iidem assensum, subscriptionemque denegare pergebant. a) Primarii obluctantium erant VERGERIUS, CELSUS MARTINENGUS, ANDR. PARAVICINUS, cum aliquot aliis. Causabantur illi Synodi rigorem, quasi quae fratrum imbecillitatis rationem nullam prorsus haberet; allegabant praecisos illos canones de panis azymi usu in S. Coena: de compatribus in Baptismo: de liturgiae uniformitate: de salutationis angelicae *Ave Maria* dictae abrogatione, similesque, quos ajebant

a) Comand. ad Bull. 5. April. 1552. Italia a catabaptistis misere discerpitur, etiam nostra Vallis Tellina. Martinengus quoque hac labe infectus in Angliam profectus est. Admonendi sunt boni viri a veneno illo. Traversus noster nos monuit etiam ut —— observemus, unde et nobis orta est suspicio. Paravicinus Tiguro litteras ad Pontisellam dedit excusans: Se non negare S. Trinitatem etc. quasi multum interesit, inter negare et non velle confiteri. Illum cum erroribus tantis Vergerius voluit recipere in communionem nostram: quod nos male habuit: et ambivit ut potestatem haberet visitandi Ecclesias et pastores, alium deponere alium substituere. Orta inde fuisset confusio. Nos alias exosos habent magnates nostri propter italos, nam contentiosi sunt et inquieti; ex quacunque re levissima rixam movent, nec doceri a quoquam sustinent, nec a sua pertinacia remittunt. Unde nobis sunt oneri. Magnates nostri non admodum amant Evangelium; ob quam causam scribere non licet. Episcopum Tridento ad Pascha exspectamus.

ajebant praestare Ecclesiarum Mystarumque administrantium libertati relinqui, quam in praecisam formam adstringi. Quin imo, ut evitaretur confessionis subscriptio, Vergerius nomine italorum ausus est petere ut privatas sibi liceat habere Synodos, obtendens itinerum difficultates, quas subire cogerentur Itali, quoties ex Valle Tellina, aut Clavennae Comitatu, Praegalliave trans montes ad celebrandas Synodos meare oporteret. Exaggerabat idem diversitatem linguarum inter Raetiae Ecclesias et Ministros vigentem; et quia itali Romanicam minus bene intelligerent, germanicam vero, qua omnia tractari consuetum esset, non callerent, nullo colore praetendebat posse italis denegari quo minus separatas ab aliis Raetiae Ministris Synodos celebrare queant. Sed non tacuerunt illis reliqui Raetiae Ministri ob oculos ponentes quanto cum italorum periculo ejusmodi separatio futura esset. Etenim quotquot Romanensibus sacris addicti erant, in Raetia, exilium proselytis illis indicari allaborabant: praeterea apud multos Evangelicorum Itali gratiam amiserant ob studium novorum, animum contentiosum, et inquietum. Metuendum igitur erat ne sibi permissi ea forte agitare, aut consulere auderent, quae ipsis certam perniciem allatura forent. Tutius proinde illis omnino erat, una cum integro Raetiae Ministrorum corpore in medium consultare, quam extra illud omni protectione destitutos, aemulationi odioque adversantium expositos, haerere. Eam observationem accuratius perpendentes, opportune in medium prolatam esse ipsimet itali confessi sunt, et in vitae Ministeriique regulam facile admiserunt: videntes supra quod reluctando confessioni ab omnibus adprobatae, odium omnium in se concitarent, tandem et ipsi (tribus tantum quatorve articulis parvi momenti exceptis, a quibus ne scilicet absque causa dissensisse viderentur, discedere professi sunt) licet aegre subscripserunt. „Fratres omnes, haec Gallicius b), qui in his „ nostris nundinis hic (Curiae) congregati fuerunt, gratias Tibi ege„ runt ingentes, quod placita nostra sis dignatus legere, nosque super „ illis monueris tam humaniter. Facis quod humanum et pium virum „ decet. Exemplar nolui tibi scribere, donec prius esset denuo rece„ ptum ab omnibus. Describere incoepi et mittam propediem. Itali „ omnes receperunt. Videbantur tamen minus propenso animo reci„ pere.

b) Ad Bulling. d. 6. Jun. 1553.

„ pere. Tribus tamen articulis aperte reclamarunt: Azymo panis;
„ compatribus in baptismo: et quod Pater infantis ipse eum non bap-
„ tizet. Hos recipere noluerunt. Nos monuimus homines ut se-
„ quantur quae sunt pacis et aedificationis, et ut resistere nolint ei,
„ qui compatres accipere noluerit: Pane utantur cibario si nolint azy-
„ mo. Articulum denique ne Pater baptizet suos infantes, non temere
„ esse positum a nobis, neque praeter necessitatem, hoc maxime seculo.
„ Dimisimus tamen illos aequiores, nisi quod dicant vestram bapti-
„ zandi formam esse prolixiorem, quum nostra adhuc prolixior sit.
„ Manebunt tamen in officio: ita enim promiserunt nobis discedentes
„ bono animo „

Ita CONFESSIO ab omnibus in universum Raeticae ditionis Ministris in tesseram unionis et fidei constituta fuit, expressa lege ut ad eam subscribendam omnes accederent, quotquot ex nunc Ecclesiae Ministrorum numero adscribi cupiverint: id quod facto ipso in perpetuam observationem evasit. Celsus Martinengus tum in Angliam discessit; Vergerius vero dicere: *Se unum ex Ministris Raetiae non esse, nec esse velle*, licet curam pastoralem Vicosuprani exerceret; hoc colore nomen matriculae subtraxit, et defectum ejus tanto facilius Ministri admiserunt, quod is Raetia cedere velle intelligeretur. Post ea etiam de Salutationis Angelicae *Ave Maria* dictae in Ecclesiae precum formulis usu altercationes quaepiam inter Ministros agitatae sunt: Sed quae facile consopitae fuerunt. Metuebat Bullingerus ne de levi licet principio controversiae, in magnum Ecclesiae malum recrudescerent, TRAVERSIUMque, ut interposita sua auctoritate scintillam exstingueret, monuit, quod et hunc omni studio feciisse dubium non est; nulla siquidem extant quae acerbioris animi, aut improbandi exempli indicia prodant. Ipsas interim Bullingeri ad illum litteras adpono integras.

Praestantissimo Viro D. Joanni Traverso Zusatiensi Rheto, Domino suo colendissimo, et fratri charissimo!

„ S. D. Diu sane humanitati tuae nullas scripsi litteras. Unde
„ ne quid silentium satis quidem prolixum progignat suspicionis

„ nunc

„ nunc sarcire institui si quid videatur commissum hactenus. Res Eccle-
„ siae nostrae per Principis et Servatoris Christi Domini nostri gratiam
„ bene habent et pacate. Migravit ad Dominum in integra et sincera
„ confessione fidei D. Pellicanus. In hujus locum ad profitendas lit-
„ teras sacras et Hebraeas vocatus est D. Petrus Martyr, qui praete-
„ rito mense ad nos venit, ac publica exceptus est laetitia. Profiten-
„ tur igitur nunc alternatim viri sane incomparabiles D. Theodorus
„ Bibliander, et D. Petrus Martyr: et hic quidem Historias enarrat,
„ ille Prophetas explicat. Utrique rara est linguarum cognitio, scri-
„ pturarum peritia: Uterque eloquens est, et in omnibus artibus et
„ disciplinis exercitatissimus: Unde et summa cum laude profitentur.
„ Saxones vero et Suevi propter doctrinam Sacramentariam persequun-
„ tur nos et damnant in suis Ecclesiis. Scis quales in nos scripse-
„ rint libros. Vidisti quid ipsis sit responsum a D. Calvino, a D.
„ Bernardino, et a me. Meum libellum olim Tibi missum, a me in
„ germanicum versum nunc typis excudunt Gesneri fratres. Dicun-
„ tur adversarii in nos acerbissimos et plurimos edidisse libros, quos
„ nondum vidimus: at ex nundinis Francford. exspectamus. Valde
„ nobis dolet, ita exarsisse fratres: Sed ideo silere, et causam bonam
„ deserere non possumus, nisi velimus sanctum nostrum prodere offi-
„ cium. Oremus interim ut Dominus gratia sua ingens hoc scanda-
„ lum tollat ex Ecclesia. „

„ Audio et apud vos non nihil suboriri dissidii ex eo quod quidam
„ omnino contendunt Angelicam Salutationem minime in Ecclesia pro
„ publica concione esse recitandam: Alii vero necessario recitari opor-
„ tere asserunt. Ego Tibi et reliquis hic vigilandum arbitror, ne ex
„ modicis et contemnendis injuriis incendium odiorum simultatumque
„ exardescat. Neque enim Sathanae cogitationes ignoramus. Dicam
„ Tibi bona fide, quid apud nos evenerit. Edidimus hic Anno 1535.
„ formam Precum Ecclesiasticarum: in ea continetur et Salutatio An-
„ gelica, sed sub commemoratione incarnationis Dominicae. Id quod
„ Ego praefigendum curabam; dum enim huc venirem ante Annos
„ 24. et invenirem ex consuetudine recitari Salutationem Angelicam
„ mox ab oratione Dominica, abhorrui: non quod ea quae scripturis
„ sunt tradita odissem; sed quod intelligerem grandi abusu rei sacrae

„ gra-

„ graviter peccare plerosque et hanc Salutationem offerre Virgini
„ mente invocante. Ei rei volebam mederi, idcoque praefatiunculam
„ praemittebam de qua modo dixi, si forte superstitio invocantium
„ tolleretur. Sed frustra. Qui enim salutabant venerantis et invo-
„ cantis animo pergebant salutare: ad quod nos concionatores occasio-
„ nem offerre et in errore confirmare miseros recte dicebamur. Ac-
„ cessit aliud quoque. Vicini nostri Papistae praeferebant Tigurinos
„ Bernatibus non recitantibus inter preces in Templo Salutationem An-
„ gelicam. Addebant: Tigurini adhuc orant Ave Maria et ita decla-
„ rant se adhuc venerari et invocare Virginem; retinent adhuc ferias
„ Virginis et Apostolorum; tolerabiliores igitur sunt Basilienſibus et
„ Bernatibus ac Scaphusianis. Proinde ea res non potuit diutius
„ magno cum scandalo dissimulari. Delata est igitur in Synodum.
„ Quid multis? Abrogata est recitatio illa Ave Maria, ne posthac in-
„ ter preces Ecclesiasticas conjungatur cum oratione Dominica. Abro-
„ gatae sunt et feriae. Causae hujus facti multae fuerunt et graves.
„ Exemplum Paulli qui Timotheum circumcidit; Titum circumcidere
„ noluit: offendiculum piorum, papistarumque in professo errore con-
„ firmatio. Praeterea veteris Ecclesiae ignorantis prorsus illam reci-
„ tationem ritus, finceritas orationis, et quod a Papis invecta est in
„ Ecclesiam salutatio illa corruptissimis demum Temporibus. Insignis
„ enim ille latro Gregorius IX. cujus extant Decretales vehementer
„ abusum hujus salutationis promovit. Cumque error tam alte arctis
„ radicibus inhaereat vulgi animo, non oportet Pastores hic dissimu-
„ lare quicquam. Haec recitavi paullo copiosius ut occasionem Tibi
„ praeberem ista expendendi diligentius ac praeveniendi ne inter fra-
„ tres exoriantur istam ob rem certamina.

„ In Anglia graviter persequitur Regina Evangelium: Sed Chri-
„ stus confortat mentes fidelium ut palam confiteantur Christum, dein
„ et fidem Sanguine testificentur veri martyres et quidem plures. In
„ Polonia Principes et Nobiles aspirant ad Evangelium: impediunt
„ sedulo Episcopi cum suis. Rex medius haeret inter utrosque.
„ Conscripta sunt Comitia ad ferias D. Barthol. in quibus discutietur

„ causa religionis. Oremus Dominum ut res bene cedat. Praedicatur „ alioquin libere multis in locis Poloniae Evangelium. Id vero Epi- „ scopi servi Antichristi ferre nolunt. Inde concertationes. Sed vin- „ cet veritas, et regnabit in Ecclesia Christus.

„ Legatus ille vester Raetus etiam Pontificem adoravit, obedien- „ tiam praestitit, et amplissima quaeque Sedi promisit. Allata est ad „ me oratio habita ab Episcopo nomine Quinquepagicorum et „ legati Rhetici. Mirum est illi tantum permitti. Sed plus nimium „ prolixa Epistola Tibi molestus fui. Condona mihi hoc vitii. In- „ servire volui. Ama me et nos omnes. Vive et vale, et ora pro „ nobis Dominum. Iterum vale. Saluta totam domum tuam. „ Tiguri, 23. Aug. Anno 1556. Salutant Te Symmistae et fratres „ omnes. „

Bullingerus tuus.

CAP. IX.

CAP. IX.

A. 1549 — 1554.

„ *THOMAS PLANTA in Episcopum Curiensem decernitur, frustra*
„ *obnitente Barth. Saliceo Sondrii Archipresbytero, qui illum*
„ *Lutheranismi suspitione conspergere studet; ad eam eluendam*
„ *cogitur ille Romam proficisci, ubi et confirmationem Pontifi-*
„ *cium indeptus est. Pestis immaniter saevit ultra montes,*
„ *saevissime Curiae: moritur JO. BLASIUS, SIMON LEM-*
„ *NIUS, et eximii viri plures. Gallicius vocatur Curiam in*
„ *Blasii locum. Seb. Münsterus in Cosmogr. Oengadinos im-*
„ *prudenter perstringit: unde sannae et querelae: quibus tum*
„ *Eccl. Basil. Antistes tum urbis Senatus solenni rescripto satis-*
„ *faciunt, et Oengadinos placant.* „

Haec dum inter Evangelicos agitantur, pridie nonas Decembris anni MDXLIX. ultimum diem in Episcopali Curiae palatio obiit LUCIUS ITERIUS Curiensis Episcopus. De Successore veteres contentiones recruduerunt. Superstes adhuc vivebat BARTHOLOMAEUS SALICEUS Sondriensis Archipresbyter, et hunc in Episcopatus sedem sublatum cupiebant illustris prosapia, et cum illis quotquot ex Proceribus Gallorum Regi favere dicebantur. Potior e contra canonicorum pars THOMAM PLANTA patria Zuziensem Oengadinum in futurum sibi Praesulem designaverat. At movit Bartholomaei factio lapidem omnem ad exturbandum titulo et possessione aemulum, unde per triennium lis ea protracta fuit, neque ante annum MDLII. obtinere Thomas ab omnibus Communitatibus potuit, ut in Episcopum renunciaretur.

tur, et pro tali agnoſceretur. Varia erant quibus Thomam apud ſuos gravabant Salicei fautores, primariumque erat quod Zvinglianiſmi ſeu Calvinianiſmi notam ipſi impingebant, eoque colore fidem ejus apud imperitam plebeculam ceu ſuſpectam traducebant. In dictae imputationis probationem haud aliud adducebatur quam quod Thomas etiam diebus ab Eccleſia vetitis carnibus veſci nil dubitaret: et quod primitias (quas vocant) celebrare neglexiſſet licet ab annis bene multis canonicus, et annos plus minus triginta natus eſſet. Quandam etiam JOANNIS BLASII Eccleſiaſtae Curienſis ad filium ſuum Baſileae ſtudiorum gratia agentem, ſcriptam epiſtolam oſtentabant, in qua de nova Epiſcopi electione haec fere verba exſtabant: *Epiſcopus noſter vitam cum morte commutavit. Ei ſucceſſit quidam quem Epiſcopus una cum canonicis pro Lutherano proclamavere. Juvenis eſt, nondum oleo papiſtico unctus, ſperamus cum nihil contra Deum meditaturum.* Hanc, inquam, et Romae explicabant, et neſcio quam ejus cum haereticis Calvinianis colluſionem ex ea extundebant. a) Enunctioris naris homines equidem non ignorabant haec et ejusdem ſurſuris alia plura ad conflandam illi invidiam ſpargi et exaggerari: Sed per ea etiam ſimplicioribus ſuſpicio ingenerabatur easdem imputationes aliquid de vero trahere. Certe apud CAROLUM BOROMAEUM Mediolanenſem Archiepiſcopum tantum voces illae effecerunt, ut ad Sondrienſis Archipresbyteri

a) Blaſ. ad Bull. 29. April. 1550. *Ich wird bewegt Euch klagweis anzezeigen, was ſich in dieſen Tagen zugetragen, als nämlich unſers des jetzigen Biſchofs halber. Wie er nun Biſchof iſt worden, hab ich ſein Election, die mich beſonder erfreut hat, Euch und meinem Paullo zugeſchriben. Daſſelbig Schryben hat mein Paullus als ich, acht andern Studenten zu Baſel zeiget, und iſt Ihm alſo der Brief von Hand, und in die Händ des Biſchofs Widerſächer kommen. Dieſelben haben dieſen Brief gen Rom dem Pabſt, und den Cardinalen, wider den Biſchof zeiget; und hand Ihn hieruf gen Rom by Peen 500. Ducaten citirt: Der Brief laut (wie ich noch im Gedächtniſs hab) alſo:* Epiſcopus noſter mutavit vitam cum morte. Ei ſucceſſit quidam, quem Epiſcopus una cum canonicis pro Lutherano proclamavere. Juvenis eſt nondum oleo papiſtico unctus. Speramus eum nihil contra Deum meditaturum. *Nun acht Ich der Biſchofe und die ſinen ſömlichs hoch zürnen: vermein aber doch hiemit nit verzörnt han. Ich acht wohl ſoll er ihnen dem Brauch nach ſchweren ſy werdend Ihm viel ander Puncten in Eyd binden, Und iſt hieruf mein freundlich Bitt, Sie wöllen mir rathen, wie mich hierin halten ſoll und dieſem Handel verantworten.*

teri petitionem ſtatim fratrem quemdam Inquiſitorem in Vallem Tellinam miſerit, qui ſuper Thomae neoelecti Curienſis Epiſcopi fidem inquiſivit, teſtesque examinavit. At Thomas quamprimum Inquiſitoris illius in terram Morbenii adventum intellexit, illico Joannem Traverſum Zuzienſem ſummae auctoritatis inter Raetos virum Morbenium delegavit, qui ſuo nomine a Praetore ceu legitimo Magiſtratu obtineret ne ulla fratri illi concedatur inquirendi in Epiſcopum permiſſio. Id quod is diligentiſſime peregit, et a GEORGIO TRAVERSIO Morbenii t. t. Repraeſentante Patruele ſuo ad votum obtinuit: Sic Inquiſitor re infecta ad ſua redire juſſus fuit: nec quidquam per id adtentatum Bartholomaei pars obtinuit, quo Thomae confirmationem apud Pontificem impedita eſſet, b) cujus tamen ipſius hac in re definitionem tentare voluit. Enimvero Pontifex qui tunc erat JULIUS III. utramque partem ad cauſam dicendam Romam ſub quingentorum (ſi Blaſii relationi ſtandum) ducatorum mulcta evocaverat. Thomas optimi ſucceſſus ſpe plenus ſub comitatu JOANNIS PLANTA Cernetienſis J. V. D. et Raetienſis poſtea Domini, JACOBI TRAVERSII conſobrini ſui, et ZACHARIAE NUTTI familiaris, Caſtelloque Fürſtenbergenſi Praefecti, iter Romanum adiit: aſt quam primum eo adpulit adverſam auram expertus eſt. Namque Pontificis juſſu inauditus ſtatim ceu haereſeos convictus, in Monaſterium quoddam ſub cuſtodiam detinendus datus fuit. Severum adeo agendi initium ſpem Bartholomaeo afferebat Thomam ſede indignum pronunciandum fore: verum Pontificis rigor ille ubi ad Raetos

b) Inſtrumentum Proteſtationis rogatum a Domino Nic. Schenardo Notario Morbenii d. 27. Aug. 1550. factae per Magnificum Dominum Jo. Traverſium ex mandato et impoſitione Reverendiſſimi Domini, Domini Thomae Plantae digniſſimi Epiſcopi Curiae, tanquam ad cujus praedicti Reverendiſſimi Epiſcopi aures pervenit quod in partes Vallis Tellinae transmiſſus fuerit quidam Venerab. Dominus frater ordinis Praedicatorum, et maxime ad terram Morbenii ad inquirendum et indagandum ſecrete, teſtesque examinandum eorumque dicta et atteſtationes in ſcriptis redigendum contra praefatum Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum tanquam infectum et ſuſpectum in haereſi ſeu opinione Lutherana: qui Dominus Johannes Traverſius in praeſentia et audientia Magnifici Domini Georgii Traverſii, Morbenii et Pertinentiarum ſuarum Praetoris, ac praefati Domini Venerabilis Inquiſitoris modo commorantis in conventu S. Antonii de Morbenio dixit,

Raetos delatus est, indignationem et iram ciebat. Id animadvertentes cantones Helvetiae Romanenses, Pontifici statim modum quem cum Thoma haberet acerbe exprobarunt, allegantes quantum is Raetorum genti

dixit, et protestatus fuit etc. contra praefatum Dominum Praetorem, in praesentia tamen et audientia praefati Domini Inquisitoris, quod nullatenus praefatum Dominum Inquisitorem ad Inquisitionem de qua supra permittat devenire sub ejus praefati Domini Praetoris Jurisdictione sine consensu Magnificorum Dominorum nostrorum Trium Ligharum; cum talis Inquisitio videatur fienda praeterea contra formam juris et statutorum praefatorum Dominorum Nostrorum, et maxime parte contra quam examinari intenditur Testes, insciâ, non citata, nec monita ac testibus non nominatis: et possunt recipi testes contra eam non omni exceptione majores, prout a jure ex forma statutorum requiritur: et si secus fiat de habendo recursum ad praefatos Magnificos Dominos nostros Trium Ligharum cum querela de praemissis contra praefatum Dominum Praetorem: Salvo si libuerit praefato Domino Inquisitori dictum examen dictorum Testium publice exercere, praedicto Reverendissimo Domino Episcopo monito, ac testibus nominatis. Quod si per vos praefatum Dominum Praetorem, praefatus Dominus Inquisitor ad receptionem talium Testium in Jurisdictione Vestra admittatur; ita tamen sit, quod liceat praefato Reverendissimo Domino, Domino Episcopo, seu alicui ejus misso et excipere et opponere quidquid de jure poterit, tam contra testes et eorum dicta, et Attestationes, quam contra partem, ad cujus instantiam recipiuntur testes, si adest aliqua pars. Qua protestatione sic facta per praefatum Magnificum Dominum Johannem Traversium nomine quo supra, praefatus Dominus Praetor, praefato Domino Inquisitori ibi praesenti et examinanti testes secrete in sua Jurisdictione prohibuit etc. ac praecepit praefato Domino Inquisitori quod nullatenus audeat nec praesumat in ejus Jurisdictione aliquo modo directo vel indirecto pervenire ad examen aliquorum testium; donec ipse praefatus Praetor allocutus fuerit praefatos Magnificos Dominos nostros Trium Ligharum de hoc examine sic fiendo sic fiendo super prima Diaeta praesente praefato Domino Inquisitore, et dicente se nolle devenire ad aliquod examen aliquorum testium contra aliquam personam Vallis Tellinae infectam et suspectam in haeresi, suppositam Dioecesi Comensi, nisi habita prius licentia a judicibus Vallis Tellinae, seu a Magnificis Dominis nostris Trium Ligharum, et ubi concedatur auctoritas et licentia per praefatos Dominos judices, praefato Domino Inquisitori, quod procedet contra quamcunque personam suspectam ut supra, servatis servandis in similibus, et juxta morem solitum in inquirendo contra haereticos. Datum et actum in conventu S. Antonii de Morbenio Anno, Indictione, die, et Mense supra scriptis, praesentibus pro Testibus ad praemissa vocatis et rogatis, venerabilibus Dominis Fratribus, Baptista Priore praedicti conventus S. Antonii, Dominico de Lugo Subpriore praedicti conventus, et Nicolao de Morbenio notis &c. Extat in Archiv. Conventus Dominicanorum Morbenii exscript. a Quadr. Tom. II. pag. 57.

genti liberae et Reip. ſpectatiſſimae detrimentum et vituperium adferret, et quam is juſtas haereticis adverſus Concilium Tridenti celebrandum quaerendi cauſas ſubminiſtret. Iidem Auctores Pontifici fuerunt, ut ſi Epiſcopum quidpiam cenſura dignum commiſiſſe compertum foret, eundem Raetis remittat, ut ab his ceu veris ejus Dominis commerita poena afficiatur,: qua in parte nec ſe ipſos (Helvetios) aliter fuiſſe cogitaturos. Id enim ni facturus eſſet Pontifex, uſuque veniret ut aliquando per Raetorum terras aliquis nuncius Apoſtolicus permearet, Raetique jure Talionis uterentur, eidem dijudicandum relinquebant, num annon ad talem procedendi modum anſam primus ipſe ſubminiſtraverit. c) Reſtitutus itaque mox libertati ſuae Thomas fuit; nihilo minus per acres inimicorum inculpationes diu ſerioque tractata illius cauſa Romae, datumque uni Inquiſitorum negotium fuit in Raetiam veniendi, teſtes adverſus illum examinandi, veritatemque in lucem producendi. d) Tandem utcunque negotium tractatum fue-

 rit,

c) Litt. dat. 1551. d. 22. Maji ap. Hotting. Helv. *Kirchengeſch.* Supplem. p. 195.

d) Thom. ad Trav. Romam 8. Aug. 1551.

Thomas Epiſcopus Cur. *Dem Edlen und Veſten Hanſen Traverſen zu Zutz meinem liebſten Vettern.*

Wiſſend lieber Vetter wie Ich friſch und geſund bin, Gott dem Herrn ſey Lob und Danck. Ich hab Hoffnung ghan an ein End ze kommen auff etlich examinirten Kundſchafften, und ſo Sie nit concordes in des Talpen Handel geweſen ſind, hab Ich nüt mügen ſchaffen, mus man den Sorg Talp zu Chur auch examiniren laſſen. Der Caſpar Mathys ſchreibt Ihm davon. Der Georg Gamen darff wohl auch darbey ſyn gſyn. Uff Mentag nächſt verſchinen hand die Cardinales Inquiſitores den Inquiſitorem von Bergam hinaus verordnet die Teſtes zu repetiren, und auf mein Seiten auch Kundſchafften zu examiren, und uff beyde Wyl, 2. Monat Friſt geſetzet; Welcher ſich gar freundlich erzeigt hat gegen mir, wohl durch Gunſt und Willen des Magiſtri Sacri Palatii, der in dieſem meinem Trübſal mein Vatter iſt, und hat uns zugeſagt er wölle treülichen handlen, wolle hinaus kommen und einen Notarium ambabus partibus conſentientibus *nemmen, alsdann erſtlichen die Teſtes pro —— repetirn: darin hat an mir begehrt Ich ſolle ſchreiben das er nit moleſtirt ſey von den meinigen. So das geſchehe wölle er in ein unpartheiſch Ort usgahn, und die Teſtes mit allem Fleiß repetirn, die Falſcheit und Trügerey erörtern. Sollich hand VVir nit anders mügen verſtan, dan er mein es ruvven:*

rit, Thomas facta beatissimo Patri de plena in catholica fide persuasione, certissima fide, superior evasit, ab eodemque domum redux confirmationem reportavit, ad quam mox etiam a Caesare regalium, (quae vocant) privilegiorum confirmationem obtinuit. Isdem etiam jam ipso quo a Canonicorum collegio in Episcopum electus fuerat die articulos post Paulli Ziegleri obitum confectos et supra a nobis adductos, jam stipulatus fuerat; quare quum nulla justae remorae causa amplius adesset, ab omnibus cathedralis Foederis communitatibus Anno MDLII. Epi-

voen: doch gieb Ich euch zu ermessen, Und dieweil sollichs geschehe solle Ich schreiben das meine Procuratores Artickel machen, wie den der Brauch ist, um die Puncten so Ich vvill kundschafften examiniren lassen, vvider den Frybuben, und mich über die anklagte Articul zu defendiren. Die zu examiniren (das gath in meinen Kösten) vvill er gahn gen Hoff, oder vvo VVir vvehnd; doch begehrt er zu Hoff ein eigenes Losament im Schloss, ein eigne Kammer. Das hab Ich Ihm zugsagt, zu dem solle er erlich und freundlich von den Meinigen tractirt vverden: und vvenn er vvieder gen Rom reiten vvurd, solle er im Hoffstall gohn, und Ross tuschen, oder sunst nehmen vvelches Ihm gfalle, söllichs hat er zu Danck angenommen und gesagt: es darff vvohl geschehn. Hat sich erbotten mein Procuratorium, und andere Brieff, so Ich Ihm gieb, treulich zu überantvvorten, auch Falschheit der Zeugen als vil Ihm müglich sey, fleissiglich zu fürkommen.

Hierauff lieber Vetter so bin allein hie mit schlechtem Hilff der Procutorn; vvill mein Meynund mit Volg Euvver und ander Hochverständiger anzeigen. Dem Inquisitori meines Achtens soll man all Zucht und Ehr bevveisen; in seiner Imposition repetitionis Testium *auch nit molestiren. Das ist aber vonnöthen das man heimliche Personen ordne, die also unbekandt, an denen Orthen gangend vvo die Kundschafften eingenommen vverden, zu erfahren vvas müglich ist. Alsdann Ihr gut Freund und Procuratores zsamen gohn und rathschlagen vvas zc thun sey. Des Vincenzen von Punt Handel vvollt Ich nit underlassen, und ander Corruption und Subornation geschehn mit Fleiss einnehmen lassen. Der Haubtmann hat gut tapfere Ursach Ihn anzegreiffen, damit kummend vvir ehe zu der Tügerey, alle Kundschafft vvider den Freybuben um seine Buberey lassend uffnehmen. So der gen Chur kumt, mocht man di* Canonicos absentes *beschreiben auch die Prelaten. Ich glaub Sie vvurdent mir so viel zc gfallen thun, und Catholicos so man ankommen mag lassend auch examiniren, über die unchristenlich Articul, so mir der Bub zuleyt, und seines Wesens. Ich hah Euch bey dem Inquisitore geschriben, samt dem Procuratorio vvird er überantvvorten, und auf die Post auch vvallen schreiben, damit Euch dieses früher zukumme, und Sie der Sachen der Nothdurfft*

Episcopus agnitus est. e) Commendatus is, dum vixit, fuit ab affabilitate et comitate in omnes, ut et a liberalitate in amicos: sed et ne quid dissimulemus ejus in illicitos amores proclivitas Episcopo utique dedecorosa, ab omnibus bonis illi vitio data fuit. Corpore describitur supra quam necesse vel decorum habeatur, obeso, alteroque pede claudus, unde qui ejus dignitati infensi erant illum fide non minus quam altero pede claudicare, dicere solebant. In vulgares quoque jocos eo vivo pertrahebatur quod nulla carne avidius vesceretur, quam suilla domestica qua magis delectabatur quam vel aprugna vel alia ferina, deliciisve ullis: hinc quando suum greges in orbem venales inducebantur, per ora volitabat diverbium: *Episcopi ferinam venum prostare.* Qui modum quo res Episcopatus administravit observarunt, et negotiorum ejus conscii fuerunt, laudant Principis viri frugalitatem et dexteritatem secundum omnes oeconomiae partes; unde intra sedecim quibus Episcopatui praefuit annorum spatium mire amplas corrasisse opes dicitur: Sed et apud inopes egenosque minus quam LUCIUS anteccessor ejus bene audiebat: nec tamen post ejus mortem in aerario eae opes repertae sunt, quae illi inesse vulgo credebantur, multis mirantibus quorsum frugalitatis illius effecta dimissa, dispensatave esse potuerint.

Ea tempestate, anno videlicet MDL. in Raetiae parte septentrionali, quae ultra alpes Julias et Adulas sita est, pestis horribiliter grassata est: circa quam admiratione dignum id censitum fuit, quod quum per omnes fere vicinias ultramontanas immanissime circumlata

durfft nach mit unsern guten Freunden einsehen thun mügen. Und vvas Ich Euch schreib, vvellen dem Herrn Doctor Vetter Zorschen Jacoben, und allem ohn Verzug vvissen lassen. Mich Euch allen hiemit empfehlend. Datum zu Rom, am 8ten Tag Augusti, 1551.

Euvver Vetter

Thomas

Bischoffe zu Chur.

e) Instrum. ipsi dal. die Thomae 1549.

serpserit, ea in citeriorem tamen Raetiae partem ad Australem plagam delata non fuerit, licet eorum qui ea anni tempestate Curiam seu ad nundinas seu ad Gallicum aurum, aliave pensionaria munera captanda, cursaverint, numerus fuerit longe maximus, et tamen unicus Thomas Crescinbenus Cazinus Susiensis morbo e nundinis Curiensibus Decembri mense reportato, domi suae redux, diem ultimum clausisse refertur. f) Fuit vero lues illa Curiae urbi imprimis epidemia, siquidem a Junii mensis circiter initio, ad ingruentem usque brumam, quod semestrale fere tempus conficit, supra mille trecenti, ut Commander Ecclesiae Pastor asserebat, ut alii vero perhibebant, sexcenti supra mille absumti sunt: quae sane jactura haud levis reputanda est in oppido, quod tunc temporis vix ultra quingentas domos constituisse notatum est. Decimo Kal. Sextiles occubuit JO. BLASIUS Ecclesiae ad D. Regulae Pastor, egregius sane vir, in munere sibi demandato strenuus, et imprimis ad populi aedificationem natus. Decubuit etiam Joannes Comander Ecclesiastes aedis Superioris: at convaluit, respiciente Jova necessitatem Ecclesiae, ne utroque simul lumine orbaretur. g) Blasio ad Comandri consilium surrogatus fuit PHILIPPUS GALLITIUS Lavinii tunc Ecclesiae curam agens, qui acceptis amplissimi Senatus vocatoriis operam

f) Vid. Camp. Lib. II. Cap. LXII. pag. 1281.

g) Comand. ad Bull. 29. Jul. 1550. Pro fratre Jo. Blasio quid scribam. Lacrimas profundere dolor cogit. Ad Christum migravit die 18. Julii, cum damno et moerore totius Ecclesiae nostrae relictis 4. liberis e duabus uxoribus. Ex prima supersunt Paullus et Blasius, ex altera masculus anniculus, et puella aliquot hebdomadarum ——. Necessitas et calamitas obruerunt nos. Saevit pestis crudelissime. Pro nobis orate Dominum ut mitius nobiscum agat. Tam elegans juventus virorum et mulierum et virginum peste tanquam turbine rapitur ut miserendum sit. Per dies decem decubui et Ego, sed non graviter, et per Dei misericordiam convalui ab hoc morbo. Deo gratias ago. Et d. 19. Aug. 1550. In maxima tribulatione vivimus. Moriuntur optimi quique et Evangelio et pietati faventissimi, nec dum deferbuit. Mille funera sepositimus in brevissimo tempore, in parvo oppidulo. Unde fuga sibi plurimi sepositerunt. Item 6. Kal. Septembr. Jo. Blasio p. m. nullus adhuc subrogatus est. Operam dabo ut Phil. Gallitius in ejus locum restituatur.

operam lubens pollicitus est, h) et cum ineunte Anno 1551. decimo nempe quinto Kal. Febr. Curiensi gregi adesse coepit. Octavo Kalendas Decembres anni supra memorati MDL. pestifera lue etiam abreptus fuit SIMON ille LEMNIUS in schola ibidem cum Pontisella politiores litteras profitens. Erat is patria Monasteriensis Oengadinus, Gallicio in tertio consanguinitatis gradu, qui sobrinatus vulgo dicitur, conjunctus, poeta sane vena felicissimus, si mente perinde sanum et cordatum etiam se gessisset. Exstant ingenii ejus documenta haud sane levia, nec exigua, et inter ea LIBRI IX. DE BELLO SUEVICO ab HELVETIIS et RAETIIS adversus MAXIMILIANUM CAESAREM Anno MCCCCXCVIIII. gesto, rythmis politissimis exasciati; transtulit quoque HOMERUM, et DIONYSII Periegesin, aliaque non pauca lusit, licet inter illa quaedam parum pudica, certe non satis sobria mente scripta: ob cujus commatis laborem olim Vitteberga MELANCHTONE Rectore ejectus fuerat, et contumeliosus quem ediderat libellus flammis adjudicatus. Is inquam qua animam efflavit hora, sedere vix tantisper valens, et tremula manu calamum tenere, scribereque potens, hoc sibi adhuc Epitaphium fecit.

Conditus hic jaceo praeclarus carmine vates
Lemnius heu pesti praeda petita fui.
Spiritus in nitido versatur celsus olympo,
Terra levis busta haec contegit ossa tamen.

Non

h) Gallic. ad Bull. Lavinio infer. Ingadinae, d. 27. Decembr. 1550. Quid scribam? omnia bona Tibi doctisque omnibus isthic a Deo precamur, quotquot Evangelium Domini praedicamus in Ingadina. Bene valemus: suntque in Ingadina omnia sana et pestilentia intacta. Quid alibi in nostris Foederibus Deus fecerit, est dudum notum. Evangelium in Ingadina nunquam melius habuit, gratiae Deo. Animus mihi est vere novo istuc pergendi, visum num non ibi locus sit, cui idoneus esse possem per Te. Sunt enim mihi Filii quinque quos cupio ut discant linguam germanicam melius; quod hic consequi non possunt.

Non modo civitas Curia incolis exhausta erat, sed per pestiferam luem Evangelicorum numerus passim imminutus et in angustiam redactus comparebat. Inter reliquos memoria dignos, quos contagio abripuit, notatos adhuc reperio RUDOLPHUM a SALICIBUS, SAMSONEM a SALICIBUS adolescentem probe doctum, CASPAREM ANDRETINAM et JERONYMUM Pastorem Ilantinum in Foedere Gryseo. i)

Materiae affinitas suadet ne aliorum quoque aliquot fidelium Christi Servorum memoriam praeteream, qui tamen non peste illa, sed aliquamdiu post per naturalem morbum ad coelestes sedes evocati sunt. Ex his Anno MDLVI. Sexto Kal. Septembr. octuagesimo aetatis Anno proximus adeoque dierum satur hac vita excessit CHRISTIANUS HARTMANNUS Alto-Trinii seu Trirupii apud Gryseos Evangelicae veritatis praeco.

Is post HULDRICUM MARMOREUM qui ante lustra quinque ultimum Cerantii in Tomiliasca diem clauserat, primus dicebatur fuisse qui improbata Missa Evangelium praedicare ausus fuerat. Fuerat is olim ad D. LUCII Curiae Monachus praepinguis, et ut quidam scriptum reliquit, canis in praesepi, vel ut alius, bos ad praesepe pinguis, potuissetque in patria SAGONII ubi splendidissimo gaudebat patrimonio, optimo valde frui Sacerdotio si missam legendo pergere voluisset: verum maluit ille eorum omnium jacturam facere, tenuique et sterili salario contentus cum honesta et pudica conjuge, et quam ex ea indeptus erat familia parce et duriter vitam tolerando Evangelium praedicare: unde ejus probitas et constantia exemplo stabat. Docuit primum Thosanae aliquamdiu: maximam vitae partem Trinii exegit; unde et inter suorum suspiria ad Dominum migravit. Paucis post illum diebus ultima nempe Septembris mensis hebdomade Thosanae ex peste defunctus est doctus et egregius vir CONRADUS JEKLINUS ab alta Raetia,

i) Comand. ad Bull. 7. Octobr. 1550. Nos Curienses divina misericordia et ope super modum indigemus, nam optimis civibus Evangelio faventibus et doctis omnibus privati sumus. Ex doctis obierunt Jo. Blasius, Rudolf a Salicibus, Samson a Salicibus adolescens probe doctus, Caspar Andretina, Jeronymus Ilantinus Pastor.

tia, praenobili stemmate ortus et dictae Ecclesiae complures annos meritissimus Pastor. ii) Ambos mox insecutus est BLASIUS PRADERIUS Valendauni divini verbi administer, senio jam confectus simul et penuria exhaustus, corpulentus olim et iste sacerdos, qui etiam unus ex primis numeratur qui Missa abjecta et doctrinae Romanensi nuncio misso, Evangelii doctrinam, ad primos fontes reductam docere et propagare instituerunt. k)

Anno ejus seculi quinquagesimo SABASTIANUS MUNSTERUS Hebraicae linguae in Academia Basileensi Professor celeberrimus, opus suum cosmographicum latino simul atque germanico idiomate, magno utique labore collectum ac conscriptum ex officina Typographica Henric Petri ediderat, in eo vero Raetorum populos percensens, Oengadinensem gentem succinctis admodum sed contumeliosis verbis ceu rapacem et furtis deditam indigno sane et iniquo modo perstrinxerat. Finita totius operis impressione, post distracta plura demum exemplaria notata ab ocu-

ii) Omittere non possum quin lepidam hic adtexam narrationem JO. ARDüSERI creduli Pontificii hominis, quam de filio nostri CONRADINI, ipsi homonymo inseruit operi suo de Stemmat. Raetiae Lindavii A. 1598. edito. Conradin Jeklin *von Hoch-Realta vvär Landvogt zu Oberhalb Stein, und Haubtmann A. 1488. hatte 4. Söhn. Der vierte Sohn dessen hat auch Conradin geheissen, der ist zu Almens und Rotels Meßpriester gevvesen, darnach ist er zu der Religion getretten, und Pfarrherr zu Scharans, und Thusis gevvesen, hat ein Sohn gelassen auch Conradin genant; der itziger Zeit zu Ilantz sein Amt mit viel Ruhm gottseliglich vertretten thut. Als er noch zu Thusis im Predigamt gevvesen, ist zu Sils einer Fravven Margrèe Schvvaldi genant, eine vveisse Taub begegnet, so geredt hat vvärlich, vvä man sich nicht bessert, vvird Gott die Welt straffen. Ist damit verschvvunden. Beschehen Anno 1585. Als diese Frau sollichs vvollen verschvveigen, hat sie nicht Ruh gehabt, bis sie es dem vermeldten Herrn Conradino eröffnet hat, der diese Warnung seiner Gmeind mit ernstlicher Vermahnung zur Besserung des Lebens fürghalten. Darauff an unser Fravven Tag im Augsten, das Wasser zu Thusis, der Nollen genant, dem Dorff gros Schrecken, Noth, Jammer und unvviderbringlichen Schaden verursacht hat: dergleichen Wasser-Not am andern October vviederum zu Thusis, und in vielen andern Orten angangen.*

k) Camp. Cap. LXIII. fol. 1320. insert.

oculatioribus injuria fuit: ut igitur medela adhiberetur contumelioſa illa verba, quibus natio Oengadina perſtringebatur, in venalibus adhuc aut diſtrahendis libri exemplaribus omnibus, nigro atramento obducta fuerunt, ſic ut nec conjectando potuerit quis conjectare, ecquid ſenſus illa periocha contentum fuerit. Sed quia aliqua libri exempla jam fuerant divendita, exſtantia illa contumelioſa verba in oculos orbis veniebant: et ubi adeſſe obſervata ſunt in omnium ora traducta fuere. Id factum quando ad Oengadinos conſtare perlatum eſt, male eos habuit, utpote nihil ſimile unquam commeritos: fuitque protinus omnium conſilium ſuper eam rem cum Münſtero coram Ampliſs. urbis Baſilienſis Senatu expoſtulare. Sulcerus Eccleſiae Antiſtes caeterisque Baſileenſes ubi gentis juſtam excitatam eſſe indignationem intellexerunt, nihil non fecerunt quod ad ponendas iras et abolendam injuriam ſatis eſſe poterat, et aequos animi viros decebat: 1) idipſumque ſuadebant etiam

etiam

1) Sulcerus ad Bullingerum. Poſt nova plura de bello germanico. —— „Ad Philippum Gallicium ſcripſi ut Rhetos ſuos placet, quod audimus graviter offenſos D. Seb. Münſteri Chronico, quo ille Engadinenſes notavit *ſy ſygind gröſſer Dieb, denn die Ziginner.* Nam id ſimulac nos intelleximus, curavimus ut illico expurgeretur per omnia exemplaria, ſicut id videre hoc quod mitto folio ſatis potes. Miror vero id Antonium Antonium Stuppanum hominem Rhetum, qui cum corrector impreſſioni ei praeerat non animadvertiſſe. Ac ne Münſterum quidem ipſum ex compoſito gentem notare voluiſſe credo: Sed aliunde accepta (quod ſolitus eſt) in commentarios retuliſſe per incogitantiam. Quare et Te mi Bullingere precor ut D. Antonium Traverſum, clariſs. primariaeque Auctoritatis virum, Tibi peculiari neceſſitudine devinctum per litteras velis placide hortari, ut ſuis Auctor ſit ponendae indignationis, quando nemo hic eſt ex ipſis etiam chalcographis, et piae memoriae Münſteri poſteris, qui non univerſae Rhetorum genti ex animo faveat, ac ſartum tectumque ejus cupiat honorem. Atque ipſum quidem Auctorem arbitror, tum cum haec inſereret ne cogitaſſe quidem Engadinenſes Rhetis vel conjunctos foedere, vel ſubditos eſſe. Vale in Domino cum tuis omnibus. Baſileae, 20. Junii, Anno 1554.

Bulling. ad Traverſ. 29. Jun. 1554. Nihil in praeſenti quod ſcribam habeo: intelliges ex his incluſis quid D. Sulcerus Baſilienſis Eccl. Paſtor a me poſtulet. Nolui neſcires quicquam. Proinde Te oro per noſtram amicitiam ut tua auctoritate interpoſita medearis huic malo, ne ſerpat longius. Scio Te virum eſſe pacis, ideoque confidentius ſcribo. Exſpecto a Te ſummo cum deſiderio, quid apud vos agatur. Benedictio Domini ſit ſuper vos. Cupio ſalvum et incolumen

etiam in Raetia boni pacis ſtudioſi m). Verum quia in libris per orbem volitantibus contumelia illa legebatur, citius paci ſe dare noluerunt,

lumen ex animo D. Gallicium et filios tuos, cum primis qui aliquam hic litteris dedit operam. D. G. det pacem Eccleſiae ſuae. Vive et vale aeternum cum bonis omnibus. Tiguri, 29. Junii Ao. 1554.

m) Gallic. ad Traverſ. d. 4. Jul. 1554. Veni Curiam feliciter ea ipſa die, qua a vobis diſceſſi, ibique inveni litteras ſcriptas ad me a Domino Simone Sulcero Rectore Univerſitatis inclytae Baſilienſis, qui et alias ad me ſcribit pro ſua humanitate. Huic enim ita me commendavit D. Bullingerus, ut commendatior eſſe nequeam. Eas litteras nunc ad Te mitto, ipſius manu ſcriptas. Scribit Vir ille, (quod docti omnes) ad fidem et veritatem, non ad oſtentationem. Mihi videntur quantum licet (nam autor libri vita functus eſt) ſatisfeciſſe. Intelligis omnia ex litteris ipſius ſcriptis. Si quaeris, quae tua modeſtia eſt, quid cenſeam faciendum, dixero: ut animadvertant et videant nobis curae eſſe honorem noſtrum, filios item noſtros Baſileam miſſos non eſſe vanos, mitterem litteras tantum ad Bullingerum Baſileam mittendas, quae declararent quo fuerimus ante animo, et quam ſedati utcunque ſimus nunc litteris D. Sulceri, et correctiore impreſſione ad nos miſſa, quae deinceps ederetur: de caetero ſint cautiores. Alia errata etiam eſſe laeſae Majeſtatis noſtrae etiamnum incorrecta in iſta impreſſione, ut ſunt quae dicuntur Ducatus Mediolanenſis eſſe quae noſtra ſunt; etiamſi ſint in Geographia peccata multa in nova iſta etiam impreſſione, quorum tamen Ego ipſe monebo eos privato. Quod Tuae prudentiae conſultiſſimum videbitur fac virorum conſultiſſime, et quod nos deceat, et quod odioſam ſuperbiam non redoleat. Ipſe Ingadinus tuum pro Ingadina conſulentis reſponſum exſpecto, priusquam Baſilienſi cuiquam reſpondeam. In reſponſo veſtro memineritis nos omnia ad vivum non reſecare, cum ipſis propter noſtrates pueros ſemper bene tractatos ab eis, et quod confederati ſimus. Quid autem Ego ſus Minervam doceo? Tuum eſt praeire, nos ſequemur. A Bullingero nihil accepi, ſcit me eſſe in Engadina. Epiſtolam quaeſo remitte ad me, niſi videatur Tibi conſervanda ſerio a Magiſtratu noſtro Ingadinenſi. Nam is qui ſcripſit perſona eſt authentica et maxima in Gymnaſio illo Baſilienſi: Rector enim fuit Anno praeterito et cum primis natus Helvetius, ſiquidem Bernas eſt. Reſcribe (ita tecum audeo loqui) cito. Interim vale in Domino Jeſu, virorum prudentiſſime et humaniſſime. Ex Curia d. 4. Julii, 1554.

Idem ad eund. Vir ſpectatiſſime: litterae Tuae mihi ſunt redditae veſperi diei decimae Julii, et propterea ad Bullingerum mittere non potui, quod ſiliginarii noſtri proficiſcantur Tigurum ſemper ejus diei mane. Quod ad noſtram rem adtinet Senatus Baſilienſis graviſſimis modis puniet impreſſorem, ſiquidem reſciverit rem. Miſeret me ejus quod praedicetur vir bonus, et maledicti hujus penitus

runt Oengadini, quam publico Basilienſis Senatus reſcripto, ſepultum jaceret convicium. Ad obtinendam igitur laeſae exiſtimationis reſarcitionem

penitus ignarus. Ipſe enim non imprimit nec corrigit, nec legit, ſed omnia per famulos doctos efficit, quemadmodum et Froſchoverus Tiguri latinos libros imprimit, cum nullum prorſus latinum intelligat. Sed neque noſtra nobis negligenda fama eſt. Tu bene ſentis. Uno tantum Ego cuperem nos mitiores eſſe. Velim Ergo ſic: ut noſtrates contenti per Te Bullingero indicaſſe nos omnino pati iſta nolle, ſed jure agere velle, niſi claram et certam palinodiam et recantationem maledicti illius, operi nunc correcto et impreſſo inſerat impreſſam, quae revocet atque abroget prioris impreſſionis convitium verbis talibus: *Es iſt im erſten Druck dieſes Buchs an dieſem Ort von den Ingadinern geſagt ſie ſind gröſſer Dieben dann die Ziginer; vvelches vvir hie heiter bekennend und bezeugend mit unſerm Wiſſen und Willen nit gedruckt ſyn, noch von, oder durch uns nie geſchriben noch geredt: dann die Ingadiner fründlich uod fromm Lüth ſind, und aller Ehren als vvohl vverth, als auch andere Ehrenleuth ſind. Deshalben uns faſt vvundert, vvie ein ſomlich böſe Schmach Red in unſer Buch und Druck immer einkommen ſeye: könnend nit anderſt rechnen noch merken dan das naiven, häſſig, bös Menſchen ſomlichs vvider obgenante Ehrenleut und uns in den Druck ingſchoben habind, Ihnen und uns unverdienter Sach und unbilliger Wys zu Schand und Schaden.* Iſtiusmodi verbis aptioribusque, quae tamen pro tua prudentia, atque diuturna omnimodaque experientia confingere potes, operi et loco inſertis: Item Ingadinenſibus duo exemplaria correcta mittat. Putarem Ego ſatisfactum nobis in oculis omnium hominum. Ad Senatum autem ſcribere Basilienſem nollem miſertus innocentiae impreſſoris ut dixi, motusque precibus vere magni viri Bullingeri qui ſcripſit ad Te: ad me tamen omnino nihil de hac re. Senatus enim ſeverius ageret cum illo, quam nos ipſi cuperemus. Conſidera. De reliquis erratis ſcripſi Bullingero, et ſcribam Basilienſibus tanquam privatus et Studioſus Studioſis et doctioribus. Mutanda illis ſunt aliqua et in nova Editione: non loquar de indoctis, ſed de his quae TRIA FOEDERA non ſint paſſuri. Interim Vale, Humaniſſime Vir, et Philippum tuum redama. Salutat Te pater Comander, cui placet haec mea Sententia. Ex Curia, die 10. Julii, 1554.

Tuae integritatis

Phil. Gallicius.

Joh. Comander Spſt.
Pontiſella dignitati tuae S. D. P.

Gallic. ad Bull. d. 9. Jul. 1554. Ex Ingadina Curiam redii non multos ante dies. Illic ſum concionatus. Res Evangelicae illic bene ſe habent, uno tantum excepto quod concionatores adquirere non poſſunt Zuzienſes, qui linguam ſuam teneant. Italos enim nolunt et averſantur. Speramus tamen

Miſſa-

tionem pro superiore JOANN. TRAVERSIUM Zuzienſem, pro inferiore Oengadina, BALTH. PLANTA Cernezienſem viros toga ſagoque tota Raetia illuſtres Baſileam delegarunt. Appulerunt illi in dictam urbem Octobri Menſe Anni MDLIV. quum Münſterus jam a tempore bene longo defunctus in Domino requieſceret: dato igitur ad Ampliſs. conſeſſum die, Henricum Petri Typographum, et ex Senatoribus inibi praeſentibus unum de injuria illata reum egerunt. Quum dicendi finem feciſſent, Henricus Petri in pedes exſurgens, quum negare non poſſet opus illud in ſua officina procuſum eſſe, utique oblatum a b. m. Münſtero opus cosmographicum ſe e Typographeo ſuo ut exprimeretur curaviſſe faſſus eſt, ſed nunquam id ſibi laboris voluiſſe ut eorum quos excuderet libros perlegeret; et quod circa allegatum opus plane neglexerit, id ei nemo vitio vertere credat, qui qualis vir fuerit Münſterus paulo plenius cognoſcit. Demum poſt abſolutum opus, atram

Miſſatorem quendam, qui jamdiu nobis favit, miſſa abjecta illuc iturum. Illum reciperent, is mihi bona promiſit. Litteras a D. Simone Sulcero miſſas ad me una cum foliis aliquot impreſſis in Geogr. germ. Seb. Münſter b. m. Viri accepi: eas ex templo miſi in Ingadinam, neceſſe enim fuit id facere, quod cum his diebus illic eſſem, conſultarent primores et Superioris et Inferioris Ingadinae contra opus illud Münſteri, nec non et adverſus Typographum. Iis litteris meas addidi ipſe Ingadinus, omnem movens lapidem ne Baſileam mittant jure actum contra opus illud et Typographum, nunc enim deletam nobis inuſtam furti notam illam. Si viveret autem, crede mihi male famae ſuae conſuluiſſet; quanquam etiamnum in emendatis foliis iſtis impreſſisque centum ſint foediſſima errata, adeo ut mirer tantum geographum tamque doctum virum, tam indocte, inconſideranter, ignoranter, et inſcite, adde et falſe ſcripſiſſe: quorum Ego D. Sulcerum noſtrum, (niſi me deterrueris, ſed vix abſterreri me patiar, tanta Viroque illo non digna errata in illis foliis ſunt) certiorem faciam. Et utinam qui Geographiam, Hiſtoricaque hujusmodi ſpargere gaudent, majore cura res inveſtigarent, ut quum omnimodae ſcientiae nomen venantur, tam poſſent comperta, certaque prodere. Certe iſta digna ſunt, ut ab omnibus doctis et veritatis amatoribus reſpuantur. Adeo vana ſunt, et imperite ſcripta. Mitto Tibi folium quod ſit emendatum, (etiamſi nec tu poſſis, utpote regionis noſtrae rerumque noſtrarum non ſatis peritus) omnia errata deprehendere. Tuum erit interim certiorem facere D. Sulcerum praeſtantiſſimum Virum, mihi redditas eſſe litteras: Eas una cum meis officioſiſſime me in Ingadinam D. Traverſio et aliis Primatibus miſiſſe. Debeo enim Baſilienſibus, praeſertim ſanctae alioquin memoriae Viro Münſtero: ſperare me nullos miſſum iri Baſileam nuncios hac de cauſa cum delerint penitus non toleranda illa de furto, cujus inſimulati fueramus Ingadini: Nihilominus exſpectare me inde reſponſum.

infamiae notam, qua in uno folio praealarus Oengadinae populus conſperſus eſſet, ſibi quoque innotuiſſe. Id vero factum dolere ſe ex animo, idque ſi mature ſciviſſet, nunquam fuiſſe permiſſurum ut ſimile dicterium ſuis litteris exſcriptum fuiſſet, qui probe norit illa in inclytam et de optima fama commendatam gentem et manifeſtum eſſe errorem, et calumniam atrociſſimam. Quare ſi Oengadinis praeter meritum, ſibi vero praeter omnem ſcientiam verba illa intruſa et excuſa reperiantur, omnino credere a nemine ſibi culpam addictum iri, ſiquidem ignorantia quemvis bonum apud quosvis cordatos excuſat. Ampliſſimus Senatus accuſatione et excuſatione probe perpenſa, ad Oengadinenſium legatos primo quidem de inuſta dilectis confederatis iniqua macula diſplicentiam teſtatus eſt, declarans quod ſi mature ſatis dum operis auctor in vivis adhuc eſſet, id ſibi innotuiſſet, vel ſi huc dum calumniator ille qui id dicterii probo beatae memoriae viro Münſtero ſuggeſſit, produci poſſit, paratos eſſe ſe ad animadvertendum pro officio: quum vero ex conſenatoris et chalcographi Henric-Petri reſponſo intelligatur ipſo nec conſcio nec volente, iniquum dictum irrepſiſſe, ex juſtitia igitur eſſe ut ab omni crimine liber pronuncietur: neque poſſe ſalva conſcientia in defunctum eximium et meritiſſimum virum poenae nomine quid irrogare, quum perſuaſum omnibus ſit eum ſi viveret, nullo negotio authorem unde ſcriptum hauſerat proditurum, et quam nullo malo animo id factum acciderit expoſiturum. Integro tamen negotio probe perpenſo, ut bonis viris injuriae ſit reſarcitio, judicare ac pronunciare contumelioſa et calumnioſa illa verba quibus natio Oengadinenſis in Seb. Münſteri Cosmographia notata et perſtricta ſit, neque ipſis neque poſteris ullo unquam tempore fraudi aut detrimento deſervire poſſe. Quam in rem Legatis binae tabulae utrique Oengadinae ſuperiori videlicet et inferiori Baſilienſis civitatis ſigillo munitae, extraditae fuerunt, quas in ſuis chartophylaciis illae hucdum aſſervant, datae ipſis Idibus Octobris Anno a ſalutis reparatore nato MDLIV. n) Ad auctorem indigni illius dicterii vero quod attinet,

n) *Wir Theodor Brand, Burgermeiſten und Rath der Stadt Baſel thun kund und bekennend vor männiglichen mit dieſerem Brieff, das auf heut Datum für uns kommend ſind die Edlen, feſten Hans Travers zu Zutz und Balthaſar Planta zu Zernetz beede aus dem Engadin als Geſandte Bottſchafften der fürnemmen, Wei-*

attinet, spectatae prudentiae et integritatis viri asserebant quod quum Munsterus haud multo ante tempore quam opus suum vulgaret in Raetia

Weisen, unsern lieben Pundtsgenossen der ganzen Landschafft Engadin in den Pündten; die habend nach überantwortung ihrer Credenz-Schrifft, aus Befehl Ehrgemeldter Landschafft fürgebracht demnach Herr Sebastianus Münsterus unser Burger Seliger, bey Zeit seiner Wyl ein Chronica zu latinischer und teutscher Sprachen beschrieben, und dieselbigen Ms. Heinrichen Petrii des Truker- unsers Burgers Officin oder Truckerey in unser Stadt Basel durch den Truck offentlich ausgehen lassen, habe er Munsterus der Author, in derselben seiner Chronica da er von der Landschafft Engadin schreibt, die Ehrlichen Inwohner mit diesen Worten das er sie in Latin gentem furacem *genennt, und in der deütschen Zungen sy synd gröſſer Dieben dan die Zigyner und ihrer Ehren und loblichen Herkommens zum höchsten geletzt und geschmächt; daran er aber Ihnen unrecht gethan, dan Sie, die Landschafft einen söllichen schmälichen Namen von ihren Vordern nicht ererbt, noch auch sie die jetzigen Einwohner ob Gott will, denselben mit nichten verdient hätten, und wofern Ihnen der Landschafft, söllichs bey Zeiten des Schmächers Leben fürkommen, wolltend sie die Ehre, wie Bidermann Leuten ——. Gebürt und zustat errettet haben: dieweil und aber der Autor nüt mehr vorhanden, und aber sie durch den Truck der in unser Stadt, und bey Heinrychen Petri dem Drucker, der demnach in Leib und Leben ausgangen, bey mänglichen, ihrer Ehren hoch angezogen, und aber derselben Schmachungen noch nicht wiederum verthadiget, sonders unversprochen weren, so wolltend sy uns, als der Oberkeit söllichen Handel zu ermessen, und den nach Nothdurfft und zu Widerbringung ihrer Ehren zu bedenken und zu moderiren heimgestellt und befelchnet haben, wann darruff nun der Ehrsamen unser getreüwer lieber Mit-Rat Heinrich Petri der Drucker-Herr, als er bey uns in versammleten Rat gesessen, und als gegenwärtig söllichen Fürtrag, und die Beschwerden der Gesandten und der Landschafft Engadin selbst gehört, für uns aufgestanden, und angezeigt das die vorbestimten beeden Chronica durch gemeldtem Herrn Seb. Munsterum gestellt, und Ihme die in Druck ausgan zu lassen zu handen gegeben, die er auch also von Ihnen, ohne wyter umbsechen empfangen, und im Druck hab verfertigen lassen, und habe derhalben nicht gewüsst, das ein ehrliche Landschafft aus dem Engadin von den dreyen Pündten in denselbigem Chronica durch den Munsterum mit so ungebürlichen Schmäworten Diebstals halben angezogen und verunglimpft wär worden: Dieweil und aber solliches doch (Ihme wie jetz erzelt) unwissend beschehen, so wäre Ihm das von Hertzen leyd, und wo er solliches ersehen oder verstanden hätte, er es in seiner Druckerey nimmermehr lassen fürfaren dann er je und allwegen von der Ehrlichen Landschafft aus dem Engadin nüt anderst gewust noch gehört, dan das ein Ehrliche, fromme, Landschafft; darumb sölliche Schmachwort die Ihnen durch den Münsterum zugemessen seines Bedenkens ein offentlicher Irrthum, und sie*

die

Raetia egisset, o) extitisse ex Raetorum proceribus quempiam magni nominis, sed nequissimum (cujus nomini parcitum est et a Campello et

die angeregte Landschafft dieselben ganz nit verdient hätten, der Ursachen er sich für sein Theil hiermit verantwortet haben, und endlich leisten wollte, das Ihnem sollich gewürkten Chronica zu keinem Nachteil reichen, noch dienen, sonders die Unwissheit Ihme billig aller Dingen entschuldigen sollte —.

Wan VVir nun Burgermeister und Rath der Stadt Basel die verstanden Gesandten, unsere liebe Pundsgenossen der Landschafft Engadin, desgleichen unsern Mit-Rat und Burger Heinrichen Petri in ihrem Fürtrag und Veranswortung gehört, und wir gleichergestallten von sollichen Schmach und Ehrverlezlichen Worcen, das die in den vorgemeldten Chronica gestanden kein Wissens gehebt, darumben VVir mit dem vormeldtem Landschafft Engadin, unsere liebe Pundsgenossen- wie billig herzlich Mitleiden tragend, wärend auch wo der Autor und Schmächer vorgemeldt noch in Leib und Leben gegen Ihnen, wie sich dan in solchen Fällen gebürt, und gezimmet ein Einsehen zu thun, und Ihne zu der Billigkeit anzuhalten gütig und gutwillig gewesen. Und dan die Unwissen eit billig menglichen entschuldigen soll, so haben wir aus Mangel des Schmächers Person verkerte Handlung fürzunehmen nit gewust. Aber aus Krafft das die Gesandten uns als der Oberkeit den Handel heimgestellt, comittirt, und befehlen, erkandt, ertheilend und sprechend hiemit das sollicke Ehrverletzliche Schmachwort unsero lieben Bundsgenossen per Landschafft Engadin und ihren Nachkommen an ihrem Herkommen Lünden, und Ehren, in keinen VVeg nachteilig oder schadlich seyn solle. In Urkund des Bsiefs, der des zu Gezeügnuss, mit unsers Stadt angehengten Insigel, doch uns, unser Stadt Basel in allweg ohne Schaden verwahrt den Gesandten der Landschafft Engadin zu Handen geben ist, auff Montag den fünfzechenden Tag Octobris, als man von Gottes unsers lieben Herrn und Seligmachers Geburt zehlt, thuseud fünffhundert, fünffzig und vier Jahr.

(L. S.)

o) Nobili et eximio Viro Domino Johanni Traverso Rheto Domino suo observandissimo Salutem in Domino. Scripsit mihi tuo nomine humanissimus Vir Glareanus utriusque amicus et non parum miratus sum Rhetiam quoque habere Viros Mathematices studiosos praesertim in ordine nobilium. Vidi deinde quoque Autographum tuum, in quo ostendis Te laborare desiderio sciendi motum Lunae diurnum et horarium. Ego qui in hunc usque diem erga neminem difficilis fui in communicandis his quae gratis ab omnium bonorum largitore accepi: quomodo possem Tibi negare, quod a me petis? solum id me angit, quod nescio quantum feceris in theoricis planetarum progressum; an didiceris quid sit medius

et ab omnibus aliis) qui Oengadinis ob privatas simultates offensasque infestus, illud calumniae Münstero sollicite de omnibus percontanti malitiose suggessit: quod ille vir probus sed plus aequo credulus, de narrantis dignitate effatum aestimans, incautus et imprudens in commentarios suos retulit. Interim commodum *diaboloo* illi accidit quod per Münsteri mortem latere datum fuerit: vivo namque Münstero si productus fuisset, experturus esset quam male sibi et famae per subdolam obtrectationem consuluisset.

diusLunae motus, quid centrum, quid Argumentum, et aequatio Argumenti. Ab his enim 4. totus pendet motus Lunae magna praecisione investigatus. Qui vero rudi minerva illum conantur inquirere, illi duntaxat medium motum et argumentum rimantur, contenti mediocri motu, erroremque unius aut alterius gradus parvi pendentes. Ego vero malo a fundamento aliquem instituere id quod petit, quam ita in genere tantum, potissimum quum horarium quoque cupias scire modum. Vellem si fieri posset quod ante festum Mariae Magd. de hoc tuo proposito me certiorem faceres. Constitui enim jam apud me post diem Mariae Magd. invisere Reverendissimum Dominum Episcopum Curiensem, et illi offerre primitias urbis Curiensis atque Castri eidem urbi imminentis, sicut jam ante annum visitavi Reverendissimum Dominum Episcopum Sedunensem, lustravique totam Valesiam, plusquam humaniter susceptus ab eodem Reverendissimo Domino, et deductus per Dominium ejus. Teneor magno desiderio visendi Rhetiam vestram, et jam video non nullam oblatam occasionem, quae non parum pro mea tertia Cosmographiae editione faciet, tametsi Achilles Vir ille doctus, et in historiis non parum versatus, huc multa in favorem Reverendissimi Domini Lucii Yteri Episcopi Curiensis contulerit Sed doleo me Reverendissimi Domini Episcopi praesentiam Curiae non inventurum, sic enim arbitratur filius tuus. Cupio et Fabarias videre Thermas, et pro sua celebrare dignitate. Reliqua coram, si Dominus dederit, transigam. Bene valeat Tua praestantia. Basileae, quinta Julii, Anno 1547.

Sebast. Münsterus.

CAP. X.

1552 —— 1557.

Curia Romana praedicationem Evangelii cis Alpes indigniſſime fert, Inquiſitoribus per Italiam, et maxime in terris ad limites Raetorum Helvetiorumque conſtitutis, vigilantiam injungit. Inquiſitores officio ſtrenue defunguntur, et quos nanciſci poſſunt male mulctant: hinc exſulibus mille inſidiae. Paullus Odeſchalcus a Pont mittitur ad Raetos ad obtinendum religioni Romanae favorabilia, eodem tempore quo Angelus Ritzius Legatus Caeſareus inpeddem legationem obit. At irrito uterque conatu. Franc. Gamba Comi ſupplicio afficitur. Ad ſiſtendam ruinam rei Romanae immittuntur Monachi exteri: hi in Evangelicos ceu haereticos valide detonant: at dictorum rationem dare recuſant. Angelus Cremonenſis Tilii ſuos concitat adverſum Paullum Gaddium et caeteros Evangelicos: Hinc querela et Proceſſus apud Comitia Raet. natus. Fratres Bellinketi capiuntur Bergomi ab Inquiſitione, et legatur Frid. SALICEUS ad obtinendam liberationem. Gravamina Evangelicorum Vallis Tellinae. Edictum a Raetiae Comitiis ſuper Religionis libertatem, et Monachorum exterorum amandatio.

Diximus

Diximus suis locis, quando singularum Ecclesiarum reformationem enarravimus, quae obstacula ubivis superanda, et cujus generis impedimenta in medium objecta fuerint, qua denique ratione obtentum sit, ut etiam in Valle Tellina et Clavennae Comitatu, Evangelicae religionis libertas ac praedicatio intimari, promulgari, ac stabiliri potuerit: nunc quo animo Romanenses publicam praedicationem, ejusque Ministros toleraverint, paullo articulatius declaratum imus. Heic vero tristia ac horrida omnia: clamores, tumultus, calumniae, perstrepere; insidiae denique et externa vis omnem effectum, quem Diploma de religionis libertate, unice promotum voluit, intercipere ac frustrare velle videbantur. Praesul Romanus nunquam truciori vultu Protestantium sectam adspexit, quam quando illius vexillum etiam in Valle Tellina, Locarno, et Clavenna, cis Alpes, Italiae velut suburbio erectum conspexit, sub quod de suorum gremio turmatim devolabant militaturi: quare summo studio percavebat ne de his montium jugis scintillae in sanctuarium illaberentur, de quibus igne correpta integra Italia conflagraret; ne forte de Petri clavibus, omnique quam tanto splendore tuitus hactenus fuerat dignitate actum foret. Igitur Inquisitionis officio quaquaversum per Italiam mandatum fuit ut partibus strenue defungerentur, invigilarentque ne sua culpa navis Petri deficiat; idipsumque maxima cura agere jussi sunt qui ad Helvetiorum Raetorumque ditiones, in collimitiis excubabant, quales erant Bergomates Brixianique, sub Venetorum imperio, et Mediolanensis Ducatus Sacerdotes Austriaco Caesaris Sceptro parentes. Sensit illius iram coetus Evangelicus Locarnensis quem non citius ille ex oculis amisit, quam sedibus abegerit. De illius vero Ecclesiae fatis peculiari Capite dicendum. Pervidit illustris Venetorum Senatus secuturas direptiones, calamitates, et insontium caedes, si omne de religione judicium officio illius arbitrio committeretur; ideoque nonnisi sub hac cautione Inquisitoribus ac Episcopis judicium permisit, ut semper adhiberentur locorum Praefecti, ad cognoscenda testimonia, cavendumque ne religionis praetextu quidquam inique aut avare in suae ditionis homines decernatur. a) Eam limitationem officio Inquisitorio adjectam

a) Verg. ad Gualth. On. Fratello. Jo sperava di dover esser io medesimo il portator del libretto, che io mando colligato, ma non è piaciuto al Signore, pur

aegerrime tulit Pontifex: Sed et sic satis dirum hoc fulmen Evangelicorum desideriis erat. Namque Inquisitores per emissarios suos omnia explorabant; in eos praecipue oculum intendentes, qui ex Italia in Raetorum ditiones iter dirigebant. Advenas ejus generis quam sollicite observare solebat officium Mediolani, cui urbis juxta atque districtus situs, patentem ac facilem speculam concesserat. Hinc piis in Italia gementibus via ad exeundum praeclusa, itinera insidiis ubique obsita, deprehensis martyria dira et secreta parata erant; istis mediis aliorum constantia frangebatur, aliorum spiritus in ipso halitu suffocabatur. Tanto horribilius piis erat iter Mediolanense, quod secularis Magistratus sancto illi officio non modo licentiam saeviendi permittebat, sed ope quoque subsidiaria promte accurrebat. Ut jam particularia demus; evenit aliquando CELSUM MARTINENGUM virum prosapia illustrem et in ditione Veneta natum, sed purioris religionis sequacem ac in Valle Tellina exsulem, ab exploratoribus circum Mediolanum urbem versari agnitum fuisse, cum Castellanus protinus sancto officio omnes lictores commodavit, qui cum fustibus et gladiis haud secus ac ad

pur vorrei tosto, piacendo a lui. Quì mi ritengono molti e vari negozj, ora con papisti bisogna contender, velimus nolimus, ora agli Anabattisti resister: ora debbo star occupato in ricoglier poveri fratelli fuggitivi. Perchè il Bullingero nostro non intende la favella italiana, farete contento di riferirgli voi, come io abbia trattato il suo libretto traducendolo, non già di parola in parola, ma accrescendo come vedrete. Stimo che sarebbe utile, se fosse anco nella vostra tedesca tradotto, onde tutta cotesta nazione potesse ben intender le insidie del Mostro Tridentino. Ci è di nuovo in Italia, che i Signori Veneziani avean fatto un Decreto, che niun Legato papale, nè Vescovo nè Inquisitore potesse proceder contra alcun suddito, senza la presenza ed intervento d' alcun Magistrato Laico: ed ora il Papa freme, ed ha fulminato una sua bolla che sotto gravissime pene niun Principe secolar possa impacciarsi nè molto nè poco nelle materie degli accusati per conto di religione, e staremo a vedere, se i Veneziani vorran ubbidire. Buona cosa sarebbe se per questa via entrasse discordia tra loro, e l' Antecristo. Il Concilio senza fallo s'incomincia alle future Kal. di Maggio; contra il qual conato a me pare che tutti noi dovressimo far qualche cosa, siccome a bocca dirò, che pur per questo io vengo a voi. Il presente latore, e fratello molto infocato, va a Geneva per fuggir la persecuzione, che è in Cremona sua patria: il raccomando molto, se in alcuna cosa occorrerà, che gli possiate far piacere. State nel Signore con tutta la Chiesa e Scuola pregandalo per noi. Di Samadeno in Agnedina, a' 24. April, 1551.

ad pacis publicae turbatorem comprehendendum exiverunt: Aſt ille provido Dei conſilio jam evaſerat. b) Anno MDLIII. Caeſar CAROLUS v. poſtquam per Secretarium ſuum JO. ANGELUM RITZIUM cum Helvetiis quoad eorum praefecturas cismontanas, non nulla contentionum capita, praecipue commeatum concernentia tractari curaviſſet, eundem et ad Raetos dimiſit, ut id ipſum amplis propoſitis conditionibus tentaret. Opportunam eam exiſtimavit Pontifex JULIUS III. occaſionem, qua et ſuum illi Legatum adjungeret, ut ſub Caeſareis auſpiciis ac ſplendore, auram adquireret favorabiliora in ſuae cauſae augmentum obtinendi. Acceſſit Pontificis Legatus Comum Auguſto menſe Anni MDLIII, ſtipatus quatuor craſſis ac magnae in Italia famae Monachis, cum quibus in Raetiam venire et omnes Praedicantes debellare velle dicebatur. Sed triumphi ii erant ante victoriam. Vergerius qui homines illos intus et in cute noverat, haec de argumentis, quibus illi, ſi daretur, uſuri forent, praefagiebat: *Audio*, inquit ad Bulling. *Papam deſtinaviſſe legatum qui ad fines Raetiae ſe recipiat, Noviocomi reſideat, et caveat ne Respublica a me* (Vergerio) *aliquid detrimenti patiatur. Certe mecum non pugnabit ſcripturis, ſed ſubornabit viros, qui*

 pugione,

b) Verger. in Oratione et defenſ. al Sereniſſimo Duce Donato, ed alla Eccellentiſſima Rep. di Venezia, edita A. 1551. et ſubſcripta Vicoſuprani a' X. Aprile. MDLI. V. Celſit. aſcolta, che qui ve ne pongo una gran pruova; un certo Muzio, la cui profeſſione è di dettar cartelli, e condurre gli uomini ad ammazzarſi negli ſteccati, è fatto Teologo papeſco in tre giorni, e di più Barigello de' papiſti, (e ſe ne domandi il Signor Caſtellan di Milano, ſe è vero, che colui aveſſe preſo la corte, o la Sbireria, e foſſe andato *con fuſtibus et gladiis* per prender quel buon Servo di Criſto M. Celſo Martinengo, e darlo in man degli ſcribi e Fariſei) or queſto Muzio ha nuovamente voluto dare alla Stampa nella città voſtra un ſuo libro rabbioſo e pieno di inaudite vilannie, — che egli dice a que' dotti e pii Miniſtri delle Chieſe Criſtiane di Germania.

It. in ead. Non è eziando brutta quell' altra che il medeſimo Papa vi fa, che avendo voi nello Stato voſtro molti Veſcovi et Arciveſcovi inutili et empj, e che non veggon mai o rade volte le chieſe ed anime a lor commeſſe, a tutti queſti egli fa onore e pregio: e ſolo il Veſcovo di Bergamo voſtro gentile uomo di Caſa Soranza ha cacciato in una prigione, non per altro ſe non perciochè egli ſtava alla reſidenza, e moſtrava di amar e aver cara la purità della dottrina Evangelica ed odiar le ſuperſtizioni. Quale ſarà oppreſſione e

Tiran-

pugione, sclopeto, veneno, mecum agant. At in Domino confido. c) Gallicius autem, Maynardus, Comander, cum reliquis adventum illorum intenti exspectabant, ad habendam publicam disputationem parati et promti. d) Ast supersedere his curis boni Ministri poterant: Etenim

Tirannide che si possa mai sopra di voi usare, se tutte questo non sono? E'possibile che non siate per svegliarvi?

Id. in giudicio sopra le lettere di XIII. Uomini illustri pubblicate da M. Dionigi Atanagi, et stampate in Vineiza nell' Ao. 1554. fol. penult. „se farebbe crudeltà, barbarie, ed asinaria a volere impedir che fosse restituita la purità e bellezza della lingua volgare, perchè non è da dire che sia infinitamente maggior barbarie, crudeltà ed asinaria l'aver mandato un Archinto Milanese legato in Vinezia, il quale non pensi ad altro tutto il dì, il Beccatello suo predecessore fu un Angelo, rispetto a quest altro) che di far strascinare in prigione, o cacciare in bando gli uomini da bene, solamente perchè si dimonstrano bramosi di vedere restituita alle chiese quella purità e bellezza dell' Evangelio, che G. Cr. Figliuol di Dio venne ad insegnarci, e la quale era stata sconciissimamente contaminata e vituperata più senza comparazione, che questa nostra lingua, dalla infedeltà, dalla ignoranzia, dalla avarizia, e dall' ambizione di coteste maschere rase. — Post plura: „E quello che più accresce la infamia e la dannazione di cotesti Archinti, Buldragi. Todeschini, Falzetti, Crivelli, ed altri persecutori, è che il Papato da XXX. Anni in qua, tre o quattro volte con solenni Scritture ha chiaramente confessato di aversi dimenticato Cristo, di esser colmo d' abusi e d'errori (così dicono le lor confessioni registrate altrove da noi) e non dimeno non hanno mai voluto ricordarsi di Cristo, nè far le correzioni, e attendono rabbiosamente a spander il Sangue nostro.

c) d. 21. Jan. 1553. Tubinga.

d) Gallic. ad Bull. 28. Aug. 1553. Litteras tuas una cum Breve Papisto accepimus Mones nos ut simus viri. —— Tscharnerus noster certo rescivit ex Mercatoribus Comensibus Impostorem illum nunc Comi esse stipatum quatuor crassis ac magnae in Italia famae Monachis quibus nos adorietur quamprimum a febri, qua nunc correptus, convaluerit. De Senatu ac civitate nostra optima speramus. Consul noster Haimius etsi Haimius etsi Senex, tamen juvenili animo subito respondit: utinam veniat aliquis, qui veternum nobis excutiat, et aliquando exstimulet cessantes, nosque pigros commoveat! Cum venerint, te certiorem omnium reddemus, acturi semper quod Tibi visum fuerit optimum. Interim tamen tibi persuasum fixumque sit, nos neminem istiusmodi nebulonum extimescere; fortis est veritas; nec certaminum hujusmodi prorius

nim de disceptatione cum Ministris inеunda illi serio nunquam cogitaverant; neque reperio Monachos una cum Principali suo Curiam adpulisse. Pontificis interea Legatus in Raetiam venit, et juxta cum Caesareo, et Florentiae Ducis nuncio, aliquamdiu Curiae substitit: Sed neuter illorum ad votum designata expedivit. Ipso illo tempore commorabatur Curiae JOANNES FRAXINEUS Bajonensis Episcopus, Galliarum Regis Legatus, Vir terse doctus, et in negotiis tractandis singulari dexteritate pollens, qui Caesariani Nuntii conatibus omni nisu operas suas opponebat: is ipse quamprimum Nuntium Apostolicum adventare fama tulit, Raetorum Proceres monuit: *Insidiosam esse legationem, nec tam fidem illi cordi esse, quam aliud quidpiam quo turbentur Raeti. Caesarem, cujus factio sit ea legatio saepius fidei praetextu magna et pernicioſa machinatum esse, et invexisse.* Raetis auctor proinde erat, ne Papae permitterent suos fines adtingere. *) Commoti sunt his

prorsus ignari sumus. Exspectamus tamen visuri quomodo rem sint adgressuri.

*) Mentionem Fraxinei egit Vergerius in Act. I. contra Papam, ubi loquens de transitu copiarum ex Italia in German. sic loquitur: Tom. I. fol. 62. 63. Jam collecti, jam instructi erunt tui exercitus, jam Tridentum versus incedent et progredientur, nulla enim alia est via, qua possint Germaniam atque Hostes invadere: Nam per Raeticas Alpes haud licebit, resistentibus Raetis, qui tuam obedientiam maxima ex parte deseruerunt, et Helvetiorum, atque Protestantium facti sunt Socii, (ut dixi). Quod si per Alpes illas licuisset transire saltem Caesareis copiis, quae ex Hispania et Italia (maxime vero, quae ex Ducatu Mediolanensi) educendae sint, maxima commoditas contigisset. Nam primum Bellinzonam profecti, mox per Vallem Misautiorum, superatisque Alpibus, quae vocantur sancti Bernhardini, in Vallem-Rheni descendissent, atque per eam ad lacum Brigantinum Lindaviumque pervenissent. Quod quidem iter triplo brevius est, quam quod per Tridentum patet. Hoc tantum commodum nuper animadvertit Caesar, et misso Legato Angelo Ritio tentavit omnibus modis etiam magna promissa pecunia, si id posset a Raetis obtinere, at non potuit; restitit enim vehementer Joan. Fraxinaeus Episcopus Bajonae, Regis Galliarum Legatus, Vir solers et acer. Atque hinc etiam, vide mihi quaeso num ille Rex pati unquam posset Germaniae libertatem eripi, aut debilitari. Cum enim de trajiciendis ex Italia in Germaniam exercitibus per Alpes Raeticas audiret agi, ipse sua auctoritate, qua apud Raetos plurimum valet, suisque opibus intercessit, atque effecit, id ne liceret; quasi patronus optimus ipsius Germaniae, cujus maxime

his dictis Primorum animi, adque famam adventus Nuntii Apoſtolici LUCIUS HEIMIUS Conſul Curienſis ſibi non temperavit dicendo: *Bene quod veniat aliquis, qui veternum nobis excutiat, et aliquando exſtimulet ceſſantes, nosque pigros commoveat!* e) Tantum effecit Bajonenſis opera ſua ut neu Ritzius, neu alii ante dicti quidquam eorum quae exoptabant, efficere potuerint: adeo et apud Romanae fidei addictos nomina, poſtulataque iſtorum mitratus ille eruditus Gallus inviſa reddiderat. f) Legato illi Pontificio nomen erat PAULLO ODESCHALCHO Patria

maxime intererat, et quam alioqui oportebat, miſſis legatis cum Raetis agere, et enixe rogare, ne ullum Italorum, aut Hiſpanorum exercitum, ſinerent, per eam regionem in Germaniam educi.

e) Idem ad Eund. d. 12. Sept. 1553. Nuncius ille Apoſtolicus ſi Deo placet, nondum venit: dicitur aegrotare: Sed tamen propediem huc veniet, quum revaluerit. Nos certiores fecimus Dominos hic noſtros; nihil tamen acerbius contra eum evomuimus, ne dicerent forſan Papiſtae nos faciem ejus extimeſcere. Tamen D. Bajonenſis Dominos III. Foedd. monuit, inſidioſam eſſe legationem, nec tam fidem illi cordi eſſe, quam aliud quidpiam quo turbemur. Caeſarem, cujus factio ſit haec legatio, ſaepius fidei praetextu magna et perniciosa machinatum eſſe atque invexiſſe: caveant igitur ſibi noſtrates, nec permittant Papae fines noſtros adtingere. Vergerius vehementer offendit fratres, maxime Clavennenſes Brentii libello interpretato a ſe in Italiam mittendo: cum Itali omnes bene ſentiant de Sacramento, ipſe vero nunc aliud eis offerat, quo nimirum labantur. Hoc reſarcire volens, cogitat de altera editione iſthic imprimenda. Ego vellem cum legato hic ut magis ſeria cuderet, omiſſis iſtiusmodi cartulis, nihil fere niſi exclamationes continentibus. —— De Serveti blasphemiis audieram antea: utinam non eſſet in Valle Tellina.

Id. ad. Eund. d. 10. Jul. 1553. Dominus Bajonenſis in noſtris Foedd. ſunt quibus minus placeat, quod Lutheranum eſſe ſuſpicentur; forte quod nulla convitia eructet in Lutheranos. imo honorifice ubique de illis loquatur, peſſime autem ſemper de Eccio. —— Videtur appetere tempora illa de quibus olim Lactantius ſcripſit, quibus nemo quidquam habebit, niſi violentia, manuque armata partum, conſervatumque. Vide et Sup. Cap. V. Litt. Gallicii datas d. 19. Aug. 1553.

f) Id. ad eund. 20. Nov. 1553. Exemplar conſilii et Sententiae veſtrae (quoad Servetum Genevae detentum) Tibi remiſi per Vergerium, una cum litteris meis ad Te ſcriptis. Alterum vero Baſilienſe nimirum, ſtatim ut deſcripſi Siliginario cuidam

Patria Comensi et qui Nuntii Apost. et Inquisitoris titulo ipso quo designavimus tempore, a JULIO III. Pont. missus, in Vallem Tellinam et circum adparuit, ubi addictos sacris suis in italos transfugas Evangelium praedicantes concitabat; odium in novae religionis homines ceu pestilentissimos haereticos instillabat, omnesque ad constantiam in obedientia S. Sedis exhortabatur. g) Indeptus fuit VERGERIUS credentialis Bullae Odescalco datae Apographon; in quam integram commentarium scripsit s. philyris constantem et luce dignum. Titulus est: *Delle Commissioni e facultà che Papa Giulio III. ha dato a M. Paolo Odescalco Comasco suo Nuncio et Inquisitore in tutto il Paese de' Magnifici Signiori Grisoni: Al Signor P. Antonio di Nassale Atanasio, nell' Anno MDLIV.* Inquisitores ubi apud Raetos nihil in detrimentum propagationis Evangelii effici posse viderunt totos se composuerunt, ut semet vicinis horribiles redderent: et sane eo pacto suis constantiam et animum vel contra ipsos Dominos instillarunt. Nam Italus quicunque ad haereticos egressus esse, fidemque negasse in illorum ditione comperiebatur, ille sine venia crimen capite, aut igne luebat. Tale fuit fatum FRANCISCI GAMBA Brixiensis, qui quum Evangelii cognitionem adeptus esset Genevam excurrerat ut de quibusdam rebus, a prudentibus ac piis Ecclesiae illius tunc temporis Pastoribus, consilium expeteret:

cuidam ad Te perferendum dedi. Agimus gratias quod tam humaniter nos certos reddideris omnium. Scimus quoque *pestilentem illum cadum*, suo fumo ignique combustum. Factum laudamus. Ritzius ille nostrates sedulo tentat: Sed nihildum fecit, nec quidquam, quantum videre possum, faciet. Florentinorum Dux etiam nuncium hic habet, nec non et Rom. Pontifex. Neuter tamen voti sui compos est factus. Ab istiusmodi legatis abhorrere videntur tam Papistae, quam qui sunt nostri. Et *d.* 7. *Decembr.* „Hoc addo, Jo. Ang. Ritzium adhuc haerere hic, et exspectare nescimus quid. Nam responsum semel a Foederibus nostris accepit, quale non voluisset. Exspectant tamen Domini nostri adhuc aliud ab eo responsum quod a Caesare et Don Ferdinando allaturum se dicit. Ritzius ille me Philippo utitur pro scriba suo in interpretandis litteris suis ex italica in germanicum, quod proponat Foederibus. It. *d.* 18. *Decembr.* Caesareani, crede, nihil efficient in nostris Foederibus. Ego desii illius agere Interpretem; litterasque ejus mihi oblatas renui visere, quod olfeciissem plerisque me istiusmodi non commendari.

g) Conf. Sprech. Chron. Lib. V. pag. 207.

ret: inibi vero interea in Pentecostes festo cum caeteris fidelibus communicaverat. Is Geneva per Raetos redux cum locum Comensem trajiceret, captus est, et in oppidum Comum deductus, ubi cum Evangelicam confessionem constantissime tutaretur, damnatus est ad ignes; et hoc supplicium ille XII. Julii Ann. MDLIV. fortissimo animo sustinuit. Modum eorum quae cum pio Martyre acta fuerunt, ad Gambae fratrem perscript nobilis quidam Comensis utriusque amicus: illarumque litterarum exemplum jam olim exhibuit JO. FOXUS. Nos, quum non in cujusvis nostrûm liber ille sit, illas inter analecta nostra huc transferre opportunum judicavimus. **)

Ad

**) Litterae de supplicio Franc. Gamba. „Amantissime ac charissime frater, Deus „ quidem mihi testis esse potest ejus moeroris, quo nunc animus meus vehe„ menter premitur, cum de beata morte fratris tui ac mei mihi ad Te est „ scribendum, neque dubito quin consobrinus tuus, qui hic fuit tibi jam ea „ omnia narraverit, quae ex me in hac urbe audiverat: Sed quoniam hinc „ redire ad vos cogebatur, quem ad modum ei consulebam non potui tum „ quidem ei omnia accurate ac diligenter declarare, quemadmodum cupiebam „ et fratri tuo me facturum receperam, ut tu, res quemadmodum gesta esset, „ et frater tuus usque ad mortem se gessisset, cognosceres, causamque potius „ Dei laudandi quam dolendi habere posses; itaque nactus istam summam „ scribendi opportunitatem, praetermittere nolui, quin ad Te de tota re sicut „ hic gesta est scriberem; tum ut materiam laetitiae potius quam molestiae, in „ Domino tibi darem, qui pro sua gratia et misericordia fratrem tuum delegit „ ac dignum judicavit, qui veritatem ipsius, suo sanguine consignaret, tum „ etiam ut id praestarem, quod me facturum ei promiseram, ejusque mandato „ ad Te de re tota scriberem, quod quidem facio non ita copiose ut res ipsa „ merebatur: Sed tamen breviter exponam, ea praecipua, quae Ego vidi et „ audivi ipse. Hoc modo igitur res habet:

„ Ex eo tempore quo frater tuus in carcerem conjectus est, quamdiu in „ eo fuit, non credibile est, quot homines hujus urbis ex omni genere, atque „ ordine imprimisque Doctores ac Nobiles eum vehementer rogaverunt ne per„ tinaciter hujusmodi vanas opiniones, ut illi arbitrantur, tueretur, ad quas ita „ putabant eum adductum esse ut mente ac ratione omni alienatum esse existi„ marent, itaque magnopere eum hortabantur, ut aliquam rei suae, salutisque „ cogitationem et curam susciperet, atque omnia hujusmodi deliria abjiceret, „ quibus illum affici ac teneri arbitrabantur. Sed Vir pius constanter semper „ eis respondit, id quod ipse protulisset, constanterque defenderet, non esse „ inanes aliquas speculationes aut vanas opiniones, neque se mente perturba„ tum

Ad remorandos progressus Evangelii aptissimi ab Inquisitoribus existimabantur Monachi, eo quod his ex mendicandi libertate omnium

„ tum esse, ulloque humore fantastico correptum ut insaniret, sed puram veritatem Dei, sanctumque Domini nostri Jesu Christi verbum et doctrinam Salutarem, de qua quidem quum singula capita proponeret, simul etiam statim gravissima Scripturae testimonia afferebat, quibus orationem suam probabat, et confirmabat testificans invicta quadam constantia se multo malle mortem subire quam Jesum Christum unicum Salvatorem nostrum atque redemtorem mundi cujus causam et doctrinam tueretur, quam denique perfidia sua veritatem Evangelii proderet, et causam eam, quam Deus ipsi commiserat et commendarat, ut eam usque ad mortem tutaretur. Postremo quum is diu cum Doctoribus hujus urbis, Monachis ac Sacerdotibus disputasset, caeterisque multis qui ad eum accedebant alii ut illum ab ea sententia deducerent, alii vero misericordia quadam moti, quod eum hominem plane bonum atque integrum cognoverant; omnes summo consensu simul eum audierunt, quem cum rogassent ut eam opinionem deponeret, civitatem etiam ei promiserunt, ac detulerunt, cum hujusmodi commodorum provisione, quam ille posset expetere. Sed quum viderunt se nihil posse ab eo obtinere, paullo post alium nuntium miserunt, eum nisi susceptam opinionem et sententiam deponeret, poenam mortis perpessurum: Ad quod nuntium ille laetissimo animo respondit, id quidem unum esse quod omnium maxime expeteret, neque aliud eo jucundius nuntium afferri posse. Interea dum haec aguntur litterae veniunt a Senatu Mediolanensi, cum hujusmodi mandato ut Franciscus Gamba morere-tur, igneque vivus cremaretur: Sed quum judices jam in eo essent ut conficerent illud mandatum, eaque poena Franciscum afficerent, aliae litterae Genua sunt allatae commendaticiae, quas Legatus Imperatoris, multique nobiles Mediolanenses scripserunt; itaque comitutio, executioque supplicii in aliquot dies dilata est: quo quidem toto tempore frater tuus in proposito suo firmus permanserat. Neque diu post aliae litterae mortis ejus nuntiae allatae fuerunt: itaque ex ea arce in qua ut tu scis captivus tenebatur, eductus est, perductusque ad eum Magistratum quem Potentatum vocant, qui in ea urbe est judex causarum tam capitalium, ibique hujusmodi Sententia lata est, eum nisi ad se rediret, opinionemque deponeret, jam codemnatum esse ut summo supplicio afficeretur, tum ille ostendens se magnopere laetum, et mirifice quadam consolatione affectum, modestissime gratias egit Potentatui, pro eo nuntio quod ei allatum fuerat. Is tamen Magistratus tum mea causa, tum etiam quod a quibusdam aliis nobilibus rogatus esset Franciscum in carcere incolumem ea adhuc hebdomada conservavit, quo quidem tempore, is summa libertate et audacia cum omnibus disputabat, permultas afferens semper rationes atque authoritates ex Scriptura S. quibus quod tuebatur confirmaret, ita ut animus ejus magis magisque augeretur, ejusque constan-

„ tia

aedes perreptare, et linguae licentia intenſiſſimum odium in reformatae fidei addictos, qua privatis colloquiis, qua publicis declamationibus inſtil-

» tia eo major indies perſpiceretur, quo longior ei vita concedebatur. Poſtremo judex eum accerſivit, eique dixit ipſum poſtridie aut certe perendie mori » oportere, ex eo mandato, quod a Senatu Mediolanenſi acceperat. Ille vero » idem quod antea reſpondit: ſibi quidem id nuntium gratiſſimum ac jucundiſ- » ſimum accidere. At cum Judex illum iterum rogaſſet, pluribusque monuiſſet, » ſi ea quae dixerat retractare vellet, id quidem certe quod de Sacramento » Miſſae dicere auſus erat, id quod ei eſſet delatum ac promiſſum plane futu- » rum. Ille hujusmodi promiſſa plane nihil curabat, nec pluris ea quam leviſ- » ſimum venti flatum faciebat, ſaepe etiam dicebat: ea commoda, quae ſibi » ab illis proponerentur, nullo modo eſſe comparanda cum illis bonis, quae » certus etat, a Domino ſe accepturum, cujusmodi eſt corona immortalitatis, » vitaque aeterna, omnibus pie Deum colentibus promiſſa et conſtituta. » Neque vero animi magnitudinem unquam abjecit aut infregit, tametſi ab » hoſtibus veritatis ad eum labefactandum ac plane debilitandum multa ei » gravia proponerentur, quin potius cernere quisque poterat conſtantiam illius » ac virtutem in horas ſingulas majorem fieri, eaque ab illo dici, quae omnes » qui audiebant, magnopere admirarentur. Itaque Magiſtratus cum videret » eum ita effectum et confirmatum, conſtituit ut poſtridie moreretur: quod ille » quum intellexiſſet, finemque vitae ſuae jam appropinquare cognoviſſet, me ad » ſe accerſivit, ut ipſe mecum loqueretur. Inter multa alia magno ſtudio ro- » gavit me, ut de tota ſua re et cauſa, quis exitus ejus fuiſſet, ad Te ſcribe- » rem, teque rogarem tum honoris Dei cauſa, tum etiam ejus amoris ac bene- » volentiae, quam erga ſe haberes, ut nullam moleſtiam, doloremque ex morte » ſua caperes, quum eam quidem propter Jeſum Chriſtum perlubenter patere- » tur. Incredibilem quandam in animo ſuo ſentiens conſolationem et laeti- » tiam, recognoſcensque tantam Dei gratiam, qua ab eo electus fuiſſet et voca- » tus ad opprobria mundi, crudelemque mortem perferendam ut cauſam filii » ejus Jeſu Chriſti tueretur, qui vitae propriae non peperit, ut ſalutem omni- » bus fidelibus afferret. Poſtremo ſe tibi Sorores ſuas et tuas, neptesque » commendare, ac Deum orare ut vos in optima pace amicitiaque conſervet, » eamque gratiam impertiat, ut totam vitam veſtram ad ipſius cultum conſe- » crare ac conferre poſſitis. Poſtero die mane carnifex, qui natione erat » Germanus, ad eum acceſſit, ut eum admoneret de ſupplicio, quod ipſe eo » die erat exſecuturus, utque ſibi ob eam rem ignoſceret; cui frater tuus » reſpondit, ne vereretur audaciter facere, quod ei injunctum erat: Se quidem » non ſolum ei ex animo ignoſcere, verum etiam Deum orare, ut pro ſua gra- » tia ipſum illuminaret, atque ad cognitionem ſalutis ſuae adduceret. Addidit » etiam ſe ſi pecuniam habuiſſet, illi daturum fuiſſe. Deinde ad Potentatum » adductus eſt. Ab eo iterum rogatus, ut quae dixerat, retractaret, atque

» opinio-

instillare liceret. Immittebantur proinde in Vallem Tellinam, Clavennaeque Comitatum hominum ejus generis turmae, inter quos etiam

 plures

„ opinionem deponeret: se ille non plus quam antea quicquam eorum voluit „ facere. Itaque Judex cum eum orasset, ne id quod faceret, alienum ei vide„ retur, declaravit ei se summa necessitate, atque authoritate Dominorum ad„ duci, ut eum morte mulctaret. Tum Franciscus modestissimis verbis ei gra„ tias egit, ac dixit se animo magnopere dolere, quod illi quid facerent, plane „ nescirent, Deumque orare ut suam misericordiam eis impertiret. Simul atque „ campana significationem supplicii futuri dedit, duo paria Monachorum pro„ dierunt, ex eorum genere ac ordine, qui Capuccini appellantur. Veniebant „ autem eo animo, ut ejus confessionem audirent ac prima fronte eum monue„ runt, ne molestiam aliquam, moeroremque animo acciperet. Sed eis ille pla„ ne respondit, sibi eorum comitatum nullo modo esse necessarium, monuitque „ ut se ad se reciperent. Caeterum fraterculi, ut mos ipsorum est, habebant „ crucem in manu, eamque ostendebant, ut memoriam crucis Christi illi reno„ varent. Sed Franciscus ajebat: Jesum Christum optime in corde suo esse „ impressum, ejusque mortis memoriam plane infixam, cujus virtutem sentiebat. „ Quumque illi iterum dixissent, eum nisi in crucem respiceret, in desperatio„ nem delapsurum, quum tormenta ignis sentiret, respondit: cor suum ea „ consolatione ac laetitia perfusum esse, ut jam gaudio quodam, quod omnem „ sensum intellectumque humanum superaret, frueretur. Quod vero ad cru„ ciatum adtinet, quem in corpore suo sensurus esset, eum subito transiturum, „ animam vero suam participem futuram beatitudinis coelestis, in illa Societate „ beatorum Spirituum, atque Angelorum, cum quibus perfrueretur in perpetuum „ iis bonis, quae Deus filiis suis comparavit, quae neque oculi hominum un„ quam viderunt, neque aures eorum audierunt. Postea cum haec et alia „ hujusmodi singularis consolationis plenissima dixisset, ut ei adimeretur omnis „ loquendi facultas, neque amplius ab iis, qui aderant intelligeretur, lingua ei „ est perforata, ipse deinde ductus ad locum supplicio constitutum. Ibi po„ sitis in terra genibus, oculisque in coelum sublatis, Deum orabat tanto animi „ ardore ut omnes admirarentur, deinde quum surrexisset, ita se ad supplicium „ composuit, atque accinxit, ut carnifex postulabat, statimque laqueo vitam fini„ vit. Nam quamvis condemnatus esset, ut vivus combureretur, ei tamen „ ea gratia impertita fuit ut sine magno languore, doloreque moreretur. Nemo „ quidem eorum qui ibi adfuerant, ejusque constantiam, summamque animi „ aequitatem spectarunt, fuit, qui non ita admiraretur, ut attonitus plane, in„ certusque quid ageret, exsisteret: neque aliud dicere poterant quam optimum, „ innocentissimumque hominem, ac verum Jesu Christi Martyrem ac testem ab „ illis necatum esse. Atque ille quidem pius Vir, multa alia sanctissime est „ locutus, cum eo tempore quo fuit in carcere, tum etiam quum ei jam mori„ endum esset. Quae quidem digna sunt, quae ad omnium cognitionem per-

„ veni-

plures Capucini erant, pulli ovo recens excluſi, qui inſtitutum ſuum Zelo flagrantiore Beatiſſimo Patri commendare adnitebantur. Hi in omni-

„ venirent: Sed Ego ea non poſſum ad Te hoc tempore ſcribere, ac vereor „ ne paullo longior fuerim. Hoc ſolum addam, quod ille fecit, quum jam „ Spiritum redditurus eſſet. Nam quum Ego ſeorſum eſſem, poſt multitudi- „ nem 4000. hominum, oculos ſatis procul in me conjecit, manuque dextera, „ quae non erat ligata ſignum dedit, quo Ego admonitus ad Te ſcriberem, et „ ea quae promiſeram praeſtarem: et mox caput inclinans Deo Spiritum „ reddidit die XXI. menſis Julii MDLIV. Scriptum Comi XXIX. Julii, „ MDLIV. „

Iſtis adjicienda puto ea quae ſuper GAMBAE ſupplicium animoſe, ut ſolet „ Vergerius in lib. de Idolo Lauretano, quod extat opp. fol. 346. 347. ſcripſit „ ubi ſic. „ Putant, nec male quidem mea ſententia, oportere eum, qui „ velit recte, proprie, et cum dignitate et laude, italica lingua uti, verſari „ in illis tribus auctoribus (DANTE, PETRARCHA et BOCCATIO) et ab eo- „ rum imitatione non diſcedere, miſſos autem facere alios, neſcio quos poſte- „ riores, qui aliam orthographiam, aliam quandam Grammaticam, aliosque mo- „ dos dicendi barbaros et ineptos voluerunt docere. Itaque eadem prorſus „ ratione deberent ſibi perſuadere, oportere eum qui velit chriſtiane, pie, et „ ſancte vitam inſtituere in ipſis fontibus Evangelii verſari, et in ipſa Chriſti „ imitatione, miſſos autem facere poſteriores quosdam vere barbaros et impu- „ ros tuos Auctores, qui novam et diverſam ab ea, quam Chriſtus tradidit, „ doctrinam, cerimonias, et ritus ſomniarunt; et docuerunt. Hic, hic eſt „ ſtatus celeberrimae cauſae, quae hac aetate de religione controvertitur; reti- „ nemus enim magna conſtantia in noſtris Eccleſiis prorſus omnia vetera illa „ fundamenta, quae Apoſtoli docuerunt, ea ſcilicet quae ſunt in Symbolis Apo- „ ſtolorum, Nicaeni Concilii, et Athanaſii comprehenſa. Te vero Papatum „ hoc nomine reprehendimus, quod plurima dogmata et ſomnia aut deliria „ quaedam invexiſti, quae ex diametro pugnant cum doctrina Prophetarum „ Chriſti, et Apoſtolorum, et Dei gloriam vehementiſſime obſcurant. Et ſiqui- „ dem hoc tam magnum ſcelus et nefandum Sacrilegium patraſſes, nonne „ digniſſimus eſſes, qui ab omnium hominum et nationum linguis et calamis „ exagitareris? Si vero dixeris non commiſi hoc tantum crimen, cur ergo „ refugis liberum Concilium? Cur negaſti audientiam legatis aliquorum Princi- „ pum Germaniae, qui erant Tridentum miſſi? Cur non pateris rem ventilari, „ atque Tuos ritus, et doctrinas ad normam Evangelii exigi? Cur prohibes „ tanta crudelitate, ne quis legat noſtros libros, in quibus exactae ſunt tuae „ doctrinae ad illum veluti lydium lapidem? Cur in carcerem conjicis? Cur in „ exſilium mittis? Cur ad remos relegas? imo cur interficis et exuris eos, „ qui cupiunt tua dogmata ad normam illam ſacroſanctam Evangelii exacta? „ Quid?

omnibus suis concionibus non nisi haereticos crepabant, quos diabolo ipso foediores depingebant, impudentissima quaevis mendacia illis affingentes. Ea docendi methodo suos in sententia obstinatos reddebant, sed et simul contentiosos et adversum Evangelicos concives tantum non furibundos. Intolerandae erant Ministris calumniae, quibus Reformata doctrina ab illis apud populum gravabatur; fiebant protestationes in contrarium, ad rationem dictorum reddendam, ad publicam disputationem Monachi provocabantur. Sed Monachi ex Valle Tellina non egrediebantur: Ministris non tutum erat intrare, neque adeo erat tutum cum victoria veritatem defendere. Cane itaque pejus et angue Monachi cavebant Ministros, vitabant sedulo loca in quibus ad reddendam dictorum rationem cogi poterant. Cujus quidem facti rationes habebant sufficientes. Interea obtigit ea aetate quendam cucullatorum illius generis in Oengádina modestius quam pro more concionatum esse, sed reddere dictorum rationem jussus, in eas angustias conjectus fuit, ut falsa locutum se esse aperte fateri coactus fuerit. En Gallicium rem ut gesta fuit referentem. Is ita ad Bull. d. 5. Febr. MDLV. „In Valle Tellina radices agit Evangelium, et in aliis qui„busdam regionum nostrarum locis expetitur recipiturque Christus „plus quam unquam antea; etiamsi impurtune satis nostratium etiam „quidam obstrepant: Sed tanquam vasa figuli confringes eos. Ecce „vero quid audeat et tentet Romana iniquitas. Missus Roma huc „est Inquisitor Monachus quidam. Is apud Episcopum nostrum --- „nunc aliquot hebdomadas fuit. Magna sibi promittebant ab eo; „nobis extrema omnia minitari. Nos petere ut liceret nobis cum „illo

„Quid enim aliud dicebat se optare et petere ille sanctus Martyr Jesu Christi; „FRANCISCUS GAMBUS Brixiensis, quem Tu vix ante mensem novo atque „inaudito quodam crudelitatis genere mactasti Comi, cum perpetua ejus civi„tatis (alioquin bonae et non mediocris nominis) infamia? Neque enim satis „putasti si vel laqueo gulam fregisses, vel caput truncasses, aut exussisses, sed „omnia simul haec tria supplicia crudelissime in unum hominem cumulasti. „Utinam omnia haec, utinam isti tui, quos nominavi, ingenio, eloquentia, „et eruditione insignes, diligenter aliquando expenderent, neque ita semper „ex Te penderent, et in humanis atque Ethnicis Autoribus versarentur, sed se „ad divinos aliquando, ad sacra scilicet Biblia converterent, et Spiritum „Sanctum loquentem vellent audire. Sed ad institutum redeo.„ Haec Vergerius.

„ illo verbum unum aut alterum facere: Impetrare non quivimus. „ Servari Monachus videbatur ad alia multo majora nescio quae. Tan„ dem Foederum nostrorum magno mirandoque consensu coactus est „ Episcopus illum ablegare cito. . . Addidit illi comites itineris, du„ cemque suum Capitaneum arcis Fürstenburg. . . Pervenit Mona„ chus in Ingadinam, concionatus ibi est: Missam esse a Christo et „ Apostolis institutam, et alia istiusmodi multa, quae Ego Tibi scribe„ rem, si non scirem notam esse Tibi corvorum crocitationem. Fra„ tres agere contra Monachum. Breviter, congregatur judicium: „ disputatur. Traversus noster coram omnibus disputando Monachum „ eo redegit ut fateretur missam istam non esse institutam a Christo „ nec ab Apostolis, nec usquam inveniri in sanctioribus Scripturis „ Evangelistarum et Apostolorum, sed esse institutam a Consiliis et „ aliis sanctis Viris approbatam, observatamque a patribus: ob id se „ credere quod sit bona. Quod et ipsum expugnatum est a Traverso. „ Fratres accepta confessione Monachi, illa contenti fuerunt, Mona„ chumque passi sunt abire. Papistae indignati Monacho quod „ fassus esset illud. Sic miser excucullatus, neque hic quidquam suo „ Pontifici et Episcopo est lucratus, sed exsibilatus est, irrisusque et „ a judicio jussus recedere de terra sua. „

Dici non potest quanta impudentia thrasones illi in Evangelicorum personas juxta ac doctrinam, nullo denique respectu habito in ipsos Dominantes legitimum Magistratum debacchati fuerint. In feriis Paschalibus Anni MDLVI. ex illorum hominum genere Monachus quidam, Dominicanus, ANGELUS Cremonensis nomine, Tilii, declamationibus suis non erubuit, Evangelicos ad disputandum provocare, offerreque se ad evincendum scripturis sanctis *omnes qui Missam nolint, diabolicissimos (ipsa illius adduco verba) esse haereticos, et mulieres eorum qui missam aliquam non celebrarint non posse legitimas esse uxores, sed deteriores esse, turpioresque quibusvis scortis*; et alia ejus generis plura, quorum facile caput erat *quod Proceres trium Foederum, haereticos audiant concionatores.* Haec erant conciones paschales Doctorum, quos Cardinales et Inquisitores ad conservationem sanctae fidei, et conversionem haereticorum in haec loca emittebant, insulsas oppido et succo carentes. Per eam tamen declamationem populus ignarus in eum furorem

furorem actus fuit, ut Templo egressus in obvios quosvis Evangelicos irruerit, et quos potuerit, vel pugnis vel verberibus male multavertit. PAULLUS GADDIUS Evangelici inibi coetus Pastor, et honesti quidam Viri Pesclavienses armis atque lapidibus praeeuntibus Monachis et Sacerdotibus, petiti, populi furororem vix evaserunt; quidam Tilienses Evangelici qui Gaddium protegere voluerunt, ipsi gravissime vulnerati fuere. h) Acerbi hi erant fructus Apostolici Zeli in emissariis illis; optabantque ipsi acerbiores catholici, Praecones suos non evadere seditionum tubas et caedium incentores, quales jam factos acta monstrabant. Praevidebant boni tumultu relicto inulto, brevi nullum fore in Valle Tellina locum, in quo religionis causa non strepant cuncta tumultibus, ex quibus caedes, omnium denique lerna malorum; igitur mense Aprili Anni praefati abs ANDREA POZZALIO de OVADRIO Locumtenente, Sondrium in domum Regiminis officii MARTINO CABALZARO Capitaneo, viro alias prudente, at sacris Romanensibus ad superstitionem addicto, generale universitatis totius Vallis Tellinae consilium convocatum fuit. In eo deliberatum: duobus ex singulis Terzieriis auctoritate et dexteritate valentibus viris puta PETRO ANGELO et NICOLAO de LAMBERTENGIS, AZZONI BESTA, BLASIO PLATTO, CAMILLO BECCARIA, Doct. JO. MARIA GUICCIARDO, D. FRANC. de CASTELLO, D. ANDR. SCHENARDO, et PROSP. PARAVICINO, committere procurandum ut tumultus rixave superioribus diebus in Communitate Tillii exorta, mitigetur, componatur, et extra omnem contentionem perducatur; ad providendum opportunis remediis, ne occasione fidei Christianae amplius arma producantur, et tales contentiones oriantur, qualis Tilii facta est; denique ad supplicandum coram Dominis Raetis obtinendumque quod nullus Praedicator in singula Communitate dictae Vallis Tellinae vocatus ab hominibus cujuscunque Communitatis, seu a majore parte ipsius Communitatis, impediatur aut molestetur quocunque modo, tam in praedicatione, quam aliter quocumque tempore: quin imo ne ullus alius Praedicator sive

h) Calandrin Resp. ad Paroch. Voltur. Script. Part. II. Cap. IV. Disp. Tiran. pag. 75.

sive quaevis alia persona, in aliqua domo vel aliis locis cujuslibet Communitatis dictae Vallis Tellinae ausus praedicare valeat, neque scholas sive grammaticales sive aliter tenere, citra voluntatem majoris partis cujuslibet communitatis, ut supra, sub poena prout antenominatis Dominis deputatis placuerit. i) Dicti delegati convenerunt in domo regiminis officii Sondrii, die XX. Maji MDLVI. In hoc conventu ipsius Capitanei Vallis auspiciis habito, consilia capta sunt generatim quidem de provisione (verbis eorum utor) adhibenda ne Lutherani impedire habeant nec possint praedicatores Evangelii Christi, (id erat exteros Monachos illos,) maxime Reverendum D. Fratrem ANGELUM DE CREMONA in continuatione praedicandi; tum de modo tumultum Tilii factum sedandi ac componendi; de eo denique stabiliendo ne una pars cujuslibet Communitatis Vallis Tellinae habeat potestatem aliquid circa sanctam fidem statuendi, citra voluntatem majoris partis cujuslibet Communitatis: adque d intentum assequendum concluſum fuit ut cum Reverendi J. V. D. Domini MARCI ANTONII QUADRII de Ponte et Artium ac Med. Doct. D. FRANC. PARAVICINI consensu, ex quovis Tertiario bini rerum agendarum periti, simul et opibus valentes viri ad instans Dominorum Raetorum Beytagium seu Comitia mittantur, quibus ad Vallis impensas etiam Dominus MARTINUS de CABALSARO et J. V. D. JOANNES PLANTA, (idem qui Dominus Raetiensis) adjungatur, qui cum amicis aut quibus expediens videbitur, et quam secreto fieri poterit, agant ne per factum Tilii tumultum, quodpiam religio Catholica detrimentum capiat. k)

Oratores Reipublicae exeunte Majo mense accepta eorum quae Tilii evenerant certa notitia, doluerunt Ecclesiam simul ac pacem ab iis turbari qui nulli ad suos pertinent, pacis autem nihilominus praecones esse deberent. Interim vero ob efficacem Agentium Vallis procurationem, nihil in Monachos extraneos, nihilque in fratrem ANGELUM durius decreverunt: Solummodo hunc tumultus auctorem ad se ad causam dicendam evocarunt; quam in rem ad comparendum ipsi usque

i) Consil. Vall. Anni 1556. Kal. April. item alio die XV. April.

k) Consil. Vall. A. 1556. d. XX. Maji.

usque ad D. Joannis diem, tempus sufficiens praefixerunt: ea enim tempestate Reipublicae Senatores rursus conventuri erant. Necessarium id judicavit Amplissimus ille confessus; eo quod dissimulata injuria adeo atroci verendum erat ne Monachi in incoepto pergerent, et novis spiritibus eandem cantilenam canere continuarent. Caeterum omnibus persuasum erat Monachum illum ad dictum tempus adventaturum, stipatum aliquot suae farinae hominibus, cucullatis nempe callidissimis: ex Episcopi enim Curiensis verbis certum habebatur, illum a Cardinalium uno missum fuisse. 1) PHILIPPUS GALLITIUS intelligens Monachum a Senatu ad reddendam dictorum rationem evocatum esse,

1) Gallic. ad Bull. XI. Maji 1556. Tuae Humanitatis litteras de Cantuariensi Archi-Episcopo, ac Traversis etiam salutandis accepi. Eas de Traverso Seniori transmisi, sciens me rem gratam illi facere senio gravato: licet enim domi et in pago suo satis exequatur quae sunt necessaria, alio tamen non progreditur, aut perraro. Comander noster nunc satis valet etiamsi non illis viribus, quibus ante menses aliquot. Suggestum tamen solito sibi more conscendit. In Foederibus nostris Ecclesiae in fidei professione perstant: numerus quoque Christo nomina dantium indies crescit, gratiae Deo. Quanta fuerit seditio in feriis Paschalibus in Valle Tellina jam dudum cognovisti per ipsos Italos qui scripserunt istuc. Monachus quo instigante motae sunt turbae illae obtulit se ad disputandum, scripturisque sacris evincendum omnes qui Missam nolint esse diabolicissimos haereticos, et mulieres eorum qui missam aliquam non celebrarint, non posse legitimas esse uxores, sed deteriores, turpioresque quibusvis scortis: item alia quaedam ejusmodi, maxime omnium quod III. Foedd. haereticos audiant concionatores. Foedera nostra his diebus congregata miserunt administratoribus quos habemus in Valle Tellina ut Monachum huc Curiam, inquam, adducant, rationem Sermonum suorum redditurum. Tempus denunciatum Curienses nundinae: denunciatumque ad idem tempus *ein Beytag*. Ego credo Monachum venturum stipatum aliis suae farinae hominibus, cucullatis inquam aliquot callidissimis: Dixit enim mihi Episcopus noster missum illum esse a Cardinali nescio quo. Quidam credere nolunt eum venturum huc, sed fuga sibi illum consulturum. Homines divites spoponderunt pro eo disputaturum illum. Si venerit, erit quod agamus. Fratres qui in Valle Tellina ordinaverant Legatum ad Clariss. Senatum Vestrum impetratum ut rogaret nostra Foedera pro se. Ego disuasi, justique nuntium resistere et quietum esse: Tiguri nos satis esse oneratos invidia, statimque ut illi scripserunt fore ut rogati scribant in contrarium, et quinque pagos Dominis nostratibus non arridere si senserint aliunde quaeri auxilium, cum nondum tanta sit necessitas, ita ut rem ad Te deferam. Tu more tuo scribe ad me libere de hac re. Scias hoc negocium agi magna cura, et tamen nescius.

ſtatim Ampliſs. illum confeſſum adiit inſtans ut ſalvus illi conductus praevie denunciaretur, ne ſcil. quod emanendi effugium obtenderetur, denique ut ſibi cum illo diſputare liceret. Reſpondit confeſſus: „ Omnino credere ſe quod Monachus ad cauſam dicendam acceſſurus „ ſit, eique fini tempus ad diem usque Divo Joanni ſacram ſtatutum „ eſſe: intra quod ſi adventaverit abunde occaſionem fore cuicunque „ libuerit cum eo conferendi diſputandive, quum ſpes ſit illum ſpar- „ tam non detrectaturum qui toties tam liberaliter ad diſputandum ſe „ obtulerit. „ Eo vero in caſu nil aliud ſui officii fore, quam providere ut omnia ex decoro peragantur, nec cuiquam ex ulla parte injuria fiat. Minus placebat id reſponſum Agentibus fratris ANGELI viris ex ſuis ſpectatiſſimis: deſideraviſſent enim ut non alibi, ſed in ſola Valle Tellina diſputatio cum Monacho fieri permitteretur; tum ob terrae ſitum, qui multum quantum ad pondus cauſae allaturus erat, tum in ipſius fratris Angeli conſiderationem, qui praeter thraſonicam impudentiam in pharetra nihil poſſidere, et vel Monacho indoctior eſſe dignoſcebatur. Igitur quando ſcopo ſe excidiſſe viderunt, et negare non poſſent tumultum per ſeditioſas Monachi conciones excitatum fuiſſe, in exſules italos nuperos doctrinae Evangelicae in Valle Tellina Praedicantes tela converterunt, clamantes Transfugas illos omnis mali ac turbarum cauſam eſſe, qui intempeſtivo Zelo homines a ſanctae fidei communione abducant; neque citius fore pacem quam quotquot illi forent, ex Valle Tellina decedere jubeantur. m) Auditus tunc in privatis

m) Gallic. ad Bulling. d. 8. Jun. 1556. Quid autem ſit his nundinis paucis accipe. *Der Münch von dem Ich Ewer Ehrwirdi geſchriben hab, er ſoll jetz dieſen Markt hier zu diſputiren ſeyn, iſt nicht kommen, ſondern hin und weggangen mögend nicht wiſſen wohin. Es ſeynd wohl die Fürnemſten im Veltlin herkommen, hand für Ihn gehandlet vor unſern Herren den dreyen Pündten. Sie hand ſtets begehrt man ſölle mit dem München im Veltlin diſputiren: VVir aber hand vermeint er ſölle harkommen. Alſo hand unſer Herren obgemeldt angeſehen er ſölle noch heut bey Tag her gen Chur kommen von hinnen bis z' Sant Johannstag, und wo man in der Zeit ankommen mag, und er ſelbs nit kommen wöllte, ſöllend die Poteſtat zu Ihm greiffen und Ihn herführen. Könne er aber nit in der Zeit, ſölle Ihm hinfürter verbotten ſeyn der Pündten Land, und ſich nimmermehr befinden laſſen in der III. Pündt. VVo er ſich aber finden ließ in unſeren Bieten ſölle man Ihn gefänglich annehmen und hieher gen Chur führen. Die für Ihn* geredt,

vatis Sermonibus JOANNES PLANTA (illorum procurator) fuit dixisse: *Citius non fore Reip. pacem quam Evangelium illud Diaboli* (quelus

geredt, hand Ihm sicher Glait begehrt Ihm und anderen Doctoribus, die er mit Ihm aus Italia bringen werde. VVir sind auch für d'Herrn gangen, und hand drungentlich betten das man Ihnen glout zusage. Unsere Herren aber hand beschlossen und geantwurt: VVie er sich erbotten hat z' disputiren solle er kommen, und mit Ihm wer da wolle disputiren wöllend Sie das keinem Gewalt oder Unrecht beschehe; haltend und schaffend er solle sich solches Zusagens genügen. Hieruff wissend VVir nit ob er kommen werde oder nit: müssend also warten bis Sanct Johannstag. Ich mag nicht glauben das er herkomme, dan Sie sagen er seye sonst indoctior Monacho, *aber überaus frech und unverschamt wie ein Münch seyn soll. Darnach hand die Reichsten im Veltlin vielfaltig gehandlet vor den Herrn das man die talischen Predicanten us dem Veltlin verjage. VVir aber hand d'Sach erobret, und erlangt das Sie noch bleiben mögen. Sich aber VVie bschisst der Teuffel sich selbst. Er hat alles versucht das er die Evangelischen aus dem Veltlin bringe, und hat aber gmacht als Ich hoff das kein Münch mehr in das Veltlin kommen werde. Ich mag mich nicht überheben, muss Euch dies auch schreiben das mir gester ehrwirdig Leut erzehlt hand, dermassen das Ihr's glauben kondt. Es ist im Veltlin ein Sect, fast wie die VViedertäufer, doch seynd sie Bäpstler werdent genant Gaisler, dan sie sich selber gaisslend und schlahend: hand unter Ihnen diese Regel das Sie niemanden beichten sollend alles dass sy thuind und gedenken das sie gern thun wollind. Ihr Prior ist ein Doctor der Rechten sonst ein kybigs Männli, wie Ich mehrmalen mit Ihm redend befunden han. Dieser Ober und Prior hat Ihnen Beicht gehört: und ist also kein Knecht, den er im Haus bey Ihm hat, für Ihn auch kommen und hat gebeichtet, denn er auch des Glaubens und Ordens ist. VVie er nun gebeichtet, hat Ihm der Beichtvatter gseit: du hast beichtet und nur gseit was du thon heigest mit den VVerken; must aber auch sagen was du sinnest. Der Beichtvatter hat Ihn beschworen bey GOtt und ihrer Regel er solle sagen. Da hat dieser als einer der die Regel wohl halten wollen, gseit: Ehrwirdiger Vatter und Herr: Ich sinne offt wie Ich gern wollte by eüwerer Frau liegen. Do hat der Beichtvatter leid darob gethon, und den Knecht des Tags aus dem Haus thon. Vergehe mir Eüwer Ehrwirdi das Ich solches mit Euch rede, jedoch muss man wissen* quomodo mentiatur iniquitas sibi.

Vernemmend auch dass die fünff Ort hand unsern Herren ein Brief zugeschriben allen III. Pündten und betten das Sie keinen Locarner in den Pündten wohnen lassend; wo sie aber thun welttend, sollend Wir Sie wissen lassen, wenn ein Pundtag werde, wollend sie selber kommen für all III. Pündt und

das

Evangeli dalus Diawel) *exterminatum fuerit*, quo Epitheto confessionem Reformatorum designare fere assueverat. nn) Auctores igitur illi oratorum consessui erant, ut si Subditorum cuperent salutem, illos novos ex Italia adlatos Praedicantes ad sua amandent, si inquam, malorum finem videre velint. At graviora visa Proceribus sunt Decreta in eam rem facta quam ut uno halitu possint difflari, saepius a Communitatibus sancita et roborata: e contra in causa ANGELI statutum est, ut si sponte venire ad causam dicendam detrectaverit, officialium S. Praetorum sit, illum in custodiam acceptum ad se Curiam dimittere. Id Senatus consultum intelligens frater Praedicator, absque mora *'aphantus* disparuit; nec cuiquam cum illo disputandi copia fuit. Justitiae nimirum consona erat ea Illustris consessus deliberatio, quam ut Agentes Romanensium de injuria ausi fuissent conqueri: nihilominus post elapsum Monachum apud Proceres institerunt ut PAULLUS quoque GADDIUS ablegaretur, idque in bonum pacis; dum interea penes suos staret in ipsius locum, alium quem velint Ministrum surrogare, verecundiae nempe ita suae consulebant ex oculis removendo, quem male laeserant, et Monachi famae, quasi solus causa tumultus non fuerit, quum eadem poena Monachum juxta ac Praedicantem manserit. Obnitebatur huic adtentato GADDIUS vehementissime, inclamans juri stare se velle, et vadimonium offerens: intercedebat etiam pro ipso Ecclesia Tiliensis, quae egregii viri opera privari dolebat. n) Quid actum

das begehren. Anderst wais Ich dismal nüt zu schreiben. GOtt erhalte Euwer Wirdi, all gelehrt fromm Männer bey Euch, und euwer Herren und Landschafft, und gebe einen Hertz und Freudigkeit in seinem Sohn Jesu Christo. Amen. Ex Curia, die 8. Juni. 1556. Tuae Humanitatis totus.

PHIL. GALLICIUS.

nn) Conf. Campel. Cap. LXXII. pag. 1499.

n) Ad Frid. a Salice. Magnifico Sr. Federico. Perchè sappiamo per viva isperienza quanto V. S. è affezionata alla religion cristiana ed all' accrescimento del Santo Vangelo abbian fatto ricorso da lei, acciò se in questa Dieta si trattasse qualche cosa contro all' Evangelio, che con ogni sollecitudine la non voglia mancar d'aver gli occhi aperti, e massime in questo punto per il qual principalmente la Chiesa nostra si è mossa a scriverle; che abbiamo inteso, che per pratica

actum sit certum non habeo: videntur autem Domini Raeti majorem publicae pacis, quam unius illius Ecclesiae aedificationis rationem habuisse;

pratica di due di questa nostra terra, de'quali molto bene V. S. si può immaginar chi siano, attendono astutamente di voler far persuader ai Magnifici Signori che sarebbe bene, per maggior pace di questa terra, che le loro Signorie facessero torre di Teglio il nostro Ministro, e che facessero poi venirle un altro chi a loro piacesse, che di questo non si curano, nè voglion contradir alle loro ordinazioni. Ma Signor Federico, perchè questa è una nequizia di due o tre, che per questa via si persuadono di tor il Ministerio della parola di Teglio, preghiamo V. S. che voglia star su gli avvisi, e risponder per noi, che oltre che noi non vogliamo altro Ministro, da questo, che Iddio n'ha dato, che si offeriamo poi con ciò, che abbiamo al mondo dinanzi alle loro Magnifiche Signorie che in esso Ministro non v' hanno causa alcuna al tutto, se non un puro odio dell' Evangelio, che gli muove, e per mostrar al popolo di Tei, che sono uomini, che ponno appresso ai Magnifici Signori e che se gli hanno mandato via il suo frate Angelo, che anche loro sono uomini da mandarle via il Predicante; qui sta il punto. V. S. dunque insinuerà bisognando ai Magnifici Signori la verità e noi resteremo con perpetuo obbligo, non senza memoria delle sue fatiche. Alle buona grazia sua ci raccomandiamo. Di Tei il 2. di Novembre del LVI. Di V. S. Servitore

PIETRO GUICCIARDI
in nome della Chiesa nostra.

Paullus Gaddius, ad Th. della Chiesa delegatum ad Comitia: „Non posso „ scriver fusamente a Mr. Filippo Gallizio le cose nostre in che stato elle „ sono; perchè son stato con lui brieve. Solo gli scrivo due parole, dicen„ dogli che i capi delle cose che importano, e che potrebbon dagli avversa„ rj ai Magnifici Signori toccato a voi gli ho imposti, acciocchè sia per voi in„ formato pienamente. Però voglio darle qui alligata 1. la supplica della nostra „ Chiesa. 2. dir a Messer Filippo che stia all' erta, se vedesse che fosse „ tentato di levar i Ministri di Valtellina. Item, che qui particolarmente al„ cuni non ponno patir, che vedendo, che sia andato via Frate Angelo, e „ che io sia restato, cercano di far dai Signori mi mandano via anco, ma con „ pretesto astuto, cioè, con dir, che sarebbe ben fatto per la pace pubblica di „ questa terra, che le loro Signorie mi togliessero di qua, e che gli mandas„ sero poi chi piace alle loro Signorie, e perchè i Signori non avveduti „ forse della nequizia di costoro, facilmente con questo pretesto, che ha un „ poco d'apparenza, gli potrebbero assentire: Però da Monsignor Filippo, acciò „ si opponga dicendo che la predetta Chiesa dice non voler altro ma che più „ importa fargli vedere che tutto questo sono bugie, perchè in me non vi è „ causa alcuna, e che si offeriscono questi gentiluomini e fedali, che mi hanno

„ per

buisse; litteras namque Gaddii habeo manu sub illius anni finem ad Bulling. Clavennae scriptas, quibus se apud Maynardum habitare testatur; indicio (ni fallor) certo votum partis Romanensis adimpletum fuisse.

Quod autem Monachi inter Raetos perficere non poterant, tanto accuratius extra ditionis Raeticae limites exsequebantur, quando Raetorum aliquem ab eorum sacris aversum explorare aut intercipere contingebat. Sensere post Fr. Angeli excessum illorum sacras iras dicto Anno MDLVI. duo fratres FRANCISCUS et ALEXANDER BELLINCHETTI, olim Bergomates patria, qui vero agnita Evangelii veritate omnibus simul post se derelictis, in Raetiam concesserant, et Bergonii quod ad Septentrionalem Albulae montis radicem jacet oppidum in vicinos suscepti erant; ubi ex ferrearum fodinarum, quae illic exuberabant, elaboratione, negotia aut mercimonia exercebant. Illi quum nescio quam ob rem, negotium forte aut alicujus emolumenti e patria haereditate recipiendi causa in Patriam delati Bergomi circumire aut versari observati fuissent, protinus ab Inquisitionis officio in carceres conjecti fuere. Et clementer illis evenit quod poena haereticis destinata statim affecti non fuerint: ea enim mora salutem illis attulit. TRIA quippe FOEDERA quamprimum de captura illorum resciverunt, illico FRIDERICUM SALICEUM Samadoenum, Virum dexteritate et eloquentia valentem, apudque Galliarum Regem insigni loco stantem, TRAVERSII quem saepe nominamus generum, ad liberationem illorum procurandam publico nomine ad Illustrissimum VENETIANUM Senatum delegarunt. Adiit is primum Rectores Bergomi, postmodum universum Venetorum Senatum; ab utroque responsi loco habuit: auctoritatem detentos ob religionem liberandi spectare ad summum Pontificem ex pactione cum eo haud ita pridem inita, cujus proinde vigore retineantur, ne falcem mittere in alienam messem videantur. Sequentes erant articuli ob quos Bellincheti haereseos notati detinebantur: 1mo quod negarent

„ per Ministro, farne ogni sicurtà, e presentarmi alle loro Signorie ad ogni „ sua requisizione come calunniato a torto. Di questa istessa materia si è scritto „ al Signor Federico Salice della nostra Chiesa, la quale è qui inclusa etc.„ d Tei, il giorno delle fave pitagoriche, di Novembr. del LVI.

„ negarent plura esse Sacramenta quam duo, baptismum nempe et „ Domini coenam. 2do quod negarent aliud Purgatorium praeter „ Christum. 3tio negarent cuiquam alii praeterquam Deo confiten- „ dum esse, et sic auricularem confessionem tollerent. 4to assererent „ neminem esse mediatorem inter Deum et homines praeter Christum, „ tollentes praeterea invocationem Sanctorum. 5to destruerent Sacra- „ mentum altaris non confitentes in eo solidum et materiale corpus, „ sanguinemque Christi exstare. 6to et in quo longe maxime redar- „ guebantur, sic ut cardo rei haberetur, quod negarent auctoritatem „ summi Pontificis: „ caeteros enim non opus enarrare dictis simillimos, et ex doctrina Protestantium fluentes. Id solum effecit FRIDERICUS ut dum Dominis Raetis suis notitiam rei pertulerit, vincti illi non debeant quaestioni subjici, aut tortura vexari: tantum itaque, ut adhuc in tempore satis opportuno illis potuerit auxilium praestari. o) Raeti ad Friderici relationem Priorem Monasterii Dominicanorum Morbenii, qui in judicio Inquisitorum assessor unus erat, amice identidem moverant, sua opera apud officium efficeret ut fratres illi, Raetorum concives libertati restituerentur. Sed surdo fabula: Tandem oratores et consiliarii Trium Ligarum pro universali Dieta in oppido Ilantii congregati, determinarunt ut nisi intra mensis spatium fratres Bellinchetti liberentur, omnes religiosi ordinis Dominicani in exsilium ex tota Raetia peremtoria sententia missi sunto, debeatque contra eos sicubi in Raetorum terris deprehensi fuerint, haud secus ac in exsules alios noxios procedi, coenobium illorum Morbenii existens, ejusque reditus omnes et proventus, omniaque tam mobilia quam immobilla ejus bona ad manus fumi, eaque vel ad pauperum hospitalitatem, vel ad alios pios usus, prout melius videbitur, disponi et erogari. Omnium nomine signatum fuit Decretum die VI. Novembr. Anno MDLVI. Intellexit litterarum tenorem Prior Morbenienſis: et manumissione incarceratorum impetrata omne cervicibus suorum adtractum malum imminens facillime amovit.

Ad calamitates porro extraneas etiam accedebat exacerbatio Romanensium indigenarum, quae per Monachorum illorum operas indies acrior

o) Frid. a Salice ad Bulling. d. 22. Octobr. 1556.

acrior intendebatur in Evangelica sacra amplexantes. Evangelici quippe, quantumvis natalibus eminentes et de probitate commendatissimi, tamen a dignitatibus politicis quae civibus ex aequo conveniunt arcebantur, quasi earum forent incapaces: negata erant in communi Templo sacrum exercitium, et in communi coemiterio sepulcrum: eoque res videbatur deducta ut plus extraneorum minae, quam dominantium et aequitatis valerent imperia. Indoluerant hactenus pii conditioni durae: sed patienter semper tulerant, quod sublevationem a temporis decursu sibi promitterent: nunc videntes duriora indies fieri, ad legitimos Dominos provoluti, injurias quas solo Evangelii nomine abs vicinis pati cogantur exposuerunt, et ut jura quae civitas ac Patria sibi adtribuit eadem, secundum gubernationis leges sibi quoque conferantur, adjudicari postularunt. Pervidit Illustris Raetorum Senatus, heic aut frangendum esse Monachorum impetum, aut ludibrio abhinc futura apud subditos populos quaecunque illis observanda injuncta fuerint, nisi justitiae Praedicatoribus illis simul ea arriserint: justum itaque judicavit quoad conscientiae causam, eandem subditis stabilire libertatem, ex cujus usu Dominantes se felices sentiunt: atque unanimi consensu sequens Decretum sancitum fuit, quod inter fundamentales Reip. tabulas statim relatum et a Communitatibus ratificatum est: Illud ita se habet.

„ Nos Trium Foederum legati et oratores hoc tempore ad Die-
„ tam celebrandam, Ilantii congregati, praesenti instrumento notum
„ facimus omnibus et singulis, quod attente considerato cumprimis
„ Dei honore, deinde et bono subditorum nostrorum in Valle Tellina,
„ Comitatu Clavennensi, Burmio et Tellio ut maneant in bona con-
„ cordia, neque tumultus aut Seditio, fidei aut religionis causa, exoria-
„ tur, ex consilio et consensu Dominorum nostrorum, Communita-
„ tumque concludimus decernimus, et ordinamus in sequentes arti-
„ culos. „

„ *Primo* quod ubique et in omnibus locis Vallis Tellinae, Comi-
„ tatus Clavennensis, Burmii et Tellii possit annunciari et praedicari
„ sanctum

„ ſanctum Dei verbum, et Evangelium Domini noſtri Jeſu Chriſti per
„ praedicatores et concionatores verbi divini, idque nominatim ſic: ubi
„ in uno et eodem pago vel vico plura Templa fuerint quam unicum,
„ poſſint qui Miſſam habere volunt electionem habere Templorum
„ illorum et accipere quodcunque voluerint ad miſſandum et ſacra in
„ eo facienda: alterum vero Templum ex duobus vel pluribus illis de-
„ beat cedere ac dari praedicantibus Dei Evangelium. Quod ſi vero
„ in eodem pago aut vico unicum tantum fuerit Templum, tunc poſ-
„ ſint qui Miſſam habere volunt praerogativa uti, et prius ingredi
„ Templum illud ad Miſſam et concionem ſuam celebrandam ea tamen
„ lege, ut juſto et convenienti tempore peragant. Quo facto debe-
„ ant cedere ex Templo, locumque dare praedicantibus Evangelium;
„ et quicunque voluerit Evangelium audire, ei liberum eſto in
„ Templum ſe conferre, ac Miniſtrum audire ſine ulla contradi-
„ ctione.„

„ *Secundo*, poſſint et debeant Miniſtri in eo Templo, in quo
„ Evangelium praedicant etiam S. Sacramenta Coenam Domini et Bap-
„ tiſmum, more rituque ſuo adminiſtrare, poſſint etiam ſuos mortuos
„ ſepelire, ſine contradictione. Ordinamus inſuper et mandamus ſub
„ poena amiſſionis gratiae noſtrae ut neutra pars alteram propter reli-
„ gionem ullo modo pungat, vellicet aut laceſſat, verum ſe mutuo quie-
„ tos et tranquillos gerant. Eſt etiam ſententia noſtra et decretum
„ ut illi qui Evangelium receperunt et confitentur pari honoris gradu
„ cum aliis honeſtae vitae et famae hominibus habeantur, et ita qui-
„ dem ut ad conſilia et alia honoris officia recipi poſſint, qualia ſunt
„ Decanatus, Conſulatus aliave, itemque habeant etiam contingentes
„ ſibi partes ſuas in communibus bonis et reditibus atque in omnibus
„ aliis rebus, prout alii cives.„

„ *Tertio.* Praecipimus, ordinamus, et ſtatuimus, ut nullus advena,
„ ſive Monachus ſive Presbyter, cujuscunque religionis fuerit, in Val-
„ lem Tellinam, Comitatus Clavennae, Burmii ac Tellii recipiatur aut
„ admittatur, niſi fuerit primum ab ordinario ipſorum Capitulo exa-

„ minatus ac approbatus, nempe Miniſtri Evangelii a Synodo Pradicato-
„ rum Evangelii in noſtris Foederibus, et Sacerdotes ab Epiſcopo et
„ Capitulo Curienſi. Item nullus debeat, ut jam dictum, recipi, niſi
„ in animo habeat in Valle Tellina, Comitatu Clavennae, Burmii aut
„ Tellii unum ſaltem annum habitare et commorari aut vero per to-
„ tam vitam. Teneantur etiam qui recipientur ſive Praedicantes ſint,
„ ſive Miſſatores vades et ſecurationes dare, ut ſi aliquid praedicave-
„ rint vel commiſſuri eſſent, quod inconveniens, aut Dominio noſtro
„ detrimento fuerit, ſecundum meritum ſuum puniri poſſint, aut ex di-
„ tionibus noſtris relegari. „

„ Sic mandamus et praecipimus omnibus noſtris officialibus prae-
„ ſentibus et futuris, ut haec noſtra Decreta firmiter ob oculos habe-
„ ant, et omni ſtudio incumbant, ut ab omnibus et ſingulis obſerven-
„ tur et rata habeantur, per tantum quantum gratiam noſtram aeſti-
„ mant et faciunt. In cujus rei certitudinem, hoc Diploma fieri cu-
„ ravimus ſigillo munitum dilectorum noſtrorum fidorumque confoe-
„ deratorum Foederis Superioris ac Cani. Dat. Ilantii, die XXVI.
„ Januarii, Anni MDLVII. „

CAP. XI.

1557 —— 1560.

Comander moritur. Tiguro surrogatur in ejus locum Jo. Fabritius. Exsultatio italorum supra promulgationem Edicti: Romanensium consilia in oppositum. Exsecutio Edicti committitur Syndicis, inter quos fortem se exhibuit Fridericus Saliceus. Evangelici in Valle Tellina et Clavennae a Romanis coguntur festa sanctorum observare: at Rescripto Principis eo jugo liberantur. Ministris terrarum subditarum adjudicatur Salarium XL. coronatorum. Id dare reluctantur Romanenses. Jo. Andr. Schenardi libellus supplex. Exsecutio rursus demandatur Syndicis quorum in numero rursus Fridericus, neolectus Clavennae Commissarius. Bullingerus ad Praefecturam ei gratulatur et aurem vellit. Sola Morbenna resistit exsecutioni. Senatus Mediolani et Episcopus Comi ne Edictum in exsecutionem mittant a Syndicis postulant. Id minus auscultatum. Igitur tonitrua. Dux Albae Gubernator Mediolani ferro saevit in Evaagelicos: Raetis commercio interdicit: milites ad confinia collocat. Moritur Paullus IV. Pontifex, et nubes dissolvitur. In Valle Tellina conquiruntur libri Evangelici, et vulcano traduntur. Mercator Clavennensis Vicentiae ob religionem custodiae datur. HERCULES SALICEUS ad ejus libe-

rationem legatur Venetias, ubi commissum multa cum parhelia, laude et effectu exsequitur. Clavennae novus Monachus turbas dat, qui evocatur ad Disputationem sed refugit. Prudentia Friderici Salicei in eo facto. Ablegatis Monachis exteris, Ant. Quadrius, Societati JESU collegium fundat Ponte, quod inter varias contradictiones ex Caesaris promotione pedem figit, non obstante proscriptione saepius a Foedd. indicta. Glaronenses contendunt inter se: apparet Angelus de coelo rustico cuidam parochiae Desertinae, et consilium super eam causam impertitur: Sacerdotum quorundam adversus causam Evangelicam Zelus improvidus. In Pontificatu succedit PIUS IV. Inhumana caedes in Calabria, litteris Florilli perscripta Calamitas Ecclesiarum Evangelicarum in Raetia, derivata a paucitate et penuria Ministrorum. Sponte currentes a Ministerio Diplomate publico arcentur.

Diximus supra, JOANNEM COMANDRUM Curiensis Eccl. Pastorem Anno 1550. ex peste, qua major tum civitatis pars exhausta fuit, aegre convaluisse. Is tamen recuperatis sic satis viribus adhuc Sexennium gregi suo superfuit, licet corporis viribus indies sic adtritis ut suggestum difficulter conscendere, nec quo antea valebat vigore sacras ad populum conciones habere potuerit. a) Anno demum MDLVII. ineunte mense, opinor Januario succubuit, ab Archipastore, summo bonorum et Ecclesiae moerore ad coelestes sedes evocatus. Gradus quem Curia civitas inter Raeticas, plures ob causas, tenet, nec non perturbata Reipublicae, eo aevo, si unquam, diversis factionum studiis distractae, facies, Virum in ea specula poscebat et multijugae eruditionis, et

a) Conf. Gallic. ad Bull. XVI. Maji 1556. Sup. Cap. X.

et judicii ſubacti, et laboris indefeſſi. At in ea paucitate operariorum, qua Raetia tum laborabat, vix idoneus reperiebatur qui provinciae illi ornandae idoneus exiſtimatus fuiſſet. Praeſto quidem in inferiori aede Divis Felici et Regulae ſacra erat GALLITIUS: at tanta ille caeterum onerabatur negotiorum copia, ut in provectiori aetate eum vix videretur conſultum pluribus gravare: neque tam de meritiſſimo Viro in ſuperiorem ſedem promovendo quaeſtio erat, quam de pari ad latus collocando. Itaque Senatus Curienſis ad Patres Tigurinos devolutus, eximium aliquem et hoc loco dignum expetiit Antiſtitem. Tigurini neceſſitatem conſiderantes JOANNEM FABRITIUM Montanum dictum, collegii Abbatiſſani Praefectum, ad cathedrae Curienſis curam amplectendam Martio ſtatim menſe deſignarunt. Obluctabatur deſtinationi Suorum Fabritius variis de cauſis, quas inter primariae erant, quod in Raetia Eccleſiae forma nec dum ſatis ordinata eſſet, et multa confuſe fieri dicerentur, Rempublicam vero ita diſcerptam ut ex vulgi motibus, et praevalentium lubidine cuncta fere agantur, id quod fideli Miniſtro et operas inutiles reddat, et moerorem adferat. Altera cauſa quam praetexebat, tenuitas erat ſtipendii, qua Miniſtros in Raetia affligi fama eſſet, talem quidem ut manuarias quoque operas teneantur boni viri exercere, ſi familiam honeſte ſuſtentatam cupiant. Eas tergiverſationes nemo vitio vertebat Fabritio, qui ſciebat quam in honeſto ſtaret loco, e quo ad ſuperiorem vel etiamſi Tiguri non promoveretur, in eo perſtare honorificentiſſimum erat. Scholarchae Turicenſes Senatorii aeque ac Eccleſiaſtici ordinis, in facie illi reſtiterunt divinum mandatum illi inculcantes et corruptam Reip. Raet. faciem medicam plane operam deſiderantem ob oculos ponentes. Ad ſtipendii autem tenuitatem quod ſpectaret, rationem ipſius conditionis ſe ampliſſimam habituros. Ubi victum ſe vidit Fabritius (erat quippe Senatus Turicenſis liberalitate olim fere educatus et ad ſtudia promotus) rebus ſuis convaſatis Aprilis menſis initio Curiam delatus eſt. Advenienti inſignis nobiliorum Eccleſiae pars, in Sarunetum terras, aliquot milliaria obviam ivit: advenientem totus populus ſumma laetitia excepit. Revera dignus eo honore Fabritius fuit, nam per novem illos quos Eccleſiae Curienſi adfuit annos, fidum ex omni parte ſe praeſtitit operarium, in officii publici functionibus peragundis, doctum, ſollertem et ſtrenuum, ad privata quae agebantur adtentum Tigurinis caeterum

terum toto pectore addictum. At noluit Curiensis Senatus haberet ut Pastor suus de stipendii tenuitate conquereretur, aut ut a Turicensibus augmentum in resarcitionem exspectaret: verum tale ei Salarium adauxerit, quale nec Comandro unquam datum fuit, nec ulli per universam Raetiam dabatur. Nihilo tamen minus semper remeare Tigurum desideravit Fabritius, litterasque ad Patres illos querimoniis plenas quamdiu in his oris vixit semper scripsit, sperans fore ut ab illis tot obtestationibus commotis revocaretur. At illi causa bene perspecta, in statione perseverare jusserunt, omnibus ejus precibus insuper habitis: quod animi popositum ubi advertit, iste aequo animo tulit, et officii sui partes indies cum fide peragendo, ad vitae usque finem perrexit. b)

Nunc ad Diploma quoad libertatem exercitii utriusque religionis, et expulsionem Monachorum exterorum, a tribus Foederibus cusum et a nobis modo allatum, redeundum est; variorum enim motuum hoc vel causa vel initium exstitit. Ad ejus promulgationem itali Exsules super omnem modum exsultarunt, et spem sibi faciebant jam brevi tempore integram Vallem Tellinam Evangelicarum partium fore. Boni illi quum viderent inter Raetorum Proceres, opulentiores fere et prudentiores ab Evangelicis stare, illico vim adhibendam esse contendebant, nihilque verebantur ab istis, ceu fidei consortibus petere, decerneretur ut uno actu Missa per totam Vallem Tellinam abrogaretur, et explicatio S. Scripturae in ejus locum surrogaretur. Reliquiae hae erant Spiritus, quem in adversariis suis in Italia habitare senserant, vel quem vindictae cupido recens ex afflictione venientibus dictabat. Verum secus in rebus fidei agendum esse reposuerunt caeteri in Raetia Evangelii Ministri, monstrantes non per Decreta a potentia externa in executionem mittenda, obtrudendam esse hominibus fidem: verum per illuminationem intellectus eam prius instillandam; et demum quando in insignem aliquem numerum pii accreverint, licere ea privilegia petere

b) Vid. et Vitam Fabricii ab ipsomet script. ad Volfg. Hallerum, Edit. cum not. in Miscell. Tigur. A. 1724. Part. III. pag. 373. sq.

petere quae civitatis jure debentur. c) Econtra Romani Pontificis creaturae, ceu per fulmen perculsi steterunt; nec tamen animum abjecerunt,

c) Fabric. ad Bull. 5. Sept. 1558. Quae mihi de Lausannensibus fratribus scripsisti remittere non potui. —— Certe nostri in Valle Tellina fere idem parturiunt, et super iisdem articulis, uno aut altero exceptis, nostrum consilium et judicium expetierunt: modestius tamen agunt, quod non mirum est, ipsis enim non satis adhuc inter se convenit. Sunt enim qui reclament et dicant hoc modo novam viam ad Papismum sterni. Rescripsimus nos in hanc Sententiam, eos juxta Apostoli doctrinam ea debere sectari quae ad aedificationem, non ad destructionem spectant, ne plus sapere videantur quam quae ad sobrietatem. Interim quoque operam dandam ne nimium procul recedant ab institutis earum Ecclesiarum, quarum Procerum Auctoritas in Sententiis dicendis, cum ad comitia ventum est, maxima habetur; ne hostes religionis occasionem inde accipiant eos in invidiam apud nostros vocandi. Haec et plura quam modestissime. *Sie wöllend für und für, fürs Ziel aushin, und die Sach mit dem Kopf einsmals durch hindrucken; bildend Ihnen selbs vveis vvie eine vollkommene Form der Kilchen ein: könnend aber nit erkennen das es viel Schnuffens braucht, ja kümmerlich hat mögen behaubtet vverden, das man Ihnen im Land Underschlauff gibt.* Adversarii unice in hoc incumbunt ne recipiantur exsules itali, aut etiam ut recepti expellantur. *Und so sie dan die unsern möchten bereden das die jenen, Neuerung vvider die Reformation unserer Kirchen anzurichten Vorhabens vvären, möchtend sie eher bas ihre Sach behaubten: dan die Papisten seyren nicht. Ein guter Theil in Pündten ist noch nit unser Religion.* Sunt qui se se totos opponant non sine spe emolumenti sui et premii. *Die* Fratres ex Valle Tellina *hand vergangner Tagen hergeschriben und vermeint bey uns so viel zu vermögen das vir bey den Consilibus anhieltend, damit auff den nächsten Pundstag, jetzt künftig Galli fürbracht vvurde, vvie man die Mess im ganzen Veltlin abthun möchte.* Vides quam magna animo concipiant. Vix centesima pars in Valle Tellina nobiscum sentit, et si nostri hoc tam subito molirentur, res ad insignem aliquem motum et seditionem spectaret. *Man hat nie so viel können behaubten, das man an denen Orten, da man auch das Evangelium prediget etvvas aus den gemeinen Kirchen-Gütern und Pfründen liesse den Ministris erschiessen nach Anzahl der Personen so das Evangelium hörend, und sonst Kilchgnossen sind.* Ministri vivunt ex contributione piorum. *Zu Cleffen ist der halb Thail (fast zuhin) Evangelisch, noch so erhaltet* Hercules a Salice *und andern den* Ministrum Aug. Maynardum ex suis. *Jetzt auf nächstkünfftig Galli komt das alles für. Mögend vvir behauhten das man die Pfrunden nach Anzal der Personen theile, so hand vvir gros Glück.* Nam Exconsul mihi in sinum dixit: Pontificii se in eo negotio dies noctesque exercent, ut impediant hoc consilium. Et

cerunt, verum in deliberationes iverunt qua ratione Edicti promulgatio et exfecutio interciperetur. Indictum confilium Vallis fuit, cujus tractationes tempus ad nos non transmifit, at fuiffe adverfum Evangelicos aut Evangelium confilia fumta evidentiffimo indicio eft, quod femotis et infciis Evangelicis confilium illud indictum et habitum fuerit. Noluere tamen credi quidpiam machinati effe, igitur abs eodem deftinatus eft MARTINUS CABALZARUS Vallis tunc Capitaneus ad Raetorum comitia ad implorandum ut quadam talea fcil. tributo ipfis parceretur, revera autem ut Decreti fupramemorati exfecutio, interpofita illius auctoritate, impediretur. d) Non deftitutus hic erat nervo tractandi, namque

Et quot peffimum eft *man muſs fürhin auff die gemeinden Auſchreiben* Epifcopus *aber iſt der denn im Gottshausbund den Tag auff die Gemeinden ausſchreibt mit ſamt denen Artiklen ſo jederzeit fürzubringen ſind. Dan die Geſandten in ſolchen ſchweren Sachen, nit vweiter z'handlen Macht hand, dann ſie in ihrer Inſtruction von denen Gemeinden empfangen hand.* Epiſcopus *aber vwird ſich mächtig ſperren. Aber er muſs es thun. Urſach: vormalen iſt zu Ilantz dieſer Handel auch anzogen vor Jahren, iſt dazumalen auff hinderſich bringen an die Gemeinden verabſcheidet vworden.* Haec eſt illa via, de qua jam ſemel atque iterum ſcripſi, qua Ego ſubruendos Pontificios judicarem. *Alſo vwird man die Meſspfaffen aus dem Land bringen, dann Sie bey haiben Pfründen nit vwerden vwöllen dienen. Alſo vwird einer ſo er nüt daran ſteuren mus aus dem ſeinen ſich zu den unſeren ſchlagen. Dan glich, nit gar Ernſt iſt.*

d) Maynard. ad Frid. a Salic. „Molto Magnifico Signor Federico: Ancor ch' io ſappi per molte eſperienze i buoni e ſanti offiej che fa V. S. in favorire la cauſa di Criſto, e acciocchè per tutto il dominio degli Eccelſi Signori noſtri delle tre Leghe ſia predicato il Santo Evangelio, col quale come con uno divino iſtrumento ſi caccia via la tirannide di Satana e conſeguentemente del ſuo primogenito alunno Anticriſto dai populi: Non laſcerò però di far mio debito, ſe ben che penſo non biſogni in avviſarla di quanto ſi dice, e particularmente del Signor Capitano Ercole, poi ancora da quelli di Voltolina. I Voltolinaſchi hanno fatto un conſiglio, e non hanno dimandato i noſtri del Vangelio, et hanno determinato qualche macchinazione contra del Vangelio, (così ſi ſtima) concio sia, che quando così non foſſe, non avrebbono eſcluſo i noſtri da tal conſiglio. Hanno mandato il Signor Capitano della Valle che è il Signor Martino Cabalzaro, come uomo grande, e di molta autorità, ed aderente alla religion loro, ſotto preteſto di ottener dai Magnifici Signori, che non imponghino certe taglie, o vero gravezza, che diceſi voler eſſi Signori metter nella Valle Tellina:

namque in Comitiis insecutis statim plures ad id subornati circumvolitabant qui pecuniis extorquere tentabant, ne Decretum sancitum in exsecutionem ire juberetur: Eas autem largitiones nonnisi a Curia Romana provenire constans fama erat. Erant etiam ex Raetorum Primoribus avitae religioni addictis, qui per favorem, quo apud plurimos valebant, idem obtinere allaborarunt. Tandem vicit causa libertatis ac conscientiae, et Edictum a Repraesentantibus ubique per Vallem Tellinam et Clavennae Comitatum promulgatum fuit. Praeviderunt

Tellina. Ma l'intento loro è sotto questa coperta per via occulta ovviar, che non si mandino per li comuni quelli due articoli, i quali nella passata dieta fu determinato mandar, cioè prima che per tutto il dominio delle tre Eccelse Leghe si possa predicar il Vangelio, e dove saranno più chiese, ne sia una assegnata a tale effetto. L'altro articolo è che frati di qualunque Sinagoga si sia o Augustiniana, o Dominicana, o Franciscana, non più venghino a predicar nel lor dominio, per gl' inconvenienti occorsi e per altri che potrebbono occorrere maggiori dei passati. E se io non pensassi che V. S. non sapesse questo meglio di me, aggiungerei: che tutte le Sinagoge degli empj, sono poco affezionate al vostro Illustrissimo Dominio, perch' Egli è affezionato a Cristo, ed al suo Vangelio, al quale esse Sinagoghe sono inimiche. Il gran Satana che teme al suo regno, pensate che muove i suoi instrumenti, e non cessa far trame, consiglj, disegni, e Macchinazioni d'impedir se potrà ogni buona e santa ordinazione, acciò restino i poveri popoli nelle tenebre, come sin qui sono stati, e non dubito tenterà con suoi indegni e perversi modi, come è solito corrompere con largizione gli animi delle persone; come già dicesi han fatto con presentar vini dolci ed altre cose. Questo non ardisco dir io, perchè nol so, ma ben stimo, che non si vergognerà ancora tentar di peggio, avendo avuto ardir di tentar Cristo: Come si sia Signo Federico essendo la cosa di tanta importanza, come è spettante alla gloria di Dio ed al regno suo, e massimamente perchè in questi due articoli consiste la Vittoria contra l'empietà. La esorto ed anche prego, quanto pregar posso, avendole Iddio fatto tanta grazia d' averla transferita con tanti belli spirituali doni, che quell' ha concesso nel regno suo, vogli in questa impresa mettere ogni studio, cura e sollecitudine con li suoi aderenti in Cristo, che questi due articoli abbino luogo, e si ottenghino li modi in questo caso, che si hanno a tenere. Sua Signoria come prudentissima destra, e sperimentatissima ottimamente gli sa ed adoperi quella sua autorità e credito che ha nelle leghe. In questo caso molto più che farebbe dove l'onor e temporal salute di esse Leghe consistesse. Concio sia ch' in tutte le cose proporre si debbe il regno di Dio, ad ogni quantunque grande ed amplo temporal dominio. Ella mi perdoni, perchè scrivo con molta festinazione. —— Il Signor nostro Dio semper la conservi, Di Chiavenna, alli 11. di Genaro 1557.

Patriae Patres acerrimas oppositiones Decreti exsecutioni objectum iri; quare ad eas removendas, et Edictum auctoritate firmandum primariae aliquot auctoritatis viri, S. P. Q. R. nomine in Vallem Tellinam missi sunt, quos inter etiam FRIDERICUS SALICEUS Samadenensis erat. Ex hujus adnotatis scimus ingentia fuissa removenda, multumque laborandum antequam in exsecutionem Decretum mitti potuerit. Hi tamen auctoritate publica stipati, insidiarum Auctores, et qui alienis pecuniis ac favoribus libertatem utriusque religionis oppugnare tentaverant, productos mulctaverunt. SONDRII Vallis metrocomiae indictum fuit ut in monte ROVOLEDI ubi hominum Evangelio adhaerentium copia erat Templum ab imis fundamentis exstrueretur, cum alioquin nullum illic esset, quo conventus sacer haberi potuisset. Tunc Monachi advenae ad sua abire jussi, et Evangelii professoribus ex Decreti tenore passim Templa designata fuerunt, qua ratione plana Evangelio strata via comparuit. e)

At necdum pax. Pars est divini cultus apud Romanenses Divis a Pontifice in coelitum numerum relatis, festos dies religiose colere: eorum autem devotioni illi dicatorum dierum tantus observabatur numerus, qui notabilem in anni computo censum conficiebat. Hos si pauciores fuissent in pacis studium observaturi fuerant etiam Evangelici:

e) Frid. a Salice ad Bull. Samadoeno. d. 18. April. 1557. —— „Ego sane mi Bullingere, abinde quo in Valle Tellina, Comitatus Clavennae et Burmii perrexi, Tibi tertio scripsi, atque adeo, diligenter quae Te scire oportebat, significavi. Certe, prout Te reddidi certiorem, Religionis ergò multum fuit laborandum. Sed vicit tandem veritas: siquidem expulsi sunt advenae Monachi, et passim Evangelii professoribus Templa designata, in quibus cum eo quo decet decoro Evangelium praedicetur. Adde quod etiam alicubi, utpote Sondrii (loco Vallis Tellinae celeberrimo) indictum est ut Templum in monte Rovoledi, ubi ingens est hominum Evangelio adhaerentium copia, ab imis fundamentis aedificetur, cum alio illic nullum esset aliud, quo [c]onventus hominum sacer ibi haberi posset. Insuper repertis quorundam insidiis, qui alienis pecuniis et favoribus Evangelium oppugnare nitebantur, Auctores mulctavimus, et ansam omnem nocendi amovimus. In summa: sedulo enixi sunt collegae mei ut Evangelio facilem viam struerent. Ut vero id omne cedat ad promotionem gloriae Dei, faxit idem qui cuncta potest Dominus Deus per Jesum Christum. Amen. —— Quod mihi commendas Fabritium, in Eccl. Curiensis Pastorem electum —— erit mihi commendatissimus. &c.

lici: at ut tantam anni partem otio, aut ut inter adverſos mos erat, comeſſationibus, religioſe tranſigerent, adduci non poterant, quum dicerent Soli Deo cultum religioſum deberi: Sanctos demortuos noſtra ignorare, et vel ſi ſcirent, adjuvare non poſſe: nec ullibi a Deo neu in Veteri neu in Novo Teſtamento mandatum aut conſilium reperiri, ad cujus tenorem monerentur fideles dies feſtos illis celebrare. Ajebant, inter alios etiam Chriſtophori et Georgii dies celebrari, quos an aliquando in rerum natura exſtiterint, inter rerum Eccleſiae peritos dubium eſt: Romani e contra Sacerdotes feſtos illos dies ab omnibus celebratos volebant: praevaricantes ad Magiſtratum deferebant. Magiſtratus quando eidem religioni addictus erat, querelas utraque aure excipiebat, et eos qui vel tantillum manuariae operae in feſtis illis laboraſſe deprehendebantur, levere caſtigabant. PETRUS BERCHTERUS Diſertinenſis Clavennae Commiſſarius, edictum (Proclamata vocant) publicari et affigi curavit, in quo etiam Evangelicam doctrinam amplexos, ſub poenis et mulctis compellebat, ad omnia feſta in ſtatutis Eccleſiae Rom. poſita, obſervanda, et celebranda. Intolerandum hoc evaſerat Evangelicis jugum, quo ut levarentur tum Comitatus Clavennae tum Vallis Tellinae Eccleſiae agentes ad Raetorum Comitia in feſto corporis Chriſti quod in Kalendis fere Junii incidere ſolebat, Curiae congregata, delegarunt. Legaverat etiam praefatus Clavennae Commiſſarius Locumtenentem ſuum HORATIUM de NASALI, ad factum ſuum juſtificandum. At oratores in Comitiis congregati, cauſa ſecundum omnes allatas circumſtantias, ex utriusque partis ore intellecta, et rite perpenſa, judicarunt ejusmodi ſtatutum libertati religionis et conſcientiae, (quae fundamentalis Reip. Lex ſit) ſummopere adverſari, omnia proinde Edicta circa obſervationem feſtorum, a ſuis officialibus facta annullarunt ac irrita pronunciarunt, edicentes: Evangelicarum Eccleſiarum fideles, aut horum famulos vel operarios, cujuslibet hi religionis ſint, nullo pacto teneri vel cogi poſſe ad ſervandum ulla alia feſta praeter illa quae in Synodo Curienſi ſtatuta fuerunt, velleque ut eorum libertas in rebus ad religionem ſpectantibus nullo modo impediatur aut moleſtetur, et hoc non obſtantibus quibuscunque aliis Statutis in contrarium diſponentibus; madatumque omnibus Commiſſariis et jus dicentibus Comitatus Clavennae ac Vallis Tellinae praeſentibus ac futuris, ut dictam ordinationem inviolabiliter obſervent, et obſervari faci-

ant, sub poena indignationis. Extradat. Curiae. Sub Sigillo III. Foed. 22. Junii, Anno MDLVII.

Habebant jam Evangelici, Vallis Tellinae et Clavennae suos Ministros juxta et sacras ad conveniendum aedes: At non erat, unde Ministris justa sustentatio accidere debuisset. Illi enim hactenus ex contributione piorum vitam traxerant. Clavennae quoque quamvis Evangelicorum civium pars ad medietatem excrevisset, Maynardo tamen et habitationem et Salarium (quale erat) modicum, partim HERCULES SALICEUS, partim alia Ecclesiae membra, pro pietate subministrabant. Reditus Ecclesiarum accipiebantur a Sacerdotibus Romanis, et in locis, ubi ad Salarii summam conficiendam etiam census in capita distributus erat, cogebantur etiam Evangelici portionem adsignatam contribuere, licet Sacerdotis opera nec uterentur, nec uti cuperent. Injuste haec gravamina sibi irrogari querebantur Evangelici, qui e contra credebant ex reditibus Ecclesiae tantam partem sibi deberi, quantam ipsi ut cives in vicinia vel paroecia constituerent, praetendentes igitur ut Ecclesiae reditus uniuscujusque partis Pastori, secundum capitum numerum distribuerentur. At Romani negare et contraniti: Ita ad jus ventum est. Clavennates Evangelici actione coram JO. CATARINA Commissario, adversus NICOL. CROLOLANZA Archibresbyterum, GEORG. de SOLDANO, VINCENTIUM STAMPA Canonicos, caeterosque praebendatos aedis S. LURENTII, intentata, tertiam redituum illius Ecclesiae partem sibi ab hinc dari postularunt. Illi diu tergiversati, unumque effugium ex alio trahentes, ne quidem inventarium bonorum ad Ecclesiam spectantium extradare volebant, et causam ad Comitia protraxerunt. Submiserunt tandem se Commissarii judicio, cujus Sententia, tertiam redituum illius Ecclesiae partem, Evangelicae civium parti cedere jussi sunt. Act. die XXI. Julii, MDLVIII. Generalia vero Comitia illius anni mense Octobri Davosii congregata gravaminibus Evangelicorum mederi intendentia, primo priscam legem renovarunt ne posthac novitii amplius Monachi in Coenobia recipiantur, sub spe nempe ut deficientibus Monachis reditus illos in meliores usus convertere detur; deinde statuerunt singulis verbi divini in Valle Tellina, aut Comitatibus Clavennae, ac Burmii, Ecclesiarum, ordinariis Ministris in Salarium dandos esse XL. coronatos, quos accipiendos designarunt pri-

primo detrahendo a praebendis abſentium, h. e. illorum qui Eccleſiae curam in perſona non peragebant, vel a beneficiis illorum qui duas aut plures parochias tenebant, vel ex cenſibus Epiſcopi Curienſis in Valle Tellina, vel ex reditibus Abbatiae S. Abundii, denique ſi nullum allatorum ſuppeteret, deſumendis ex reditibus illius Parochiae, in qua extiterint. Extat Diploma communi III. Foedd. nomine Signatum Davoſii, d. XXX. Octobr. MDLVIII. f)

Heic rurſus reclamationes atque Romanenſium nomine JOANNES ANDREAS SCHENARDUS Juris peritus Morbenienſis ad illuſtrem Raetorum Senatum libellum ſupplicem conſcripſit, quo exſulibus Italis invidiam creare, et conſervationem religionis in ſtatu, ad quem hactenus perducta erat, inſinuare, utque omnem innovationem prohibeant ſuadere adniſus eſt. Deſcribuntur ab illo Miniſtri itali in Valle Tellina Evangelium praedicantes haud alii eſſe quam Monaſteriorum deſertores, ſua duntaxat quaerentes, non ea quae Jeſu Chriſti, adeoque nil minus quam Evangelici. Vere enim Evangelicum in vitae regulam habere Paulli Apoſtoli dictum prohibentis quid facere per contentionem, damnantisque ſervum litigantem: Evangelicum ne quidem quae ſua ſunt quaerere, verum fraudes potius pati, injurias tolerare, et vel graviſſima ſufferre, hocque demum eſſe non ſuperari a malo, ſed vincere in bono: Evangelicum Paulli oportere eſſe imitatorem quemadmodum dixit: Eſtote imitatores mei, ſicuti Ego Chriſti. Paullum vero cum

f) Frid. a Salice ad Bulling. die 30. Octobr. 1558. In hiſce Comitiis novi nihil eſt Sancitum, cujus Te poſſem reddere certiorem, reſervato quod cauſa religionis admodum inter nos concertatum eſt. Demum concluſum eſt, ubique in Valle Tellina, Clavenna, Tillii et Burmii in omnibus Parochiis concionatorem Evangelii foveri poſſe; atque adeo ordinatum eſt quod ſingulis concionatoribus dentur coronati XL. in ſingulos annos, ex reditibus Eccleſiaſticis, ſi qui ſint in parochiis; ſi vero hi defecerint ex reditibus Communitatum debent erogari. Haec ſunt, ſat ſcio, Tibi, tuisque ſimilibus auditu jucunda. —— Me Clavennae Comitatui praefecerunt, qui nec ambivi, nec cogitavi unquam de hac re. Velim mihi ſignifices quid intelligas de Lelio noſtro, quem vix arbitror rediiſſe ex aula, et ſi rediit ei me commendabis. Et hoc ſcias velim, Nos interdixiſſe ne poſthac aliqui Monachi recipiantur in coenobia; eoque tendimus ut quandocunque illi reditus in meliores uſus convertantur, prout alias ipſe mecum contuliſti.

cum praedicatione Evangelii, cuiquam oneri esse noluisse, sed dicere potuisse ad Thessalonicenses: quum essem apud vos et egerem onerosus nulli fui; et alibi: sine onere me vobis servavi et servabo. Quamvis vero idem Paullus dixerit neminem propriis militare stipendiis, *suggerit* ut si Apostolum imitari recusant, mercedem igitur et lac ab iis tantum accipiant, quibus militant, operantur, et pascua tradunt, minime vero ab illis requirant, quibus loco serviendi sint detrimento. Et vel si quodpiam in eis exigendis habere jus, daretur, *vellet* tamen Ministros rursus exempli Paullini esse memores, qui ne Evangelio obesset offendiculum ajebat: Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt; item: omnia mihi licent, sed Ego sub nullius redigar potestate. Ex quibus *inferebat*: ventri servire desertores illos non Christo, quum vitam agere non desiderent ad formam a Christo et Apostolis servatam, qui vitam transegerunt in labore, in aerumna, in vigiliis multis, in fame, in siti, in frigore, et nuditate. Evangelicos esse non posse, qui vitam declinent imo detestentur, quam innumeri vastae solitudinis Aegyptiacae Sancti Patres sectati sint, quorum vitas et gesta SS. Hieronymus et Augustinus enarraverunt volumine non parvo, qui in claustris, montibus, speluncis, cavernis, in saccis, ciliciis, melotis et pellibus caprinis, in jejuniis, votis, et aliis corporis afflictionibus aetatem clauserint. Evangelicos esse non posse doctores illos qui semet excusullando Christi solvant dictum et consilium, insinuantis Eunuchos dari qui se ipsos castraverint propter regnum coelorum, Paulli quoque effata coelibatum praeferentis nuptiis, viduasque mulieres objurgantis, quae postquam luxuriatae fuerint in Christo, nubant, abnegando per hoc fidem, et eundo post Satanam. *Addit* CHRISTUM et Apostolos miracula plurima patraviſſe, per quae demum illorum doctrinae fides facta fuerit, et a Mose sumto initio, ad Christum, ejusque successorem Apostolum Petrum, huicque subsecutos caeteros Rom. Ecclesiae Pontifices Viros Domini plurimos miraculis simul et malorum tolerantia excelluisse: advenas istos miracula patrare nulla, vitae vero austeritatem fugere; indignos proinde esse quibus fides adhibeatur, et praedicatio simul cum habitandi libertate concedatur. Ad ipsum Dominorum Decretum conversa oratione, asserendo *ibat* in omni humano jure iniquum esse ut dicata semel uni religioni, in aliam illi maxime repugnantem convertantur: elogia defunctorum Ecclesias dotantium non minus

nus quam leges, quam oracula ipsa observanda esse: quae conventionibus parta, aut longa temporis usucapione possessa sint, auferri sine injuria non posse, quum nemini fas sit cum alterius jactura divitias corradere. Juris praecepta esse: honeste vivere, alterum non laedere, jus suum cuique tribuere; adque horum observationem et Principes ipsos teneri, idque tanto magis quando ea observare solenniter saepius testati sunt. Cogitare illos debere solutos se non esse nec a lege naturae, nec a dictamine rationis, utpote homines ad Dei imaginem et similitudinem factos, ad imaginem ob rationem et intellectum, ad similitudinem ob virtutem et sapientiam. Igitur concludebat Edicta illa a III Foederibus ceu Excellentissimo Principe, promulgata de Templis in alium quam fuere consecrata cultum exponendis, de stipendiis a Doctore Gentium postergatis, heic illis, qui adversa praedicant, exhibendis, de Monastica vita ad mores Apostolicos instituta destruenda nullo seu divino seu humano jure subsistere: verum Raeticae Celsitudinis Majestati convenire, ut ea aboleat, aut saltem eorum dispositionem majori Suffragiorum in Valle Tellina numero, submittat; quemadmodum ex ista lege inter ipsos Raetos controversiae quas oriri obtingat, dirimantur. Imperantium enim esse non minus subditorum quam propriam pacem custodire. Haec Schenardus.

Ad mordax hoc scriptum Exsules itali, reposuerunt, paratissimos esse se eandem cum piis illis quos allegaverint, in cavernis, sub cruciibus et adflictionibus quibusvis vitam transigere, et facile admittere quod Romanenses Gentilium ac Tyrannorum vestigia ambiant: malle enim se cum Paullo ac Petro decollari et crucifigi, quam cum Pharaone aut Nerone rerum potiri aut deliciis gaudere. At hanc sibi conditionem demum eligendam esse quando apud Dei vicarios aequitatis ac justitiae rationem nullam haberi adpareat: contra autem praesenti in statu secus se habere. Deseruisse se Monasteria, et cum illis delicias ac libidines; deseruisse patriam amicos et opes, non ob scelera, sed ob solam nominis Christi confessionem; nec quaerere commoda sed justitiae, et purae Christi doctrinae locum. Miracula exquirenda esse a doctrinae novae praeconibus: se autem non novam adtulisse doctrinam, verum veterem illam a Prophetis et Evangelistis scripto consignatam, sed negligentia hominum, injuria temporum, malorum Prae-

sulum artibus sepultam, cupere de sub modio, ubi recondita teneatur, protrahi, et candelabro omnium luci superimponi. Eant ad Evangelistas, dicebant, et miracula contemplentur, qui de doctrinae illius veritate cupiant intime convinci. Quod vero fideles Raetorum subditi, et nativi patriae filii opem legitimi Magistratus implorent ad obtinendum eorum jurium usum, quae nativitatis lege in posteros derivari solent, id factum adversariorum suorum contribulium arguere summam inhumanitatem, impudentiam, et iniquitatem: Non dubitabant proinde ultimo quin Amplissimi Patres injurias quibus ab illis premerentur consideraturi, et innocentes a manibus odio habentium asserturi, suoquo patrocinio tutaturi essent, proinde pietati se, causamque quam Christi dicebant, submisse commendabant.

Certe tale non fuit Schenardi Scriptum, ut Proceres Raetiae a statuto dimoverit, aut poenitere fecerit: imbellicitatem potius caussae quam vindicare susceperat, prodidit. Interea exsecutio ultimi Decreti de dandis Pastoribus Evangelicis XL. coronatis, commissa fuit Syndicis, qui nomine III. Foederum, ad acta officialium seu Repraesentantium, revidenda, et subditorum querelas gravaminave audienda, vere proxime secuto anni 1559. delegati sunt. Inter illos rursus FRID. SALICEUS neoelectus Clavennae Commissarius. Extant hic BULLINGERI litterae, quibus Fridericum ad officium rite ad gloriae Christi promotionem defungendum stimulavit: Eas integras exhibebo, juvat enim etiam scire quae animorum inter illos conjunctio intercesserit.

„ S. D. Merito Te Domine colendissime et frater charissime vene-
„ ror et permultum diligo, ut qui variis argumentis quotidie discam
„ atque experiar, quanti me facias et quantopere diligas. Ex Vien-
„ na Austriae binas aut ternas scribebas litteras nondum plene confe-
„ cto itinere. Ex ipso mittebas itinere litteras significantes feliciter
„ te attigisse fines patrios: Mox subjiciebas quam benigne exceptus et
„ liberaliter ab Imperatore fuisses honorario munere donatus. Adji-
„ ciebas copiose et perspicue quaecunque arbitrabaris mihi enarran-
„ dum esse rerum Austriacarum. Atque hic Ego videri poteram pa-
„ rum esse gratus, qui ne unas quidem rescripserim litteras. Et qui-
„ dem

„ dem non ingratus modo, sed iniquissimus etiam jure haberer, nisi
„ me impediviſſent, quae nunc apud Te excusant. Viennam tuto
„ non potui ullas mittere Epistolas: cumque audissem Te salvum et
„ incolumen rediisse domum, in diem te una cum filio nostro exspe-
„ ctabam, ideoque omnia in tuum ipsius adventum rejiciebam. Acces-
„ sit nonnulla aegritudo, quae jam aliquot septimanas, omnia mea in-
„ stituta, consilia, negotiaque conturbavit. Nunc vero cum ultimis
„ illis tuis e Tavosa submissis subintelligere videor Te fortassis hac hye-
„ me non venturum ad nos, tempestivum esse putavi, meis his litteris
„ pluribus istis tuis respondere, ne te prorsus a me negligi existimares,
„ quem merito maximi facio, et inter primos et intimos meos amicos
„ colo. Principio Ergo gratias ago Tuae Hum., gratias ago qui tam
„ diligenter, tam copiose et eleganter subinde de omnibus tuis re-
„ bus scribas, semperque his inseras, quae non modo delectant, sed et
„ juvant, atque erudiunt. Inprimis vero gratulor Tuae pietati Prae-
„ fecturam illam Clavennensem nobilissimam obvenisse, ac Dominum
„ oro ut Te donet Spiritu illo principali suo, quo se David Rex incly-
„ tus donari petivit, quo possis par esse muneri tanto. Multa et
„ magna hic a Tua pietate omnes pii exspectant ideoque Domino
„ maximas agunt gratias, qui Te populo suo praefecerit, obsecrantes
„ seduli illum, ut is Te ducat, instituat, atque confirmet, et conservet
„ in sanctissima sua voluntate ad gloriam nominis sui, Salutemque
„ Tuam ipsius propriam, et Ecclesiae suae, quam suo pretioso sangui-
„ ne redemit incrementum et incolumitatem. Ac cernis palam ip-
„ sum Dominum aspirare tuis illis initiis. Quantum enim occasio-
„ nis suppeditatum est juvandi veram religionem et abolendi superſti-
„ tionem per Decretum illud Trium Foederum Tavosi nunc edictum!
„ In iisdem vero Comitiis Tu crearis optimorum Suffragiis Praeses,
„ eorum locorum, quorum nomine Decretum istud promulgatum est.
„ Videtur sane mihi, Dominus ea re te consideraſſe, ac veluti dixisse:
„ *Vides Friderycke, quid velim! Tu designaris jam Praefectus cum*
„ *simul Stipendia Ministris verbi mei decernuntur. Volo itaque ut*
„ *sub administratione Tua currat inoffense verbum meum: Volo ut abo-*
„ *leantur Monachi Antichristianismi firmamentum tutissimum.* Et cer-
„ te praestat Te vigilantissimum esse contra hos, experieris mirificas
„ horum artes, cum contra veram religionem, tum contra ipsa Foe-

„ dera. Nescit hoc genus hominum quiescere. Apud nos fue-
„ runt Monachi in coenobio quod Rütii appellatur, quod et reforma-
„ tum est ad normam verbi Domini ab Amplis. hujus urbis Senatu.
„ Mortui autem sunt Monachi omnes: Unus remansit ex omnibus.
„ Is jam multis annis simulavit se favere nostrae religioni: nunc vero
„ post annos triginta, furtim se subduxit ex coenobio, profugit ad
„ Suitenses; horum implorat auxilium, ac dicit: se cupere restitutum
„ in coenobio illo ordinem ablatum a Tigurinis. Auxilium et con-
„ silium isti fugitivo et perdito contra nostram Remp. suppeditant, qui-
„ bus et alii se se pagi videntur adjungere. Alieno itaque Exemplo
„ discite quid Monachis credatis. Sementum sunt et superstitionum
„ et turbarum, nam soboles sunt Sathanae qui mendax et homicida
„ fuit a principio. Nostri cum nullo pacto restitutionem ordinis
„ fieri permitterent, alii vero postulanti non deesse videantur; quid fu-
„ turum sit divina: certe concertationes non leves. Nunc agitantur
„ et habebuntur Comitia Badae 4. Decembr. Nam et Abbas San-
„ galli mire insolescit, et suis illos graviter premit; queruntur igitur,
„ et pro sua libertate intrepide certant. In Summa: *Die Münch ha-*
„ *bend nie nüt Guts geschaffen, und richtend noch alles Böses an: sind*
„ *voller arger Dücken und Bosheiten.* Proin Vigilate. In omnibus
„ vero Dominum ora, ut is Te dirigat et Spiritu sancto gubernet.
„ Tiguri, die XI. Novembr. 1558.„

Syndici denominati in viam se dederunt exeunte Februario mense, Anni MDLiX. et trimestre integrum mandata exsequendo consumserunt. Et licet illi ex utraque religione componerentur, unus tamen fuit animus omnium, decretum factum in exsecutionem mittendi; hinc adversus querimonias Romano-catholicorum quasi priscis juribus derogatum iretur, ipsi delegati Romanae confessioni addicti, primi aequitatem sanciti Decreti defendebant, et urgebant. Inde factum quod exsecutio absque gravi disceptatione ubivis admissa fuerit. Solum Oppidum Morbenium restitit vehementius, seu quod pauciores essent in eo Evangelici, quam ut reliqui cives tantum beneficii illis adsignari permittere potuerint, seu quod Comensibus ac Mediolanensibus propiores, consiliis eorum obtemperantiores esse amaverint. Etenim et Senatus Mediolanensis et Comensis Episcopus intellecto Syndicorum ad-

adventu, per legatos missos ab incoepto illos dehortari conati sunt. Sed ut propius quae acta fuerint intelligamus, ipsum Fridericum adducam referentem, qui inter primaria delegationis illius membra numeratus fuit. Is de itinere, Kalendis Martii Ao. 1559. Bullingero haec perscripsit: „Huc appuli ante sex dies, in Vallem Tellinam et caetera „ loca Dominis Raetis subdita una cum Dominis Commissariis per- „ recturus pro suscipiendis rationibus nostris, proque his syndicandis, „ qui jam in dictis locis per biennium officio sunt functi prout moris „ est. Dominus Deus vires et ingenium suggerat, ut quae ei placent „ agamus. Hactenus vero aliud nil memoratu dignum egimus, ex- „ cepto quod Decretum alias in ultima Dieta Tafasii habita promulga- „ tum, de Scutis scil. XL. singulis Evangelii praedicatoribus quotannis „ dandis incoepimus exsecutioni demandare. Plurii enim et hic Cla- „ vennae, unde tales reditus sumi, et quibus anni temporibus persolvi „ debeant statuimus, atque adeo, certo sancivimus, non secus et per „ alia loca nobis subdita facturi. Speramus autem hac ratione Evan- „ gelium maxime promotum iri. Quanquam innotuit nobis Senatum „ Mediolanensem, (ut qui consultum vellet iri commodo quorundam „ Ecclesiastiocum) atque etiam Episcopum Comensem, cum in Vallem „ venerimus, legatos suos ad nos missuros, qui conabuntur nobis per- „ suadere ut ab incoeptis desistamus, ita enim nobis est relatum. Volet „ tamen Dominus Deus quod in nobis bene incoepit, pro suae glo- „ riae promotione etiam feliciter absolvere. Ipsi sit honor et gloria „ semper. Toti autem et in hoc sumus intenti ut redituum Eccle- „ siasticorum, qui annuatim ab Episcopo Comensi et aliis Praelatis in „ Dominiis nostris colliguntur inventarium conficiamus: ad quem vero „ finem ipse pro prudentia tua judica: Te vero in reditu, ut nobis „ successerit non celabo. . . Statim ut ex Valle Tellina rediero Com- „ missariatus officium sum susceпturus. „

De exsecutione Decreti in oppido Morbenii refert idem Saliceus, multis oppositionibus in adversum resisti, sic ut de optato eventu spem abjecisse videatur. g) Integrum vero successum sequentes sistunt FARI-

g) Ex Morbenn. 9. Mart. 1559. *Neuwver Dingen hab ich nichts, dann das vvir stets mit Anti-Christo und seinen Gliedern streiten.*

TII lanonice ac familiariſſime ſcriptae. h) „De Statu Eccleſiae in „ Valle Tellina haec habe et de effectu Decretorum in Comitiis. „ Commiſſarii quibus inter caetera haec quoque cura fuerat com- „ miſſa, ſtrenue et optime ſe geſſerunt, et ii quidem praecipue a quibus „ Tu tale nihil exſpectaſſes, quod mihi aliisque non modo mirum acci- „ dit, ſed inſuper etiam ſolatio non mediocri fuit. Cum enim vi- „ dere ſit Deum etiam cum ſibi viſum fuerit, hominum non usque adeo „ bene erga religionem affectorum opera quandoque ad nominis ſui „ gloriam, (ut ita dicam) abuti, in poſterum etiam melius ſperare „ licebit, etſi mores hominum diverſa nos ominari jubeant. Unicus „ vicus Morbenn, aut Morbidus potius, Commiſſariorum Decretis non „ adquievit; de quo tamen in proximis hiſce Comitiis. Habent illi „ malos conſultores, et ſunt ex piis qui culpam rejiciant in eum qui „ ibi cum poteſtate eſt (*Man nennt ihn Podeſtat*) qui eſt Davoſianus, „ utque ex aliis audio, antehac optime ſe geſſerat ſemper in religio- „ nis cauſa, ante, inquam, quam illuc cum poteſtate miſſus eſſet: Pa- „ ter Quaeſtoris Paull Bul, nunc factus eſt *Landtammen uff Davos.* „ Nam prior Gulerus ſcil. praeteritus eſt Capitaneus HERCULES a SA- „ LICE, quo Patrono utuntur pii in Valle Tellina, Davoſiano hoc no- „ mine litem intendit, et res in his proximis Comitiis, poſtridie hic „ futuris diſceptabitur. Qui nunc Capitaneus eſt in Valle Tellina, „ (haec eſt ut ſcis ſuprema illic poteſtas) a noſtra religione abhorret: „ fratrem habet canonicum *hie im Gſtifft iſt einer von Schouvenſtein.* „ Magna autem eſt Capitanei in illis locis Auctoritas. Scis tu filios „ ſeculi prudentiores eſſe in eo genere quam filios Dei. Sed Deus „ qui adhuc ad gubernacula ſedet nondum tamen omnem poteſtatem „ illis hominibus reſignavit; alioquin quid largitiones in illis locis va- „ leant non Te fugit. Quid etiam moliatur Pontifex Romanus ne „ hoc ſuburbium Italiae amittat, in confeſſo eſt. Scribam hic quae- „ dam quae Tibi ſerves dum videamus rei eventum. *Als jetzt zu* „ *Augsburg die Botten von Eydgenoſſen ſamt unſeren von dem Römi-* „ *ſchen Kayſer abgefertiget worden ſind, hat über das Ferdinandus un-* „ *ſern Botten länger aufgehalten, und an ein Ort gnommen, und auf* „ *folgende Weis mit Ihm geredt: Lieber Burgermeiſter von Cur, laſt* „ *Euch*

h) Ad Bulling. die 22. Maji 1559.

„ *Euch um meinetwillen befolchen ſeyn den Herrn a Quadriis im Velt-*
„ *lin: Beſecht Ihn auch in meinem Nahmen, aufs beſt Ihr könnend ge-*
„ *meinen III. Pündten, damit er an ſeinen Ehrlichen Fürnehmen nit*
„ *gehindert werde: will Ichs um Gem. Landen im beſten hſchulden, und*
„ *dieſer aber eſt Familiae Quadriae, ſind Ritter, iſt Fürhabens ein Schul*
„ *im Veltlin anzerichten* (procul dubio ſumtibus Pontificis, exteri enim
„ et advenae Monachi non amplius admittuntur) ut educarentur ibi
„ filii Rhaetorum, qui ejici poſtmodum non poſſent. Haec obiter - -
„ De Thuſſis ſic habe, exuſtum quidem eſſe integrum pagum, qui ae-
„ dificiis tamen dicebatur non cedere Curiae: de Authore non con-
„ ſtat. Papiſtae certe inſultant noſtrae calamitati inſtinctu procul du-
„ bio Sacrificulorum. Sed ſuperioribus diebus ſacrificulus in Cizers,
„ pago ab hinc milliare bene potus in Rheno periit. Haec res illo-
„ rum inſolentiam paullulum retundit.„ Hactenus Fabritius.

Jam eum in ſtatum perductam rem Evangelii habemus, in quo Eccleſiae Vallis Tellinae, Italiae integrae, Phari ad inſtar ſervire potuerint: idipſum vero Hierarchiae Pontificiae Patronos vehementer dolebat, qui proinde poſt ſancita illa ad libertatem religionis Evangelicae cis alpes Decreta, tanto infenſiores Raetis, ſe exhibuerunt. Ad gubernationem Ducatus Mediolanenſis a PHILIPPO II. Hiſpaniarum Rege DUX ALBANUS ineunte Anno MDLVIII. admotus fuit, qui trucidando Lutheranos cultum praeſtare Deo credebat. Malo quae ab eo ad exterminium Evangelii in Raetorum vicinia acta ſunt, illorum declarare verbis, qui ipſa ea aetate vixerunt, et rerum certiſſimi erant. Sic ergo FRID. SALICEUS. „ Significaram Tibi, inquit ad Bull. ſcribens,
„ in ultimis meis ad Te datis Ducem Albae Ducatui Mediolanenſi
„ praefectum eſſe ut eundem gubernet. Is ſimul atque in ſuam pro-
„ vinciam pervenit, mox impoſuit unicuique Patrifamilias per totum
„ Ducatum onus ſolvendi duos coronatos aureos, et ſiqui ſint ditiores
„ reſervavit ſibi augendum. Sed et aliud eſt de eo intolerabilius
„ quod referunt nempe eum inita pace cum Pontifice promiſiſſe perſe-
„ quendos in Ducatu Mediolanenſi Lutheranos; atque etiam accipio
„ ibidem multos Evangelicos inquiri et acriter divexari. Nec ſegnio-
„ rem hac in re operam navare Ducem Parmenſem, ut qui et ipſe
„ pactus ſit cum Anti-Chriſto de perſequendis Chriſti fidelibus. Adeo

„ Anti-

„ Antichriſtus non feriatur, ſed vires exſerit ſuas. Rogandus itaque Do-
„ minus ut ſuis adſit, eosque in fide vera ſtabiliat, ac ſuae Eccleſiae
„ pacem aliquando et ubique donet. i) „ Specialiora tradit Fabritius
ad eundem: cum ſcribit: „ Qui Mediolano ad nos veniunt Viri fide
„ digni, afferunt Hiſpanum peſſime erga religionem Chriſtianam affe-
„ ctum Mediolanum Praefectum datum eſſe. Is cum primo iniiſſet
„ Magiſtratum, non obſcuris auſpiciis, quam porro Antichriſto operam
„ navare vellet, aggreſſus eſt demonſtrare. Duos enim Chriſtianos
„ multis contumeliis prius affectos propter veritatis confeſſionem vi-
„ vos concremavit, quorum alter Monachus cujus ordinis ignoro,
„ cum Sicariorum vi protruſus, ſuggeſtum ob hoc ipſum exſtructum
„ conſcendere eſſet compulſus, ut palinodiam caneret et veritatem publi-
„ ce abjuraret. At is, quoniam, dixit, ad dicendum quid ſentiam
„ huc protrudor, libere et ingenue dicam: tum orſus intrepide in ejus-
„ modi verba prorupit, quae Anti-Chriſti ſatellibus intolerabilia eſſent,
„ qui et ſubito advolarunt, et palmis objectis os ejus oppilantes, de
„ ſuggeſtu eum deturbarunt. Quibus modis eum, et quam indigne
„ deinceps tractarint, ex aliis brevi audies. Nullum audio crudelita-
„ tis genus in eos praetermiſſum. Veneti hodie Vincenzii unum ex
„ mercatoribus noſtris qui Clavennae habitat, propter religionem in
„ vinculis habent. Ex noſtris miſſus interceſſum HERCULES a SALICE
„ ad Senatum Venetum heri. k) *Item*: duos chriſtianos fratres rabie
„ Hiſpanica e medio ſublatos eſſe certum eſt; integra tamen hiſtoria ad
„ me non pervenit. Curabo ut eam habeamus ex Italis fratribus, qui
„ Evangelium in Valle Tellina praedicant. l) *Alia vice*. Qui Me-
„ diolano ex noſtris veniunt afferunt decem ſigna peditum ex Pede-
„ monte dimiſſa Mediolani eſſe detenta. Nuperrime quoque exuſtus
„ eſt Mediolani religionis nomine quidam civis clitellarius, (*ein Satt-
„ ler*) et audio vix abire ſeptimanam, quin aliquod crudele exemplum
„ in

i) Ad Bull. die 10. Jan. 1558.

k) d. 15. Aug. 1558.

l) d. 22. Aug.

„ in pios edatur. „ m) Paullo ante ex Salicei ore percepimus Senatum Mediolanensem juxta cum Episcopo Comensi legatos ad Raetorum Syndicos dimisisse ad impediendam Decreti exsecutionem. Atqui statim ac animadversum est nullam voti rationem habitam fuisse, illico Gubernator Mediolanensis Raetis omnem commeatum interdixit, poena capitali adsignata ei qui Raetis aut Helvetiis victualia cujuscunque generis transire permitteret. Municipia praeterea et castella ad Raetorum et Venetorum confinia, milite praesidiario quam diligentissime instruebantur; quae omnia ex turbulenti Papae PAULLI IV. impulsu, ad invadendos Raetos, et abigendum de Italiae suburbio Evangelium, instrui dicebantur. Raeti ea insolita nova excitati, in Comitia coiverunt die XXIV. Jul. dicti Anni MDLIX. At nil aliud in iis conclusum fuit, quam ut communia cum Helvetiis accipiantur consilia; etenim Gubernatoris Edictum, illos aeque ac Raetos feriebat. n) Faustae mox novellae advolarunt Pontificem PAULLUM, XVIII. Augusti die, vitam cum morte commutasse: ad quas nuncias mox etiam milites illi praesidiarii e locis ubi collocati erant alio evocati fuerunt; sparsumque fuit milites illos solum reliquias esse exercitus qui annos ante aliquot in Pedemontio militaverat, dispergi vero in praesidia illa debuisse ex hybernorum divisione, ne hinc et inde in subditos saevirent. o) Quae quo fundamento nitantur stat penes lectorem judicium.

Praelati Ecclesiastici Pontificis jussu, rem religionis in Raetia curantes, dum milites illi in Vicinia haerebant, adesse opportunitatem non omittendam reprimendi Evangelii in Valle Tellina cursum existimarunt, proindeque consilia frequentia agitabant. Tunc Inquisitores Sondrii per aedes circumvolitarunt, et quos apud suos in angulis reperierunt libros Lutheranos vi extorserunt, et magnam eorum copiam igne cremarunt; nil publicorum Edictorum, aut Repraesentantium curata auctо-

m) Prid. Kal. Aug. 1559.

n) Prolixa exstat eam in rem Ep. Frid. Salicei ad Bull. data 20. Jul. 1559. Archiv Eccl. Tig. Tom. B. XXXVI. fol. 277.

o) Id. Eid. 27. Nov. 1559. Clavenna.

auctoritate. Debebant hujusmodi facta Evangelici silentio premere, ni gravissima a contribulibus exspectare malebant; illi enim Papae bulla, ab omni erga Dominos fide ac jurejurando solutos se credebant. Auctor tamen fidelibus HERCULES a SALICE fuit ut infandum facinus ad publica consilia referatur. Quod num fuerit factum, an potius ut verisimilius silentio praetermissum, non reperio. Interim quia vel rimula saepius multa conspicienda exhibet, ipsum unde haec hausi lectori adponam documentum, litteras nempe Fabritii ad Bullingerum, die 3. Julii anni suprarememorati scriptas, quae ita decurrunt. „Nova illa „ quibus me impertivisti maximi mihi muneris instar fuerunt. Multa „ nuncias laeta, quae ut stabilia sint et diuturna D. O. M. faxit. No„ stri certe sacrificuli non parva spe deciderunt, quibus jam diu nihil „ fuit insolentius. Abbas Sangallensis cum nostro (Episcopo) occulta „ quaedam consilia agitavit. Ejus rei argumento fuerunt internuncii „ crebri, et inter alios Architriclinus, (*dessen von St. Gallen Hofmei„ ster*) qui nostrum ad suum evocavit. Noster expedita jam et pa„ rata habuit ad iter omnia: nunc autem quod ad illam profectionem „ remissius agit. Multum sibi pollicebantur imo plurimum de eventu „ Comitiorum: nunc cum omnia aliter cadunt, plane falsi sunt. „ Quanta audacia et temeritate ille in Valle Tellina egerit, ex eo „ licet colligere quod ad mandatum Pontificis libros Lutheranos suis „ (*im selben Flecken soll auf 600. Fürstätt han*) vi extorsit, et inscio „ Capitaneo, qui in illis partibus cum imperio est, insicio Praetore et „ aliis ad quos summa rerum spectat, magnam copiam eorum igne „ exussit. Haec ideo a nostris clam habentur, quod satius videtur „ Capitaneo HERCULI a SALICIBUS, qui nuper per nos translit, haec „ ad proxima Comitia reservari. Nam summus in Valle Tellina Prae„ fectus non est Noster. Quod si Pontifex subditos qui Lutheranos „ habent Dominos juramento absolvit, ea res procul dubio in illis par„ tibus maximas dabit turbas. De Bulla illa primum ex Te audimus. „ Misi puerum in Castellum ad D. Oratorem cum litteris et manda„ tis. Is si habuerit pro sua humanitate lubens communicabit. Nunc „ quia cursores desierunt esse tam frequentes, difficulter haec parantur. „ Ego tamen ad fratres Italos quamprimum scribam, ut si fieri possit „ inde eliciamus Nova. Hic in vicinia multa sunt terriculamenta. „ *Vor 3. Wochen ist ein Ehren-Mann, der zu Fideris badet hat, auf*

der

„ *der Heimfahrt in der Clus, ſo in das Brüttigeu führt, ermörd, und in*
„ *die Lanquart* (eſt fluvius) *geworffen worden. Nähermahlen iſt der*
„ *Pfaff von Zitzers liederlich ertrunken.* „

Veneti religionis inquiſitionem quidem arbitrio officii ex toto non ſubmiſerant, verum omni Actioni ſeculares quoque ex Magiſtratibus adeſſe juſſerant; hoc tamen Evangelicis miſerum ſolatium erat. „ In hoc „ Illuſtriſſimo Dominio, (ita FRIDERICUS SALICEUS tunc temporis Ve- „ netiis Raetorum Orator) et paſſim in Italia ubi Papa jurisdictionem, „ ut dicunt Spiritualem, obtinet, fiunt erga fideles acerrimae inquiſitio- „ nes. Ipſis enim Inquiſitoribus perampla authoritas data eſt quem- „ vis pro nutu, ut tantillula accuſatiuncula praecedente, capere, quae- „ ſtioni ſubjicere, condemnare, & quod atrocius ipſa morte Romam „ transmittere poſſint; quod tamen ante hujus Papae (Paulli IV.) „ creationem fieri non conſueverat. Sed quid? Adverſarius non ceſ- „ ſat, et ubique vires exſerit ſuas. p) Ego hic diutius detineor quam „ vellem. Nullibi deſunt adverſarii, eſtque qui nobis adverſatur ſem- „ per ſui ſimillimus, ſuntque tales et ejus ſequaces et pediſſequi. Mihi „ non conſtat, quando evolvam me ex hoc labyrintho. Inſto tamen „ diligenter, ut quam fieri poſſit citius expediar. „ q) Ex chartis lau- dati Friderici colligo quaspiam conventiones inter Venetorum Sena- tum et ipſum Raetorum legatum quoad inquiſitionis punctum, et qui- dem in favorem Raetorum conſtitutas fuiſſe; quaenam autem diſtinc- te fuerint, monumentis deſtitutus pronunciare non poſſum. Conven- tiones tamen qualescunque fuerint, eodem ſemper modo Inquiſitores ſaeviebant; nec deerant unquam praevaricatoribus effugia. Ad eum modum in infelices illorum manus non diu poſt Friderici Venetiis diſ- ceſſum incidit Vicenziae Mercator quidam, qui ſtatim atque Raetius eſſe Clavennenſis et Evangelicae Religioni addictus eſſe agnitus eſt, illi- co in vincula conjectus fuit. Adeo nusquam Raetis extra ditionem ſuam tuto verſari licebat. Denuo igitur mittendus publica auctoritate fuit, qui concivem eriperet, antequam rabiei illorum victima immola-

p) Ad Bull. Kal. Aug. 1557.

q) Id. 9. Aug. 1557. e Venetiis.

retur. Ei commissioni exsequendae idoneus judicatus fuit HERCULES SALICEUS, Vallis Tellinae ex-Gubernator, saepius a nobis memoratus, qui nuperrime ex Gallia, a legatione qua apud Christianiss. Regem summo cum applausu defunctus erat, jam in Patriam redierat. Passus est Hercules novum onus sibi imponi, Venetiasque adiit: Sed ut eo facilius et certius commissa perficeret, prius a Gallico legato tunc Haldenstenii in castro residente litteras accepit ad Episcopum quendam qui Regis nomine legationem apud Venetos obibat, in quibus iste stimulabatur Herculis negociationi pondus adderet. His praemunitus ac stipatus subsidiis Hercules, coram Amplissimo illo Senatu se stitit, spe sane plenus se ea quae cum Friderico transacta fuerant, in memoriam revocantem liberationem detenti boni viri haud difficulter impetraturum. Ast nihil minus. Senatus Venetus tergiversari, nec quae promissa interveniissent superiori anno sancita amplius velle recordari. Causam igitur Hercules de novo disceptandam suscepit, eaque parrhesia in Veneto Senatu contra Pontificem Romanum libere detonuit, ut inter ipsos Reipublicae Principes nata disceptatio fuerit: „An quod „ hactenus factum est, in causa religionis, ex aequitate actum esset, et „ num integrum sit Pontifici relinquere quidvis pro arbitratu in Luthe„ ranos decernendi. Tandem quod intenderat, ex voto obtinuit. Totam rem plenius ex Fabricii litteris edocemur, quibus legationis illius successum Bullingero retulit; quae sic se habent. „Legatus Re„ gis Galliae nuper quoque ad Senatum Venetum intercessit pro eo „ qui ex Mercatorum est numero, et litteris quoque de eadem re ad „ Episcopum quendam, qui Regis nomine legationem apud Venetos „ obit, scriptis, multum in ea quidem causa laboravit. Et ad id quod „ a Venetis impetratum est, maximum adtulit adjumentum. Nam Se„ natus Venetus tergiversari, nec ea quae promissa interveniissent inter „ se et D. Frid. a Salice, superiore anno velle amplius recordari. De „ integro ergo illa causa disceptanda fuit per HERCULEM a SALICE, „ qui prudentia singulari totum hoc negotium confecit; et quod tu „ vix crederes, ejus autem rei ipse testes adducit satis idoneos, contra „ Pontificem Rom. in Senatu Veneto multa liberius dixit; ita ut in„ ter ipsos Reip. Principes tandem disceptatum fuerit: An quod hacte„ nus factum est, recte Pontifici integrum relinqueretur, quidvis pro „ suo arbitratu in Lutheranos, ut appellant, statuendi et decernendi.

„ Et

„ Et postmodum etiam a non nullis patricii ordinis hominibus, maxi-
„ me junioribus (nam senes inviti hoc audierunt) ei gratiae singulari-
„ ter sunt actae, quod homo exterus, qui ex militia Reip. esset, ausus
„ fuisset semel proloqui, quae patricius aliquis sine capitis periculo vix
„ dixisset. Haec mea eo redeunt omnia ut credam nos non per
„ omnia ab eo nos posse abalienare, qui amicus esse velit: quod et
„ Tu ipse sentis. r) „

Quantumcunque tamen Monachi exteri res suas agere jussi fuerint, et accessus ad Raeticas ditiones illis prohibitus fuerit; illi tamen ex Zeli obtentu indidem circumvagari et qua publicis orationibus, qua privatis sermonibus animos suorum adversum Evangelicos odio, imo furore implere, reperiebantur. Non juvabat illos ad Disputationem evocare; illi enim quando convitiorum plaustra in haereticos evomuerant, et acerbationum semina sparserant, officio graviter se defunctos credebant, et congressus omnes cum Evangelicis devitabant, ac suis ipsi auditoribus ne ad id extremum rem devenire permitterent, auctores erant. Ex illorum genere Clavennae compertus est FRIDERICO SALICEO Commissario, unus, qui qualia adtentarit, et qua ratione se explicaverit, ex laudati illustris tunc Judicis ore intelligemus.

„ Missantes (ita Fridericus) hic habuere Monachum quendam, qui
„ pro more et suo et suorum similium multa impie docuit: cumque
„ peteretur a nostratibus Ministris ut admitterem Disputationem, qua
„ ejus doctrinam impugnare e S. Scripturis possent; jamque id ipsum
„ facerem, renuit ille quidem subire provinciam: Sed magis instabant
„ ejus auditores ut Disputationem abolerent, quippe cum ex ea dissi-
„ dium ingens timeretur exoriturum. Et sane cum utrinque animos
„ incalescere, et plus satis commoveri cernerem, nec interim tamen
„ spes aliqua esset praecipua, fructus ex ea Disputatione colligendi,
„ Disputationem quidem rejeci: at cavi ne in posterum hujusmodi
„ errones et utique aves pessimae nos accedant, nisi servatis servan-
„ dis; quae talia sunt, ut vix quisquam libenter, vel saltem usque adeo

 „ libere

r) d. 26. Octobr. 1559.

„ libere ad nos veniat. In hoc enim ſum totus ut quantum poſſim
„ Pſeudoprophetas iſtos a nobis relegemus. Dominus Deus ſuis fide-
„ libus opem ferat. Clavenna, 17. April, 1560. „

Ne vero per Monachorum exterorum abſentiam, refrigeſcat in his ditionibus populorum in Romanam ſedem devotio, et ut averſio contra Evangelicorum dogmata altas radices nanciſcatur, aliud medium tentatum eſt. Ordo Patrum qui e SOCIETATE JESU dici amavit ab IGNATIO LOJOLA inſtitutus ab Anno MDXL. quo a Supremo Pontifice confirmatus fuit, ea jam ſacrae in Romanam ſedem obedientiae intra parvum tempus ſpecimina ediderat, ut in ſtabilimentum Eccleſiae Romanae, et cohibitionem haereſium prognatus eſſe celebraretur: Iam Principes qui ſacra apud ſuos avita, ſarta cupiebant, ſuaſore Pontifice, his cuſtodibus carere non poterant. Conſilium ergo fuit, Patribus dictae Societatis collegium unum in celebriori aliquo Vallis Tellinae loco fundare: ut eo ſemel intra Raeticarum ditionum fines ſtabilito, perpetuum ſtaret Seminarium ex quo identidem protruderentur qui rem Eccleſiae fulcirent, haereticorum progreſſus cohiberent; certaque ſpecula, de qua liceret conſilia Raetorum explorare, et quasvis alias circumſtantias advertere in utilitatem aut detrimentum Romanae ſedis tendentes. Conſilio huic effectum daturus ANTONIUS QUADRIUS Eques Pontenſis, et FERDINANDI I. Imperatoris Medicus, aedes ſuas Ponte cum bonis, ad aliquot Patrum ſuſtentationem Societati illi munifica donatione legavit: ad quorum poſſeſſionem adeundam ex PETRI CANISII Societatis per Germaniam Provincialis dimiſſione Anno MDLIX. BOBADILLA cum aliquot Sociis (Fabricius ſcribit fuiſſe XII.) s) illico Pontem devolarunt. Verum hoſpites hi novi neu ordinibus aliis Romanae Religionis, qui ab olim ſedes in Valle Tellina habebant, neu dominantis Reipublicae Proceribus admodum grati erant; metuebant enim illi ne de ſancta opinione quam hactenus apud populum habuiſſent, per horum adventum decederent; hi ne per illos pax publica turbaretur, ad quod imprimis valere proclamabantur. Iis de cauſis dictum ſodalitium, juxta cum Monachis aliis exteris Raeticis ditionibus abeſſe, de communi conſilio juſſum eſt. Id quando fundator intellexit apud Hel-

s) Ad. Bull. 20. Nov. 1559.

Helvetios catholicos sollicitavit ut illi a Raetis permissionem Societatis, et ratificationem donationis illi factae impetrarent: t) quin imo ipse Caesar promotionem ejus rei consuli Curiensi, Augustae Vindelicorum, et insinuavit, et magnopere commendavit. u) At Senatus Raeticus primo Decretum priscum non modo confirmavit, sed et lege cavit ne Monachis Pontificiis advenis ullus in Valle Tellina locus aut Hospitium detur: praeterea ut Hispanus Monachus, (reliquos interea aut discessisse aut latitasse oportet) cui hospitium dedit ille a Quadriis ex finibus ejiciatur, aut quaestioni subjiciatur, nisi paruerit, et quos nobilium filios abducendos curavit, reducat: item ne posthac liberum sit nobilibus in Valle Tellina clandestinas extra patriam legationes mittere. v) Verum ad efficaces adeo commendationes Decretum contra Jesuitas factum vim omnem amisit. Major pars Foederis Gryfaei petito Equitis ANTONII favebat; alii etiam ex Evangelicis, quorumpiam favorem ambientes. Id cum non ignorarent Jesuitae, firmi in loco substiterunt, parum curantes bis an ter a Senatu III. Foederum ad sua abire jussi fuerint; et ex eadem causa Repraesentantes Raetici Decretorum intimationem et exsecutionem lubentes neglexerunt: imo vero Vallis Gubernator RUDOLPHUS a SCHAVENSTEINA legationem Equitis Antonii ratam habuit. Delatum hoc negotium postea ad Communitates Raetiae fuit, et ab his in comitia rejectum, quorum votis secundum majorem numerum confirmatio Schavensteinii resciſſa, legatum ipsum ad donatorem redire jussum fuit. x) Biennio post nova decreto

t) Quadr. Tom. II. p. 610.

u) Fabric. 22. Maji, 1559. hoc capite supra adduct.

v) Fabric. ad Bull. 29. Maji 1559.

x) Idem ad Eund. 20. Nov. 1559. Strenue nobis laborandum est contra illum hominem a Quadriis, qui nescio quorum nitatur auxiliis. Hoc certum est, eum donationem jam fecisse, et in possessionem misisse duodecim homines Hispanos, et alios sacrificulos duos, qui sacra illorum peragerent; et Praesidem Vallis Tellinae (Capitaneum vulgo appellant) qui in illis partibus cum summo imperio est, hanc donationem ratam habuisse. En hominum extremam impudentiam! Quid tu nunc ageres, si hic esses. Nos clamamus ex gutture, modo hos, modo

creto exsilium illi Societatis collegio intimatum fuit: adeo sibi in tempore praestruendum Raeti putabant, ne ab admissis semel, publica pax suffoderetur. Jesuitae vero non tam quae Senatus Raeticus in se Edicta vibraret attendere, de favore potius Caesaris aliorumque Principum semper solliciti fuerunt; de quo certi facti Ponte in domicilio suo haerere nil dubitarunt, parum curantes aequo animo an iniquo a Dominantibus tolerentur: quo pede in hunc usque diem inibi substiterunt.

In ipsa Raetia dominante reperti sunt, quos ad doctrinam Evangelii apud suos in odium pertrahendam, impostoras subornare et coelestes apparitiones, hortamentaque divina jactare non puduit: Erant etiam quidam Sacerdotes, oris valde effreni, qui quaevis convitia utcunque in buccas veniebant, de suggestu sacro in Evangelicos amplissimis modiis con-

modo illos manu prensamus, nihil denique intentatum relinquimus. Causam obtinemus denuo: fit Senatus consultum contra Monachos et Capitaneum, acerrimum: Rescinditur omnis Capitanei actio. Monachi jubentur Valle Tellina excedere. Sed haec tamen non tanto cessabunt ordine rerum. Potens est illa altera factio: sed potentior est Christus cum suis. Plura si petis dicet nobilis vir Nod. Landolfus, qui et ipse Christi causam strenue defendit. Accedit ad hoc malum aliud. Rusticus quidam etc. „ Mox exscribetur.

Id. Eid. 16. Decembr. 1560. Episcopi causa haeret adhuc —— Superioris Foederis homines, et ipsi inter se seperatim conventus agitant. Scio quorundam malevolentiam. Scio V. pagorum practicas. Timeo aurum Pontificium, et quidem ut timeam graves habeo causas. Jesuitae non cessant (hoc unum Tibi sit pro exemplo, jam secundo jussi, solum mutare, nedum quietem parent. Illi qui in Valle Tellina praesunt ne litteris quidem et actis Illustrissimorum III. Foedd. Dominorum hactenus paruerunt. Nunc quidem Superioris Foederis homines conantur id quod semel iterumque in Comitiis contra Jesuitas obtinuimus infectum reddere. Si audires quid hisce diebus pro illis actum, et quibus authoribus, mirareris. Item d. 23. Decembr. *Der Jesuiter-Handel ist abermal mit der Hülf Gottes erwehrt. Wiewol der Landrichter in dem Obern Pund Ihnen schon vergünt hat. Man schreibt den Amtleuten rauh und mit allem Ernst sy angehends zu verweisen. Doch komt die Sach für die Gmeinden, und was jetzt auf offenen Pundstag beschlossen wird muss gelten. Was bisher wider die Jesuiter fürgenommen und gehandlet ist allein in Beytägen beschehen. Darum muss man Gott bitten das er weiter helffe.*

conjiciebant; neque manibus abstinebant, si forte Ministrum aliquem iter suum prosequentem in via deprehendebant: quae fortissima illorum hominum argumenta erant. Ita JACOBUS GEORG. WANZUTT Panixii prope Desertinam Vurtzianae Jurisdictionis in Foedere Grysaeo, aedituus, rusticus homo, nec vitae usque adeo probatae, jactavit: prima Novembris die, Anni MDLIX. super uno altarium, Angelum sub triennalis pueruli specie sibi adparuisse, qui sibi in jussis dederit tria in eo circuitu Sacella exstruere, in quibus debeat sancta Missa celebrari, siquidem hae regiones multa mala perpessa sint, ex quo divinum istud officium negligi coeptum sit. Idem Angelus illi revelaverat magnam et sanguinosam stragem GLARONENSIBUS imminere, et CURIENSES, ni respiscant, ad eundem cum Thosanensibus modum plectendos fore. y) Con-

y) Fabric. 20. Nov. 1559. vid. paullo ante. Accedit ad hoc malum aliud.] Rusticus quidam, in Superiori Federe, apparitionem jactat, nescio quam angelicam. Dicit enim a se conspectum esse Angelum qui jusserit tria Sacella in illis locis exstrui, Missamque in illis celebrari. Opus plane Apostolicum quod ex quo intermissum sit, hisce regionibus multum damni dederit. Videas homines attonitos rustico credere: Videas ad illum locum frequentem concursum, ligna, lapides caementum comportari, quo opus tam pium effectum habeat. Et quod magis est, narrant fratres, qui isthinc veniunt, quandam Communitatem nomine Thisitis, rustici verba decrevisse Authoritate publica, diplomate et Sigillo cusa confirmare, quo testimonio ille fretus pergat in vicinam Helvetiam, cum illis quoque laetum hoc visum communicaturus. Narrant iidem fratres, se vidisse litteras a tribus pagis scriptas ad Superioris Foederis homines, quibus eis exprobrant, quod homines a se proscriptos contra Foederis capita sustentent. Haec contra Beccariam.

Idem eidem. Salvus et incolumis domum redii. Pacata hic reperi omnia, praeterquam quod Angelus ille, de quo alias, novas turbas dedit. *Der Baur rühmet sich einer neüwen Erscheinung, und als den Maytag, die Herrn von dem Obern Pund bey einander versammlet gsin, hat er dies sein Fabelwerk vor Männiglichen eröfnet, welches alles in die Federn empfangen, und also ist aus seinem Mund aufgezeichnet worden. Ein Copey ist mir worden von meinem Herrn Burgermeister Ambrosi; han sie aber ausgelichen, soll mir wieder zugestellt werden. Es möchte sich jemands verwundern, das witzige Lüth so viel auf Fablen sollen bauwen, wie aber von denen gschicht die dieses alles gen Lucern geschriben, und in allen Kilchen hand lassen verlesen; des sich die Evangelischen zu sondern grossen Verdruss annehmend: Wird derhalb* in

Conflagraverat Thosana paullo ante vehementissimo incendio, non absque suspicione injecti ignis abs nefandis grassatoribus qui ad vastanda Evangelicorum oppida passim per Germaniam, Helvetiam, et Raetiam subornati et emissi fuisse dicebantur. z) Plebs Romanensis statim atque se coelesti visitatione dignam habitam esse intellexit, frequens ad divae apparitionis locum confluebat; et statim ligna, lapides, caementum, aliaque ad fabricationem fanorum ab Angelo injunctorum stupenda celeritate comportata fuerunt. Divinae dignationis hominem autem nemo affari sustinebat, qui donario aliquo non fuisset onustus. Ad aliquot millia adscendebat numerus visitantium: et offerebantur illi pecuniae oves, gallinae secundum vires, alia: sic ut ex pietate illa eum ditatum fama tulerit. Ea erat catholicorum devotio, ut si inter illorum unum et Evangelicum alterum super eam visionem, disceptatio oriri contigisset, illi ad unum omnes consurgere, et ad arma currere nihil dubitavissent. Tanta animorum erat contentio et Zeli catholici efficacia. Stupebant prudentes quivis, et Evangelici omnes ad altam adeo superstitionis profunditatem. Augurabantur alii hoc ipsum factum aeque atque Clavennensis beatae illius Virginis adparitionem, tandem Divino auxilio in lucem producendam et imperitae plebeculae oculos aperiendos fore.

Jurisdictio Desertinensis sub cujus territorio factum evenerat, litteris publico nomine, Communitatisque sigillo signatis, relationi, de facto illo, fidem suam constare diserte testata est: quo testimonio impetrato Impostor in Helvetiam excurrit, et passim terrarum angelicam adpa-

in nächstkünftigen Beytag davon gehandlet. Es staat unter andern der Engel habe gesagt: den Glarnern seg ein bös Bad überthan, und sye z' förchten gros Blutvergiessen: und so sich die Churer nit werdend bessern, werde es Ihnen ergahn wie Thussis. Darbey man wol sicht in was Haffen das Mus kochet ist. Und das noch so vielmehr ist, so ist auch alles gen Rom kommen durch der V. Orten Botten, die dem Pabst Glück zu wünschen dahin sind geschickt worden: Also bringt das für gewiss aushar Landvogt Dielegen (Salicaeus) *der damal als Ammann Lussi von Untervalden zu Rom ankommen, an denselben Orten gewesen ist.* Dat. 27. Maji, 1560.

z) Conf. Camp. Lib. II. Cap. LXIV. pag. 1332.

adparitionem notam fecit, unde factum ut frequentissimae catervae ad sancti fani visitationem convolaverint. Glisebant et exercebantur eo tempore ob religionis exercitium inter Glaronenses gravissimae contentiones, eo quod Romanensi fidei addicti Evangelicos ab omni sacrorum exercitio excludere tendebant. Animum suis augebat Pontificis nomine delegatus Comensis Episcopus; et causam eorum ceu communem sustentandam susceperant Cantones catholici quinque: ab Evangelicorum parte stabat major indigenarum pars, favebant Tigurini, et Raetorum nobilior simul ac major pars. Saepius ad arma inter disceptantes convolatum fuerat. aa) Videbatur igitur hic Angelus de coelo descendisse ad cogendum suos in concordem animum ad decertandum alacriter pro S. fide, et ad deterrendos Protestanti parti addictos. Et revera motibus illis ita consternatus fuit FRID. SALICEUS in rebus de religione tractandis versatissimus, ut per Deum rogaverit Tigurinorum Antistitem, ut potius Evangelicis author esset, jure suo potius aliquantum cedere, quam ut constanti rigore bellum in universam patriam provocarent. bb) Caeterum tribuebatur pia illa fraus inter catholicos illos non insolita, inventioni primarii cujusdam illorum Viri, qui pensionibus (ab Hispano an a Gallo acceptis pronunciare non possum) eminebat, quique nil pensi duxerit ex populi credulitate intentum mente praeconceptum assequi: at cujus nomini aetas peperit. Fuissent Evangelici totum drama facile exsculpturi, si in suam potestatem rusticum illum accipere, et quaestioni subjicere permissum fuissent. Rebus interea sic stantibus Evangelii Ministri pro Synodo congregati decreverunt auditores suos monere ut certitudini scripturarum soli, adtenti et fixi inhaereant, et nihil praeterea in praesenti tentent, donec ii motus per se desidant. a) Quia coelestis ea visitatio rustico

aa) v. Hott. Tom. III. pag. 885.

bb) Ejus litteras dabimus sub finem Capitis.

a) Idem Eid. d. 16. Jun. 1560. Synodus nostra tandem soluta est, cum durasset totum triduum. Fratres indicarunt rem in Sup. Foedere ad magnos motus spectare, nisi Deus conatibus quorundam pessimis obviam eat. Tantum potuit ille Diabolicus Angelus. Sed spero brevi amentiam eorum manifestam fore

illi tantam benedictionem corporalem in aedes intulerat, exstitit Februario Mense statim insecuti Anni MDLX. in eadem circumvicinia, alter, qui eodem honore se a Deo affectum esse gloriatus est. Sed hunc pari successu et affluentia gratiae beatum fuisse non reperio. b)

Huc accedit virulentia Sacerdotum. Sacrificulus quidam, *haec Fabricius* „Doctor Theologiae homo senex et a Curiense Episcopo in „ has partes Roma accersitus, tunc vero Ecclesiae Emisenſi, quae distat „ medium milliare a Curia, praefectus, non verebatur inter concionan„ dum modo Curienses, modo Tigurinos appellare et haereseos dam„ nare. *Er hat vielmalen* loquor Fabritii verbis *gſeyt der Ketzer zu „ Cur zu St. Martin, It. die Zürcher die Schelmenbücher druckend. „ Darumb hat er gen Cur nit dörffen kommen. Wir hand auch da„ rumb auf Ihn nit gedrungen, das er es unſer Sach gut gemacht mit „ ſeiner groſen Unbeſcheident.* c)„ Quam fortibus argumentis illi instructi

fore. *Etlich duſend Perſonen ſind der Capell zugeloſſen, in deren der Engel ſoll erſchienen ſeyn, niemand leer. Bringend Geld, Schaaf, Hennen.* Ita hic rusticus brevi ditabitur. *Es iſt als ein verderbtes Weſen. Doch ſo hoff ich dies. Wie andre auch ſolle letſtlich zu Fürderniſs des Evangelii dienen, ſo Ihr Büberey entdecket vvürde. Es ſtaat ſo gefarlich im obern Pundt das vvan nun zvveen Mann um dies Handels Willen zu der Weer kommen. ſo meint man, es vvürde ein gros Blutvergieſſen folgen.* Quae de Angelo paterne mones, omnia prolixe sunt in Synodo nostra discussa. Nemo est Curiae qui credat, omnes clamant rusticum tormentis subjiciendum esse. Et certe res est ficta et ementita, propterea quod rusticus dicitur avarus esse in primis homo, nec adeo probatae vitae, ut visiones Angelicas jactare debeat. Et quod magis est, qui dicitur esse artifex hujus tragoediae totus est obnoxius pensionibus. Et cum adhibuissemus consilio nostro viros claros ex Foederibus, suaserunt omnes, in concionibus diligenter monendos esse fideles, certitudinem scripturarum urgendam, et nihil in praesenti praeterea tentandum, donec hic motus per se sopietur. Omnia sunt vana et foeda; nec unquam venit mihi in mentem cogitare, homines esse tam extreme deploratos et stupidos qui talia deliramenta credant.

b) Hotting. K. G. Tom. III. pag. 849.

c) Ad Bull. 28. Octobr. 1560.

instructi depugnaverint, expertus aliquando est Alexander Salutius Thosanensis Ecclesiae Pastor, Philippi Gallitii filius. Ex cujus ore modum, quo tractatum causae punctum fuerit, audiemus: „Lubet, *inquit ad Bullingerum*, morari et isto: filium meum Alexandrum hinc „(ex Curia) pergentem ad suam parochiam (Thosanam) in publico „itinere, hinc ad medium milliare germanicum adorti sunt decem Sa„crificuli sive larvae pessimae ejus gentis, (liceat de malis male loqui:) „eum verberarunt satis. Aderat laicus quidam proclamans *Frid*; „quo nihil commoti sunt, sed et ipsum deterruerunt verberibus in„tentatis. d)„ Ex ungue Leonem. Edocent ista quid facturi fuerant homines isti, si corpora et bona Protestantium in illorum manibus stetissent.

PAULLO IV. Pontifice fatis erepto, ob Cardinalium differentia suffragia cathedra Romana quatuor menses cum semisse vacavit: tandem ex potiore Suffragantium numero, mediantibus Jo. Jac. Medicei Marigniani olim Marchionis et Castellani Mussiensis, fratris sui, largitionibus in Successorem renunciatus est JOANNES ANGELUS MEDICEUS, idem ille qui ab Anno 1524. ad 1529, Mazzii in Valle Tellina Archipresbyterum egerat, et mitrae Curiensi inhiaverat. Hic PII IV. nomen adoptavit et statim atque Tiara coronatus fuit, in infensos sibi, maxime in Caraffarum familiam, cujus Paullus antecessor ejus fuerat, obtentu facile arcessito, vehementissime desaeviit. Isdem etiam in Evangelicos acriter inquiri et graviter procedi jussit; maxime in Romanae Ecclesiae territoriis et in Neapolitano regno dura passi sunt qui exquiri potuerunt: Plurimi illustres Viri una cum uxoribus misere interemti. Super alias celebris est strages Junio mense Anni MDLX. in Calabria edita, qua LXXXVIII. fideles uno die inhumano prorsus more porcorum ad instar sanguinolento cultro mactati fuerunt, quam JO. FOXUS seu potius HENRICUS PANTALEON Martyrologio suo, ex Epistola SIMEONI FLORILLI Clavennae V. D. Ministri ad WILH. GRATTAROLUM data recensuit. Quum vero dictus FLORILLUS Raeticae fuerit Synodi membum, eique monumentum istud historicum debeamus, meum existimavi, ut ejus Epistola ad Clarissimum Virum

d) Gallit. ad Bull. 5. Octobr. 1556.

WILH. GRATTAROLUM Medicinae Doctorem, Clavenna d. 21. Aug. MDLX. Basileam perscripta heic quoque exhibeatur, qualem Grattarolus ex italico versam Foxo communicavit, et ab hoc jam a ducentis et octo annis in illo opere visenda prostat. e)

„ Quod supereſt, quantum ad eos qui de me male loquuntur „ parum curo, modo habeam conſcientiam coram Deo et piis ac bo„ nis hominibus. Spero enim me ſumma patientia ſuperaturum omnes „ linguas, et omnes ſimul inferorum potentias, detectumque tandem „ iri hypocriſes, fictiones, et omnes malitias maxime falſorum fratrum „ et haereticorum. Ita Deum oro cito faciat ob gloriam ſuam, et „ bonum ſuae Eccleſiae, quae eo valde indiget. „

„ De rebus autem novis non aliud habeo quod ſcribam, quam quod „ mitto exemplum litterarum impreſſarum Romae aut Venetiis de Mar„ tyrio noviter patrato per CALABRIAM in duobus oppidis ad octo ita„ lica milliaria CONSENTIAE vicinis, quorum unum vocatur SANCTUS„ SIXTUS, duobus paſſuum millibus juxta Montaltum, quod Duci „ Montalti paret; alterum vocatur Gurdia, ſitum ſupra mare ac XII. „ milliaribus vicinum Sancto Sixto; quae duo oppida deſtructa iam „ ſunt, et interfecti habitatores ad numerum octingentorum, vel eo„ rum fuerunt circiter mille, ut alius ſcribit ex urbe Roma 21. Junii: „ qui vero ſcripſit erat famulus ASCANII CARACCIOLII. Gentes illas „ ego non cognovi ex Valdenſium origine, bonae doctrinae, et me„ lioris vitae. Nam antequam Geneva diſcederem, miſſimus ad eo„ rum inſtantiam duos Miniſtros verbi, et duos Scholae litterariae Ma„ giſtros. Miniſtri anno praeterito fuere Martyrio affecti, unus Ro„ mae, qui vocabatur IOANNES ALOYSIUS PASCALIS ex Lunio civitate: „ alter Meſſinae JACOBUS BOVELUS ambo Pedemontani. Hoc anno „ autem reſiduum piorum illorum hominum martyrio ibi deletum eſt; „ ſpero futurum hoc bonum ſemen Italiae, ut producat bonum, et „ copioſum fructum. Sequitur ergo exemplum praedictarum litterae„ rum ſcriptarum ex Montalto Calabriae oppido a Conſentia 8. paſ„ ſuum millibus diſtante ſub XI. Junii 1560. At qui ſcripſit, ut videre „ eſt

e) Fox. Part. II. Fol. 337. Baſ. 1563. ap. Nicol. Brylingerum.

„ est, ex eorum numero est, qui se catholicos vocant, atque Papam „ sequuntur. „

„ Permagnifice Domine! Hactenus scripsi quantum indies peractum est: hic circa hos haereticos nunc dicere occurrit quem ad „ modum hodie, quae est XI. Junii, summo mane coepta sit fieri „ horrenda justitia contra hos Lutheranos; qua in re solum cogitans, „ horreo ac tremo: et ita vobis affirmo, horum omnium mortem fuisse veluti vervecum seu castratorum, ut vocamus. Hi omnes in una „ domo clausi erant, veluti in caula, atque ibat carnifex, et singulos „ arripiens ligabat instita seu benda eorum oculos, et deducebat in amplum locum parum distantem ab ea domo, ibique genua flectere „ jussos cultro jugulabat, sicque exanimes relinquebat: deinde fasciolam illam (bendam italice dictam) sanguinolentam, et sanguinosum cultrum capiens ad alium pergebat, eumque simili ratione mactabat. Poltea lanienam talem secutus est usque ad numerum hominum octuaginta octo: quod quidem spectaculum quam miseratione dignum ac lugendum fuerit, vobis cogitandum, et considerandum relinquo: nam scribendo vix a lacrymis tempero mihi, neque aliquis „ fuit ex spectatoribus, qui uno moriente viso, alium itidem videre „ sustinuerit. Tam enim humiliter ac patienter ad Martyrium, et „ mortem eunt, ut creditu sit impossibile. Ex illis morientes aliqui asserunt se credere idem quod nos: nihilominus magna ex parte moriuntur cum illa ipsorum maledicta obstinatione. Senes omnes sunt „ ad mortem alacres: sed juvenes sunt perterrefacti. Horresco videre „ carnificem sanguinolentum cultrum in manu cruentatisque omnino „ brachiis, ac venientem ad domum illam, et unum aliquem capientem, ita ut lanio videatur qui vervecem interficere velit. „

„ Ordinatum est, et iam hic sunt plaustra ut omnes illi jugulati „ scindantur singuli in quatuor partes, quibus plaustra onusta deve„ hantur usque ad initium provinciae Calabriae, et statis locis in com„ pitis ponantur, et cursoria in via usque ad Calabriae confines.

„ Nisi Papae sanctitas, et Dominus vice Rex Neapolis mandave„ verint Domino Marchioni Buccianici praedictae Provinciae Guberna-

„ tori

„ tori, ut manum auferat, ac tandem ceſſet, perget equuleo examina-
„ re alios, et numerum augere ut omnes perdat.

„ Hodie quoque decretum ut centum mulieres ſeniores veniant,
„ quae tormentis, et examine afficiantur, deinde morti ſubiiciantur,
„ ut mixtura fiat perfecta, quo melius ſonet in ore vocabulum fuiſſe
„ ſupplicio affectos tot vel tot partim viros partim feminas. Hoc ſit
„ quantum dicere poſſum de hac juſtitia. Jam ſumus in hora huius
„ diei 14. atque mox audiemus de aliquo iſtorum obſtinatorum quid
„ dixerit, cum ad ſupplicium ivit. Sunt aliqui adeo obſtinati ſeu per-
„ tinaces, ut nolint crucifixum videre, nec Sacrifico confiteri. Et hi
„ vivi comburentur. „

„ Haeretici qui in Calabria capti ſunt numerum 1600. complent,
„ qui omnes condemnati ſunt: qui vero hactenus ſupplicio affecti, fue-
„ runt 88. Gentes iſtae originem habent ex Valle Angronia, prope
„ Sabaudiam, et in Calabria vocantur ultramontani. In Regno Nea-
„ politano ſuperſunt alia quatuor loca horum hominum, de quibus ta-
„ men ignoratur an male vivant, nam ſunt homines ſimplices, idio-
„ tae ligonizatores, et agricolae, et in morte obeunda, ut audio, ſe
„ bene religioſos oſtendunt. Valle Ex Monte alto. XI. Junii. „ Hac-
tenus Romaniſta ille.

„ Videmus ergo ex litteris etiam adverſariorum inauditam tyranni-
„ dem, quam erga ſanctos illos homines iis in locis exercent. Fertur
„ autem Marchionem illum Buccianicum, filium aut fratrem habere,
„ cui Pontifex Cardinalatum promiſerit, ſi omnes Lutherani ea in pro-
„ vincia fuerint exſtirpati. Praeterea cognoſcimus piorum miram pati-
„ entiam, qui ſpe vitae aeternae omnis generis tormenta, et crude-
„ lem mortem conſtantiſſime perferunt, atque victoriam glorioſam ſe-
„ cum ad agnum immaculatum reportant. Faxit Deus ut tandem om-
„ nes populi Jeſum Chriſtum mundi ſalvatorem agnoſcent, confite-
„ antur, et innocenti vita celebrent. AMEN. Haec Florillus. „

Ad calamitatem Evangelicae in Raetia Eccleſiae referenda eſt etiam ſumma Miniſtrorum paucitas, qua fiebat ut multi numeroſiores coetus

coetus omni verbi praeconio carere coacti fuerint. Ea autem paucitas ab avaritia auditorum derivabatur, qui vix tantum Ministris stipendium suppeditabant, aut ex publicis bonis adsignabant, quantum ad officii decus et vitae necessitates requirebatur. Miranda certe metamorphosis. Antea in indulgentias, processiones, funebres pompas, missas, purgatoria, uno verbo, in nugas et mendacia vel animam effudissent; nunc ad fidelis Praeconis sustentationem ad obolum sordidi erant. Ea misera conditio vitae causa erat, ut nulli filios suos sancto Ministerio dicarent, id quod nec mirum est: siquidem aerumnosum vitae genus absque proposita, emolumenti saltem mediocris spe, neminem adinvenit sectatorem. Deficere incipiebant de die in diem Ecclesiastae qui olim coetibus suis Auctores sanctuaria reformandi exstiterant, neque erant ad substituendum novitii. Nullis ea penuria aeque fraudi erat ut Ecclesiis Raetico seu Romanico et Ladino-Sermone loquentibus. Ad germanicas quippe vel ex Helvetia vel ex Germania sponte adveniebant, aut rogati submittebantur operarii: italicis suppetebant exsules plus satis; at neutri horum aedificationi loquentium labio Raetico servire poterant. Diximus hanc in rem superius plura, neque lubet piorum querelas heic renovare. f) Id solum heic repetendum venit,

f) Conf. Lib. I. Cap. X. Addatur et sequens: Gallicii ad Bull. d. 17. Decembr. 1552. „Davasenses pauculos ante annos quatuor alebant Sacrificulos Missantes. Mox totam suam regionem in unam parochiam redegerunt, concionatori unico dantes quotannis centum aureos Rhenenses, qui praedicet quatuor in Templis. Apud nos nullus est quem judicemus nos aptum esse eis. Sperabamus a vobis gravem aliquem virum: nunc pulcra hac spe frustrati, nescimus quo nos convertamus. Speramus ex improviso Deum appariturum. Multae apud nos parochiae sunt carentes concionatoribus. Offerunt Rhenenses aureos 50. quidam 60. Pastores volunt omnes, solvere nemo. Multi Ecclesiastes in Foedd. crede, famem patiuntur; maxima enim pars plus non habet quam 60. Rhen. Qui maxima Salaria habent ad Rhenenses perveniunt 120 Solus tamen Comander noster hoc habet. Scholastici in Foederibus, de quibus speres, aliquid hac in re praestitum iri, sunt nulli. Quo deventura sit res in Foederibus, Deus novit. Caetera vid. Cap. IV. Item Ex Curia d. 7. Aug. 1553.„ Res Evangelica in nostris Foederibus frigidior ubique fit, partim nostrûm, qui doctores sumus populorum salque terrae, negligentia et injuria, partim mortalium nobili ingratitudine, qui Ministros Evangelii tantum non enecant fame. Certe Ego

venit, in ea penuria Ecclesias saepius tales in Ministros acceptavisse, qui et bonarum litterarum expertes erant, et examen Synodi subire ausi nunquam fuerant, et ejus conspectum cane pejus et angue refugiebant. Excusabat Ecclesias equidem necessitas in tantum: at tantam boni ordinis praevaricationem diutius tolerare aut connivere Ministerium non voluit, ne id exemplum *'atazias* et aliorum malorum causa fieret. Integrae itaque SYNODI nomine JO. FABRITIUS et PHIL. GALLITIUS apud Oratores Reip. pro comitiis congregatos Diplomatis Anno MDXXXVII. Verbi Divini Ministerio concessi renovationem et confirmationem sollicitarunt; quam petitionem illi secundum omnes partes ratam habuerunt, declaratione superaddita, ut si quaepiam Communitas ad factae ordinationis tenorem se non componeret, verum concionatorem seu Ministrum (sive indigenam sive extraneum) doctrina ineptum aut in vita scandalosum, contra Synodi admonitionem, retineret, ea ad communitates deferatur, ut adversus eam procedatur et stabilita ordinatio in observationem mittatur. Eam in rem Venerandae Ministrorum SYNODO Diploma datum fuit, sigillo civitatis Curiae communi omnium nomine signatum die tertia Februarii Anno MDLX.

Obstaculorum Evangelio oppositorum copia fecit, quod haec sectio capituli limites dudum supergressa sit. Neque lubens in aliorum agros excurro: at quia occasione Angeli Desertini de turbis inter Glaronenses religionis causa enatis mentionem injecimus, simul et circa spinosae adeo controversiae compositionem FRIDERICI SALICAEI (cujus eo tempore inter Evangelicos dignitas maximi habebatur) consilium exponere polliciti simus, restat nunc, ut fidem liberemus. Amoeboeas itaque Friderici ad Bullingerum monitorio-suasorias, hujusque ad illum responsorias, utrasque vero prudentia, Zelo, pietatis ac pacis amore plenissimas, exhibebimus quibus caput istud claudimus.

I.

Ego hic (Curiae) vix diu ferre potero; quocunque me vocet Dominus. Sunt fortassis nunc tempora illa, in quibus frigescit caritas, abundat iniquitas, sintque homines sui amantes et avari. Dominus Te conservet.

I.

Clarissimo Viro Domino Heinr. Bullingero FRIDERICUS a SALICE S. D.

Rarius quidem ad Te scribo Vir Clarissime, et Domine colendissime; id vero in causa est maxime, quod nolim te in rebus seriis occupatissimum temere molestare. Nihil enim jampridem habui quod scriberem, proinde rogo me habeas excusatum. Sed ne nunc quidem exstat, cujus Te queam reddere certiorem, praeterquam audio Cardinalem Moronum Mediolani esse non admodum magno stipatum famulitio. Caeterum cordatiores autumant jussu Pontificis eum illic immorari, ac veluti spectatorem adesse contentionis inter Helvetios exsistentis, quae nisi commode sopiatur, fore ut favorem quinque Cantonibus sui Patroni nomine impertiat et omnia quidem, quae ipsi in mandatis sunt data, eo sedulius curaturum, ut notam Lutheranismi, cujus alias fuit insimulatus, abs se removeat. Nec desunt qui referant clanculum ab ipso milites conscribi, atque alio dimitti: quod tamen pro vero non assevero. Hoc quidem est verissimum omnium animos in hoc unum intentos esse, ut videant quonam modo haec tanta Helvetiorum controversia dirimatur, et fere plerique praesagiunt finem fore cruentum; quod Deus Opt. Max. pro sua ineffabili misericordia avertat, populoque illi, omnium quidem totius Europae celeberrimo parcat, ne mutuis dissidiis attenuatur. Nihil enim intestino bello illi perniciosius poterit evenire. Ideoque rogandus est Dominus Deus devotissime ut manum suam apponat. Interim vero colendissime Domine Bullingere, etsi noverim Te communis Patriae saluti, ut qui omnium maxime invigilare, ut qui etiam et pietate, qua patriae fumus devincti, caeteris omnibus praestas, et proinde minime opus sit apud Te ulla exhortatione, ut pro singulari auctoritate tua intercedas quo pax inter Helvetios coalescat: attamen et hisce meis Te tanquam equum, ut dicitur, currentem commonere volui, ut quantum salvo Dei honore poteris cures hoc Helvetiorum perniciosissimum dissidium componi, et dummodo veritas Evangelii non opprimatur, author sis tuis, ut potius aliquantisper de jure suo cedant, quam ut ferro dimicent. Quod si feceris procul dubio pro ingenti authoritate tua efficies plurimum, ac cum summa

laude tua Patriae saluti admodum consules. Et haec quidem a me rogo eo accipias animo quo scribo: nam metuo certe, ne illa contentio toti Helvetiae detrimenti, nisi transigatur, adferat plurimum. Porro audio tractari ut foedus inter Papam, Venetos, Ducem Urbinatem, et alios quosdam Italiae Principes, quibus suspecta est Regis Philippi potentia, ineatur, quibus vero conditionibus id fieri debeat, ignoro. Regem Galliae defunctum ajunt. Hoc insuper intelligo hisce praeteritis diebus aliquot milites turmatim Comum advenisse, ac inde etiam alio evanuisse. Quid vero hujusmodi erronum peregrinationes sibi velint non assequor, ac timeo ut intelligam, quid sit. Si quid rescivero scies. Tu cum Tuis omnibus bene valeas, quos omnes meo nomine plurimum salutabis. Die VII. Decembr. 1560.

II.

Clarissimo Viro D. Friderycho a Salice Commissario Clavennae Comitatus dignissimo, Domino suo colendissimo, et fratri charissimo.

S. D. Diu sane non ad Te scripsi Vir Clarissime: vicissim multas a Te accepi. Gavisus sum visis tuis ultimis, datis 7. Decembr. Verum mi Domine et frater, quid in hoc negotio valeat mea auctoritas, in quo res ita sunt desperatae, ut remedium respuant! Ego totis animis libenter impedirem, si possem, bellum civile. Ac nostri non indigent ullo freno: ipsi enim ab hoc abhorrent. Sed quid facias illis qui nullis possunt precibus cicurari! Furiunt, jus dare et recipere nolunt. Socios Claronenses exstirpare volunt, nihil aliud quam jus et aequitatem postulantes. An hic jubeam Magistratum Amplis. Reip. nostrae et populum deserere Socios auxilium implorantes? An jubeam foedera nostros violare et susque deque ferre, si opprimantur Socii Clavennenses innoxii? Vivit et vendicat qui fidem nos datam servare jubet. Vere enim Tibi dico coram Domino: neminem hactenus audivi qui non deploret sortem nostram infelicem et bellum deprecetur. Rursus si jus et aequum impetrari non possit, illi vero bonis vim inferre, uti minantur, pergant, nemo est omnium qui non indignissime ferat. Et quis

quis finis tandem injuriarum et petulantiae exemplo carentis? Verum Deus qui omnia in sua manu habet, quid futurum sit novit. Nunc orandum sedulo pro pace doceo: ad bellum non incito aut provoco. Sed rursus non jubeo caedem otiosi spectent innoxiorum. Videbis, mi Frideryche, hoc negotium non esse incoeptum propter Claronenses. Vestra quoque nostraque res agitur. Fidem sinceram exstinguere quidam volunt. Dominus exercituum convertat eos ad se, vel subvertat eos, ut pii laudent Dominum et vivant in pace. Utinam sceleribus nostris non irritaverimus iram Domini, ut utrisque meritam infligat scuticam. Nihil igitur ardentius urgeo atque inculco quam poenitentiam et preces. Tu quoque ora Dominum. Visum est ardere coelum matutinis horis. 28. Decembr. Visio fuit Majestatis plena et horribilis, maxime tamen spectabilis ad lacum tractumque acronium et montana. Tu boni consule breve hoc Scriptum meum; fessus enim sum scribendo: cum tota die nil aliud fecerim, quietem appeto. Radix consiliorum bellicorum Claronensium est Romanus Pontifex, qui frigidam suffundit. Mortuus est Florentiae Dux. Praescissa est Papae manus dextra. Dominus evertat hostes suos. Vale. Salutant Te D. Martyr, Gualtherus, Generi et filii mei, Amici et fratres. Dominus faxit ut felix hic sit annus. Tiguri. 3. Jan. 1561. Salvus sit Joannes noster, inprimis vero socer tuus.

Tuus qui semper,

Heinrich. Bullingerus.

Ad Epilogum hujus Epistolae sciat lector quod Joannes Traversus Saliceus Friderici filius, hospitio Bullingeri et disciplina usus fuerit circiter biennium. Patris pientissimi cura fuerat, ut filius studio summi illius viri optimis studiis et moribus imbueretur. Circa nobilis illius juvenis educationem, dum sub pientissimi Antistitis ferula et oculis stetit, amoeboae extant plurimae, quae abs Illustri Domino Rod. Saliceo Vallis Tellinae Ex-Gubernatore, praefatorum abnepote in *'Avtographon* Samadoeni asservantur.

III.

Wir gemeiner dreyen Pündten Räth und Landbotten zu Chur vff Pauls Bekehrung bey einanderen zu tagen versamt thun kund männiglichen hiemit diesem unserem Abscheid, als für uns kommen sind die Ersammen wohlgelehrten Johannes Fabricius, und Philippus Gallicius beyd Diener der Kirchen zu Chur, an statt und von wegen des Capitels so das Evangelium in gemeiner unser dreyer Pündten Landen predigend was ihr fürhalten: Nachdem sy das heilig Evangelium zu predigen verordnet, und gemein drey Pündt Ihnen vergunt ein Capitel zu halten, auch Gewalt und Befelch geben, die frömden Predicanten, so in unser Land kommend, und allda das Evangelium predigen wollen zu examiniren, und nach Nothdurfft zu probieren ob sie der heiligen Gschrift gnugsamlich Bericht und zu predigen geschickt seigind oder nit, auch was Ihr Leben und Wandel, und wie sie von andern Orthen abgeschieden seygind, also auch mit den Heimischen und Landskindern zu handlen und zu examiniren ob sie das Predig-Amt wie sich gebürt, versächen könnend oder nit, damit die Kilchen und Gemeinden in unsern Landen nit verwirret und versaumt werdind: und sodann einer nit geschickt und tugendlich befunden werde, denselben solle ein Gmeind, nachdem sie von ermeldtem Capitel gewahrnut worden, nit annehmen noch behalten. Dieweil und aber jetz viel Gmeinden sich solcher Ordnung nit hieltind, besonder Frömd und Heimisch, unangesehen Ihr Leben und Wandel, auch ob sie darzu tugendlich und geschickt seigind, oder nit, annemmind und behieltind; So battend und ermanutend Sy uns, dass wir hierinn gebürlich insechen thun, und Ordnung geben wolltend damit obangezeigter Ordnung, und dem Abscheid hierüber von gemeinen dreyen Pündten ausgangen Statt beschechhe. Und so Wir nun den Abscheid, (darum auf einem offenen Pundts-Tag geben,) gehoert, und uns auch oberzehlte Ordnung zu Fürderung der Ehre Gottes, und Christenlicher Religion ganz nothwendig und gut seyn bedaucht, so lassend Wir denselben Abscheid, und obangezeigte Christenliche Ordnung in ihrem Werth und Kräfften blyben; Wollend auch und ist unsere ernstliche Meynung das sollichem Abschaid und Ordnung, wie obstat gänzlich Statt beschehe. Wann und so aber ein Gemeind sollicher Ordnung nit Statt thun, und

ein

ein Prediger (syge froemd oder heimbsch) der seyner Lehr, auch Lebens und Wandels halb, zu diesem Amt nit geschickt seyn befunden wurde über des Capitels freundliche Warnung annehmen und behalten wollte, die, old dieselben Gemeinden, sollend gemeinen dryen Pündten angezeugt werden. Welche alsdann mit Ihnen, wie sich gebührt handlen, und alles Ernsts darzu halten soellendt, damit dieser Christlichen Ordnung geläbt, und statt beschäche. Zu Urkund haben Wir gedachten Herren Predicanten diesen Abscheid, mit unserer lieben und getreuen Pundsgenossen der Statt Chur Secret Insigel in Nahmen Unser aller verwahret geben uff den dritten Tag Februarii, im 1560. Jahrn.

(L. S.)

CAP. XII.

Evangelici in Gallia graves persecutiones patiuntur. Ministerium Raeticum tum apud Herculem Saliceum, tum apud Regium Legatum instat, ut fidelibus halcyonia concedantur. Litterae ad Ducem Guisium. Hispanus et Gallicus legati foedus Raetorum ambiunt. Vincit Gallus: indignabundus discedit Hispanus. Oritur Seditio in inferiori Oengadina, quae Zuzii subsidens, addictos Gallis male mulctare pergit, in Fridericum et Rudolfum Saliceos desaevit. Conr. Gesnerus Raetorum Alpes invisit. Fabritii carmen in Acidulas et Salsas inferioris Oengadinae. Valdenses a Duce Sabaudiae graviter affliguntur. Scipio Lentulus ea occasione in Vallem Tellinam advenit. Contributio pro fidelibus Valdensibus. Galeacius Caracciolus Marchio Vici ad visendam uxorem et Patrem in Illyricum profecturus, cupit Raetica civitate donari: ad Bullingeri commendationem civis Curiae declaratur. Beccaria Locarnensis exsul Tiguro redux: rigat Ecclesiam nascentem MISAUCI, et Trontanus Rogoreti. Opponunt se quinquepagici Helvetii: Protegunt Raeti. Externa vi Romanensium Beccaria ejicitur, cujus vel alias inibi dura satis vitae ratio erat.

At

At non in Italia modo cruces fidelibus ſtabant, verum etiam in Anglia, Pedemontio, et Gallia graviſſimae identidem in eos perſecutiones excitatae fuerunt, de quibus ſigillatim nos dicere abſtinemus. Solum de fidelibus Gallis quaedam ex ſcriniis noſtris dabimus, quae tenerrimum Raeticae Eccleſiae in illos affectum et ſuccurrendi ſtudium declarant. Nemo non ignorat ab HENRICO ejus nominis II ANNAM BURGIUM et FABRUM ſupremae Curiae Pariſienſis Senatores, aliosque haereſeos ſuſpectos ſupplicio peremtos, eumque idem exemplum in caeteros quoque executurum fuiſſe, niſi in haſtiludio miſere vitam amiſiſſet. Ad trucem hujus Regis mitigandum animum quatuor Evangelici Helvetiae Cantones, octobri menſe Anni MDLVII. pluribus Proteſtantium Imperii Principum interceſſoriis inſtructos legatos dimiſerunt. Sed tam infenſus erat Evangelicorum nomini Regis animus, ut vix quidquam in piorum beneficium ſpectabilis adeo legatio obtinere potuerit. Referam Regis reſponſum ipſis verbis, quibus FRIDERICO SALICEO ipſo illo tempore factum retulit Jo. Fabricius Curienſis tunc Eccleſiaſtes. „Milites noſtri, inquit, in „ Gallia belgica propter vicinum puto mare et coelum inclementius „ aegrotare et mori dicuntur. Quae de Duce Albano (qui in feſto „ nativitatis Chriſti equum conſcendit, et per poſtam ad Philippum „ feſtinavit) et Parmenſi ſcribis, facile crediderim. Gallus quoque „ egregiam Antichriſto navat operam. Is Legatis noſtris qui proxime „ 4. Novembr. Anni 1557. pro ſalute captivorum fratrum apud eum „ interceſſerunt, 5to ejusdem menſis reſpondit: Se rogare Helvetios „ ut quieti ſint et res ſuas agant, nec de adminiſtrando Galliae Reg„ no ſint ſolliciti: eam enim curam ad ſe unum pertinere. Se au„ tem a majorum veſtigiis minime diſceſſurum; nec etiamſi velit, libe„ rum ſibi aut integrum eſſe, eam religionem, quam per manus acce„ perit, negligere; ſperareque Deum O. M. quem hactenus clemen„ tem ſenſerit, conatus ſuos deinceps quoque in poſterum approbatu„ rum. Haec reſponſi ſumma eſt. Novi praeterea nihil habemus. „ Crediderim Ego Gallo, Philippo, et aliis hoſtibus Eccleſiae eventu„ rum, quod Deus per Proph. Iſaiam praedixit fore, ut ſuas ipſorum „ carnes mutuo devorent, ſeque ſuo ipſorum ſanguine inebriarent. „ Deus afflictae Eccleſiae ſuae ſubvenire dignetur. a) „ Hactenus ille.

a) Dat. d. 12. Jan. 1558.

Aliquam tamen ſpectatiſſimae legationis hujus habitam rationem fuiſſe, alibi notatum conſpicio. b)

Compatiebantur contribulium calamitati Evangelicae in Raetia Eccleſiae, adniſique ſunt harum Paſtores ad illorum ſublevationem quidpiam tentare. Perpetuum tenebat illis temporibus Galliarum Rex in Raetia Legatum, qui vel Curiae in Metropoli, fere autem HALDENSTENII in caſtro uno tantum ab urbe milliari diſſito, conſidebat. Hujus erat invigilare ne PHILIPPUS Hiſpaniae Rex, qui Mediolanenſem quoque Ducatum tenebat, cum Raetis foedus ullum iniret, per quod Gallus a tranſitu per has terras in Italiam vel etiam Germaniam praecluderetur. Eam in rem largitionibus nullis parcebatur, quarum vis ut eſt penetrans, ſic fiebat in Comitiis eam in cauſam indictis, plerumque ſuperiorem Suffragiis diſcedere Gallum. Inviſa praeterea erat Hiſpanica potentia, quam inſoleſcere et finitimos quosque devorare velle metus ac ſuſpicio erat, unde fiebat ut in Raetia optimi quique et qui patriae libertatis adſertores dici et eſſe volebant, Hiſpanum horrerent, e contra in Gallum toti inclinarent. Eam ob cauſam Auſtriacus horum populorum adfectum lucrari nunquam valuit, licet penſionibus multos demulcere, et largitiones in quosvis profundere non neglexerit: Gentis enim libertati inſidiari credebatur. Gallo prae caeteris favebant HERCULES et FRIDERICUS SALICEI, quorum conſilia ſequebantur Evangelici fere omnes: et horum Suffragiis Gallorum Legatus, quae deſiderabat obtinebat, repudiationem promiſſionum Philippi, Foedus novum, aut facti renovationem, tranſitum, aut ſi quae alia. Igitur quum Raetorum amicitia tanto Regi impendio ſtaret, Eccleſiarum Raetiae Miniſtri Regi declarandum judicarunt, ut ſi hanc ſartam et prorogatam cupiat, ergo fidelibus ſubditis ſuis, Evangelicam ſecum fidem profitentibus, parcat, neu perſecutionibus, confiſcationibus, ſuppliciis, exſiliis in eos ſaeviri permittat. Id ſi renuat Auctores futuros ſe auditoribus ſuis, ut foedus cum religionis hoſte pactum abrumpatur, effecturosque ut regius Legatus e Tribus Foederibus excedere jubeatur, et quae his ſimilia. Firmum hoc propoſitum, multis cum doloris conteſtationibus, tum HERCULI SALICEO aliisque Gallo addictio-

b) Hotting. Helv. K. G. Tom. III. p. 826.

dictioribus, tum Curiensis urbis Senatui, ipsi denique Legato exposuerunt. Curiensis Senatus protinus ex suorum numero quinque spectatissimos viros ad Legatum misit, procuratum ut Ministrorum voto satisfaciat, et fidelibus in Gallia halcyonia concedantur: Ministros eousque quo in eam causam a Rege responsum redderetur, quietos esse jussit, neque ullo modo populi animos acerbatione implere. Regius Legatus obstestationibus ita concisis auditis, in magnam sollicitudinem conjectus fuit, metus quippe erat ne casu hoc concideret, quod tanto labore sustentari hucusque oportuerat. Ergo blande animos demulcens, si ita quidem Pastoribus videatur, dixit per celeres equos se aulam aditurum et causam insinuatam omni fidelitate acturum. At Ministri, nolle se praescribere uno non alio modo intercedat: At docturum esse tempus, an hostibus religionis suae violentis conatibus obviam itum sit nec ne, quo casu et se consilium ex eventu capturos, facturosque quod in se est, ne Rex de suis subsidia accipiat, quibus munitus in suorum viscera saeviat.

Contestatio isthaec Legato intimata, prudentissimo et moderati animi sancto Viro Heinr. BULLINGERO duriuscula visa fuit: at modestia et modus quo Legato regio exposita fuit, eam a doloris gravitate expressam facile excusavit. Omnis truculentiae in Evangelicos causa Ducibus GUISIIS tribuebatur, quorum Rex consiliis regebatur: Horum quoque animum ad clementiam inclinare Raeticum Ministerium studuit, scriptis eam in causam summae reverentiae, et justi doloris, intercessoriis litteris. Ut quae diximus sua luce fulgeant, et fraternae compassionis *tekmy'rion* exitet, ipsa propositionum factarum exempla ex fontibus depromta sisto.

I.

JO. FABRITII litterae ad HERCULEM a SALICIBUS, in causa afflictorum in Galiia.

Mitto Vir Clarissime Humanitati Tuae litteras D. Bullingeri nostri; quas si tu legeris et Magnifico Domino Legato exposueris, remitte

nobis. Tu efficies ut D. Legatus omnino in eam rem incumbat cum aliis principibus Viris, ut Regis animus quoquo modo deliniatur, ne crudele hoc facinus erga fidei noſtrae Socios perpetretur. Quod ſi vero Rex veſter non mitior factus ita perrexerit tyrannice agere, nos noſtro officio deeſſe nullo modo poſſumus. Noſtris ergo Auctores erimus ut foedus hoc cum hoſte religionis noſtrae pactum abrumpant, et quod amplius eſt, quod litteris non tuto committitur. Ergo ne Rex ex victoriis noſtrorum ſanguine partis, tantum animi et ſpiritus ſumat, ut arma jam convertat in noſtrorum viſcera. Ex unici Caleti acceſſione, Galli inſolentiores facti, jam ipſi Deo inſultare audent: quid futurum erat devicto hoſte? Ergo nos Gallo arma contra noſtros ſuppeditamus? Ergone noſtris nihil tuti et quieti erit unquam? Superioribus menſibus Galli cladem a Philippo acceperant: atqui ea Evangelio accepta ferri coepta eſt. Nunc res bene geſta eſt: Arma in Eccleſiae viſcera ſtringuntur! Aut nobis haec e ſuggeſtu detonanda ſunt et coelum terrae miſcendum; aut infidi erimus Miniſtri, et ſanguis innoxius, qui effunditur, a manibus noſtris requiretur. Hoc totum negotium non noſtrum, ſed Dei eſt. Nos enim militamus Regi Regum, et vae nobis ſi quam vos Regi veſtro praeſtatis obedientiam homines homini, eam Rex coelitum in nobis ſit deſideraturus. Haec nobis amor gloriae divinae, mixtus ira et dolore, Zelus Domini extorſit. Vale vir Clariſs. et memineris Te cum noſtra, ſimul Chriſti cauſam agere. Curiae.

II.

Ejusd. ad BULLINGERUM, propoſitionem coram Ampl. Senatu factam continens.

Nam poſſum committere Reverendiſſime in Chriſto Pater, quin ea Te edoceam quae poſtquam litterae tuae de perſecutione piorum fratrum in Gallia mihi ſunt redditae; a nobis acta ſunt. Te interim rogabo ut haec Tibi ſerves, aut certe cum paucis Tuis Symmiſtis, ſecreto tamen, communices. Scis enim quae Tua eſt prudentia, quam haec non tuto omnibus credantur. Praeterea cogites velim nos multa vehe-

vehementius dixisse, quam fortasse ex utilitate Reip. esset nos opere praestare et exsequi. Sed hoc modo cum istis hominibus agendum est: iniquum petendum, ut aequum obtineamus.

Postquam litterae Tuae mihi essent redditae, eas statim Domino Philippo collegae legendas dedi. Placuit de communi consilio formulam quandam conscribere, quam Regio Legato per Aurelium Scytacissam offerendam curaremus. Quod et factum est. Sed ecce opportune Aurelius nobis haec eadem agitantibus ex improviso supervenit. Eum ergo nobiscum domum duximus, et quae missuri fueramus, coram, ex scripto, quod hic apposui, legimus; imo addidimus nos effecturos, ut quidem brevi, et Legatus expellatur ex nostris Foederibus. Cum D. Aurelius autem tergiversaretur, et diceret nos moliri, quae per nos non starent, ita eum in angustum tandem redegimus, ut consilii inops, a nobis tandem adtonitus et perturbatus discederet.

Sed scias Tu, Reverende Pater, nihil nos interminatos esse, quod non possemus praestare, nisi Reip. tranquillitati consuleret: quod ita esse tibi satis idoneis argumentis probarem, si tecum essem. D. Aurelius postridie ejus diei ad nos reversus est, et quam nostram causam apud Legatum serio egisset, multis nobis et prolixe exposuit. Addidit insuper Legatum valde esse sollicitum, quod res magni esset momenti. Foedus enim hoc ultimum non adeo Regi curae esse: multo graviora timenda, ne scil. Rex transitu intercludatur; quam unam rem Gallo praecipue esse intolerabilem. Regem enim quaecunque in nostros eroget, transitus gratia erogare omnia. Legatum ergo cogitare, si ita nobis videatur, per celeres equos aulam adire, et ibi causam piorum agere: cupere tamen a nobis formulam quandam et instructionem rei gerendae habere. Cui nos respondimus non nostrum esse praescribere, ut hoc vel illo modo intercedat: ex rei tamen eventu nos consilium capturos: nisi enim actutum impiis Papistarum conatibus obviam eatur, nos nostro officio minime defuturos. Haec quidem hactenus cum Legato.

Interim noſtri Duces et Primipili ex bello redeunt opimis pauperum ſpoliis onuſti, non ſine multorum piorum offenſione ſumma. Ea res quoque nobis occaſionem dedit amplius in eam ſententiam tentandi et loquendi. Hodie quoque frequens Senatus nobis datus eſt.

Heut dato diſs Brieffs iſt Gericht und Rath vvohl verſamlet gſin, für die ſind wir kert mit einem Fürtrag wie hernach folgt:

Es ſeye Ihnen, unſeren HH. vvohl zu vviſſen: Wie der Koenig us Frankreich ein Zytlang die armen Chriſten gruſamlich verfolgt habe, doch ſo alweg gute Hoffnung gſin, er werde von ſeinem Grimm ablaſſen: VVir erfarend aber, nit ohn ſonder gros Herzeleid das VViderſpiel und darauf hand vvir nach der Laenge erzehlt vvie er gegen den armen Lüthen ſo unbarmherzig fahre, auch hiebey anzeigt das bey den Türken mehr erbermd ſey, und auch zu verſtahn geben vvas vvir mit dem Legato habend laſſen reden; vvas uns für ein Antvvort vvorden ſeye auf die vvir uns nit koennend laſſen. Synd ſie gern auf Fried und Einigkeit der Landen vvolltend reden: vvo es aber je nit anders ſeyn moechte, das vvir entvveders Gott oder die Menſchen müſſend erzürnen, vviirdend vvir es ehe die Menſchen denn Gott fahren laſſen, und anfahen reden das nun mit einem hoellíſchen Tyrannen man kein Piindnuſs oder Freundſchaft haben moechte, auch Ihme zu ſeinem grauſammen Fürnehmen kein Fürſchus noch Hilff vveder mit dem Paſs, noch anderem geben ſollte. VVo aber unſer Rad hinlegen vviirde, vvas auch daraus erfolgen moechte, gebend vvir der Ehrſam VVysheit zu erkennen. Dan ſie ſelber vviſſend vvie der gemein Mann gar ſchnitzig und auflupfig ſey; vvas auch taglich darvon geredt vverde, vvie auch alle Predicanten in gemeinen dreyen Piindten auf uns in ſollichem Fall ſehind, denen das hoelliſch grauſam VViiten des Kiinigs als vvenig als uns gefallen koenne. Haec et plura, *mit Bitt, ſie vvollend die Rede kennen, und helffen vvie, vvan und vvas zumahlen zu helffen iſt, damit den armen Leuten moege geſchonet vverden.*

III.

III.

AMPLISSIMI SENATUS RESPONSVM.

Getreuen lieben Herren und Freund. Unsere Gnaed. Herrn hand euvver Fürtrag und Anmuth verstanden, bedanken sich gegen Euch unsere lieben Herrn und Brüder, des freundlichen VVarnens mit Ehrerbietung, deshalb um Euch zu allen und jeden Zeiten zu beschulden. Und fürs

Erst. So ist es uns allen ein gros Leid zu hoeren das ein sollicher mit dem VVir ein Pündniss und Eingang hana unsere Mitglieder so grusam mißhandeln; denn vvir je nit Christen vvaerind, vvan uns soellichs nit z' Hertzen gienge. Darauf so hand unsere G. Herrn gericht und abgeordnet fünff Mann, die sollind angehnds zum Legaten aushin reisen, Ihm allen Handel anzeigen, auch hiebey nach der Laenge, und mit Ernst zu verstaan geben, vvas druff und daran, vvaa sollichs alles samen in unsern Landen vverde hindern, und Ihn vvarnen Ihm selbs vor Schaden und Gefahr zu seyn, auch darbey provediren vvaa Ihm oder dem Koenig vveiter Vngemach daraus folgete, vvollind sie nochmahlen Ihn erinnern das sie des Handels halb bey guter Zeit Ihn gevvahrnet habind.

Fürs Ander, bittend vvir Euch getreue liebe Herrn Ihr vvollend intzvvischen etvvas hüpschlich fahren. Er mag darnach ein Antvvort geben, oder von dem Künig verschaffen zu geben vverde, daran er und vvir kommen müegend. Waa aber kein Milderung z' hoffen vvaere, so koennend vvir Euch nit heissen vvider Euvver Conscienz handlen, müssend Euch lassen predigen und Gott vvalten. Darnebend aber ist uns nit um die letst Vereinigung. Wir moechtend vvohl leyden vvir vvaerend daraus; verhoffend auch mit der Zeit daraus z' kommen. Es ist uns um Empoerung und Trennung der Landen. Bittend Euch deshalben freundlich ihr vvollind so viel je Amts und Ehren halb koennend verantvvorten, auf Einigkeit und Frieden stellen und reden.

Haec

Haec responsi summa fuit, quod in Senatu Consul nobis dedit. Nos gratiis actis commendavimus eis Christi Ecclesiam. Haec Reverende in Christo Pater tibi duxi significanda. Scio, crede mihi, nos Legato et etiam nostris scrupulum injecisse, quod Tibi mirum non videretur, si Reip. nostrae status cognitus plane et perspectus esset. Deus haec omnia moderetur ad nominis sui gloriam et Ecclesiae incolumitatem. Curiae, 14. Martii, Anno 1558.

IV.

Ejusd. ad Eund. justificatur Zelus adhibitus, et Marchionis Vici Caraccioli petitio curae habetur.

Litteras tuas, Reverende Pater, accepi diverso tempore scriptas, quarum alteris me de persecutione quae hodie in Gallia in pios saevit, plenius edoces, quibus in extremis fidele nobis et paternum das consilium, teque tandem ad preces convertis, quo tu facto nos quoque edoces ad quem in ejusmodi casu fugiendum sit. Utinam fratrum salus nobis curae cordique sit aeque omnibus, qui Christi et Ecclesiae nomine censemur. Praevidebam Ego ante fore, ut quae tua est modestia et prudentia, duriuscule aliquid dixisse Tibi videremur. Sed crede nobis, Reverende Pater, negotium totum quanta potuimus modestia Senatui proposuimus. Ego summam tantum brevibus in novissimis meis litteris complexus sum. Cum D. Aurelio vero (ut tuis verbis utar) propterea imperiosius nobis agendum fuit, quod sciremus eum mire esse aulicum, timeremusque eum negotium, nisi exaggaretur a nobis, apud Legatum extenuaturum fuisse, *als waere es ein Pfaffen-VVerk.* Incredibile est Rev. Pater, quam haec unica causa me dies noctesque multum exerceat. Modo timeo, ne parum satis dicam, modo ne nimium, neve acerbius aliquid, interdum totus suspensus haereo. Qui optimi sunt, aut certe videri volunt in religionis negotio, et hactenus non usque adeo male se gesserunt, ii sunt obnoxii auro gallico: plures ex illis etiam castra sequuntur. Non habemus virum magis cordatum, et qui Christi causam minus intrepide jam diu egerit, quam unum HERCULEM a SALICE: Atqui is ipse inter caeteros in hoc genere corypheos est. Quid igitur agendum? Animum habeo

habeo minime seditiosum, etsi natura videor rigidior. Aliquid ferendum est, et tempori Reipublicaeque paci condonandum. Interim quo licentia eorum qui Gallo enixius studeant, quique militiam mercenariam sectantur, non latius grassetur, refrenanda et coercenda est; quod commodius non fit, quam eo modo, quo gerere nos aggressi sumus: Quod facile Tibi probarem, si Reip. nostrae forma tota tibi esset cognita, aut si haec litteris tuto committerem.

Quod ad alteras litteras Tuas adtinet, scias velim Illustrissimum Principem Marchionem, *) praeter raras suas virtutes, quibus omnibus bonis commendatus est, Tuo quoque nomine nobis fuisse commendatissimum. Rem aggressus est valde difficilem, et cujus simile exemplum apud nostros non exstat, ut is scil. in civem recipiatur, qui alibi quam apud nostros subsistere cogitur. *Wen er sich haette woellen in Piindten niederlassen, waere es besser darzu z' reden.* Et tu scis communi III. Foedd. consilio nihil in hac re tentandum, quod difficile esset et impossibile propter malevolos causam obtinere. Sed tamen quod maxime ex re ejus esse animadverterimus, in id unice incumbemus. Litterae Tuae maximum habent pondus: interc essio quoque nostra plurimum ad eam rem esset adjumenti. Consules et quosdam alios habemus jam nobis obstrictos. Pollicentur suam operam; sed quod illis non integrum esset contra leges quenquam recipere sine plebiscito, cras nobis frequens Senatus dabitur (*Gericht und Rath*): Nos Marchionis causam agendam suscipiemus, et magna spes est conatus nostros non carituros eventu. Multum retulerit quo modo in Senatu omnia proponantur. Nostri rationibus facile ducuntur, et nos id agemus ut in civem Curiensem recipiatur. Quod si successerit jam vicit. Sed omnem rem prout gesta est ad Te perscribam. Vale. Ex Curia die 21. Martii, 1558.

*) Intelligitur Galeatius CARACCIOLUS Marchio Vici, de quo mox.

V.

Exemplar litterarum Miniſterii Raetici ad GVISIVM Ducem.

Inſignis Tua erga DEUM pietas, Illuſtriſſime Princeps, et praeclara erga Remp. Chriſtianam merita quae multorum quidem celebrantur laudibus, in primis autem Clariſſimi viri MATHAEI COIGNETII nobis innotuerunt praeconiis, fecerunt ut CELSITUDINEM TUAM nos Miniſtri qui Evangelium Chriſti in Rhetia praedicamus, non veriti ſimus ſupplices accedere, demiſſe rogantes ut poſtulati noſtri ſummam quandam ex ſcripto, quod coram exhibemus, clementer cognoſcere minime gravetur.

Quanta Regibus Galliae cum gente noſtra neceſſitas et conſuetudo jam inde a majorum noſtrorum memoria intercedat, nemo eſt Illuſtriſſime Princeps qui ignoret. Sed quam hactenus in noſtros per totam Galliam crudeliter ſaevitum, quam nullum ſupplicii genus ſit praetermiſſum, quo in diſcrimine etiam nunc verſentur qui ſententiis et voluntate nobis conjuncti ſunt, res (proh dolor!) loquitur ipſa. Hinc factum eſt quod vetus Regum Galliae cum gente noſtra amicitia languere quaſi et frigere incipiat. Quid enim mirum eſt, ſi noſtri remiſſius agunt, ſi nos quoque Miniſtri Evangelii in Rhetia Regis cauſam deſerimus, quem tam malo erga cauſam noſtram affectum eſſe animo, non ſine magno animi dolore experimur? Scimus equidem quo nomine, quidam male propitii doctrinam noſtram apud Chriſtianiſſimum Regem infamare et inviſam reddere conentur. Hanc ajunt regnis et imperiis exitioſam eſſe, et propterea ex regnis profligandam et exturbandam. Haec et alia aeque dira plures in nos odii acerbitate, ſed immerito tamen, confingunt, contorquentque, Sed experientia ipſa docet, et ſcripta noſtrorum hominum abunde teſtantur, doctrinam noſtram, Magiſtratus divinitus ordinatos non modo non tollere aut ejicere, ſed etiam ſtabilire ac confirmare. Non honores, non opes, non regna appetimus: afflicto et pauperi Chriſto tectum et hoſpitium apud Chriſtianiſs. Galliae Regem ſupplices quaerimus. Et Te Illuſtriſſime Princeps, obteſtamur et rogamus per eundem Dominum noſtrum JESUM CHRISTUM, qui v[illegible]turus eſt judicare vivos et mortuos,

ut

ut pro ea, qua apud Regem polles auctoritate et gratia, noſtri, imo et exſulantis CHRISTI et totius Eccleſiae patrocinium ſuſcipere non graveris. Praeſertim cum haec doctrina noſtra tam longe lateque diſſeminata et propagata ſit, ut non ferro amplius, non igni deleri aut exuri poſſit, quae ut Martyrum ſanguine plantata eſt, ita quotidie eorundem ſanguine foecundioribus pullulesçet incrementis. Teſtatur id inprimis Gallia, teſtatur Germania, teſtatur ipſa experientia. Cum ergo hactenus minis et terroribus nihil effectum ſit, credibile eſt Religionis diſſidia non ferro et igni, ſed ex praeſcripto verbi divini concilianda et componenda eſſe, cujus hactenus ſecuriſſimus contemtus utinam non cauſſa ſit maximarum calamitatum, quae catervatim non in Galliam modo, ſed totum Chriſtianum orbem incumbunt. Cum ergo nihil ſit illuſtrius, nihil Principe viro dignius, quam oppreſſos ſublevare, ad Tuam opem Illuſtriſſime Princeps confugimus, et enixe abs Te precibus noſtris demiſſeque contendimus, ut quam primum potes, has humiles noſtras et pias preces Chriſtianiſſimo Regi innoteſcere patiaris; cui etiam nos et Eccleſiam Chriſti qua potes diligentia commendes.

Clementiae TUAE

deditiſſimi

Miniſtri Evangelium CHRISTI praedicantes
in TRIBUS FOEDERIBUS Rhetiae.

Utcunque inſtanter eae operae inculcatae fuerint, apud GUISIOS tamen nihil profectum eſt, quod non ignorant rerum Gallicarum cognitione vel leviter tincti. Poſtquam Henricus Rex ex vulnere in haſtiludio accepto extremum clauſit diem, filius ipſius FRANCISCUS ejus nominis ſecundus, a regni proceribus ſolenniter in ſucceſſorem inauguratus eſt; at qua minorennis adhuc erat, Dux Guiſius et Cardinalis Lotharingus, conſiliorum directores, et Regni dictatores erant, Evangelii hoſtes infenſiſſimi. At morte praeventus Franciſcus, mox CAROLO IX. fratri regnum reliquit, cui Antonius Dux Vendomius, idemque Rex NAVARRAE, regio Gallorum Sanguine oriundus, totius regni Gubernator datus fuit; ſub cujus auſpiciis Evangelicorum in illo regno numerus inſigniter crevit. Inter viciſſitudines illas, quibus Gallia volutaba-

tur, opportunum maxime existimavit tempus PHILIPPUS Hispaniae Rex Raetorum amicitiam sollicitandi, et foedus ambire. Igitur advertens quod A. MDLXIV. per aliquot menses nullus in Raetia Gallicus Legatus commoraretur, illico fini obtinendo in Raetiam magna pecuniarum vis, (decem et octo coronatorum millia ajebant) immissa fuit, quae in foederis promotionem in Proceres erogabatur. Mox etiam Mediolani Gubernator, Legati charactere illustris adparuit. Id quando Hispanum machinari intellexere Navarrenus, Condaeus, et qui reliqui erant Regni Galliae curatores, protinus POMPONIUM BELLIEUREUM ad repellenda illa consilia in Raetiam delegarunt. Bina gentis Comitia convocata sunt, Junii mensis initio prima, et Martinianis nundinis, seu Novembris Idibus altera. Petebat Hispanicus foedus novum cum amico novo, ab Helvetiis sejunctim inire: Gallicus vero, antiquum foedus cum amico vetere conjunctim cum Helvetiis redintegrare postulabat. Contendebat Hispanus, ut sibi per Raeticas terras liber transitus daretur, quandocunque necesse foret militares suas copias agminatim traducere; e contra plura alia promittebat, inter quae primarium erat, quod ex Mediolanensi Ducatu annonam seu frumenta omnis generis, merces, et alia quibus Raeti in domesticum usum indigerent, ad sufficientiam, penitus improfessa, ut loquuntur, sive ab omni telonia libera, advehi concederet. Gallicus vero juxta plura quae ad Hispanicam potentiam exosam reddendam, et de insidiis, quae liberis Respubl. ab illa metuendae essent, loquebatur, inprimis multa et magnifica de adolescentis Regis sui praeclara indole crepabat, inter quae ingeminabat etiam Regem suum in Reformatam Religionem, et illius Principes aeque bono animo ferri, atque in catholicam fidem sectantes. Ad quaestionem illam visa fuerunt Raetici Senatus Suffragia in tres ire sententias. Alii Hispani amicitiam ob viciniae commoda, omnibus aliis praeferendam statuebant. Alii Gallicum Foedus renovandum urgebant, eo quod libertatis Rerumpublicarum adsertorem se facto ostenderet. Alii vero, qui Patriae amatores dici volebant, utrorumque ceu alieno auro captorum consilia abjicienda suadebant, contendentes ut Raeti juxta legem ante LXIV. annos sancitam ab omni exterorum Principum foedere abstineant. Caeterum utramque vincebat Gallizantium numerus. Quod subolfaciens Mediolanensis, jam non foedus amplius, sed mutata cantilina, ut Raeti cum Monarcharum neutro pacta incant

incant, postulare coepit, sperans hac arte alteram patriotarum illorum partem sibi adtrahere, eoque pacto Galli designata frustrare. Sed frustra. Quamvis enim in Comitiis illis nihil conclusum fuerit: tantum tamen operis suis effecerunt Gallo addicti, ut proxime secuto Januario Mense Anni MDLXV. Foedus cum Galliarum Rege cum aliquot Helvetiae Cantonibus junctim, renovatum fuerit. Tunc Philippicus Legatus accepta repulsa indignabundus discessisse dicitur, ibatque fama volando, dixisse, venturum Hispaniae Regem brevi, et largitiones in Raetos erogatas exacturum. Quidquid tamen ejus fuerit, mox a Praegallienſibus incentore BARTHOL. STAMPA errones in inferiorem Oengadinam missi sunt, qui illarum Communitatum populos in seditionem concitarunt. Seditiosorum caterva Zuzii desedit, et forma tribunalis censorii constituta, in Gallicos pensionarios desaevire intendebat: RUDOLPHUM a SALICIBUS illi, longum dictum, HERCULIS filium, Raeticae nobilitatis, Sprechero teste c) ornamentum, veteratorie captum tormentis subjecerunt. FRIDERICUM a SALICIBUS Samadoenum, qui fuga sibi consuluerat, tribus mille aureis male mulctaverunt, et alia plura ejus commatis patraverunt, d) quae Deo coeptis favente alibi enarraturi sumus. Nunc Ecclesiastica persequimur, et notamus solum BELLIEUREUM durantibus suae legationis in Raetia functionibus, Bullingero juxta ac FABRITIO benevolum plane et amicum se exhibuisse; quam in rem carmina gratulatoria ad illum, litteraeque plures exstant, quae quantum illum juxta et hunc suspexerit et amaverit, affatim docent. Scripsit eo tempore JO. FABRITIUS Orationes tres contrarias, in quibus disquiritur: an *libera gens aliqua se communi Foedere cum extero Principe possit aut debeat conjungere.* Prima Orationum illarum *militem* loquentem inducit, qui satis militariter contendit: Potentissimi Regis amicitiam minime negligendam, multo minus aspernendam aut repudiandam, verum potius, si Raetis libertas, si decus curae sit cordique, tanquam longe utilissimam et honestissimam obviis manibus lubenter amplectendam. In altera *Theologum* loquentem facit, qui multis argumentis adstruit: Foedus hoc non sine insigni Reip. detri-

c) Pall. Lib. VI. p. 171.

d) Conf. Campell. Lib. II. Cap. LXVII.

mento iniri posse, et propterea nihil utilitatis, nihil item honestatis in se continere. Protestatus interim se non detrectandi aut detrahendi cuiquam studio, multo minus calumniandi et exagitandi potentissimi Regis, sed tantum in utramque partem differendi, adeoque velitandi cum diversum sentientibus causa, hanc orationem omnem instituisse. Postrema *Politicum* inducit profitentem libere: si foedus Raetis iis capitibus pacisci liceat, quibus servandis pietatis et justitiae regula minime teneretur, se non videre, quid obstare possit, quo minus foedus hoc probetur, acceptetur, perpetuetur. Quamvis sub finem addat: se, quod humana consilia divinis decretis merito concedunt, suam quoque Sententiam divinis Legibus haud immerito subjicere. Praemissi sunt orationibus elegantes Versiculi Legati Bellieurei ad Fabritium, et hujus ad illum, quos invicem faciebant, quum communis utriusque amicus Bullingerus Anno 1564. m. Octobr. ex gravi morbo revaluisset. Edidit illas Joannes Pontisella Insulis Acroniis, Ao. 1615. 8vo quo tempore eadem facies Raetiae erat, qualis fuit quando orationes illae a Fabritio conscriptae fuerunt. Molesta ea tempora Fabritii Ministerio fuerunt; unde is aliquando incitatior ad musas suas reversus in Curiam sequens Epigramma fudit:

CURIA de curis si dicitur, omnia rebus
Conveniunt: curis Curia plena malis.

Ex Gallia referimus pedem in Pedemontium, cujus Valles ab antiquissimis temporibus inhabitarunt simplicis et a mundi illecebris remoti animi homines, qui scripturae S. tenacius adhaerentes, authoritatem Romani Episcopi, traditiones, et abusus in cultu constanti proposito rejecerunt: Valdenses dicebantur. Nec effugerunt Praesulis Vaticani iram boni homines, sed gravissimas quasque persecutiones omni tempore pertulerunt, quae ab aliis fuse descriptae sunt. Inter illas haud levis fuit illa quam EMMAN. PHILIBERTUS Sabaudiae Dux Anno MDLXI. Pontificis et Hispaniarum Regis instigatione, in illos concitavit, et qua immissis militaribus copiis eos exterminare adnisus est. Verum ad nihilum redegit violenti consilia cunctipotens, et miranda narrantur de pauciissimorum adversus ingentem invadentium numerum victoria: sic ut boni homines aegre licet, in compositionis articulis, con-

conscientiae libertatem obtinuerint. Erat illo tempore in Angronia Valle Pastor unus illorum, SCIPIO LENTULUS, Neapolitanus patria, eruditus utique et pius Vir, qui acta bello illo secundum minutiores circumstantias ad Genevense Ministerium prolixe perscripsit: luculentas litteras illas exhibuit Ant. LEGERUS in sua Hist. Valdens. Tom. II. p. m. 687-696. Edit. germ. apud quem legat qui volet. Ea calamitas causa fuit, ut SCIPIO ex Pedemontio digressus fuerit, et ad Raetos accesserit. Susceptus ille mox Pastor fuit a coetu in montanis SONDRII; cui gregi fideliter praefuit usque ad ann. 1568. quo ZANCHIUS Heidelbergam discessit, et LENTULUS Clavennam in ejus locum vocatus fuit. Caeterum piorum Valdensium afflictio curae fuit tum Helveticis tum Raeticis Ecclesiis, quae proximae vicinorum fratrum gemitus pene exaudiebant. Bullingerus qua cura afflictos fovebat, ea occasione etiam Raeticorum compassionem excitavit; et ei pietatis officio his non deerat voluntas, si in afflictione secum plus satis non habuissent colluctandum. Ad Valdensium negotium ita Fabricius ad illum die 8. Sept. 1561. „De quo „ scripsisti, alias accuratius. -- Nunc vides cum quibus difficultatibus „ conflictemur. Non possumus nunc cum fructu aliquo ea tractanda „ suscipere, quae tamen maxime velles. Inter fratres nunc saltem „ Ministros debebat fieri contributio. Sed fratres itali ex contribu„ tione Ecclesiarum, quae tenues, et minime numerosae sunt, aluntur „ et ipsi. Caeterorum in foederibus tanta est tenuitas, tamque an„ gusta res familiaris, ut cum atra fame conflictentur, ipsique a me „ non raro sint sublevandi. Dominus Philippus collega ipse eget „ contributione, quod tamen mirum tibi videbitur, sat scio. Nunc „ vides quid nobis reliqui sit, quo nunc quidem sit confugiendum. „ Itali fratres quoniam se cogitant in Comitiis sistere, magnos facient „ sumtus, cum ipsi sint pauperes admodum. Si Deus tamen nostros „ conatus fortunaverit, in hisce Comitiis conquiremus undique sacrifi„ cium laudis, licet jam praevideam id tenue admodum futurum. „ Haec ille. Comitia habita fuere secuto statim Octobri Mense ad dandam responsionem postulationibus PII. IV. seu vero BERNH. BLANCHI de quo mox. Et quia illa ad votum Evangelicorum successerunt, dubium non est, quin boni, in sublevationem fidelium afflictorum fratrum, ad viduae illius in Evangelio exemplum, secundum miserias gratum Deo sacri-

sacrificium obtulerint, de quo vero plura supersedemus, ne quid meriti decantare nos quis opinetur nostra.

Anno MDLXI. Julio mense celebris ille Tiguriorum Polyhistor et Medicus CONRADUS GESSNERUS Raeticas alpes invisit, harumque beneficia, herbas, istarumque virtutes, accuratius scrutatus est. Summo illi viro itineris comitem se dedit Fabricius noster illius olim collega, cum quo loca illa adiit quae maxime visitata cupiebat. Hi Burmienses aquas exploraverunt, deinde in inferiorem Oengadinam deportati, salsarum, et acidarum aquarum fontes, quae in Taraspensi, Scoliensi, et Vettonienſi territoriis exuberant, naturam et copiam admirati sunt. Doluit FRID. SALICEUM quod domo sua Samadoeno absens fuerit, et amicissimis benevolentiae officia exhibere non quiverit. En quae super ea ad Bullingerum perscripsit domum suam reversus.

„ *Audio*, inquit *Doctorem* Gesnerum, ac D. Fabricium thermas Burmienses visitasse: illis autem diebus hinc abfui, quippe qui Pusclavium „ accersitus fui ad dirimendam insignem controversiam inter omnem „ Universitatem existentem. Cum itaque moram illic diuturniorem „ contraxerim, interea thermis excessere: alioquin certo non omisissem „ quin illos (quandoquidem hac iter non fecere, ut illis hic aliqua ex „ parte quiverim gratificari) visitassem, ac officiose me ipsis exhibuis„ sem. Id vero scribo in mei excusationem, ne nimiae incivilitatis „ fortassis redarguar; Nam revera me balneantibus exhibere non potui. „ Quales autem sint illae thermae, idem Gesnerus Tibi referet. Quod „ si postmodum noveris eas Tibi fore proficuas, easque velis accedere, „ tecum eo proficiscar. Omnino autem suadeo, ut eas in annum se„ quentem accedas, ratus hac profectione, tuae incolumitati admo„ dum consultum iri. -- Samadoeno, d. 24. Julii, 1561. „

Sunt ad manus versus, quibus Fabricius acidulas Scolienses, et salsas Tarasienses, decantavit, venusti utique et Fabritiana Musa digni: hos nec lectori nec Oengadinis meis futuros ingratos existumo. Tales sunt:

Gens

Gens vetus Hetruſca ducens ab origine ſtirpem
Rhaetica jam coluit ſecula longa juga.
Inter et hanc celebris viget accola fluviminis Æni,
Nunc quoque vicino nomen ab amne ferens:
Huc nos Alpinas peragrantes ordine gentes
Fama celebrandae carmine traxit aquae.
Nam prope SCULTINUM, villarum culmina ſupra,
Qua facili ſurgunt arva ſupina jugo:
Exſiliunt acres latices e pumice vivo,
Indigenis vice qui nectaris eſſe ſolent.
Nam ſeu mane novo referat Sol lumine terras,
Veſpere ſive alto conditur oceano,
Certatim ruit ad fontes operoſa juventus,
Quisque ſuam portans munera dia domum.
Sic effuſus apum campis exercitus omnis
Urget opus, foetos cum populatur agros.
Vulgus *aquam fortem* communi nomine dicit, (agua forte)
Sive quod haec forti vina ſopore refert;

Sive quod admotis prope naribus, obvia pungit
Organa, non secus ac si nova musta forent.
Parte sed adversa mediis in Vallibus Æni
Fons alius vena nobiliore scatet.
Hic ubi secretis nemorale recessibus antrum
Nescio quid tacitae religionis habet.
Vulgus *Halicrenae* dedit a salsugine nomen, (agu' insalada)
Nempe solet nitro gustus inesse salis.
Quot tamen et quibus hae scatebrae sint dotibus auctae
Dicere, foecundi pectoris esset opus.
Pallida quem febris, quem tussis anhela fatigat
Hinc bibat, exiguo tempore sanus erit.
Intumuere quibus ventosis guttura strumis,
His feret haec medicam vena salubris opem.
Haec et plura, senex aevo comperta vetusto
Commemorat: nostrae dux erat ille viae.
Sic natura vices rerum, sic temperat usum,
Praebet inaequali sic sua dona manu.

Non

Non illic dulces de montibus educat uvas,
Arboreis etiam foetibus arva carent.
Scilicet areae certantes nubibus Alpes
Urunt assiduo rura propinqua gelu;
Prata sed, et saltus, et tesqua virentia musco,
Et nivei semper copia lactis adest.
Adsunt et medicae venis manantibus undae
Foelices, quibus haec irrigat ora sinus.
O mihi nunc veteres essent in carmine vires!
Fama salutiferas quanta maneret aquas!
Haec Aganippaea foret unda celebrior unda,
Esset et in toto notius orbe nihil.
Quod tamen averso modo numine plectra retractem,
Pressa diu longo quae jacuere situ.
Haec Gesnere, Tibi, Medicorum maxime Doctor
Linquo, tuis quod sint viribus apta magis.
Naturae Tibi nosse vias, causasque latentes,
Ingeniumque sagax docta Minerva dedit.

Me mea paupertas angusto limite claudit,

Cum tua per coeli gloria tendat iter. e)

Joh. Fabr. M. in gratiam Clariss. Viri D. D. C. Gesneri. A. D. 1561. mens. Jul. facieb.

Exemplar fortitudinis vere Christianae et adversus omnes mundi insultus invictae illa aetate dabat illustrissimus Vir GALEATIUS CARACCIOLUS, natus Marchio Vici et filius Sororis PAULLI IV. supremi Pontif. de gente CARAFFA qui lares Genevae fixerat. Is postquam semel domui suae, carissimae conjugi et liberis, juxta cum deliciis omnibus valedixit, nullis promissis nec artibus adduci potuit ut vel tantillum a veritatis tramite deflexerit: Adeo constans ad finem usque fortis Christi miles perseveravit. Exstat illius vita latino et gallico sermone expressa, nuper quoque recusa, quam adeant, qui accuratius edoceri cupiunt. f) Certe firmatum in fide animum habeat oportet, qui divitias contemnere, uxorem cum liberis deserere valet, paupertatem e contra forti animo tolerare novit. Et tamen plus semel tentationes illas magnanimus superavit. Is Anno MDLV. a Patre Mantuam colloquendi gratia accersitus fuit, ubi promissa plus quam liberalia ac magnifica quoad omnes partes fiebant, si vel solum in Italiam habitatum concederet; sed recusavit ille malens cum populo Dei affligi, et mox per Raetos Genevam suam rediit. Ad invitationem a conjuge VICTORIA Ducis Nucerini filia factam, ille Lesinam Dalmatiae urbem, biennio post profectus est; ubi quidem illam (cujus ignoratur causa) non reperit, ast filios duos allocutus est adspectu amatissimo quidem, sed tanto tristiori quod illi Patrem sequi noluerint, hic citius illos quam bonam conscientiam dimiserit, et rursum Genevam suam reversus sit. Vix domum remeaverat quando novae ei a conjuge litterae adferuntur, quibus ne ad eundem locum redire gravaretur, iterum rogabatur, et ipsa quoque

e) De his fontibus, curiosa Lectori plura dedit Helvetiae Plinius, Cel. SCHEUCHZERUS Helv. Hist. nat. Tom. II. p. 303. sq.

f) Mus. Helv. Tom. VIII. pag. 322. sq.

quoque eo accedere sancte promittebat. Grave erat Galeacio corpus, mentemque tam longis periculosisque itineribus defatigare. Periculum quoque erat, ne solitis Monachis artibus, bonus vir de via interciperetur, et inquisitorum officio subjiceretur. Ut ergo tutius ire, ac redire posset, pateretque mundo illum etiam externo bonorum patrocinio subnixum vivere, visum fuit jus Raeticae civitatis ipsi prius adquirendum esse; ut quo facto teneretur Raetia concivis gerere curam. Titulum illum ut eo facilius adipiscceretur, Bullingerus omni nisu contendebat, Raetiamque peragraturo ad amicos suos systacas illi dedit, quibus negotium impense commendabatur. Intelligere id lector potuit ex Fabricii ad Bull. responsoriis hoc capite paullo ante allatis; nunc quibus verbis FRIDERICO SALICEO, et summis aliis viris commendatum voluerit, ex his intelligere datur.

Clarissimo viro D. Friderycho a Salice Rheto Samadeni in Ingadina agenti, Domino suo colendo et fratri charissimo.

„ S. D. Illustris Dominus Marchio Comes Vici a Neapoli, qui „ hasce Tibi colendis. mi Frideryche offert, Genevae habitat, et com„ mendatur mihi de meliore nota a multis viris bonis. Ego quoque „ novi ipsum ab annis aliquot. Pius est, multisque donis instructus; „ dignus est quem viri boni juvent. Hunc ergo et Socero Tuo, viro „ Amplissimo, Domino Jo. Traverso et Tibi commendo. Cuperet „ recipi in Societatem Rhetorum quo gaudere posset privilegio Do„ minor. (*Epistolae plicatura a lineae tractum minutioribus litteris pictum „ totum devoravit*) - terceßore Rhetis concesso. Fac igitur mi amice, „ ut fruatur et sentiat meam commendationem ipsi fuisse utilem. Ni„ hil praeterea quod scribam habeo. Cupio igitur Te cum Tuis opti„ me valere. Salvus et incolumis est Joannes cum Hectore. Salu„ tant vos omnes. Tiguri, 18. Mart. An. 1558.

Bullingerus Tuus.

Caeterum pii in Raetia necessarium non existimarunt Marchionis petitionem ad publica consilia amandare, eo quod minus benevolos poterat experiri Romanenses: verum proximiore via ipsum voti compotem reddiderunt; nempe urbs Curia illustrem Marchionem civium

suorum albo lubentissime adscripsit, et proficiscentem patrocinii publici patentibus munivit. Quia commendaticias adtulimus, Friderici quoque responsorias exscribimus. „ Accepi, sermonem tuum de coena Do„ mini, quo errorum omnes nebulas discutis. -- „ Illustrem virum D. „ Marchionem Vici mihi commendasti, favoris autem in eum nil con„ tuli, eo quod in thermis (Burmii) fui, cum Rhetiam nostram acce„ deret. Feliciter tamen ei successit: nam Churiae fuit civitate do„ natus, postea vero Tiranum est profectus, et dum Tirani esset, (ut „ qui etiam nunc ibidem est) contigit me illac in reditu a thermis per„ equitare. Et cum essem nescius D. Marchionem illic esse, virum „ non vidi: idque aegre tuli admodum postquam rescivi eum ibi esse, „ et quod eum non visitavi. Scripsit autem ipse D. Marchio ad me „ a Churia cum essem in balneis, et sui successus me edocuit. Nunc „ idem recta perget in Illyricum, ubi censet se uxorem suam inventu„ rum. Dominus Deus et rerum suarum progressum prosperare di„ gnetur. Audio HERCULEM a SALICE oratorem a nostris ad Regem „ Christianiss. alias missum rediisse. Quid vero peregerit non constat. „ Virum enim nondum conveni. . . Ubi rescíam, scribam etc. Sama„ deno, die 7. April, 1558. „

Galeacius jam noster factus, Lesinam Majo mense adpulit, et cum suos illic non reperiret, trajecto mari, *Vicum* paternam possessionem spreto omni periculo progressus est, ubi Patrem, uxorem, liberos complexus est. Adfuisse illic quae hominem a praeconcepta opinione abducere valent omnia, quivis concipere animo poterit, qui sibi locum quo natus fuit, animorum inter parentes, filios, coniugem et maritum coniunctionem, paternae domus splendorem, agros, villas, cum caeteris oculorum oblectamentis repraesentaverit. At nullis Galeacius cessit, saevis semper tranquillus in undis, victor tentationum per Venetias, indeque per Raetiam nuperam patriam, in qua Ecclesias sua praesentia consolatus est, Genevam Octobris initio remeavit; aeternae abhinc oblivioni mandans patriam, uxorem, et quae in avita domo habebat omnia. Quia autem uxorem lucrandi spes nulla erat, super divortium consilia a Calvino petiit. Calvinus praevidens non defuturos qui a se approbatum divortium in ansam arriperent per quam detraherent Evangelio, maxime quod pauci doctrinam

de

de divortio intelligerent, et quod eius rei exemplum, inter Italos praecipue dari non posset, apud quos iste vir generis splendore eminebat clarissimusque erat: Auctor igitur illi fuit ut a PETRO MARTYRE Tiguri tunc Sacras litteras profitente, a quo olim sacram cognitionem edoctus erat Galeacius, cuique plurimum tribuebat, et a caeteris Helvetiae ac Raetiae Theologis primariis consilium peteret, cui se subscripturum promisit Calvinus. Obtemperavit Galeacius, et scriptis ac missis, ut conveniebat litteris, responsum unaminiter accepit, posse ipsum salva conscientia ab uxore, quae vinculum prima solveret, divertere. Scriptor vitae Caraccioli Auctor est consilia illa studio Genevae adservari: essent ad manus, quando opus esset in medium produci. Ex Raetis dederunt suum consilium FABRITIUS et GALLICIUS; fitque mihi simile vero Galeacium ipsum summorum virorum consilia collegisse. Medio certe anno MDLIX. Galeacius in Raetia et Valletelina obambulavit; eius vero aduentus haud alia mihi probabilior nota est causa, et haec eo maiori specie se mihi commendat, quod Galeacius proximo anni MDLX. secuti Januario, cum ANNA FREMERIA nobili femina Rothomagensi, religionis pariter causa Genevae exsule, matrimonium perfecerit. Ita autem Fridericus Saliceus ad Bullingerum Clavenna die 20 Iunii. 1559. inter alia: „ Illustri Matronae ISABELLAE Neapolitanae, ad tuas commen„ dationes officia nostra paratissima exhibuimus. Aduentum suorum „ domesticorum exspectat; incerta an diutius hic commoratura, an „ alio migratura. -- -- At Illustris Marchio Vici hisce diebus contulit „ se se in Vallemtelinam, qui tamen a piis omnibus huc reversurus „ exspectatur. Incertum vero est, an et ipse hic moram sit diuturniorem habiturus. Et sane illi etiam me obtuli, paratissimum qui „ ei gratificarer, vel ob id etiam, quod eum mihi tam officiose com„ mendas; quanquam homuncio sim tenuis conditionis, qui nulli „ queam inservire. „ Haec tunc Fridericus: et quantum in rem Raeticam de vita praefati illustris viri concernit. Plura de illo qui scire avet reperiet in *Biographia* ipsius, cuius supra mentionem fecimus.

JOHANNE FABRITIO MONTANO Curiensem imo Raeticam integram Ecclesiam curante, promota res Evangelii fuit in MISAUCIA valle Locar-

carnenſibus adtigua, nec non apud quatuorpagicos prope Curiam urbem, ſed feliciſſimo ſucceſſu ACERII ampla Communitate in Raetigoia. Nullibi Raetiae ſpiſſioribus in tenebris populus juxta cum Paſtoribus haeſerat, ut in Miſaucia valle; Sacerdotes enim praeter miſſae decantationem, omnium prorſus litterarum rudes erant, vitam autem adeo exlegem vivebant, ut nullam potius quam aliquam religionem ſecutos eſſe dici poſſit. Hinc populus praeter ceremonialem externi cultus obſervationem, qualis a ſuis flaminibus praeſcribebatur, ſapiebat nihil: caeterum vero incantationes, cum Daemonibus ipſis commercia in illa Valle, valde frequentata fuiſſe et vetus eſt traditio, quam veritate ſubnixam fuiſſe deplorat JUSSANUS ipſe, vitae S. CAROLI BORROMEI encomiaſtes. g) Undique circum Vallem iſtam Locarni, Clavennae, ac in Valle Rheni aut fulſerat, aut pleno ſemper jubare ſplendebat Evangelii candelebrum, atque huius radiis ab olim plures Miſauciorum illuſtrati fuerant. Attamen et pauciores iſti erant, ac de vulgo, et quia ſedula inſtitutione in veritate firmati non fuerant, deerat firmum illud animi propoſitum, quod certae cognitioni adeſſe debet, ad ſe fidelibus adiungendos. Noverat IO. BECCARIA Locarnenſis ille Myſta olim, qui per eam Vallem ſaepius exilium traxerat, plures in ea diſperſos latitare Evangelicae doctrinae amantiores, nam is antea Locarno pulſus Anno MDL. heic ſubſtiterat: aſt mora admodum brevi. Sacerdotes ſiquidem haud ſecus eum adſpexerunt, ac ſi internecinus aliquis hoſtis illorum regnum cum innumeris copiis invaſiſſet, nec quieverunt citius quam pedem inde movere coegiſſent. aa) Is igitur quando Tiguri Locarnenſi coetui BERNHARDINUS OCHINUM Paſtorem datum eſſe vidit, in Raetiam remeavit, et MISAUCI ſubſtitit, eo animo ut gregem Domino colligeret. Profitebatur ſanctam doctrinam domi ſuae, et pueris humaniora docendis vitam aegre trahebat.

Notus erat ſacerdotio Romanenſi BECCARIA, quem pro coetu Locarni ſtantem fortem athletam ſaepius expertum fuerat; unde ad eius praeſentiam ſacrificuli Miſaucini toti contremuerunt, et ne abs molefto

g) Vit. S. Caroli Borr. Lib. VII. Cap. IV.

aa) Beccar. ad Bull. prid. Kal. Mart. 1550. ap. Cl. Hotting. K. G. Tom. III. p. 787

sto hospite labor adcresceret suos, in illum concitarunt. Hi tumultu concitato Beccariam intolerandum hominem esse clamabant, & abigendum, si pacem cives conservatam velint. Debuisset sine dubio suam ire viam fidus Christi servus: at ANTONII a SONVICO viri Magnifici, et Communitatis consulis, causae Evangelicae sustentatoris eximii patrocinio factum, ut inter insultus, et pericula per tres adhuc fere annos infractus perdurare datum fuerit. Edocet nos ipse BECCARIA rerum suarum statum litteris ex medio tribulationum aestu scriptis, quas heic exstare decet. Hoc ille modo ad Bullingerum. „ Etsi nihil novi sit „ observandissime Domine, quod ad te scribam: volui tamen paucis te „ salutare, et significare quo in statu sint res meae. Sunt autem hactenus tolerabili, Domino sit laus: licet non desinant movere tumul„ tus sacrifici, et quotquot adhuc Papatui sunt addicti. Nihil tamen „ horum mihi timendum existimo, quandoquidem certo sciam me esse „ curae ei, citra cuius voluntatem non peribit vel capillus de capite „ eorum, qui ab ipsius providentia pendent. Quod ad hos pios adtinet, „ exceptus sum ab eis humanissime, ut nihil sit in quo desiderem „ eorum aut operam aut diligentiam. Ante alios omnes obruit me in„ dies suis officiis Magnificus D. ANTONIUS SONVICUS, nunc electus „ consul, qui una cum fratre isthic Te invisit. Is non immemor hor„ tationum tuarum ex animo studet promovere et propagare JESU „ CHRISTI Domini nostri Evangelium. Bene fortunet Dominus, ac „ indies ac magis augeat sanctum eius desiderium. Eius ac fratris no„ mine plurimam Tibi dico salutem. Ante omnia velim ut me meam„ que Ecclesiam tuis precibus Deo commendes. Multo plures adhuc „ sunt, qui Evangelio adversantur, quam qui faveant, licet illi dici „ potius queant Athei, quam ullius religionis homines. Potens est „ Dominus aperire illorum corda, si modo voluerit. Curiae a Fabri„ cio incredibilem sumus experti humanitatem. „ Misauco. 13. Kal. Junias. 1559.

Io. Beccaria Ecclesiae Misaucienſis
Minister inutilis.

Eodem tempore quo Beccaria Misauci, ROGORETI, (qui eiusd. Jurisd. tractus est) lares fixerat JOAN. ANTONIUS VISCATUS, TRONTANUS de patria dictus, qui pari vitae generi studens promovere Evangelium in viciniis illis allaborabat. Sedula binorum istorum opera indies auctoritas sedis Romanensis ex hominum animis deterebatur, sic ut brevi duo coetus Evangelici comparuerint, Misauci unus, alter Rogoreti. Ad hos progressus exarsit non sacerdotum ira modo, sed etiam Quinque Cantones Helvetiae dicti catholici toti commoti sunt. gg) Isti enim quum Romanae fidei in primis defensores haberi vellent, indigne plane ferebant quod Romana fides passim in Raetia aboleretur; summopere vero quod BECCARIAE in terra Misaucina sedes concessa fuerit. A quo, metus erat, ne timidiores qui Locarni remanserant, ab eo confortarentur, sicque scintillae in flammas erumperent, et antiqua de religione contentio recrudesceret. Instare igitur illi apud Raetos *banditum* (sic loquebantur), et patria eiectum hospitio ne accipiant atque ut molestum in illis confiniis sibi hominem amandent, repetitis aliquoties sollicitationibus postularunt. Erant in Foedere Griseo nonnulli qui quinquepagicis gratificandum censebant: maiori e contra Senatus Raetici parti sola professio religionis Evangelicae causa sufficiens visa non fuit, ob quam pius caetera, quietus, et de proximo bene mereri studens homo relegaretur. Imo vero Misauci habitandi ac pueros humaniora docendi facultas Beccariae concessa fuit tum a Comitiis universis, tum a Grisaei Foederis oratoribus Troni Anno MDLX. m. Aprili. pro more congregatis. h) Duorum illorum opera eum in contemtum adducta

(gg Conf. Fabric. ad Bull. d. 20. Novembr. 1559. supr. Cap. XI.

h) *Wir Landrichter und Rath des obern grauen Bunds jetzen zu Truns auf einem Pundstag versamt bey einanderen, thund kund männiglichem mit diesem Abscheid als für uns erschinen ist der Ehrsam und Weys Anthoni Thonin von Zauaszen und uns fürgebracht hat, wvie sie zu Massox einen guten Schulmeister habend namlichen den Kanesgen* (sic etiam hoc nomine notus erat Beccaria) *und er ihre Kinder fast wvohl lerne, und sich auch des glaubens nichts annehme und belade; vveiter so habend sie auch gar vvol verstanden, das die H. von dreyen Orthen hand euch dienstige Herrn vom Pundt zum dickern mal zugeschrieben, das ihr sollind so viel thun, und mit uns verschaffen vvollen das vvir samtlichen Kanesgen aus unserm Land vertreiben vvöllen und sollen, und*

ducta erat missa, ut a colonis ea amplius non frequentata sit, et illum neglectum videntes sacerdotes, Missae sacrificium lubentes intermiserint. bb) At adcreverant Evangelici in numerum haud exiguum; solebantque in aedibus privatorum convenire, ubi a Mystis duobus praefatis edocebantur: at quando parietibus coenaculi amplius non capiebantur, nullo jure se ab usu Templi arceri posse apud se reputarunt. Erant eo tempore in Valle illa, et Rogoreti, Templa quinque, quum incolarum usibus etiam pauciora sufficerent: nomine itaque Evangelicorum coram oratoribus Reip. Anno MDLXI. Februario m. Curiae congregatis, RIG. RENOLDUS, et Vicarius ANTONIUS, (de SONVICO ni fallor, cognomen enim additum non est) comparentes, petierunt Decreta quoad Religionis Evang. in Misaucia Valle libertatem concessa ratificari, CANESAM, TRONTANUM, vel eorum loco si alios allubescat, Ministros Ludimagistrosve alere et retinere sibi concedi; denique ex quinque Templis electionem duorum ad sancti cultus exercitium permitti. Postulata illa oratores tunc congregati secundum omnes partes rata habuerunt, et ne in Templorum designatione, aut religionis exercitio Evangelici impediantur, severissime prohibuerunt, Diplomate eam in rem altera Febr. anni praedicti extradato: tunc scriptis ad Quinque pagos litteris cohortati sunt, ut in causa religionis nostris molesti esse desinant. i) Male habuit equidem Quinquepagos non maiorem ipso-

*und ihren Banditen nit aufhalten sollen, dann er seye ein Aufwvikler des glaubens; dessen er sich somlich gar nit annimt: auf somlich so seye sein begehr, im Nahmen Ihr Gemeind an uns das vvir sollen so vvol thun und Ihnen solchen Schulmeister vergönnen und nicht vertreiben vvollen und da bleiben lassen. Und auf ihrem Begehren und fürbringen, so ist unser Rathschlag und Meinung das vvir vvollen Ihnen zugeben das sie Ihn mögen auffenthalten, dievveil er sich ehrlich und vvol haltet. Und das zu Urkund bevvahret mit unser Bunds-*Secret Insigel. *Geben am* 30. *April.* Anno Dom. 1560.

bb) q. Beccar. ad Bull. d. 7. Novembr. 1560. ap. Cl. Hotting. K. G. Tom. III. p. 787.

i) Fabric. ad Bull. d. 17. Febr. 1561. — Impetravimus etiam D. Beccariae publicum Templum, ut quem hactenus hostes intra privatos parietes concionantem ferre non potuerunt, nunc publice concionantem audiant. Et quod magis est, scribit

rum rationem a Senatu Raetico habitam fuisse: at nequidquam indignationem conceperunt, recordati preces Raetorum, et Turicensium pro Locarnensibus haud diu antea factas, iisdem auribus, atrociori cum effectu exceptas fuisse, et tamen novis adhuc sollicitationibus Beccariae dimissionem, additis interminationibus nescio cuius generis, expostularunt; quas quidem parvi fecerunt tum X. Iurisd. Foedus tum Cathedrale. Nihilominus Senatus extra ordinem congregatus statuit, libertatem Beccariam vel retinendi vel dimittendi stare penes Misaucinam Communitatem. Hoc pede 10. FLORINUS et MART. CABALZARUS quinquepagicis gratificaturi, apud catholicos suos, quorum suffragia Misauci oppido praevalebant, effecerunt, ut Beccariae discessus ex Valle intimatus fuerit, cum libertate tamen ut Evangelici quem velint possint in eius locum surrogare Ministrum. k) Vatinianum illorum odium, et designata pervidens BECCARIA cessit furori, et Clavennam migravit, ubi Ludimagistrum agendo vitam traxit. Caeterum et eo devenerat boni viri res, ut ob inopiam vix longiores in Valle illa moras trahere potuisset. Ea erat vel temporum calamitas, vel auditorum paupertas, aut forte magis avara ingratitudo. Ipsis BECCARIAE querulis verbis negotii

scribit Senatus III. Foed. ad V. pagos cohortans, ut in causa religionis posthac nostris molesti esse desinant. Ex hoc uno facto vides nos V. pagorum minas in hisce partibus non tantopere ac Vos timere. Quid ille mediator vester fecisset? Procul dubio D. Beccariam ad Garamantas ablegasset, aut ubi Taprobanem indica tangit aqua. Hoc modo ille solet consulere quieti publicae. Si Officiales Episcopi sedissent, putasne tu nos tam propitia habituros fuisse Comitia? etc.

k) Id. Eid. d. Sebt. 1561. *Des* Beccarie *Halb* ita accipe. *Die V. Orth hatten scharff geschrieben, und vvolltend kurzum eine endliche Antvvort han. Ab dem drauvven hand die aus den X. Gerichten so viel gethan das sie Tag und Nacht geritten sind, damit sie Ihre Eidgenossen nit erzürnind*, id est, *sie hand das ihre Ton, und sind nie auf dem Beytag erschinen; hand ihren Landvveibel mit einem Brieff geschikt, sie lassinds darbey bleiben, vvie es auf dem Bundstag gemacht: seye ihnen etwas angelegen mögen sie ein Bescheid von dem Bundtag vvarten. Also ist es darbey bliben. Das vvird die Leuth nit ein vvenig beissen das man nit grad uffgangen ist. Des Pabsts Sach zu agiren* (advenerat Bern. Bianchi eo anno in Raet.) *sind 2. fürnehm Männer im obern Pundt, die den andern vveit vorthun, alter Cabalzar: alter Joh. Florin* Hic fuit Auctor ut eiiceretur Beccaria - *aber dis Jahr sinds gar gefahren.* Conf. et Ejusd. d. 17. Oct. supr. Cap. V. sub fin.

gotii coronidem exponam quae lubens exſcribo, quum duris adeo verear ego expreſſionibus uti. In haec ergo ille ad Fabritium:

„ Poſt longam ac gravem cum hiſce Chriſti hoſtibus diſceptationem, huc tandem ventum eſt, ut major pars vicerit de me ejiciendo, „ ſed hac lege ut fratribus his habere liceat quemcunque alium voluerint concionatorem. Ego ut vera Tibi fatear, videns quo in ſtatu „ eſſent apud nos res meae, quantumque ingratitudinis apud plerosque „ ſentirem, quod ſalutem, commodumque privatum adtinet, mihi ex „ animo gratulor oblatam eſſe a Domino conditionem hinc abeundi: „ quod niſi ab impiis factum fuiſſet, eo venerant res meae, ut mihi „ egeſtate et inopia eſſet diſcedendum. Etenim ob Magnifici Antonii „ obitum, et Commiſſarii fratris abitum, ita deſtituta eſt haec Eccleſia „ a Viris et opibus, ut aegre inveniantur, quibus ſit unde Paſtorem „ alant. At interim doleo fratrum horum vicem, cum videam hos „ Paſtore deſtitutos. Dominus velit pro ſua miſericordia dare et „ facultatem alendi, et voluntatem habendi Miniſtrum. Ut autem eo „ redeam unde digreſſus ſum, quid hic agerem, colendiſſime frater, ubi „ nihil firmum et ſtabile ſibi poteſt vir pietatis amans polliceri? Nihil hic prorſus valent III. Foedd. Diplomata, nihil Communitatis ſanctiones. Quod hodie ratum videtur, cras irritum doles. Maximi „ igitur beneficii mihi loco duco, quod Dominus ex tanta rerum perturbatione, et miſera populorum colluvie liberarit. Proxima hebdomade contuli me Clavennam, ubi oblata eſt mihi ſatis tolerabilis „ conditio docendi pueros. Illuc igitur ibo, ac haerebo, donec me „ Dominus alio vocet. Cum per otium libuerit, gratum mihi erit, ſi „ me diligentiſſime commendes illi Eccleſiae, praeſertim D. AUGUSTINO „ (Maynardo) Magnifico D. HERCULI a SALICIBUS, atque D. JO. PETRO SONVICO Commiſſario, qui ſponte ſua multum laborat, ut illic commode accipiar. Fontis acidi experimentum ad Te mittam proxima ſeptimana, quando (ſi Dominus voluerit) illac iter faciam Clavennam. Tu me fac diligas, pergasque. quod hactenus feciſti, fovere me ac tueri. Ubi ſcripſeris ad D. Bulling. poteris illi de abitione mea ſignificare, quod et ipſe brevi faciam. Saluta Illuſtriſſimos Conſules nomine meo, una cum D. Philippo Pontiſella. Uxor

„ mea jam sesquimestre agit Locarni, quo coacta est ire propter de-
„ ploratam fere valetudinem, ex qua vero Deo gratia, ut audio, reva-
„ luit. Eam intra sex dies curabo deducendam, ut mecum valedicat
„ gratissimo huic populo. Vale diu ac felix, ac perge gnaviter in
„ Domini aedificio. Misauci, XV. Kal. Decembr. MDLXI. „

Quamdiu Beccaria substiterit Clavennae compertum non habeo: certum vero est eum nec odio adversariorum, nec ingratitudine seu vero calamitate et paupertate suorum deterritum fuisse ab invisendo indidem grege illo: quin imo et ad illum postea remigravit. Demum Anno MDLXXI. secuto CAROLUS BORROMAEUS Mediolanensis Archi-Episcopus, junctis cum BEATO Curiensi Praesule operis, advocata in subsidium externa vi, utrumque et CANESAM et TRONTANUM expulerunt, ut proximos nempe Italiae fines ab infectione haereseos, ut ajebant, praeservarent, ut suo loco dicetur.

CAP. XIII.

CAP. XIII.

A. 1546 1551. 1561.

Caesar Protestantes Germaniae ad antiquam sacrorum formam cogere instituit. Reluctantur Protestantes et ad Concilium universale provocant. Papa tergiversatur, tandem post effugia multa Concilium Tridentinum indicit. Prima indictio in Annum 1545. *Breve transmissum LVCIO Episcopo Curiensi. Neu Helvetii, neu Raetus, Antistites morem gerunt. Altera indictio Anno* 1551. *Proficiscitur Thomas clam Raetis, ut Pontificis gratiam ineat, sed a Raetis statim revocatur, et ejus Acta nullitatis intimantur. Tertia indictio An.* 1561. *Pius IV. Pont. legat Bernh. BIANCHI in Raet. querelis onustum, ad impetrandam Episcopi Tridentum profectionem et alia multa. Sed vacuus redire jubetur. THOMAS absentiam apud Tridentinos excusat, et Abbatem Eremitanum pro se substituit. Thomae oeconomia iram Cathedralium provocat: ea occasione Curienses Ministri bona Episcopatus in pias causas convertere student. Sed frustra. Episcopatum totis viribus tutantur Foedus Cathedrale integrum, et maxime Traversus, Pastor ipse cum Saliceis, primas in Foedere tenentibus.*

Qui

Qui Historiam Imperii Germanici vel obiter delibarunt, norunt Caesarem CAROLUM V. quo imperante Secessio ab Ecclesia Romana facta est, omnes vires applicuisse, armaque ipsa adhibuisse ad abolendam innovationem sacrorum in Germania per Lutherum factam, ac faciem Ecclesiae pristinae, ut sub Pontificum Romanorum gubernatione steterat, formae restituendam. Ei fini assequendo plura in Imperio Comitia Norimbergae, Ratisbonae, Wormatiae, ac Spirae habita fuere, in quibus omnibus Lutheri dogmata damnata, et ejus sequaces ad pristinum sacrorum morem redire jussi sunt. Sed ad dira illa fulmina ordines Evangelici adeo non contremuerunt, verum firmissimo proposito adversus Decreta a contrariis sibi cusa solenniter protestati sunt, atque ipsi Pontificis Legato gravamina centum, quibus a sede Rom. oneratum esset Rom. Imp. obtulerunt, expressa cum declaratione non se a proposito sancto citius destituros, quam UNIVERSALE CONCILIUM liberum in locum convocatum fuerit, a quo abusus in Curiam Rom. quoad doctrinam, et cultum Ecclesiae subingressi aboleantur, et causae justae consulatur. In eam petitionem Caesar amplis promissis consensit, tanto facilior quod unitis Statuum viribus ad imminentem Turcae potentiam debellandam indigebat. a) Ringebatur e contrario Pontifex ad CONCILII vocem, metuens ab eo infallibilitati suae periculum creari, regulam doctrinae et cultus solus tradere et abusus ipse corrigere cogitans: neque tamen aperte illud detrectare videri volebat, quasi causae minus fideret, verum varia praetexebat Concilii celebrationem remorantia, inter quae Caesaris et Galliae Regis simultas obstaculum maximum esse obtendebatur; ea semper sub spe ut si armis debellari Protestantes contingeret, per vim et nutum omnia ad pristinum statum redire cogerentur. Et quum id consilium non succederet, MOX PLACENTIAM, BONONIAM, MANTUAM, VICENTIAM futuri Concilii locum designabat. Reclamabant indictionibus illis toto gutture Protestantes varias ob causas, maxime vero quod in Italia et in urbibus sub Pontificis ditione, votorum libertas constricta esset, e contra Concilium in Germania, ubi et scissura hiaret, celebrandum contendebant. Horum voces flocci habiturus erat Pontifex, ni metuisset CAESAREM ipsum tot promissionibus habendi Concilii delusum, ad sistendam ruinam, con-

a) Conf. Sekkend. Hist. Luth.

conventum aliquem Germanicae nationis convocaturum fore, in quo insuperhabita Pontificia Auctoritate, controversiae de Religionis rebus disceptandae et componendae forent; quae tractatio ipsius auctoritati aeque ac ipsa haeresis detrimentum allatura esset. Omnibus igitur satisfacturus PAULLUS III. Pontifex Concilium, in urbem TRIDENTINAM, Germaniae proximam Anno MDLXLII. indixit, ad ejusque frequentationem omnes Europae potentias, emissis quaquaversum Bullis invitavit. Animus non est, designata Romanae Curiae et artes in celebratione Concilii hujus adhibitas, enarrare, quum ea facta dudum plenis voluminibus ediderint ex Protestantibus plurimi, tum Historici tum Theologi, et sigillatim ex professo pandat praeclarus ille Venetorum servita PAULLUS SARPIUS, qui in omnium manibus versatur. Ea solum exhibere placet, quae in dicti Concilii causa Pontificis nomine a Raetis nostris postulata fuerunt, et ab his suscepta. Primus itaque Concilio inchoando terminus, in Kalendas Novembris Anni MDXLII. a Pont. PAULLO III. fixus erat; et dicto tempore ipsius tres Legati Tridenti comparuerunt. Verum quum nihil minus quam celebrationem Concilii a Papa desiderari constaret, praeter Legatum Caesareum et Episcopos aliquot Neapolitanos Tridentum nemo devolavit Ecclesiasticorum. Papa nihilominus anno secuto 1543. et ab integro Helvetiorum corpore Badae pro Comitiis congregato, etiam a quatuor civitatibus Evangelicis ut Legatos suos ad Concilium mittant, ejusque decisionibus se submittant, cum per litteras blandas, tum per Nuncium expressum HIERON. FRANCUM postulavit. Verum Helvetiis non majore quam aliae gentes studio in Rom. Curiam devoti esse voluerunt; nec quenquam Tridentum delegarunt. Unde et Pontificis Legati postquam integros VII. Menses otiosi Tridenti exspectassent, cum ex gentium deputatis nulli advolarent, et ipsi ad sua remearunt. b) Abjecturus fuerat Pontifex aut in aliud tempus rejecturus Concilii causam, nisi a Carolo Caesare colloquium inter duas partes habendum Ratisbonam indictum fuisset: id vero quando intellexit Pontifex, protinus causam Concilii resumsit, ut Caesari scil. omnem ansam in Religionis rebus quidpiam statuendi praescinderet, atque statim Legatus Apo-

b) Lauff. Tom. IX. pag. 117. sq.

Apostolicus qui Tridenti haerebat die XIII. Decembris A. MDXLV. solemni pompa Concilium aperuit. Confluere tunc ex Europae regnis maxime ex Italia et Hispania coeperunt Episcopi, et alii delegati. Ad Helvetios a Pontifice missus venit ALBERTUS ROSINUS, qui lunae die post Domini Judica Anni 1546. illos exhortatus est ad Praelatos suos in sacram Synodum mittendos. Ea invitatio ne effectu destitueretur SEDUNENSI juxta atque CURIENSI Episcopis, nec non Sanct-Urbanensi, Sancto-Gallensi, et Eremitano Abbatibus per Francum novum Breve consignatum fuit, quo officii monebantur. Ejus hic tenor erat. „ Tos „ tius Christiani orbis Antistites ad Concilium quod nunc Tridenti cele„ bretur conscriptos esse: aequum proinde esse ut et ipsi qui HELVI„ TICAM repraesentent Ecclesiam ibidem compareant, idque tanto ma„ gis quod Helveticam nationem singulari affectione prosequatur ceu S. „ Sedis dilectissimos filios et Ecclesiasticae libertatis defensores. Advo„ lasse jam ex Hispania, Italia, et Gallia Episcoporum multitudinem „ haud exiguam, et adpellere indies alios; non esse igitur e decore „ ipsorum ut ipsi propinquiores a remotioribus in puritatem sanctae „ fidei conservandam studio antevertantur et vincantur. Partem po„ pulorum, eorum dioecesibus comprehensarum, haud exiguam haeresi „ infectas esse, adeoque eos maxime Concilio indigere, decere proinde „ ut omni mora missa ocyus Tridentum proficiscantur, ni in poenam „ legibus stabilitam, et in crimen negligentiae, et denegatae obedien„ tiae, quam tamen juramento spoponderint, incurrere velint. Caetera „ indicaturum ore tenus Nuncium suum, cui plenam cupit praestari „ fidem. Dat. Romae d. VI. April. MDXLVI. „ Utcunque Monitoriae istae omni nisu profectionem Tridentinam urgerent, nihil tamen effecerunt. Allegati siquidem ex Helvetia Antistites, juxta atque LUCIUS YTERIUS Curiae tunc Episcopus apud greges suos remanserunt. c) Non desiit quidem etiam postea Pontifex Helvetios repetitis instantiis sollicitare: verum nihil magis quam antea lucrifecit.

En unius ex missivis illis Apographon, quod nos ex LUDEWIGII Reliqu. Mstor Tom. XII. pag. 323. exscribimus.

Dilectis

c) Id. p. 159.

Dilectis filiis: TREDECIM CANTONIBVS HELVETIARVM, ligae Superioris Alemanniae, libertatis Ecclesiasticae Defensoribus PAVLVS Papa Tertius.

„ Dilecti filii Salutem et Apostolicam benedictionem. Pro nostra perpetua et praedecessorum nostrorum erga Devotiones vestras, totamque istam fortissimam Nationem benevolentia (quae fecit ut semper Nos vestri memores, Vestrorum commodorum atque honorum summam rationem habeamus) non dubitamus quin vobis quoque in animo et in memoria sit infixum, sic illam fuisse semper inter vos, et hanc *sanctam sedem* conjunctionem, quod mutui amoris vinculum, ob multa indicia, benevolae utrinque ac beneficae voluntatis constiterit. Cum hactenus Nos semper nostris judiciis, nostrisque *Stipendiis* vos honestaverimus: nostrarumque *personarum vobis custodiam* potissimum permiserimus: Vestra autem fides et Vestra virtus nunquam Praedecessoribus nostris et nobis ulla temporum varietate defuerit: Atqui hanc tantam et tam arctam inter Nos *amicitiae conjunctionem* (quae utrique parti honori fuit semper et commodo fuerunt) tamen *vafri et insidiosi* homines *perturbatores legum*, morumque bonorum, iidemque sanctae *Catholicae et Apostolicae Religionis* corruptores separare et divellere conati sunt: Quibus tantum favit perfidus humani generis *hostis*, ut ex ista *potentissima* et Nobis *charissima* Natione, aliquos tamen a Vobis potuerunt *divellere*, magno cum dolore nostro, tamquam e sinu et amplexu amantissimi Patris dilectissimos filios, quorum jacturam atque damnum etiam nunc lugere et lamentari non desistimus, desiderantes et *Deo* restitui et *nobis*, quos nostrae curae, diurnaeque et nocturnae cogitationes, omnibus precibus apud Deum et assiduis lamentationibus requirunt: Illud tamen Deo, ejusque divinae bonitati et clementiae referimus acceptum, quod *bona pars* de vobis in fide erga ipsum Deum erga sanctam Matrem Ecclesiam perstitit, nec se alienari a cultu verae et Christianae Religionis passa est. In quo Deus misericordiae, et vobis, qui integri *remansistis* de Spiritu suae sapientiae effudit, et si qui gentis vestrae decepti et inducti improborum sermonibus et in alienum sensum abducti, illis tamen exemplum ante oculos positum voluit

„ constantioris ac melioris partis, per quam alii possint facilius resipis-
„ cere, et reverti ad eam sanctam fidem, quam Patres ipsorum omnes,
„ *avi* et *majores* perpetuo cursu *veterum seculorum*, in *catholico* Eccle-
„ siae gremio tenuerunt, cujus Dei voluntatis maximum est argumen-
„ tum, quod pax et amor inter vos, nec dissidio quidem Religionis,
„ quo solent asperrimae *Seditiones* oriri, refringi aut violari potuit,
„ quam Vestram pacem Nos optimum signum vestrae probitatis accep-
„ tatae et speratae nobiscum consensionis habemus. Ac nobis quidem
„ jam inde a nostri *Pontificatus* initio omnia tentantibus ac molienti-
„ bus, quo his *dissidiorum* atque haeresium domesticis malis occurre-
„ retur: Cum et propria inter Christianos *Principes* concordia recon-
„ cilianda (sicut notum vobis est) plurimum laborassemus, et *levibus*
„ primo *remediis*, scribendo, hortando, monendo, iniquos haereticorum
„ animos placare studuissemus: Postquam caetera non satis pro-
„ cesserunt ad suum et maximum omnium hominum malorum reme-
„ dium; *Oecumenicum* et generale *Concilium* intimandum devenimus.
„ Et quia in *Germania* maxime haec *haereticorum* prava fides pullulat,
„ locum *Concilio* habendo *Tridentum* elegimus, juris et ditionis Ger-
„ manicae civitatem, ut illi commode vivere, tutoque commorari in ea
„ et tueri, si vellent, partes suas possint. Speravimus enim id quod
„ erat sperandum in tanta *Concilii* generalis auctoritate, cui semper
„ *Reges Christiani* et populi plurimum detulerunt, in tanto conventu
„ *Venerabilium Episcoporum*, qui ex omnibus *Nationibus* collecti, de
„ summa fide Catholica, authore Spiritu sancto essent acturi, neminem
„ fore tanta *impudentia* perditum, qui non se tantae, *divinae*, magis
„ quam humanae *Authoritati* submitteret, qui non rejectis falsis sugge-
„ stionibus improborum, judicium universum catholicae Ecclesiae susci-
„ peret; quam etiam nunc spem de vobis dilectissimi filii retinemus.
„ *Pacemque* illam inter Vos, quam omni laude dignam paullo ante
„ diximus, tanquam ansam divinitus nobis datam accepimus, ad *con-*
„ *glutinandos* iterum Vestros *animos* in Deo et nobiscum, cum et qui
„ fideliter ac constanter e vobis manserunt, hoc animo obtemperandi
„ sacro *Concilio* sint futuri, et qui non sua culpa, sed quodam *crudeli-*
„ *tatis errore*, quo saepe etiam boni prolapsi sunt, authoritatem *Oe-*
„ *cumenici Concilii*, et ejus Spiritus sancti qui Concilium regit, non
„ esse videantur contemturi. Ad quod Nos Concilium, tanquam ad

„ coe-

„ coeleſtem Senatum quendam, cui Deus praeeſt, quemque ipſemet
„ moderatur et gubernat, Devotiones veſtras ſicut et ante fecimus,
„ omni animi ſtudio et invitamus et adhortamur. Quod vero nobis
„ praeter omnem ſpem et exſpectationem acceſſit, ut invenirentur inter
„ *Germanos* non pauci, ac de numero eorum, qui ſe dicunt eſſe *Prin-*
„ *cipes*, qui Oecumenici Concilii graviſſimam authoritatem, potiusque,
„ ut diximus, *divinam* quam humanam, ita ſuperbe, inſolenterque *de-*
„ *ſpicerent*, ut non modo ad id ſe acceſſuros *negarent*, ſed contumeliis
„ et maledictis petulantibus atque nefariis, omnem *Conciliorum ſancti-*
„ *tatem* improbiſſime inſectarentur, ſeque nec Concilii Decretis ſtatu-
„ ros, nec illius authoritati tantillum delaturos, dicerent, id nobis ut
„ vere loquamur, maximo dolori fuit. Videmus enim hanc perdito-
„ rum contumeliam ſummam neceſſitatem afferre, ut de *vi* atque *AR-*
„ *MIS* fuerit nobis cogitandum, cum nec tantum animarum interi-
„ tum, quae haereſum venenis quotidie inficiebantur, nec *conculcatio-*
„ *nem* totius non magis *Eccleſiaſtici* quam *Chriſtiani nominis* atque ho-
„ noris poſſemus amplius perferre. Quod *alterum* nobis *Paſtorale*
„ officium, charitasque Paterna, quam erga omnes *fideles Dei filios*,
„ atque noſtros gerimus; alterum locus atque honor et ſummi *Ponti-*
„ *ficatus dignitas* non permittebat. Sed nobis ſaepe cogitantibus, quid
„ agendum eſſet, Deumque precantibus ut ſui divini auxilii nobis lu-
„ men afferret, opportune accidit, ut chariſſimus in Chriſto filius noſter
„ CAROLUS *Romanorum Imperator ſemper Auguſtus* (cujus erga Deum
„ omnipotentem, et ſanctam Catholicam, Apoſtolicamque fidem, ſin-
„ gulare ſemper exſtitit ſtudium et praeſtantiſſima pietas) *impiorum*
„ ſceleribus eisdem, fere quibus Nos offenſus, quo ſanctum *Concilium*
„ *Germanicae Nationi, ipſius praeſertim poſtulatione et opera a Nobis*
„ *datum;* quod cum illi contemnebant, impius quoque factum et au-
„ thoritatem videbant, et contemnere (ſicut quidam aperte, petulan-
„ terque faciebant) *armis ſibi conſtitueret, violatae fidei catholicae ſancti-*
„ *tatem et unitatem eſſe vindicandam*, cui Nos occaſioni, tanquam No-
„ bis a Deo ſine ulla dubitatione oblatae ſtudioſe nos adjunximus,
„ *ſummique Imperatoris* VOLUNTATEM OMNIBUS NOSTRIS ET SANCTAE
„ ROMANAE ECCLESIAE OPIBUS ATQUE AUXILIIS JUVARE CONSTITUI-
„ MUS, Deo hanc noſtram *operam* et actionem tribuentes, cujus Nu-
„ men, honoremque defendimus, nec volumus committere, ut ſi *lente*

„ *negligenterque Nos gerimus*, is postea tot *filiorum animas*, *haereticorum* perfidia in interitum abductas, a nostra manu requirat, quem „ animum nostrum, et totam Concilii rationem voluimus vobis dilectis filiis, nostris litteris facere notum, primum ut vobiscum tanquam „ cum eis, quos charissimos habemus, curas et sollicitudines, quae nos „ premunt, communicaremus. Deinde ut vos etiam hortaremur et „ rogaremus, ut animo, piisque votis et voluntatibus nobiscum esse „ hoc est cum Deo et Christiana Religione, velletis, nam etsi multa „ de vobis eximia et praestantia facta possint commemorari, nullum „ tamen futurum est praestantius, quam hoc, *si cum Deo veterem con-* „ *junctionem et amicitiam, quam aut majores Vestri sancte continuave-* „ *runt, servarint, aut reconciliarint; et si sedi Apostolicae*, quae Vos „ semper illustrare atque ornare conata est, pristinum Vestrum amorem „ et vultum reddideritis, Nobis, qui Vos paterna dilectione prosequi- „ mur, in hac *Dei causa* *) juvanda et promovenda, Vestra studia, „ Vestraque auxilia adjunxeritis; quae omnia cum Vestra summa laude, commodo et utilitate, et Deum omnipotentem et Vos ipsos „ charissimi filii omni studio rogamus atque cohortamur. Datum.

Papae importunitate moti Tigurini Ecclesiastae, causas scripto comprehenderunt, ob quas sibi Tridentinum Concilium frequentare non liceat; unde omnibus constabat justissimas ac prudentissimas ob rationes suos a profectione Tridentina retineri. Tigurinorum autem in sententiam tanto libentius ibant Raeti, quod juxta Ecclesiae bonum etiam Reip. pacem ab ea promoveri sibi persuaderent.

Paullo III. defuncto Anno MDL. suffectus fuit Potifex JULIUS III. qui in Sessionibus sub Anteceſſore in Concilio habitis Praesidem egerat. Hic abruptum Concilium instauraturus nova Indictionis Bulla emissa Patres Tridentum revocavit. Rursus itaque apud Helvetios FRANCUS, ut Antistites suos in consultationes Synodi mittant, postulavit. Sed irrito rursus conatu. Gliscebant eo ipso tempore Caesarem, inter

c) Contra libellus hic inscribitur, manu haud dubie Evangelici Theologi: BREVE DIABOLICVM.

inter et Henricum II. Galliarum Regem inimicitiae graviſſimae, ob Ducatum Parmenſem, quem Papa Caeſari adſertum ibat. Concepta ob id factum in Pontificem ira, HENRICUS omnibus Regni ſui Epiſcopis profectionem Tridentinam prohibuerat: nec eo contentus omnem lapidem movebat ut voto etiam apud Helvetios illum fruſtraretur. Dum ipſa de Concilio res tractabatur opportune per Helvetiae urbes oberrabat VERGERIUS Juſtinopolitanus Epiſcopus de quo ſupra; qui recens de Concilio, deſertor avitae fidei ad Proteſtantes acceſſerat; hic Mauritium MUSAEUM Gallicum Legatum de modo, quo Concilium Tridenti haberetur, dilucide edocuit, et argumentis ſufficientiſſimis eum inſtruxit, quibus profectionem Tridentinam Helvetiis poenitendam redderet. dd) Ac Re apſe obtinuit MUSAEUS apud Helvetios, ut

dd) Lubet hic Specimen adponere Rationum, quibus Vergerius utebatur, ex rariſs. libro Ejus nempe Actione II. Secretarii, *An Papa vi, atque armis poſſit imperare Proteſtantibus Tidentini Concilii Decreta*, quae extat Opp. Tom. I. f. 44. - 70.

Ubi in eo eſt nullos Principes vel populos paſſuros ſe impelli ad ſumenda arma pro Concilii Tridentini exſecutione. Separatim id monſtrat primo de Ferdinando Romanorum, Maximiliano Boemiae, Sigiſm. Auguſto Poloniae, de Angliae Regno, de Henrico Galliarum rege, de Venetiarum Republica, de Hercule Duce Ferrariae, de Coſmo Florentino, et idem de Caeſare ipſo. Deinde ſermone in Helvetios diducto loquitur in hunc modum: fol. 52. 53.

Helvetiorum quatuor inſignes populi, Cantones vocant, Tigurum, Berna, Baſilea, Schaffhuſia, cum aliquot civitatibus illis foedere junctis Sangallo, Geneva, atque aliis, complexi ſunt idem genus doctrinae, quod Germani illi, qui ſunt ultra Rhenum, et Te Tuaque omnia eodem odio quo illi proſequuntur, aut longe etiam majore. His ex amino conſentiunt tria foedera, (liges appellant) Raetorum, aut Griſonum, qui etiam ſunt Helvetiis confoederati. Nunc quaero, ubi omnes hi audierint collectum eſſe abs Te, et mitti in Germaniam ingentem exercitum, quo invaſurus ſis Proteſtantes, ut ad eos ad ſuſcipienda Concilii Decreta compellas, quid putes eos facturos? futuros ſpectatores fabulae, aut quid? Certe erras toto coelo, ſi tibi perſuadeas eos rem tantam eſſe neglecturos, et non viſuros, fore ut tota faba deinde cudatur in proprium ipſorum caput, niſi in tempore occurrant. Occurrent procul dubio, et confeſtim ſuis exercitibus paratis, atque una Proteſtantibus adjunctis ſubſidio venient. At qualibus exercitibus? Quis non novit diſciplinam eorum eſſe praeſtantiſſimam,

Mili-

ut omnes et ANGELI RICCII Caesarei, et HIER. FRANKII Pontificii Legati operae sedulae licet, inanes tamen reciderint. Catholici quippe cantones responderunt: durante inter potentissimos Europae Monarchas discepta-

Milites fortissimos, et solos adeo Bernates posse nullo negotio educere XXX. millia instructissimorum militum, Tigurinos, XX.? ut de reliquis sileam.

Hic dixerit Tua sanctitas, esse aliquot Helvetiorum pagos, qui Tuam obedientiam mordicus retineant, a quibus possis suppetias et auxilia sperare. Sunt quidem ex illis aliquot pagi, qui abs tuo gremio nunquam ulla vi passi sunt divelli, quo nomine confitearis necesse est, Te multum eorum observantiae erga Te debere, ac recte profecto egisti, quod tam amanter et liberaliter complexus es eorum legatos, qui tibi gratulatum venerant. Curasti enim per Terracinae Episcopum, ut tuo sumtu Romam venirent, tuo sumtu hic alerentur, tuo sumtu in Patriam redirent, cum magnis donis, praeterea et debes quidem curare, ut eos tibi demereas omni officiorum genere. Sed tamen hoc non impetrabis, ut velint tibi suis exercitibus Socii esse in bello, de quo loquimur. Rogas? Quia sunt aliis pagis juncti arctissimo foedere, contra quos nisi insigni aliqua injuria affecti, nolent, ut sunt boni viri, contra (inquam) tam charos, bellum gerere, et fidem frangere. Eadem enim est ratio in his, quam dixi esse in aliquibus Principibus Imperii, nempe periculum Sibi summum imminere, ne si Te, atque Caesarem juvent in Tiguro, Berna, Basilea, (quae sunt columnae et robora libertatis Helveticae) opprimendis sua sibi quoque libertas possit confestim debilitari atque eripi. Quis enim dubitat Lucernam, Friburgum, aliosque pagos, magis fore propriae libertatis conservandae studiosos, quam Tuae autoritatis restituendae? praesertim cum ipsis accidat idem, quod de quibusdam Principibus Germaniae catholicis dixi, qui praesenti Statu Ecclesiarum suarum multis nominibus, majore cum commodo, et animorum voluptate fruuntur. Est enim omnino laxior et liberior, quam is futurus esset, quem Tu, (si ubique victor evaderes) restituendum curares. Nam id opinor, operam dares, ut Tui Canones ad unguem porro servarentur, sic enim praecideres omnem occasionem, ne quis amplius clamaret contra istam sanctam sedem. Sed quid verbis opus est? Consule illum, cujus modo mentionem feci, Terracinae Episcopum, qui res Helveticas tractat, an revera illud videatur fore, ut Helvetiae illa pars, quae te colit, possit impelli, ut arma pro Te contra suos confoederatos sumat. Certe enim affirmabit non sumpturam (si modo verum voluerit dicere id quod sentit). Vereor enim ne Tibi aliquando imponat magisque suam ipsius causam agat in illa legatione, quam Tuae sanctitatis. Annon vides ut palam impudenter flagret libidine Cardinalatus? Sed audi reliqua. Non modo enim maxima pars Helvetiorum atque Raetorum, ad suscipienda arma contra Te, si armatum in Protestantes viderent, sed una cum illis omnes Provinciae, et populi (nempe Daniae, Prussiae, Sueciae, Livoniae, Gothiae, et Vandalorum etc.) quos nunc dicam, accenderentur.

disceptatione ac bello, haudquaquam se Legatos ullos Tridentum missuros: Tetrapolitani autem Reformati, liberius: Conciliabulum illud Tridenti ex Papae creaturis conflatum, nec a Galliae, Angliae, Suetiae, Poloniae, Daniae Regibus, et pluribus Christiani orbis statibus, recipi; neque a se pro vero libero, ac legitimo concilio agnosci. d) Bullingerus Tiguri oratione solenni die Caroli habita, ex ipsa Indictionis Bulla Concilii quod Tridenti habebatur genium, et Romanae artes Curiae egregie detexit, depinxit demonstrans Concilium illud institutum esse non ad inquirendam, illustrandamque ex Scripturis S. veritatem, aut ad reformandam legitime Ecclesiam Christi, sed ad subvertendam hanc, ad stabiliendos Romanae Ecclesiae errores, impietatesque, ac bene coeptas per Germaniam aliaque Europae loca Reformationes impediendas et abolendas. e) Instabat Pontifex etiam apud CURIENSEM Episcopum ut ad caeteros Concilii Patres Tridentum discederet: quod intelligens Bullingerus, profectionem illius remorari non neglexit. En ejus ad veterem amicum JO. TRAVERSIUM in eam rem datae litterae: „ Diu est, inquit, quod nullas Tuae humanitati litteras scribo. In eo „ est non oblivio sane, sed incommoditas Tabellionum. Statui tan„ dem nostram reparare amicitiam. Scribo itaque non quod habeam „ rem Te modo dignam, et toti Rhetiae necessariam, sed quod ita stu„ dium erga Te meum, et erga bonos omnes declarare volo. Ajunt „ vocari Episcopum Vestrum in Synodum Tridentinam. Cavete vero „ vos Rheti, ne illuc proficiscatur, aut si profectus est ut inde revoce„ tur. Pessime vobis cessit, et ipsi in primis quod Romam profectus „ est: pejus ipsi et vobis cedet haec ejus profectio, nisi praeveneritis. „ Conscriptum est olim Concilium, et continuatur hoc ipsum hodie „ tres potissimum ob causas, id quod ex Bulla concilii convocandi „ potest approbari. Principio ut eradicentur haereses, deinde ut fiat „ Reformatio, postremo ut expeditio suscipiatur in Turcas: Tu vero „ pro Tua prudentia vides eos qui colliguntur in Concilium ad illa „ Capita fore constringendos. Medium de Reformatione plausibile „ est:

d) Lauff. ad An. 1551. Hotting. Tom. III. p. 793. sq.

e) Ea demum edita est in Mus. Helv. Tom. XIX. pag. 384.

„ est: Sed revera fictitium ut alia duo ornet. Alioquin non ignora-
„ mus istos homines et eorum religionem in diem magis et magis
„ deformari, et ut hoc liberius possint, nos damnant pro haereticis.
„ Caesar cum aspiret ad Monarchiam et fratrem post se trahat, quin
„ non ita pridem Syncretismo cojit cum Monacho Georgio Panno-
„ nio ac ea re crabrones Turcas irritavit, quos et inflicta plaga ad in-
„ saniam redegit: miris technis in belli Societatem omnes cupit im-
„ plicare, qui ad Concilium illud veniunt. Neque novum est Ty-
„ rannos suis cupiditatibus praetexere Religionem, id quod tandem eis
„ cessit pessime. Si ergo cupitis tranquillitate frui, videte ne praetextu
„ Concilii, et vera religione spoliemini, superstitione opprimamini, et
„ bello vel sumtibus implicemini gravissimis; adde et lethali dissidio
„ inter vos concutiamini. Vigilate igitur et annitimini tranquillam
„ reddere patriam. Colendissimus meus amicus et frater charis.
„ Joann. Calvinus donavit me libro, quo Ego Te viciſſim dono. Vide
„ et diligenter legas, et positis superstitionibus Deo, puro cultu ser-
„ vias: nam senex es, mox morieris, duceris in judicium. Vigila
„ ergo, et fuge omnem idololatriam. Tiguri, 27. Novembr.
„ Anno 1551.„

Non diu ante datas has Bullingeri litteras, THOMAS PLANTA Curiensis Episcopus, Roma reversus fuerat, quorsum Bartholomaei Salicei accusationes ipsum ire coegerant: ibi autem Thomas ut se ab impacto haereseos crimine purgaret, et a Beatissimo confirmationem obtineret, nihil non ad S. Sedis promotionem stipulatus erat. Recenti ergo adhuc beneficii memoria, is clam omnibus, Tridentum se proripuit, ubi fidum agebat Sanctissimi filium, Synodi consultationibus intercedens. Id quando Raeti Proceres cognoverunt, indignissime tulerunt, quod suapte sponte, Dominis inter quos vivebat non consultis, eam profectionem susciperet ausus fuisset: atque misso confestim tabellario eum monuerunt, *ut nec verbum promittat se facturum; sed memor sit, se potestatem nullam habere; quod si vero neglecto monito, quidpiam agere praesumeret, sciat malum ab ipsomet in suum caput adscisci: juxta declarationem: qua quidquid acturus esset, pro nihilo haberi debeat.* Addit Comander: *Der Bischoff ist der Herr, und die Bauren sind die Meister.*

ster. f) Utcunque solenni hac intimatione acta THOMAE in Concilio, nullitatis declarentur: noluit tamen is Tridento caeteris Patribus prior discedere, ne mundi videretur iram extimescere: forte magis ut suo Zelo commendationem apud Caesarem pro Regalium, ut vocant, donatione obtineret; quam aemulus in Raetia dubiam reddere instanti opera allaborabat. ff) Secuto Aprili mense Anni MDLII. MAURITIUS Saxo in Caesarem, ob dilata nec praestita promissa, arma capessivit, tamque veloci cursu alpes in Tyrolim superavit, ut Caesar coena nondum consumta, Oeniponte, noctu, accensis fanalibus praecipiti fuga Villacum in Carnioliam discesserit. Saxonis adventum Patres Tridentini exspectare nec ipsi voluerunt, sed compactis celeriter rebus ad sua avolarunt. Tunc etiam Curiensis ad Raetos suos rediit inexspectatus utique, et dissipati Concilii praeco. Eius adventum ad Bullingerum in haec verba perscripsit Comander: *Concilium Tridentinum finitum est. Der Hagel hat drein geschlagen: Scripsit Traversius de hoc ad filium suum ita: Episcopus noster rediit, intra suam pelliculam se continet quietum.* g)

ff) Thomas, ipse ad Traverf. e Tridento sic:

An Hansen Traversen unsern lieben und getrewen Vettern:

Lieber Vetter. Mir ist ein Schryben von Herrn Stadthaltern zukhommen, dess Copey schik Ich Euch hiemit derhalben mit Rath des Cardinaln von Trient, welcher mir der Widersächern, insonderheit dum Ferdinandi Schryben by dem banditischen Schkiern pratick heimlich angezeigt hatt, bin Willens uff nächstkünfftig Zinstag uff Innspruk zu verryten etc. Gott geb Glük; der Cardinal würd auch gleich hinus postiren etc. und Ich mag nit wissen was mir zusion mag, weil allein selb dritt rytt. etc. Wär mein Bitt an Euch, wo es Euch nit z' schwer, das Ihr zu mir gen Innspruk herab geritten werèn: Wan Ich gedenke man vverde mich von vvegen der Stür vvider den Türken abermals bessprächen. Der Schkier ist dennoch als Ich acht allein die Regalia z' hindern. Hiemit was Euch lieb und Dienst ist yber Zeit bereit. VVellend dem Herrn Doctern auch communicirn. Ich muss seinen schonen von der Gylgen vvegen. Datum am 4. Tag Febr. zu Trient, 1552.

Herrn Vetter Thomas, Bischoue zu Chur.

f) Conf. Hotting. K. G. Suppl. p. 195. item Sleidan.

g) Kal. Maji, 1552.

Post eam dissipationem integrum decennium elapsum est, antequam Concilii instauratio decreta sit a Curia Romana, quidquid Principes, et populi pro abusuum emendatione et controversiarum decisione interea clamabant, parum sollicita. Demum PIUS IV. metuens ne a Gallis concilium nationale convocaretur, (Colloquium enim Possiaci indictum erat) quum et mutationes in Anglia et Scotia ipsum terrerent, nec Maximiliano Bohemiae Regi, quem haereticorum factorem esse dicebat, satis fideret, Sacro-Sanctum Concilium Januario M. Anni MDLXII. aperuit, et instauravit. Indictionis Bulla erat jam A. 1560. d. 29. Novembr. emissa, et ex eo tempore usque ad Patrum confluxum circumquaque ad populos volitarunt Pontificii legati, eos Tridentum convocantes, et hi Protestantes quoque ad Concilii frequentationem sollicitarunt. Egerunt id negotium coram conventu Principum Prot. Naumburgi habito, bini Legati. Sed Protestantes invitationi obsecundare renuerunt, gravibus de causis, quas hic fusius enarrare nil adtinet. Apud Helvetios ANTHONIUS VULPIUS Comensis Episcopus idem fortiter ursit, aliquo cum successu. Septem quippe Cantones post aliquam moram Legatos suos ad Concilium mittere, ejusque decisionibus se submittere polliciti sunt: Tetrapolitani vero Evangelici Tridentinam Synodum acceptare assa voce recusarunt, ob causas praegnantes, quas scripto obtulerunt.

Ad Raetos vero permovendos BERNHARDINUS BIANCHINUS Mediolanensis sani Sanctae Mariae de la Scala Praepositus Legatus fuit, cui ne auctoritas deforet, Pisqueriensis Marchio Ducatus Mediolanensis tunc Gubernator et Italiae summus Capitaneus, nomine ac Mandato Regis catholici ceu Mediolani Ducis, JOANNEM ANGELLUM RITIUM Mediolanensem nobilem, memorati Regis et Ducis Secretarium, (qui nomine Caesaris Caroli V. cui etiam a Secretis fuerat, antea quoque in Raetia negotiationes tractaverat) adjunxit. Hi in Raetiae oratorum mensis Septembris initio Ao. 1561. Curiae congregatorum consessu, septimo Idus Junias, comparentes, litteris legationis suae fidei faciendae gratia exhibitis, praemissa ad Magnificos populos utriusque Domini sui nomine solita salutis apprecatione, gravamina non pauca exposuerunt, et ad ea medelam non tam petierunt, quam postularunt. „Exordii loco Mediolanensis Praepositus pristinam obedientiam, reveren-

„ tiam

„ tiam et devotionem quam pii Anteriores Raetiae nationis Sanctae „ Rom. Sedi, et defunctis Principalis sui Antecessoribus exhibuerint, et „ vice versa quanto amore, aestimatione, etiam donationibus eos san- „ cti Praesules dignati sint, ut quum de his etiam plures qui in vivis „ adhuc sunt, testes abunde esse possint, in memoriam revocavit: tum „ de Pontificis universali pro catholica Ecclesia cura prolixe et splen- „ dide locutus dolorem expossuit, quem supremus hic Pastor inde ac- „ ceperit, quod tam fida olim S. Sedi natio, ab eadem quoque tanti „ aestimata, falsorum quorumdam novae fidei praedicantium, quorum „ magna pars ob commerita crimina capitalia, Italia profugi sunt, in- „ citatione, jugo et observantiae quam Deo, suisque superioribus, ex- „ presso Sacramento stipulati sunt, se subtraxerit, ab antiquo amore et „ in sanctam Romanam Sedem obedientia, a sacro cultu, quem per tot „ secula summa devotione majores celebrarunt, magna ex parte dese- „ cerit. „

„ I. Pro pastorali igitur sibi incumbente officio non posse non et „ debere erga Magnificos Dominos Raetos conqueri quod dictos ex „ Italia profugos nulla in eorum anteactam vitam inquisitione habita „ tum in proprias ditiones, tum etiam Valles Tellinam et Clavennen- „ sem recipiant, et recipi jubeant, foveant protegant, sanctos et bonos „ reputent, ea solum de causa quod sanctae catholicae fidei et Roma- „ nae se adversarios gerant et declarent; a qua tamen Illustris natio „ nunquam nedum damnum aut ignominiam, verum honores et bene- „ ficia reportavit, et etiam ab hinc reportatura esset, si in gremium „ sanctae Sedis revertentes, iis insisterent vestigiis, quae majores calca- „ verunt. „

„ II. Nec solum conqueri quod dictos Praedicantes et profugas „ in dictis suis dictionibus tolerent et foveant, verum etiam quod pri- „ stinae fidei et in obedientia S. Sedis adhaerentes adigant ad danda „ falsis Praedicantibus beneficia, praebendasque compartiendas, quo „ subsidio illi falsam suam, et ex superba ambitione per perversam „ S. Evangelii expositionem, S. Patribus et Oecumenicis Conciliis „ contrariam, excogitatam doctrinam propagare possint; ad quod

III. „ Accedat quod advenientes Catholicae fidei Praecones cogan-
„ tur vadimonium pro persona sua vitaeque actis dare, et una cum
„ illis, caeteros quoque sanctae fidei professores duriter haberi, mulctari,
„ esseque qui iis mala eo nomine interminentur, eum omnia in finem ut
„ a concionatione S. fidei, et ejusdem professione absterreantur. Pariter

IV. „ Injuriam esse atrocissimam quod aedificia ad divinum cul-
„ tum, aut ad ejus promotionem pro personis Ecclesiasticis sacra,
„ S. Monasteria exstrui vetentur arceanturque; quinimo Equiti Pontensi
„ adhuc in vivis, ob id quod ex devoto et Christianae caritatis ple-
„ nissimo corde pro honoratis idoneisque Sacerdotibus Ponti Collegium
„ fundaverat, poenas indictas esse, ac de Quadrii bonis particularium
„ personarum instigatione, contra Testamenti tenorem, contra Statuta
„ omnia dispositiones factas esse, ne divinus cultus, et sacrosanctum,
„ pium Collegium stabiliri possit; quum tamen Collegium istud in spe-
„ culum doctrinae morumque bonorum toti genti evasurum esset,
„ siquidem congregatio Sacerdotum illius ordinis, ob sedulitatem et
„ integritatem doctrinae, ac vitae exemplum in omnibus locis ubi
„ recepti sunt (quod ab omnibus priscae fidei adhaerentibus Principi-
„ bus et Dominis factum) magnum Ecclesiae et Reip. emolumentum
„ adtulerint. Nec minoris esse considerationis quod

V. „ Illustres Domini Raeti permittant Peschlavii, Comensis di-
„ tionis oppido, stabile Typographeum ex quo ad apertam Dei blas-
„ phemiam et publicum vituperium S. Rom. Sedis libri imprimantur
„ de S. Pontificibus aliisque divinis Ecclesiae Doctoribus, summa fal-
„ sitate adversum Missam et alia Sacramenta pluraque alia dogmata abs
„ Conciliis et integris Christianis Ecclesiis sancita, tractantes, ut quod
„ clarius intelligitur ex iis quae in proximo Concilio Tridenti cum
„ omnium Principum Potentatumque consensu celebrando, tractabun-
„ tur. Ad idem

VI. „ Collimare impedimenta ab Illustribus Dominis Raetis Episco-
„ po Comensi quoad jurisdictionis suae exercitium interjecta, siqui-
„ dem prohibere praesumant ne suos reditus vectigaliaque exigat,
„ aliisve in foenus conducat, quodque ejus Vasallos Sacramento libe-
„ rent, quum tamen Comensis Episcopus antiquitus, et ex inolito mo-

„ re

„ re i) capitales et alias quoque causas in omnibus suae dioeceseos
„ locis, proinde etiam in Tellina et Clavennensi Vallibus judicare,
„ vectigalia cujuscunque generis exigere et accipere, jusjurandum item
„ ab omnibus clientibus vel Vasallis suis, et ab iis qui annuos sibi pen-
„ dant reditus, exigere potuerit. Et siquidem in consueto fuerit in
„ conventum ordinis Divi Dominici quod Morbenii et Comensis ditio-
„ nis est, identidem quosdam concionatores mittere, qui sana doctrina
„ et pia vita populos in vias Domini insinuent, contineantque, jam

VII. „ Dominos Raetos non modo inhibuisse ne ad id sanctum
„ opus peragendum extraneos, vel alios ex illo conventu adhibere
„ liceat, sed etiam vetuisse, ne qui semel vestris dictionibus exit, re-
„ ferre amplius pedem possit; ex quo evidentissime perspiciatur eorum
„ mentem aliam non esse non posse quam priscam fidem ex illis Italiae
„ locis exterminandi, et funditus exstirpandi, prout in urbe Curia aliis-
„ que eorum ditionis locis factum est.

VIII. „ Non minori injuriae deservire suae sanctitati innovationes
„ ab Illustr. D. D. Raetis factas, quarum tenore nuper per Vallem
„ Tellinam Decreta proclamari fecerint, ut penes Communitates seu
„ Ecclesias stet, sibi Parochos, Pastores et Capellanos deligere pro suo
„ bene-

i) Fabric. ad Bull. d. 17. Febr. 1561. — *Des Bischoffs von Chum Comissari ist vor Gem. III. Pündten erschinen mit Bitt seinem Herrn dem Bischoff sein Freyheit und Gerechtigkeiten so er im Veltlin hat z' bestättigen. Welches Ihm alles vergunt und verwilliget. Hierzwischen komt mir ein Form des Eyds, so des Bischoffs Lechenleut im Veltlin dem Bischoff zu schwören schuldig sind zur Hand. Deshalb als derselb Eyd gar stark und die Veltliner unter anderm schwören den Bischoff zu schirmen mit Wehr und Werk, bring Ich dieselb Form dem Herrn Burgermeister* Instat HERCULES a SALICIBUS (qui se in omnibus vere Herculem praestitit) ut in Senatu legatur. *Das ist geschächen. Derhalben die III. Pündt den Eyd auffghebt und als der Bischoff von Chum von den Huoben und Colonien, etliche Iahr ein gros Geld nammlich je zu 3. Jahren um, wider den alten Brauch auffghebt, ist Ihm das fürter z' thun abgeschlagen: die auch so Ihm vorgeschworen, sind ihres Eyds erlassen; des sich des Bischoffs Comissari treffentlich beschwärt: hat aber weiter an den III. Pündten nicht haben mögen. Wäre Ihm derhalb wäger gsin, er wäre daheimen bliben, so hätte man nun von dem Eyd nüt gewüst.*

„ beneplacito, adnexa gravi poena ne quis ullam proviſionem, confir-
„ mationem, aut papalem bullam a Romana Sede expetat, conſequa-
„ turve, et ſub eadem poena interdixerint ne ullus Praelatus, aut Sa-
„ cerdos in ſua ditione ullam Bullam aut proviſionem Roma allatam
„ publicet aut proclamet, niſi Comitiis III. Foedd. prius praeſentata
„ et ab eis admiſſa fuerint; ſiquidem haec omnia ſatis ſuperque edoce-
„ ant D. Raetorum eo tendere curas ut populi illi totaliter a priſca
„ fide, a ſuae ſanctitatis et Sedis Romanae obedientia abducantur:
„ quum tamen eorum majores quamdiu cum Rom. Sede concordes
„ vixerunt, per multa ſecula alta felicitate gaviſi ſint. Haec proinde
„ eorum conſilia non ſolum S. Sedi Romanae praejudicio, ſed inte-
„ grae nationi Italiae, ejusque Principibus intoleranda eſſe; neque fieri
„ aliter poſſe quam ut ex ejusmodi innovationibus, ſcandalis, et ordi-
„ nationum bonarum everſionibus, alia quam Rerumpublicarum ruinae
„ et everſiones oriantur, qui Sectarum novarum vulgo effectus eſt, ut
„ exempla per omnia Orbis Chriſtiani regna edocent. Haec praevi-
„ dens ſua ſanctitas pro paterno corde et ſingulari affectu quo in
„ laudatiſſimam Raeticam nationem, cujus majores multa devotione
„ ſuam obedientiam Sedi S. probaverunt, fertur, Raeticam Ampli-
„ tudinem per Sanguinem Jeſu Chriſti Domini et Redemtoris orat et
„ obteſtatur, ut nunc tandem errores in quos lapſi ſunt et per Pſeudo-
„ praedicantes ſeducuntur, eorumque impoſturas agnoſcant, ab illis
„ deſiſtant, et rurſum ad obedientiam gremiumque S. Eccleſiae apud
„ Sanctiſs. devoluti redeant, qui ceu Pater flagrantiſſimi amoris promto
„ ſit animo futurus ad eos recipiendos, pro filiis agnoſcendos, ad eis
„ omni caſu ſuccurrendum, eosque eo modo protectione ſua fovendos,
„ quo olim alii Pontifices laudatiſſimam nationem proſecuti ſunt. Vt
„ ergo Illuſtres et Magnifici Domini Raeti tanto melius cognoſcere
„ poſſint, qua in parte verſetur Pſeudopraedicantium doctrina admo-
„ nentur,

IX. „A ſanctiſſimo Chriſti Vicario ſuos Legatos cum poteſtate
„ competenti Tridentum ad S. Concilium mitti, viros nullis aliis
„ ſtudiis aut inclinationibus quam Eccleſiae filios decet imbutos, quo
„ cum devotione et integro in Deum animo Chriſti Eccleſiam, in tot
„ ſectas diviſam, et a priſca unione ac decore ad paradoxas et peri-
„ culoſas

„ culosas opiniones, quae hucusque nil nisi turbas, miserandam desola-
„ tionem et infortunia in populo Christiano protulerunt et proferunt,
„ deflexam in unionem redigere et coadunare adjuvent; tanto magis
„ quia per deplorandas dissensiones adaugeatur horribilis potentia Tur-
„ cae hostis fidei Christianae infensissimi, cui nisi poenitentia ac prae-
„ cedentium errorum emendatione obviam eatur, et tot dissidiis ac
„ Schismatibus discerptus orbis Christianus in concordiam in formam
„ et regulam unam, (quod unio secum fert) cogatur, mali mores et
„ consuetudines abrogentur, sperandum non esse fore, quod DEUS
„ per suam clementiam nostri misereatur, et potenti sua manu immi-
„ nentibus periculis ac desolationibus nos subtrahat et eripiat. Imo
„ vero quando in veneno quod Pseudoconcionatores in miserum po-
„ pulum Christianum cum evidenti animarum periculo emiserunt se-
„ minaruntque, et odio adversus pios priscae fidei devotos perseve-
„ rint, indubie a justo divino judicio castigandos, et crudelibus sancti
„ sui nominis hostibus predae dandos fore; prout id omnibus iis po-
„ pulis, nationibus, et Imperiis obtigit qui obedientiae Pontificis Ro-
„ mani, Vicarii Domini nostri Jesu Christi in terra se subtraxerunt, et
„ ab iis, quae totus Christianus orbis, Christianae Ecclesiae, et Concilia
„ ductu Spiritus Sancti definierant, discesserunt.

„ Esse ergo Domini sui, sanctissimi Praesulis ad Illustres Dominos
„ Raetos petitionem et obtestationem.

I. „ Ut ex Valle Tellina et Clavennensi ita dictos Praedicantes,
„ aliosque ex Italia e suis ordinibus et conventibus profugas dimittant,
„ et ejiciant; siquidem non aliam ob causam aufugerint quam ut vel
„ carnalibus cupiditatibus pro genio indulgere possint, vel ne ob faci-
„ nora commeritae censurae et poenis subjici debeant.

II. „ Ut praedicatoribus veteris religionis, praedicationem liberam
„ permittant, neque ad ulla adigant facienda antiquis constitutionibus
„ contraria, multo minus per ea media promoveantur ad cedendum
„ obedientiae S. Rom. Sedis: verum per omnia protegantur in posses-

„ sione consuetudinum, sicut a Majoribus factum, et jura Ecclesiastica „ edocent.

III. „Ut inspectio habeatur in Typographiam Pesclavii, et non „ modo inhibeatur ne amplius ejusmodi contumeliosa imprimantur, „ verum etiam quae edita hucusque sunt prohibeantur et tollantur.

IV. „Ut Deo in honorem et in publicum emolumentum conce- „ datur, ut Collegium Ponti Sacerdotum Soc. Jesu exstruatur, sicque „ fundatio D. Quadrii exsecutionem obtineat, certos utique ex probo „ illorum Sacerdotum exemplo divinis sub Auspiciis, tot bona oritura „ et in publicum redundatura, ut institutum ipsimet olim collaudaturi, „ promoturi et aucturi sint.

V. „Ut Templa atque reditus qui Sacerdotibus ademti et novae „ fidei Praedicantibus adjudicati sunt, in totum una cum reliqua Ju- „ risdictione restituantur illis in eum statum, prout fuerat antequam „ nova religio inciperet, tempore Majorum nostrorum, neque in ea „ quae Praelatorum veteris religionis sunt, ullum sibi jus vellint aut „ praesumant.

VI. „Iniquum praeterea et nullo prorsus modo admittere aut to- „ lerare sanctitatem suam posse quod Domini Raeti judices semet „ constituant, collaturam Ecclesiarum sibi adjudicent, et vacantia bene- „ ficia prout nuper cum statione Archipresbyteri Villae factum, con- „ ferant.

VII. „Ultimo petit et obtestatur ut Edictum quod nuper adversus „ summi Pontificis potestatem per Vallem Tellinam et alibi promul- „ garunt, revocent, bona usibus Ecclesiasticis destinata et Legata resti- „ tuant, antiquam religionem observantes in prisca libertate intactos „ conservent, et caetera ea omnia quae generosos, veritatis et justitiae „ amantes imperantes, Christianumque populum decet sibi curae et „ cordi velint, qua etiam confidentia sua sanctitas vivit quod enixuri „ et facturi sint. Casu vero quo haec minus observarent, et res suas „ secus gesturi forent (quod tamen credere aut sperare, sua sanctitas

„ pro

„ pro cura quam erga gregem Christianum gerit, et ratione quam
„ Omnipotenti Deo pro omnibus orbis Christiani, imo totius mundi
„ ceu Caput Ecclesiae Christianae ejusque communis Pater, datura est,
„ vix potest nec vult) fore suam sanctitatem ex conscientia et officio
„ constrictam ad excogitanda adque manus sumenda omnia ea media
„ medelasque quas Dominus Deus inspiraverit, et sufficientes necessa-
„ riasque judicaverit ad occurrendum tot confusionibus: quas inter
„ medelas referri etiam quod sua sanctitas, licet cum dolore, pro sua
„ auctoritate coacta fuerit prohibere de ullus catholicae et veteri fidei
„ addictus, in terris vobis contiguis, possit vel audeat ullam commu-
„ nionem commerciumve cum ullo nationis vestrae subdito, aut ullus
„ Raeticae ditionis, et subditorum vestrorum cum ullo alio alterius
„ Domini proximi populo catholico, communionem, mercaturam, aut
„ colloquium habere. Qua autem in parte certam esse suam sancti-
„ tatem ad prosecutionem functionis adeo justae et devotae non modo
„ ab omnibus Principibus, Dominis, Potentatibus, et populis antiquae
„ fidei et obedientiae in S. Sedem sibi morem geri, sed etiam cum
„ omni submissione auxilium et subsidium subministrari, viva enim illos
„ omnes spe vivere omnipotentem Deum pro immensa sua misericor-
„ dia S. Sedem Romanam, et integram Christianam Ecclesiam prote-
„ cturum et defensurum; quod quam potenter faciat abunde his tem-
„ poris exulcerationibus, et afflictionibus adparere, quibus maligni
„ conspirarint, ut illam pessum darent.

„ Peroraturus Dominum omnipotentem oravit consilia Judicum
„ ira dirigi et illuminari ut exoptatum benignumque responsum con-
„ sequatur, ad promotionem divini cultus, faciens, et flagranti illi
„ amori, qui Pontificalem sanctitatem ad hanc legationem permovit,
„ congruens: Contestatus tum demum gaudio deservire sibi quod sibi
„ passus sit imponi commissum adeo praegnans invitando illos ad pieta-
„ tis viam, et ad suae sanctitatis fidi Pastoris, vigilis, et Patris hujus
„ nationis, animarum sitientissimi, obedientiam rursus acceptandam,
„ ejusque vocem benigne audiendam. Haec Regius, Sacerdote ad
„ latus stante, et dictis adtestante.

Reſponderunt qui aderant in conventu oratores nullam penes ſe eſſe poteſtatem quidquam certi ad propoſita poſtulata reſpondendi, et ſiquidem ea ſummi momenti res contineant omnino neceſſe eſſe ut ad Communitates ceu ſupremum et legitimum Reip. Magiſtratum devolvantur, quae miſſis in expreſſa Comitia Oratoribus, animi ſenſa declarent, Pontificique reſpondeant. Id cum et ipſi aequitati conſonum agnoſcerent, Regius Legatus pro impenſis conventui peragendo faciendis, idonee cavit. Itaque emiſſis ad ſingulas Communitates, Bianchini poſtulationibus, ut Ilantium in XI. Kal. Novembr. omnes Oratores ſingularum Com. compareant cum categorica ad quaevis poſtulata inſtructione indicatum eſt. Sed quando poſtulata in populorum manus ſparſa ſunt, ſtupuerunt omnes de tonitruis tanto cum fragore e Vaticano tonantibus; eratque vulgatum omnium judicium ad invicem hocce: *Entweders die Lüth ſuchen mit Gewalt Anlaſs zum Krieg, oder ſie hand die Lüth dieſer Landen für Stocknarren, oder mit einer ſolchen Zumuthung ſind Sie gros-Hauptnarren. k)*

Quaſi vero, clamabant omnes: *Papam Pium IV. non agnoſcamus olim Jo. Angelum Mazzii in Valle Tellina Sacerdotem, qui proditorie inſulam noſtram ſibi arripere tentavit; et ignoraremus flagrantem illius in nos amorem qui una cum Medighino Caſtellano Muſienſi, cujus pecuniis tiaram pontificalem emit, caeterisque fratribus ſuis, ſubditos noſtros noſtro dominio ſubtrahere, imo vero ſe nobis Dominos obtrudere per omnes artes et inſidias allaboravit! Is ſcilicet ejus eſt amor quem inter petitiones identidem ſpirat, ut niſi obtineat quae poſtulat nihil penſi habeat, ſi tantum ad nutum res volvantur, vel cuncta mundi regna atrociſſimis armis collidere, modo ſuum qualicunque ratione regnum confirmare poſſe exiſtimet. Armorum vi is errantes in viam reducit, commerciorum abſciſſione et vicinorum invicem incitatione paternum affectum oſtendit! Petere vero ut ſubditos noſtros (qui Comenſi Epiſcopo reditus ex more pendent) jurejurando quo nobis obſtricti ſunt abſolvamus, ut ipſi Pontifici fidem jurent quam nobis debent; ut cauſarum criminalium aliarumve dijudicationem alii quam Repraeſentantibus noſtris concedamus; ut quaevis ſub qualicunque nomine vectigalia exigendi facultatem Antiſtiti Comenſi*

k) Fabric. 2. Septembr. 1563.

Comensi impune dimittamus; petere haec, inquam, quis potest nisi vel apertus hostis, vel qui Dominio et libertati nostrae insidias struit? Aut num nos in latibulis Europae dilitescere reputat, vel sui mancipia! quasi nesciamus, quid alii cordati Principes, Gentesque de Concilio ex suis creaturis Tridenti congregato habeant; quem conventum bona Europae Principatum pars Gallia, Anglia, Scotia, Dania, longe major Germaniae et Helvetiae pars nec pili quidem habent? Et cui nos alii fini ad servile ejus Conciliabulum invitat, nisi ut postquam cum aliis populis Principibusque qui Concilio interfuerint fidem nostram obligaverimus, operam quoque nostram adversum populos recipere recusantes, adversum Gallos Germanos, adversum Helvetios confoederatos et vicinos fidelissimos conjungere teneamur; teneamur scil. ad propugnationem ejusmodi dogmatum, quae libertatis nostrae jugulum petunt: Absit vero a nobis absit ut cujusquam conscientiae vis inferatur, aut suae libertati derogatum quidpiam conqueratur alterutra religio: nam sacra volumus utrique sua fana; liberos cuivis ritus, jura, reditus; puniri omnem volumus quicunque alterum religionis nomine, lacessit, aut contumelia afficit; sacri sunto et intemerati sacrorum Antistites: sed num tali loco reputabimus errones extraneos illos qui nullam Principi fidem habent nec curant, sed ad o[illegible]ia exturbanda immittuntur? Num obliti sumus fratris illius Dionysii? in causa Mussiensi ob tentatam proditionem de ligno suspensi; aut Cremonensis Angeli, aliorumque loco poenitentiae ad Seditiones populum concitantium? Num quorum opera Bellinzeti, vicini nostri, Bergomi in carceres conjecti? aut Franc. Gamba Comi laqueo suffocatus? Et quis totus tenor illarum praedicationum, quam ut sub fidei praetextu, Patriae cives ad invicem collisi in mutua viscera saeviant semetque exscindant. Relegentur imo vero exscindantur omnes malorum morum adfugae, sive catholicos appellent se, seu Evangelicos: sed absit a nobis ut pios probatae doctrinae et vitae viros, qui pro animi tranquillitate commoda quaevis reliquerunt, et innumeras quoque contumelias indies tolerare pergunt ablegemus: dummodo nempe paci studeant; siquidem hos foveri jubet non tam caritas Christi praecepto commendata, quam ipsa justitia. Etiam concionatores Evangelici hac occasione Paparum impudentissimas artes, dominandi libidinem, simoniam, mercimonia diligenter populo ex anteactis temporum monumentis ob oculos delinearunt, demonstraruntque, quantum Papae interfit si suae obedientiae populi colla submittant; sed

vero simul quanta ingratitudo et impietas foret, excussa pristina animae et corporum tyrannide, rursus sacrificulorum lucroso et impotenti jugo implicari.

Evangelii Ministri Italia profugi qui in terris subditis Evangelium praedicabant indignissime tulerunt scommata et crimina a legatis illis effrenum in modum adversum se conjecta; ipsorum ergo Legatorum obtutui se sistere, et innocentiam suam Raetis Dominis adprobare decreverunt. Paullus VERGERIUS intellecta Nuncii Pontificii praesentia, grandiori licet aetate esset, ex Virtembergia in Raetiam advolavit, ea mente ut Papanas artes ipsi Nuntio exprobraret, aut ut illum coram omnibus depexum daret. Libellum ea occasione inter vulgus sparsit, qui Romanos valde exasperavit; quem Nos suo loco exhibituri sumus.

At Pontificis Legatus conspectum Justinopolitani, aut colloquium recusavit. Quae animorum affectio quoad dictam causam in Evangelicis Vallis Tellinae fuerit, edocemur verbis ANNIBALIS GUICCIARDI olim JOSIAE SIMLERI discipuli et commensalis, cujus haec sunt ad Praeceptorem verba, d. XVI. Oct. 1561. Tilio perscripta: „ D rebus „ quae hic geruntur, scias commotos esse non nihil Rhaetos illorum „ petitionibus, qui suam libertatem extinguere, nostramque perditio„ nem quaerere, Christianaeque religionis conculcationem appetere „ videntur. Ideo delecti sunt hic ex totius Vallis Tellinae piis Viris „ duo summi, qui ad Comitia, quae proxime Ilantii sunt habenda pro„ficiscantur, causamque nostram, vel potius Christianam acerrime de„ fendant, itemque duo Evangelii Ministri (nonnulli enim ipsorum „ non religionis, sed flagitiorum quorundam nomine profugi esse ac„ cusantur) qui se tueantur. Rogemus Deum optimum Patronum, „ Patremque nostrum ut nos a luporum rapacitate tutos reddat, neque „ in illorum potestatem suos redigi patiatur. „

Nuperus Vallis Tellinae Historicus XAV. QUADRIUS, i) in cognati sui MARCI ANTONII QUADRII Inquisitoris laudes exspatians, ex superstitibus

i) Quadr. Tom. III. p. 220 - 222.

ſtitibus hujus litteris Mediolani adſervatis exponit inter magna ſanctum Inquiſitorem illum ſtetiſſe pericula, in Valle Tellina, quamdiu Bianchi rem Pontificis in Raetia egit. Haereticos enim concionatores ipſi culpae dediſſe quod frequentibus adeo, quas Romam ſcriberet litteris, eam miſſionem evocaſſet; ſic ut amici auctores illi fuerint, dum nubes praetervehatur, ex Valle diſcedendi et apud ſuorum aliquem deliteſcendi. Verum quae inquiſitor ille ſibi ominabatur pericula, et quae Xaverius vera, atque operis haereticorum (ut vocat) Praedicantium ſtructa fuiſſe audaciter prodit, ea oppido nullo fundamento innixa ſunt. Timuerit (quantum ex fragmentis a Xav. allatis colligitur) Marcus Antonius ad Raet. Comitia evocari, at ſane timoris ipſa mens conſcia ei cauſſas ſuggerere potuit. Si enim Pontificiae ſanctitati eo Zelo adhaeſit, quali ab Biographo deſcribitur, nihil a Monachis illis exteris concionatoribus adverſum Raetorum Dominium, et adverſum miſeros exſules Italos, caeterosque Evangelicos factum eſſe potuit, ad quod ipſemet non conſilium et impulſum contulerit. Atqui qualia perpeſſi ſint Evangelici ab illis, antecedentibus Capp. dictum eſt. Nulla reperiuntur, nec ulla anxie licet quaerenti incidere mihi in manus indicia, quae adverti quid in inquiſitorem illum a Miniſtris adtentatum fuiſſe ſuadeant. Minime vero ab Evang. Volturenis metuenda illi fuiſſe pericula certum eſt; hilares enim erant hi ſi ab illo in pace relinquebantur; offenſi hi non laceſſebant, ne graviores injurias provocarent. --- Caeterum facile devincitur bonum Inquiſitorem haereticorum conſilia et conatus ex ſuo pede metitum fuiſſe. Ita ſcribitur ibidem, Vergerium eo tempore in Valle Tellina delatum, Praedicantibus ſubſidia pecuniaria diſtribuiſſe in Raetia. Solebant Romani aureo nervo uti ad ſuſtentandam cauſam ſuam apud Raetos, ut ſupra dicta docent: at unde Vergerio nummi, qui ex beneficientia Evang. vivere cogebatur? Gloriae datur Marci Antonii quod Vergerium ex Valle Tellina diſcedere coegerit. Per inſidias nempe; quas ſubolfaciens Vergerius antevertit. At ſi talia audebat ille aere minus ſereno; quid non feciſſe credatur quando ſerena omnia impunitatem pollicebantur? Ego quidem facile mihi perſuadeo, nullum adtentatorum adverſus Evangelicos ſuperioribus annis peractorum, ſine Inquiſ. conſenſu et conſilio ſuſcepta fuiſſe. Eat nunc Xaverius cum ſuo Divo,

et

et Martyrem ex ea causa faciat, quod a conscientia terrefactus, fugam molitus sit!

Ministri quoque Evangelici in Raetia a Legato Pontificio haereseos aliorumque criminum publice insimulati, tacere ad eam imputationem salva conscientia non posse existimarunt; consilio igitur in congregatiuncula Curiae mense Septembri habita, quinque ex sui medio *Philippum Gallicium*, *Joannem Fabricium Montanum*, Curiensis Ecclesiae; *Joannem Conradum* Ilantinae, *Bartholomaeum Kleinheinzium* Coenobianae, et *Huldricum Campellum* Susiensis ex Oengadina, qui affuturis Comitiis ordinis sui apologiam offerrent, ab omni criminum suspicione Corpus Synodale liberent, et si necesse cum adversario congrederentur, destinarunt. Ubi Novembri mense dictum Comitiorum tempus affuit, hi deputati Synodi nomine se stiterunt: et ex illis Joannes FABRITIUS duobus sermonibus publice in templo habitis, electo in Thema Symbolo Apostolico priscae doctrinae summam, et Evangelicae in Raetia Ecclesiae cum piis antiquis Doctoribus per omnes articulos consensum dilucide breviterque exposuit, et quam inique a Pontifice per Legatum suum haereseos, impostarae et aliorum criminum hujus doctrinae concionatores insimulati sint, summa modestia ostendit. Aculeos in Auditorum animis, inter quos in promiscua et maxima populi frequentia etiam major Raetici Senatus pars erat, reliquerunt fervidae orationes et sale conditae: suntque postea etiam eodem quo pronunciatae fuerant idiomate, scilicet germanico typis publici juris factae. Elaboravit idem in Concilium Trid. orationem latinam, qua Rom. Curiae designata et artes egregio prorsus penicillo depinxit et Basileae per Oporin. excudi curavit. Philippus autem Gallicius ex consilio ante cum collegis communicato causam sacri ordinis ad Dominos, in eandem sententiam copiose egit, simul etiam Senatores eorum quae tum ad suam dignitatem tum et ad Reip. incolumitatem conservandam pertinent, monuit, ad accusata apposite juxta ac solide ita respondit, ut oratio Proceribus mire probata fuerit, eaque sibi satisfaceret, universi testati sint.

Ad

Ad Pontificia vero postulata, juxta instructionem a Communitatibus scripto traditam a congregato consessu in hanc Sententiam responsum est:

„ Praevie actis suae sanctitati pro paterni affectus contestatione
„ gratiis, spem sibi facit Amplis. consessus suam Beatidudinem reapse
„ et affectu ceu in amicos, vicinosque bonos illam animi inclinatio-
„ nem praestiturum; prout et Raeticorum Foederum nomine reci-
„ proce prompta opera et obsequium, ut commodos vicinos et bonos
„ amicos obtulit.

I. Caeterum quod ad religionem et ea quae fidei sunt pertineret; Raetos inter se ex Dei beneficio benigne et amice transegisse, et in optata pace atque concordia inter se mutuo vivere, in qua sperant etiam se a Deo O. M. in posterum quoque clementer conservandos fore

II. Quod porro Concilium Tridentinum concernit, ad quod Sanctissimus ut Raeti suos mittant Legatos postulat, siquidem non sit liquidum, nec Reip. Raeticae certum, illud esse universale Oecumenicum Concilium, in quod cuncti orbis Christiani Potentatus ac Principatus et peculiariter etiam fideles confoederati vicinique Helvetii consenserint, etiam esse cum illis commune Raeticae Reip. concilium illud minime visitandi, nec quenqam eo delegandi.

III. De concionatoribus vero qui ex Italia proscripti et profugi ad se confugerunt, haud sibi esse exploratum, illos vagos persugas, nebulones et flagitiosos esse; tales enim nunquam esse sibi aut fuisse suscipiendi vel fovendi animum: Promtos vero se esse ut si vel unus sive plures, inhonestum aut infame quidpiam designasse, egisse, aut posthac designare et agere deprehensi fuerint, ad dandam operam ut in tales pro merito animadvertatur, et dignas factis suis accipiant poenas. Qui vero Evangelicae Religionis duntaxat causa apud se exsulaverint, punire et in exsilium relegare sibi non reputari justitiae consentaneum.

IV. Quoad Typographicam officinam Peſclavii, debita ſe et decenti cura invigilaturos, cauturosque ne quidpiam Sacrae Scripturae adverſum, et in ſanctitatem Papalem contumelioſum in illa imprimatur; et ſi quae ejusmodi opuſculorum contumelioſorum ex ea emanaſſent, ſublaturos et abolituros.

V. Quantum ad vectigalia et reditus Domini Epiſcopi Comenſis, quae ille ex Valle Tellina et Comitatu Clavennenſi extrahere ſolet, ſaepius ſtatutum fuiſſe, et nunc denuo confirmari, ut quae ad eum ſpectant vectigalia, et legitimi reditus, absque ulla tergiverſatione pendantur. ii)

VI. Nihil vero a ſe quoad Morbenienſe coenobium et Jeſuitarum collegium Ponte, et aliis ſtipendiis, aut Eccleſiaſticis bonis in provinciis Volturenae et Clavennae, credere ſtatutum fuiſſe, quod honeſtatem aut juſtitiam non deceat, vel Chriſtianus Magiſtratus ſuorum emolumento non debuerit.

„ Plena itaque ſpe vivunt tum ſuam ſanctitatem, tum Illuſtriſſimum Hiſpaniarum Regem hoc populorum reſultatum, honeſtam et modeſtam reſponſionem aequi bonique conſulturos, et ſibi ſatis factum reputaturos; atque ad benevolae propenſionis declarationem factam, benevolum et commodum vicinum qualem et glorioſae memoriae Pater ſe Raetis continuo exhibuerit, et ipſum non minorem filium ſe exhibiturum: Quam in rem et Raeti omnem affectum declarent, et ſe tum Regis tum Piſquerienſis Principis favori commendant. Datae Ilianti, Foederis Griſaei, et ejusdem Sigillo, communi omnium nomine roboratae. Anno Domini MDLXI. die XXIII. Octobris. „

Ad hoc ampliſſimi conſeſſus reſponſum in manus traditum, viſi ſunt Legati nonnihil ſtomachi prae ſe ferre: interea vero debita pecunia pro ſumtu in Comitiis peragundis facto, enumerata, ſicque fidejuſſorum

ii) Antea quoque eodem anno idem ſollicitaverat Comenſis a Raetis; quo vero ſucceſſu enarrat Fabric. ad Bull. d. 17. Febr. 1561. cujus haec ſunt verba. Vid. *in App.*

forum nominibus liberatis, iter recta versus Coenobium Desertinense ingressi sunt. Profecturis Amplissimus Senatus sex e numero suorum adjunxit viae comites honorarios; qui postquam Legatos ad extremos usque Raeticae ditionis limites comitati essent, ad suos redierunt.

Nihilominus Thomas Planta Curiensis Episcopus, non obstante hoc responso Philippo Regi et ipsi Pontifici dato, paruisset Papae ad Concilium, Tridentum illum invitanti: Sed mente revolvens, qui ante decennium, quando ad indictionem Papalem absque petita venia illuc profectus erat, domum revocatus et ejus acta nullitatis intimata fuissent, nunc scopulum evitaturus a Dominis Raetis veniam petiit per aestatem Anni MDLXII. Concilium adeundi. Sed responsum illi fuit; ad tenorem responsi Pontifici et Regi catholico ex majori parte suffragiorum dati; stare Raeticae gentis propositum ut et Episcopus domi suae maneat, nec se Tridentum moveat. Igitur Thomas obedientiam in S. Sedem testaturus mox ad ipsum Papam, et ejusdem tenoris etiam Tridentum ad illius Legatos Concilii Praesidentes, Patresque caeteros, clam Raetis, litteras dedit quibus veniam de sui absentia supplex admodum oravit, datas XIII. Kal. Novembris. „In illis periculum praetexuit, quod sibi et Episcopatui, si Tridentum aditurus „ esset, impenderet, orans ut JOACHIMUM (Opserum stirpe) Sanctae „ Mariae Eremitanae (Einsiedlen) apud Helvetios Abbatem, pro se in „ Concilio Sententiam dicturum clementer acceptarent, siquidem ad „ hoc ipsum in locum suum substituerit. Quod id illi facile indultum fuit. Obtulit item litteris illis potissimum Pontifici summam „ obedientiam, ita ut si aliud ab eo quod petiisset diversum illi placeret, aut si nulla periculi ipsius ratione habita jusserit suam ad Concilium Tridentinum profectionem, fidelis ei et Sanctae Apostolicae „ Sedi esse, ejusque praeceptis omni periculo posthabito obtemperare „ velit, utpote in Papae et Sedis Apostolicae gratiam omnes fortunas „ suas fortunae aleae subjicere, vitam discrimini exponere, imo et sanguinem ipsum profundere paratus sit. Conquestus etiam in illis est „ Episcopatum suum ab haereticis inter quos situs sit per religionum „ aemulationem, et bonorum Ecclesiasticorum inter se dividendorum „ cupiditatem gratia esse perpessum; constitutum enim esse se in medio nationis pravae, sibique apud istum perversae obstinationis popu-

„ lum induratum et vires et consilia deesse, sic ut vix intra pannos „ suos vivere possit. Postremo Beatissimo Patri praeter longaevae „ et incolumis vitae conservationem gratiam imprecatur qua tot ab- „ errantium haereticorum genera ad sanctam Apostolicam religionem „ velint, nolint, aliquando perducere valeat. „ Harum litterarum tenor quando in vulgus emanavit, erant ex malevolis Praesulis qui scriptionem illam in deteriorem partem interpretabantur, ad conflandam scilicet illi apud Raetiae Proceres, et maxime inter Protestantes, quorum in Cathedrali Foedere major pars est, invidiam: excusabant vero alii dicendo nunquam THOMAM repertum fuisse in Raetos male affectum, ut potius aequum ac benevolum experti sint, quotquot cum illo negotia sive publica sive privata tractaverint: ast eo colore necesse fuisse suam a Concilio absentiam apud Pontificem Patresque caeteros quorum iram formidabat, excusare, ut simul Lutheranismi maculam, qua conspersus olim fuerat, aboleret: veniale proinde esse si culpam soli ipsi gravissimae invidiae apud suos deserviturae, in illos declinavit, qui Patrum Tridentinorum iras, ac Papae tonitura, haud secus ac fulgura ex pelvi aestimare noti essent. Utri vero rectius senserint, totum esto penes aequum lectorem judicium: id solum annoto Thomam voti sui compotem evasisse, namque haud diu postea Nuntii Apost. titulo a S. Sede ornatus fuit.

Quamvis autem in litteris modo allatis THOMAS, Protestantes Raetiae adtribuendo illis cupiditatem diripiendi bona Episcopatus, injuriose notaverit; quum nemo Protestantibus, ac ipso Cathedrali Foedere, quod ex Protestantibus totum fere componitur, tenacius Sedis Episcopalis conservationem urfit: actum tamen eo tempore in re Episcopatus inter Praesulem et Cath. Foedus quid fuit, ex quo hanc dicam Evangelicis inurendi occasionem ille arripuit, colorem saltem inde mutuatus est. Erat nempe THOMAS corradendis opibus, supra quam fastigio ejus conveniebat, intentus, namque functionem Oeconomicam non per Architriclinum, ut moris erat, administrari curabat, verum solus ipse obibat, k) qua parsimonia certum erat rebus Episcopatus plurimum lucri accedere debuisse. Habebatur praeterea THOMAS Caesareanorum

k) Campel. Lib. II. Cap. LXVII. pag. 1400. 1401.

rum pensionariorum primarius, ex qua tamen fodina plures ditatos fuisse et in altum sublatos exempla tunc temporis varia docebant. Et tamen Episcopatus gravi aere alieno semper obstrictus jacebat, imo vero ad illud dissolvendum Thomas a cognatis suis PLANTANIS Zuzienfibus magnam pecuniae summam acceperat, cujus usu dum frueretur, illis jura quae Episcopatus in electione Magistratus Superioris Oengadinae, nec non jura creandi Judicem civilem in Jurisdictione infra Tasnana, juxta cum castello Eremussiano, reditibusque cunctis ad illud pertinentibus, instrumento affabre constituto in hypothecam dederat, simul et illos in possessionem miserat. Profusiones ejusmodi et displicebant bonis et vehementer urebant adversantes ipsius, qui ad omnes Thomae gressus intenti spectabant quorsum res Episcopatus impenderentur, et crescentes aliorum opes aequis oculis adspicere non poterant: istorum itaque incitatione plures Cathedralis Foederis (ad quod spectat in Episcopatum Advocatia) communitates Anno MDLX. de Praesulis provida minus oeconomia querelas moverunt, et exactas de bonis Episcopatus erogatis, acceptis, et impensis rationes sibi dari postularunt.

De culpata illa bonorum Episcopatus administratione, Ministri Curienses PHIL. GALLITIUS et JO. FABRITIUS ansam utrisque manibus arripuerunt Episcopatui lethale vulnus infligendi, et illum si pote penitus tollendi. Auctores erant apud quos poterant, ut Episcopus omni jurisdictione civili, qua adhuc passim eminebat, privaretur; tunc inducendum volebant THOMAM ad resignandum sponte Episcopatum, sic tamen ut ei quoad viveret possessio integra maneret: defuncto nullus daretur Successor: Bona Episcopatui ademta, in pios usus convertenda, atque secundum Communitates distribuenda esse suggerebant; hac denique ratione ajebant in Dei gloriam et Ecclesiae aedificationem ex illis bonis fructum exuberaturum esse, quum alia via non nisi in luxum impendantur, et ab usu cui dicati sunt in alienum prorsus ac contrarium trahantur. Verum boni viri paucos aut fere nullos in sententiam pertraxerunt: et imprimis tutandam suscepit Episcopatus causam JO. TRAVERSUS senex, qui proinde in gravem duorum illorum indignationem incurrit. Nec diversum sentiebant Salicei, qui Thomae effoeti mortem exspectabant, ut BARTHOLOMAEUM suum vivum adhuc

et virentem in Sedem illustrem sustollerent. Pervidebant omnino consulti viri tantae Sedis abolitionem absque gravissimis impedimentis tum ab extraneis tum ab indigenis interponendis, non processuram; idcirco omni etiam suspecta evitaturi potius, Episcopatui omnem tutelam addixerunt: imo vero quo suam dignitatem Sedes proporro tueri posset, modum errogationibus Episcopi tunc viventis dederunt; ad quod consilium ipse Praesul lubens nolensve descendit: sic amicabiliter omnia composita et transacta fuerunt. Nunquam homini iratus magis homo fuit, atque succensuit Fabritius TRAVERSIO, quando is causae eventus in vulgus emanavit; ad concluſum enim non parum contulerat decrepitus ille, at consummati consilii Magnas. Indignum proin censebat Fabricius illum ut Evangelii praeconium exerceret, et causae CHRISTI fautor diceretur, quum hoc Romanae superstitionis fortalitium destruere recusaret: proprii commodi sectatorem eum adpellabat, non Dei causae protectorem. In hunc tenorem acerba plura Fabricius in sinum Bullingeri effudit, quae passim in ejus litteris dum ea causa in Raetia ventilata fuit Tigurum scriptis, et in Eccl. Tig. Scriniis asservatis, reperiuntur. Verum dedit Traversius Bullingero facti sui causas, quibus ni fallar eidem satisfecit. 1) Expromam in hoc argumentum Epistolas duas tresve ut in manus venient, quae Pastorum Curiensium in eo negotio fervorem, simul et conceptam in Traversum indignationem declarant, quaeque etiam, quo talo querela Thomae ad Patres Tridentinos adversus Raetos perscripta nitatur, edocebunt. Sunt quaedam in illis acriori penicillo exarata, quam aequus Historicus sua facere possit.

Sic ergo Fabricius ad Bulling. d. 12. Aug. 1560. „Nepos Domini Traversii, filius ejus qui in nivibus superioribus Annis periit, Episcopi nuper officialis (Hoffmeister appellant) est factus, et is quidem egregiam suo Episcopo navat operam, et nunc causam Domini sui coram Communitatibus defendit; quod nunquam faceret, si suos hoc facto offendi intelligeret. Multa video, et disco quotidie quae nolim videre et discere.

Item

1) Prolixae eam in causam, et in Ministros Curienses querulae exstant litterae Traversii ad Bulling. datae 6. Kal. Maji 1561. Archiv. Eccl. Tig. Th. B. XXXVI. f. 727.

Item d. 9. Septembr. 1560. Quod ad Episcopi causam adtinet, de qua tu provide et paterne mones, Ego ita mi Pater existimo, non semper omnes rerum eventus et exitus exacte trutinandos, modo bona sit causa, et adhibeatur ea modestia quam Christiana professio requirit. Caetera in manibus Domini sunto. Videmus ut plurimum Dominum fortunare conatus pios et simplices, cum vicissim prudentes saepe fallantur, ut discamus non in nobis, sed Domino confidere. Ut Episcopi Officiales Senatu et Comitiis excludantur, aut potius non amplius in ea admittantur (nam tenore articulorum jam ante excluſi sunt) totis viribus enitimur. Nec quisquam hominum est, qui nunc vivit, qui ut aliter sentiam mihi persuadere poterit. Quod si autem hic conatus noster, suo caruerit successu, Ego animam meam liberavi. Nam si Episcopus hoc obtinet non parvum apud me argumentum est, Deum Evangelicorum ingratitudinem punire velle et denuo eos sub Episcopi tyrannidem retrahere. Quod si nonnulli eorum qui se Episcopo opponunt, privatis suis commodis haec omnia aestimant, quod et nos non fugit, id quidem ad nos nihil, qui id unice quaerimus ut praedicetur Christus. Certe quamdiu haec hyena ad stabula nostra excubabit, semper habebit quos eliciet. Haec ut ita sentiam, et jam pridem ita sentiam, docuit me Status Reip. III. Foedd. quem si quis ex vestro metiri velit, toto coelo errat, longe enim maxima est differentia. Exspectandum censeo donec haec consilio et ratione melius administrari queant. Sed non ratio vel consilium locum habere potest, ubi omnia sunt venalia. Sed quid mi Pater exspectabis dum Saliceus occupaverit Episcopatum, qui quantis praesidiis circumsepti sint vides. Deus avertat, ne amara Salix nobis sit brevi rodenda. Novus Episcopus nunc mysterium agit iniquitatis, et nunc quid deteneat scimus, nempe ut ille reveletur suo tempore etc.

Nec non d. 10. Nov. „De Episcopo quae scribis intelligo. Habet omnino suos propugnatores, et ut numerus compleretur Joannes Traversus Senex illius patrocinium suscipit. Qui enim propter senectam ne pedem quidem extra pagum suum efferre potuit, cuique

cuique dextrum brachium emortuum sine aliquo sensu corpori adhaeret, jam subito confirmatus huc eques advolavit, et nunc cum filio et nepote circa Episcopum excubat: tantum timet suae creaturae. Interim conciones nostras diligenter invisit et nostris magno est scandalo, qui concionator ipse propugnet Christi hostes. Senex quidam rusticus ante plures annos in nostris foederibus dixisse fertur: *Wir im Gottshuspundt habend ain schöne feiste Alp; wissend sy aber nit z' bruchen. Und als gefraget waa?* respondit: *Das Bistums: da ist Alpmeister der alt Travers: der Bischoff ist Sönn und des Traversen sin zusänn;* quo rusticus innuere voluit opima Episcopatus ad Traversios redire. Sed Deus orandus, ut et Tu mones, nec propter Traversium bona causa deserenda, *gang es wie weit es mag.* Utinam autem Traversius suggestum nunquam conscendisset.

Item d. 18. Nov. 1560. „Nostri Legati in superiore Oengadina ubi Traversius praeest indignissime accepti sunt. - - Senatus noster strenue se opponit -- unum Gallicium et Fabritium accusant, sed non palam, verum clam, inter suos. Traversius a D. Philippo est admonitus: Me salutavit tantum, et promisit, (ut est blandulus admodum) se domi me conventurum; sed nunquam venit. Ita eum Episcopo permittimus. Sed nos incoepti nondum poenitet.

Id. d. 26. Aug. 1560. De nostris rebus ita habe, nos nihil moviisse omnino: Sed tamen praesentem occasionem noluisse ex manibus amittere, nec debuisse. Nostros enim pro virili, et gratia quae nobis data est informamus, et ad quod honestum, quod pium, quod patriae et Ecclesiae utile est, capessendum instigamus. Nec est quod timeamus nos esse praeproperos. Tanta est apud nos corruptio, tot clandestinae practicae jam nunc contra Evangelium institutae, ut nisi expergiscamur, actum sit de omnibus. Sed haec sunt in manu Domini, qui nos vasa suae misericordiae dignatur tanquam instrumenta adhibere. Nunc major pars civium bona est: Duo Cos. pessimi omnium, quod tu de altero nunquam credidisses, cum verba eorum

eorum dulciora interim sint melle. Sed tales plerique sunt in caeteris locis, qui rebus praesunt, quod neutiquam existimes eos gratis facere. Nec ille Senex, de quo scripsi, quae agit pro sua prudentia agit, ita ut consulat quieti et paci. Sed commodo suo consulit, sibi et suis prospicit. *Die werdend die Mülchkrug nit von Hand lassen.* Acta Communitatis Vespranae in Praegallia tantum nunc ad manus habeo: hinc intelligere aliquo modo potes quid agatur. Et Vespranae quidem plures viri Senatorii ordinis, quibus hactenus nil fueram expertus magis lubricum, Episcopi partes palam tutati sunt. Orandus Deus ut nobis praesto sit, et hoc totum quidquid est ad Ecclesiae suae utilitatem dirigat.

It. die 17. Febr. 1561. „Quousque Episcopi negotium processerit jam ante audivisti. Reliquum est, ut omni jurisdictione civili dejiciatur. Ego an a Christianis salva conscientia id fieri possit, multa mecum disputavi, et quae nuper in hisce motibus congessi, hic ad Te mitto, ut tuum addas judicium. Si tibi placuerit, quamprimum multa exemplaria excudi curabis. Obtinuissemus nunc omnia, nisi Cos. nostri remissiores fuissent. Quod ad caetera adtinet, optime se gesserunt, in hac una causa pessime; ita ut Senatus maximam offensam incurrerint. Homines sunt, et suum illud idolum cum Traversio adorant. Adii ipse Traversium, et rogavi, postquam jam satis uberem haberet occasionem, bene de Ecclesia Christi demerendi, urgeret Episcopum ut Episcopatum resignaret: nos vicissim omnem operam polliceri, ut ei possessio quoad viveret, maneret integra. Sed frustra haec omnia.

It. d. 22. Aug. 1558. Consul noster alter, Ambrosius Marti omnium pessime se gerit. Filiam suam elocavit Viro Pontificiae religionis, cujus frater primarius religionis nostrae hostis est, *ist Thumprobst* familiae Salicum. Frater ergo Praepositi, consulis filiam ad se in aedes Praepositi inter Episcopi claustra recepit. Ex illo ergo tempore, quo nuptiae celebratae sunt, consulis filia Missas omnes diligentissime invisit, nec ad concio-

nem interea venit unquam. Religionem ergo quam a primis Annis imbibit, uno die dedidicit. Mirum est quantum eo facto gestiant Sacrificuli, quantum boni et pii viri vicissim offendantur. Ita pulcher Consul quis esset prodidit, cum antehac mire fuerit lubricus, nunquam tamen in religione sincerus habitus, qui Tschudios et Abbatem Fabariensem, quibus affinitate junctus, praeceptores jam diu habuit. Tantum abest ut ille cum sua factione, quid contra Episcopatum sint, quod maxime salvum et incolumem velint, *dan sie erhaltends auf den Thumpropst.* Vix exspectabunt hujus Episcopi mortem. *Ob es aber Ihnen gerathe, weis Gott wohl.*

Item. d. 13. Sept. 1561. *Ich hören die Emser stellind nach der Praepositur, des hiesigen Stiffts. Der Ritter Büünell dessen Sohn hie Canonicus ist, hat des Pabsts eigne Hand, dem vermeint er dahin z' fürderne Der Papst verlyhl die Praepositur hier von Alters har. So behieltind die Salices sy gern den Ihren in Händen. So sind wir lau und arbeitselig &c.* D. Traversius diem suum obiit superiori mense. Certe Episcopus noster magnum Patronum amisit. Itaque saepe dubitavi, an hic vir Ecclesiis nostris plus profuerit, an nocuerit. Certe quod se pro nostro gereret, et nihilominus Episcopi causam tam fortiter defenderet, pluribus qui nostrorum religionem profitentur imposuit, et in suam sententiam pertraxit, libellum meum de providentia sibi decumbenti legi curavit ad finem paucis diebus ante mortem. De mortis genere mihi non constat, nec interrogavi: morbus fuit diuturnus.

(Not. *D' Emser*) intellige nepotes Pontificis Pii IV. et sine dubio Marcum Sitticum. Caeterum quae de Traversii morte hic scripsit Fabritius, ex vago rumore fuerunt; Traversus enim integrum adhuc biennium superstes fuit.)

Gallic. ad Bull. d. 2. Sept. 1560. „ --- Videmus ex tuis litteris Te plus satis sollicitum esse; turbae enim contra Episcopum motae tantae non sunt; nec ipsius causa quisquam tumultuabitur: et causa

causſa contra eum ſuſcitata nuper nata non eſt, ſed ante multos annos ab omnibus Foederibus decreta et confirmata contra quemlibet futurum Epiſcopum. Queruntur nunc Communitates, quod bene inſtitutum bene non ſervetur, et obſervari volunt. De bonis diſpenſandis aeque non ſis ſollicitus; melius collocabuntur a Communitatibus, quam ab Epiſcopo ſordido mercatore et Euclione collocentur; quidquid dicant qui illi faveant. Si quae ſollicitudo usquam, urit ea magis adverios Evangelii quam nos: Nam recti conſcientia freti, corde ſumus hilares ac pacati: iſti vero inquieto et triſtiſſimo murmure concluſo rabioſa ſilentia produnt.

Claudant agmen Bullingeri ad Traverſum in dicta cauſa ſequentes:

Ampliſs. Viro D. Joanni Traverſo Zuſatienſi Rheto, Domino colendiſs. et amico incomparabili.

S. D. Condonabis mihi Senex Venerande, et Domine colendiſs. ſi in ſcribendo ſim forte brevior quam velles. Dabis hoc negotiis meis inexplicabilibus et quod fractus prope laboribus immenſis et interminatis, tantum non poſſim, quantum alias libenter velim. De cauſa Epiſcopi non vacat ſcribere prolixius. Hoc autem pro Tua prudentia, Te non ignorare ſat ſcio, quo plus creſcit Epiſcoporum vis et potentia, hoc magis detrahitur Eccleſiae, Chriſto et veritati; maxime cum Epiſcopi ſint jurati Papae Anti-Chriſti, regnumque hujus ſi non promovent, ſaltem non impediunt, ſed pro viribus ne ruat, conſervant. Atqui appetit tempus, quo conſervare non poterunt, ſed una cum capite ſuo peribunt. Hortor autem tuam pietatem ut in vera religione ſemper non modo progrediaris, ſed et curſum Evangelii ſerio adjuves, et ut impedimenta tollantur, conſulas. Homelias meas in Apoc. Joh. heic accipies, quibus curavi adjungi filii mei in Chriſto Gualtheri, affinisque mei conjunctiſſimi Homelias in Marcum. Pretium perſolvit lator. De rebus Galliciis non poſſum brevibus exponere omnia. Summa haec. D. Petrus Martyr Scholae noſtrae Profeſſor vocatus a Sereniſs Regina, et Illuſtriſs. Principibus Galliae,

26. Aug. abiit, Regum Galliae et Navarrae Legatis deducentibus. Rediit salvus et incolumis 22. die hujus Mensis, duobus Capitaneis Viris certe egregiis, Ducibus, inquam, Equitum reducentibus ipsum. Attulere hi litteras a Regina, a Regina Navarrae, a Principe Condensi, ab Admiraldo etc. ad amplis. Magnatum quibus agunt gratias pro usura Viri tanti, testanturque plurimum ejus profuisse praesentiam. Vehementer enim et supra fidem crescunt in Gallia Ecclesiae Christi. Habent suos Pastores et coetus maximos. Interturbare volunt hos Papistarum Episcopi, sed magna est nobilitatis potentia, quae fortiter pergit. Habitum est Poysii Colloquium et tentatum si concordia aliqua potuerit inveniri. Caeterum culpa Cardinalium et Episcoporum factum est, ut abruptum fuerit Colloquium. Nostri per Dei gratiam fuerunt in Colloquio superiores. Jam agitur quo pax pacto conservari possit. Conveniet rursus m. Decembri Status regni universi. Interim coetus fidelium tolerantur, nullo cum Edicto sunt firmati. Speratur firmatum iri in proximis Comitiis. Contra Papa cum fece sua tentat extrema. Excitabunt Regem Hispaniarum, qui minatur se ejecturum ex Gallia Evangelium: variae sunt practicae: orandus Deus, ut ipse veritatem suam conservet. De Claronensibus nunc non possum, prolixior enim est, quam nunc possim explicare. Haeret adhuc et magna est pagorum insolentia. Metuo ne quid mali. Dominus avertat. Scripsi haec festinantissime, nec relegi. Tu Vale cum omnibus Tuis vir magne et amice incomparabilis. Saluta amicum meum integerrimum D. Friderychum generum tuum et filium nostrum Joannem etc. una cum Ministris Ecclesiarum Vestrarum. Tiguri 28. Nov. 1561.

Bullingerus tuus.

CAP. XIV.

CAP. XIV.

1558 —— 1561.

Camilli Sectatores qui Ecclesiis in Praegallia, Clavennae, et Vallet. praesunt, opiniones Magistri tecto pectore fovent: doctrinam Satisfactionis Christi vellicant; ad quod Ochinus Tiguro illis animum addit. Maynardus obedientiae fidei illos submissurus, subscriptionem Conf. Eccl. Clavennens. ab illis exigit. Eam illi praestare recusant. Petrus Leonis negativam edito libro tuetur. Causa disceptatur in Synodo. Ludov. Fieri audacia. Synodus causam assectarum Camilli damnat. Leonis in vincula conjicitur. Libertini cristas erigere tentant in Oengadina: at a conventu Ministrorum et Legatorum a Communitatibus iterato coërcentur. Vicosupranenses ex concionibus Scytarchae Pastoris sui super eadem materia habitis offenduntur: at per scriptam Gallicii informationem sinceriora edocentur. Schvenkfeldii opiniones subrepunt in Raetiam. Tardius et Frellus Curiae eas magno aestu tuentur. Hinc disceptationes. Initium culturae Raeticae linguae factum ab eruditis Oengadinis.

CAMILLI RENATI Sectatores, (ut ad eos redeam) Magistri ex fidelium numero ejectione perculsi equidem fuerunt, sic ut sua cautius proferrent quam antea soliti erant: at quando, in Raetica confessione, cujus subscriptio ab omnibus Ecclesias docturis exigebatur, sua dogmata damnata, a seculari autem brachio ad stabilitorum exsecutionem, externam quoque vim adjungi perspexerunt, tum vero animos demiserunt, sicut abinde sua pectore prementes, tempori servierint. Circa idem fere tempus Anno nempe MDLIII. d. 27. Oct. MICH. SERVETUS Arrago, qui illorum hominum Patriarcha habebatur, Genevae vivus combustus peremtus fuit, quod supplicii genus post lecta reliquorum Helvetiae Theologorum in eam rem data responsa a BULLINGERO submissa, facile etiam justum judicavit GALLITIUS, rectum reputans quod *cacus ille*, (ejus sunt verba) *suo igne combustus sit.* a) Id factum quando in has oras divulgatum fuit, omnes ejus farinae homines sic consternavit, ut recenti horrendi illius supplicii memoriae ne crocitare quidem auditi fuerint. Nihilo tamen minus haud pauci italorum, qui Ecclesiis in Praegallia, Comitatu Clavennae, et Valle Tellina, praerant, scita Camilli in pectore fovebant: etiam in Oengadina inferiore unus aut alter Ministrorum ipsis adsentiebantur cum multis ex vulgo. Ex aliis maxime trahebantur in disceptationem capita de divina Providentia, de Praedestinatione, deque valore seu Merito mortis JESU CHRISTI.

Aliqui contendebant Deum aeque mala velle, et promovere ut in effectum deducantur, atque bona cupit, et ut fiant decernit, siquidem ab ejus providentia dirigantur cuncta, et absque ipsius voluntate nil prorsus evenire queat. Et hi dicebantur vulgo *Libertini.*

Ex hac vero doctrina offendebantur boni, indignantes culpam mali in Deum conjici, horrentesque toto animo absurda ac impia quae sequerentur, quando talis doctrina hominum, qui natura mali satis sunt, actionibus cynosura futura sit.

Cum

a) Gallic. ad Bull. d. 20. Novembr. et 19. Octobr. Supr. Cap. XI.

Cum improvida ista de Providentia doctrina AURELIUS SCYTARCHA, Pastor Vico Suprani in Praegallia suos vehementer offendit, adeo ut Paroeciani illi a GALLICIO dilucidam et uberem super illud doctrinae caput explicationem expetierint; quam iste etiam copiosis litteris X. Kal. Febr. Anno MDLV. e Curia datis, ad eos transmisit, ac voto satisfecit. Earum argumentum exscribere supersedeo, quum alia nihil contineant, quam quae idem in Raetica confessione scripserat; et quae in Oengadinae quapiam congregatione, mox enarranda rursum confirmata sunt. b) Praeterea erat PLURII Minister; HIERON. TUARIANUS, MICH. ANGELUS FLORIUS, Solii; PETRUS LEONIS Clavennae, juxta cum aliis, qui doctrinam de satisfactione CHRISTI concoquere non poterant. Mussabant hi, in sacris litteris non tfadi eam de satisfactione mortis Christi doctrinam, quae vulgo obtrudatur: Deum enim filio suo nunquam iratum fuisse, neque unquam aequivalens ejusmodi pretium ab illo pro nobis postulasse, immo vero nec tale unquam dari potuisse. Satis equidem dicebant factum fuisse Deo per filii mortem; at eam vim, quae vulgo supplicio Christi tribuatur, totam deberi gratiae Dei, quae mortem filii sui, sacrificium expiatorium declarare voluerit, et loco poenae nobis infligendae acceptare. De aliis non loquebantur; Camilli enim causam refricare, aut ejus discipuli videri nolebant. Illo tempore ALCIATUS et BLANDRATA per Raetiam in Italiam iter facientes, homines illos in opinionibus suis confirmarunt. cc) Quoad dictum vero doctrinae caput defendendum inprimis animabantur boni illi a BERNHARDINO OCHINO docto utique viro, qui tunc Tiguri coetui Locarnensi a sacris erat. Et sane eodem tempore quo OCHINUS Tiguri *brotodoxatatus* habitus fuit, is litteris ad fratres italos per Raetiae ditiones dispersos scriptis asserere non verebatur explicationem allatam demum veram esse Ecclesiae doctrinam, imo vero eam quam Helvetiae et Papisticae ipsae constanter tenerent. dd) Prodidit ille aliquot annos post eandem mentem

b) Camp. Lib. II. Cap. LXVI. p. 1368. append.

cc) Conf. Hotting. K. G. Tom. III. p. 850.

dd) Conf. Hotting. K. G. Tom. III. p. 877. ubi dicitur Ochinum libellum quemdam titulo: *Prudentia carnalis* conscriptum, per Vallem Tellinam disseminari curavisse, et ex Raetia fuisse ejus Mss. *a'pographon* Bull. transmissum.

tem in dialogis, qui exsilium ipsi pepererunt, at non ausus aperto capite prodire: verum Judeum quendam eam sententiam loquentem introducit, quum interea diu antea laboraverit, ut dicta opinio in Raetiae Ecclesiis radices agat. En specimen luculentum litterarum ipsius ad FRIDERICUM SALICEUM super eam causam exaratarum, quas nec verbulo immutato de *'avtographoo* transsumo.

Molto Magnifico Signore.

„ Messer Michel Angelo Florio ha scritto una lettera quì a „ Messer Pietro Martire di quanto han detto in Chiavenna i fratelli di „ Mess. Lelio Sonzini, e me ne son molto doluto per ogni giusto „ rispetto, e particolarmente perchè scrive che m'hanno nominato con „ dir ch'io tengo, ed ho predicato che Cristo abbia meritato o soddis- „ fatto, è una bestemmia. E perchè potrebbe esser che n' aveste „ alcuna cosa udito, ed io so quanto V. S. può, sa, e mi ama, m'è „ parso debito mio manifestarvi quel che circa questo tengo, e ho „ predicato. Predicando de' meriti e soddisfazioni di Cristo, dissi „ che non aveva soddisfatto per i nostri peccati, perchè Iddio si fosse „ per ira sfogato sopra di lui, come sopra quello, che se gli era attri- „ buiti, siccome si sfoga uno ch'é in collera sopra un suo inimico. „ Dissi anco, che come uomo non ci aveva meritato il paradiso e sod- „ disfatto per li nostri peccati in modo tale, che come uomo, e crea- „ tura, le cui operazioni erano di finita virtù, costringessero Iddio a „ perdonarci i peccati, ed a darci 'l paradiso. Atteso massime, che „ tutto 'l buon che aveva, l' aveva avuto da Dio, e sol per li . . . . „ che aveva ricevuto, e per gloria del suo Padre celeste era obligato a „ far tutto quel che fece. Ma meritò, ed infinitamente come uomo, „ e soddisfece per li peccati nostri, non sol perchè fu obbediente al „ Padre infino alla morte della croce, ed eseguì, quanto gli aveva co- „ mandato; ma anco perchè Iddio quel sagrificio, e quelle santissime „ opere di Cristo per grazia l' accettò, come se fossero opere d'infinito „ merito, per esser non solamente uomo, ma e natural figliuol di Dio. „ Or in queste parole, non ci so vedere alcuna bestemmia, eresia „ errore, o falsità, ma mi par che sien verissime, et accettate non sol

„ da

„ da queste chiese, ma ancor dalle Papistiche. E che così io abbia „ predicato il sanno tutti della nostra Chiesa, e spezialmente Messer „ Pietro Martire, il quale per far fede del vero, et per vere approvar „ le mie parole n'ha scritto una lettera a Mſ. Michel Angelo, ed io un' „ altra a Mſ. Agostino Mainardo. Resta or che avrete inteso il „ tutto, che usiate quella carità, che ricerca la vera amicizia e fratel- „ lanza in Cristo. La senetta fa che la mano non sia ferma nello „ scrivere, non ho adunque voluto offendervi; e so ch'anco questo mi „ perdonerete. Pregate Dio che mi dia pazienza, e di poi mi eser- „ citi quanto gli piace. Il qual prego ch'a V. S. accresca le sue gra- „ zie, ed a lei di cuore mi offero e raccomando. In Zuricco, a' 4. „ di Giugno 1558. „

Bernardino Ochino.

AUGUSTINUS MAYNARDUS Clavennae Pastor experientia doctus quum nosset, quorsum homines illi suis opinionibus tenderent, praevenire mature voluit, et a Ministris Clavennae ac Vallis Tellinae subscriptionem Ecclesiae Clavennensis Confessioni rigide exigebat. Propter id vero postulatum motus nati sunt, sic ut abfuerit parum quin Camilli contentio recruduerit. Non unius generis erant quae ad declinandam subscriptionem afferebantur. Ajebant enim alii se Confessioni Raeticae semel subscripsisse, proindeque superfluam esse Maynardi Confessionem, neque posse se ullo jure ad hujus subscriptionem compelli. Declarabant alii se a Serveti et Arii dogmatibus abhorrere toto animo, nolle tamen conscientiam ad alias formulas obligari quam ad S. Scripturam et Symbolum dictum Apostolorum. Clamabant alii, Maynardum in confessione sua requirere consensum in Symbolum DAMASI Papae, jam vero ignorari a simplicibus illius argumentum, nullo igitur modo subjicere se Papae, de quo nihil audiverint. PETRUS LEONIS eruditus (ut perhibetur) homo integrum super eam causam confecit librum, quem Mediolani typis excudi curavit, in quo mundo testabatur nolle se confessioni Augustini subscribere, propterea quod articulos in illa damnatos neque possit neque velit probare aut damnare. Editus ille fuit Anno circ. MDLXI. meumque conspectum non subiit, ac dubito vehementer quin juxta cum ipsa confessione

Maynardi inter deperditos libros numerandus sit. Damnatos attamen Camilli articulos servavit nobis GALLICII studium, qui Bullingerum accurate informaturus, illos ex dicto LEONIS libro excerpserat, quosque supra Cap. IV. exhibuimus. Rationes illorum ea specie se commendabant, ut purae quoque doctrinae studiosi viri in Eccl. Clavennensi eximii, judicarent Maynardum rigore suo animos placidissimorum irritare. Faciebat iste LEONIS in libro suo honorificiam mentionem MICH. ANGELI Soliensis Ministri, juxta atque aliorum plurium, quos eadem teneret opinio, quare monebant boni arcum tendendum nimium non esse, ne in apertum Schisma dissensus erumpat. At Maynardus nihilo remissior durum se illis hominibus, dum vixit, exhibuit. Perscripsit FABRITIUS motus illos, ipso dum agebantur tempore, eum proin narrantem audire juvabit. „ *Scias*, ejus sunt verba, ad nos per„ scribi a D. Julio Mediol. Pontificis Legatum in proximis Comitiis „ hic quoque Curiae compariturum cum mandatis quae hic exscripta „ vides. Scimus eos nec sumtibus nec laboribus parcere. Sed „ vicit qui promisit se cum suis futurum ad consummationem Seculi. „ Quod ad novissimas tuas adtinet, ita scias velim in ECCLESIA CLA„ VENNENSI nescio quos motus esse, de quorum Authoribus non ea„ dem ad nos fama perfertur. Sunt qui accusent Senem (Pasto„ rem) sunt vicissim qui alios. Res in Synodo nostra proxima discep„ tabitur. Dolet nobis vehementer exsulibus inter se ipsis non con„ venire, praesertim tam afflictis temporibus. Quid futurum putas „ si rerum potirentur? Certe everterent Ecclesias sua ambitione. „ HERCULES a SALICIBUS ipse nobiscum multa, et conqueritur Senem „ de rigore suo nihil remittere velle: Sed potiorem tamen culpam „ confert in collegam ejus. Esse enim in Ecclesia qui non sint adeo „ perspicaces, qui Symbolo Apostolico et Scripturae se subjicere parati „ sint, qui SERVETUM et ARIUM exsecrentur, nec tamen Ministris eo „ satisfieri. Alii accusant MICHAELEM ANGELUM, et Ministrum „ PLURIENSEM. Sunt qui nescio quid in illis desiderent, quasi SER„ VETANISMO conniveant. In eo enim Tu erras; non est lis de eo „ ut subscribant confessioni Rhaeticae: habent enim CLAVENNENSES „ peculiarem, ad quam superiori anno MAYNARDUS omnes Ministros „ Vallis Tellinae, ut subscriberent, adigere voluit. Sed plures tunc „ refragabantur, quod dicerent se subscripsisse CONFESSIONI RAETICAE,

„ i. e.

„ i. e. Synodi noſtrae. *Alſo war es ein kyb z' beede Seyten.* Ideo
„ neceſſe eſt ut diſtinguas inter ſe mutuo. MAYNARDI confeſſio pia
„ eſt, ſed prolixa. Et quaeſtio eſt de SYMBOLO DAMASI Papae;
„ quid ille fecit dicunt ſimplices ſe ignorare, ideoque nolle ſe ſubjicere
„ Papae de quo nihil audiverint. Haec Superiori Anno acta nunc
„ recrudeſcunt. Sed nos illos hactenus cognovimus alios homines.
„ Nec illos indicta cauſa damnare poſſumus. *Es iſt müyſälig ſäch.*
„ Nos utramque partem ad Synodum citavimus, audituri omnia. Prius
„ VERGERIUS haec cognovit TUBINGAE quam nos, qui et ad D. Phi-
„ lippum perſcripſit: nec Clavennenſes quidem ad nos, unum verbum
„ de hoc. Haec quae ſcribo habemus ex aliorum relatu. Ex Cu-
„ ria die 12. Maji, 1561.„ Ad idem argum. ſpectant et ſequentes: „
„ Interea ad nos D. MAYNARDUS miſit libellum PETRI LEONIS, qui
„ non modo multa abſurda, ſed inſuper impia habet, et ei quidem
„ MICHAEL ANGELUS, et alii, dicuntur ſubſcripſiſſe, quorum et in eo
„ libello Auctor honorificam facit mentionem. Itaque quoniam non
„ obſcure videmus, quid perditi illi homines quaerant, non auctores
„ erimus, quantum quidem in nobis eſt, ut Eccleſiae CLAVENNENSIS
„ CONFESSIO e medio tollatur. Sed jam pervideo motus. Et niſi
„ Eccleſiae ſuae ſingulariter praeſto eſt, Itali et hanc Eccleſiam ſubver-
„ tent. Is qui ad vos venit ſatis eſt arrogans, et in ea Valle etiam
„ cum ejusmodi hominibus verſatur, quibus corruptiores haec regio
„ non habet. Ille a QUADRIIS Author Scholae JESUITICAE pro
„ certo dicitur diem ſuum obiiſſe. Die 24. Maji, 1561.

Ad SYNODUM eo anno Curiae celebratam, ſecundum citationem emanatam comparuerunt utriusque cauſae fautores; ubi, in venerandi conſeſſus ventilationem propoſita fuit negatio ſubſcriptionis, ſimul et in negationis fontem, *heterodoxian* nempe ſedulo inquiſitum fuit.

De hoc puncto LUDOVICUS FIERUS illorum unus interrogatus, (neſcio an pro ſe, num vero etiam ſuorum omnium nomine,) palam et intrepide reſpondit: „ſe ſe in omnibus ECCLESIAE CLAVENNENSI
„ aſſentiri, TRIBUS exceptis: primo *quod non credat Jeſum Chriſtum*
„ *eſſe aeternum Dei filium.* Secundo *eſſe Patri aequalem.* Tertio
„ *eſſe creatorem coeli et terrae.*„ Cohorruere Miniſtri Raetiae ad au-

daciam hominis sustinentis tale dogma propalare ac propugnare, quod ARIUM presso adeo Magistrum pede sequitur; et causa tot motuum in Ecclesia exstitit semper. FIERUS vero neutiquam fractus, resumto animo, suorum communi nomine Synodo deliberandum proposuit: *An pro haeretico sit habendus quispiam ob simplicem errorem in articulo de Trinitate, quum alioquin esset probatissimis moribus, ac maxima erga pauperes praeditus charitate?* c) Synodus certa jam causa recusatae subscriptionis Clavennensis, Maynardi studium collaudavit, et ad vigilantiam continuandam hortata est: Confessionem praeterea super articulos disceptatos confici jussit, priori quidem superstructam, et in qua praecisae magis definitiones insertae essent, ad quas novi motus occasionem dederant. Id negocium perfecit FABRITIUS, licet scriptum ipsum symbolicum tunc conscriptum, mihi datum non sit e tenebris protrahere. Synodalem censuram excepit Magistratus politici animadversio, quam singulariter (quantum mihi cognoscere datum) sensit PETRUS LEONIS. Senatus quippe TRIUM FOEDERUM eum comprehendi jussit, et capitaliter contra eum procedi. d) Quem eventum processus ille sortitus sit non reperio: at quum ab inde in Raetorum annalibus nec in amoeboeis Virorum illius temporis Epistolis, LEONIS nulla fiat amplius mentio, eum ex Raetica ditione, ad statuti tenorem relegatum fuisse vero mihi simile videtur. Coronidis loco epistolium Fabricii adpono, parvi quidem momenti, at quod nec multum spatii occupat, nec adtentionem diu detinet, per quod vero ceu per rimulam in ea quae illa Synodo acta fuerunt intueri licet.

„ Acta Synodalia, ait Fabricius, ad Te jam ante a D. Philippo
„ collega perscripta esse arbitror, is nam ita se facturum discedenti mihi
„ receperat: nunc video illum cessasse. Sed et D. Aug. MAYNAR-
„ DUS Clavennae promisit, se prima occasione exemplar CONFESSIONIS
„ NOSTRAE ad Te missurum. Reliqui ergo ibidem autographum
„ meum. Notarius quidam qui male pingit, et quaedam perperam
„ scripsit ex meo rescripsit quae vides: Mitto ut alias remittas. Exem-
„ plar

c) Lentul. Resp. Orth. pag. 195.

d) Gallic. ad Bull. d. 14. Jun. 1563. Conf. Hotting. Tom. III. pag. 851.

» plar aliud non habemus adhuc. Est brevis admodum, et quae
» principio leguntur ex universali Synodi confessione sunt desumta.
» Caetera a nobis adjecta, prout visa praesenti instituto inserenda.
» Audire tamen de singulis tuum avemus judicium. Nam subito a
» nobis in hanc summam conjecta sunt, quae vides. Caetera acta
» mittet alias, si quidem petis, Dominus Philippus. Die 14. Julii,
» 1561. »

Neque in OENGADINA penitus exoleverat venenum libertinici spiritus, quod FRANCISCUS CALABER Vetonii olim Evangelista sparserat, indeque ad alios quoque disseminatum fuerat, ut supra quoque memoravimus. Et Anno quidam MDLXII. auditi fuere quidam ex vulgo, de Providentia, Praedestinatione, atque electione verba parum pia effundere, et quae Calabri illius officinam redolebant. Eam illi doctrinam et sententiam asserebant se didicisse, et confirmatos esse ex concionibus STEPHANI DOMINICI Pastoris in Ecclesia Lavinii. Verbis illorum insolentibus, atque divino honori injuriis quae facile projiciebant, populi major pars, et quotquot sensu numinis tangebantur, vehementer offendebantur; et quum illi dicta sua, nollent malesana aut impia haberi, contentio haud parva in populo, et dissensio in dicta Ecclesia orta fuit. Ad eam componendam a GEORGIO GRASSO Laviniano, Ardeatianae Jurisdictionis tunc temporis Judice die XII. Kal. Majas anni MDLXII. Oratores communitatum et omnes simul Ecclesiarum Ministri convocati fuerunt.

Coram venerando isto conventu dictorum rationem dare jussus fuit STEPH. DOMINICUS, ut cujus habitae conciones causa dicerentur revocatarum ab orco impiarum vocum. Verum is de articulis supramemoratis talem expositionem dedit, quae cum generali confessione tota conveniebat, et quae ab omnibus probabatur, conquestus verba sua minime intellecta, in adversum plane sensum ab illis trahi et explicari. Etiam auditorum major pars testabatur, habitas illas conciones a se absque ulla falsae doctrinae suspitione et absque offendiculo exceptas fuisse. Quare quum inter diversas duorum adtestationes ille semper elaberetur, et commissi criminis convinci non posset, ille dimissus fuit non punitus. Quoad vero doctrinas super quas controversiae

disceptabantur abs Ecclesiarum Ministris illic congregatis, congregatis sequens declaratio pronunciata est.

„ Primo. Omnis boni, ut omnium bonorum operum sive virtu-
„ tum quae usquam fiunt, solus Deus est unice Auctor: malorum vero
„ operum ac vitiorum Deus non est Auctor. Teste enim Psalmo-
„ grapho Jehova non est Deus cui placeat iniquitas nec delectatur ini-
„ quitate, verum odio prosequitur omnes operantes iniquitatem. Ve-
„ rum culpa peccatorum aut quorumvis scelerum haeret tota in Dia-
„ bolo, ad malum instigante, et in homine pravis concupiscentiis obse-
„ quente, et malum perpetrante. „ At vero etiamsi homo peccata pro-prio vitio ex daemonis instinctu committat, et ad ea patranda rapiatur: potestas tamen atque ipse veluti temo stat penes unum Deum universi gubernatorem potentissimum et justissimum, qua is malitiam hominis cohibere potest, ne omnia quae velit, et sicut velit mala secundum arbitratum aut designata perficere possit.

„ Quando Deus permittit hominem mala designare aut committere,
„ non sit hoc ex eo quasi hominis nequitia ei placeat, aut quod pec-
„ cato delectetur. Absit horrenda blasphemia, aut quod impedire
„ non possit, sed quia ceu justissimus et incorruptissimus judex „ se-cundum justum et imperscrutabile judicium ita fieri sinat, dum interim ipse ad malum quod perpetratur non concurrit, verum juste tantum et sapienter regit ac disponit, quum saepius faciat ut malum quod ho-mo fecit, convertatur in bonum, eoque dirigatur ut cedat tandem ad suam gloriam, piorum salutem, et hostium exitium.

„ Dicteria igitur hujusmodi: malitiam hominis, aut quae ex ea
„ proveniunt peccata Deo placere, imo Deum illa amore: Deum
„ decreto suo hominem cogere ad perpetranda mala: hominis peccata
„ esse quidem contra praeceptum, sed non contra voluntatem Dei: „ peccata deserviisse declarandae gloriae Dei, et adducendae hominum saluti: peccata fieri secundum voluntatem Dei etc. aut si ejus sensus plura, qualia nonnulli inconsiderate, et temerarie effutire ausi sunt, esse impia in sanctissimum DEUM iniuria atque blasphema, taliaque quae Christiano ulli in mentem venire, nedum excidere ore debeant. Deus

enim

enim obteſtatur graviſſime per Prophetam dicendo: Non Ego deſidero mortem impii, ſed ut a viis malis ſe convertat ac vivat. Id ipſum evincunt caſtigationes quas Deus ad corrigendos homines, vel dilectiſſimis ſuis immittit: Exhortationes denique, quibus impios ad ſui obedientiam revocare et inflectere contendit.

„ De Electione vero inter memoratos Eccleſiaſtas ſimpliciter „ Scripturae auctoritatem, miſſis ſubtilioribus argutiis, ſervare, eique „ adhaerere conſtitutum fuit, cujus his verbis expreſſerunt ſenſum: „ Deum antequam mundi jacerentur fundamenta ſanctos elegiſſe in CHRISTO ut ſalvos faceret, illosque praedeſtinaſſe ad adoptandum in filios per Jeſum Chriſtum in ſe ſe, ut ſancti eſſent et irreprehenſibiles coram eo per charitatem; eos utique quos ex aeterna ſua divinaque ſapientia praeſcivit in filio ſuo Chriſto fore, id eſt in CHRISTUM per ipſius gratiam ſincere credituros, adeoque per fidem membra ipſius efficiendos, idque juxta beneplacitum voluntatis ſuae, ut laudetur gloria gratiae ſuae: quem ad modum PAULLUS Apoſtolus haec in Ep. ad Epheſ. Cap. I. et ad Romanos Cap. VIII. perſpicue expoſuit.

Eccleſiaſtae qui conventui illi interfuerunt, et definitiones adductas confecerunt, fuere, ex Jurisdictione Ardeatiana ANTHONIUS ZANETUS Cernetienſis, HULDRICUS CAMPELLUS Suſienſis, STEPHANUS DOMINICUS Lavinienſis, PETRUS FLURA Guardenſis, et GERHARDUS STUPANUS Ardetienſis Eccleſiarum Miniſtri. Ex Oengadina Superiore adfuit JOANNES CONTIUS BISATZIUS Zuzienſis, et ex infra Taſnanis MARTINUS JACLINUS Scultinae Eccleſiae Paſtores.

Quanquam allegatae poſitiones ſua perſpicuitate omnibus ſe commendaverint, et a Miniſtris inter ſe conventum fuerit, extra illam doctrinae formam nil quidquam ſuos docere; Anno tamen ſtatim ſecuto MDLXIII. novae querelae adverſus Martinum JACLINUM auditae ſunt, cui dica ſcribebatur quod in eundem lapidem impegerit, et ſuper doctrinae illa capita, verba parum conſiderata effuderit. Verum e contrario Jaclinus, verba ſua in ſiniſtram interpretationem rapi, et perverſe intelligi, dolebat. Novus itaque Eccleſiaſtarum conventus SCULLII factus eſt: in quo illi conſultius judicaverunt ab acriori indagatione abſtinere,

abstinere, siquidem suadebant multa per dissimulationem malum sopitum iri, quum e contra metus esset ab acriore censura irritari: at novis suffragiis factas conclusiones confirmaverunt, ad easque observandas novis stipulationibus invicem polliciti sunt. Ut vero eae fortius constringant, fuerunt illae ad proximam Synodum Curiae habitam deportatae, a qua ceu piae et publicae confessioni consentaneae judicatae et adprobatae sunt. Quo facto in praedictis inferioris OENGADINAE Jurisdictionibus statuto plebisciti sancitum fuit, ne super materias Providentiae ac Praedestinationis, contra stabilitas ab Ecclesiastis conclusiones garrire, disceptare, aut verba effari liceat, pecuniaria mulcta indicta, toties sumenda, quoties qui praevaricatus esset deprehenderetur.

Et his conclusionibus continetur argumentum litterarum quas PH. GALLITIUS rogatus ad VICOSUPRANENSES X. Kal. Febr. 1555. germanico idiomate scripserat, qui Pastoris sui AURELII SCYTARCHAE Sermonibus in ea Capita argute nimis et inconsiderate habitis offensi fuerant, et saniore informatione donari cupiverant. Occasione disceptationis istius in Oengadina habitae JOANNES FABRITIUS librum Dialogi forma de Divina Providentia latine conscriptum edidit, quo veram de Providentia Dei notionem, ac modum explicat, et importunas libertinorum exceptiones elidit. e)

Quemadmodum Ecclesiae italico ac ladino sermone utentes ab opinionibus ex Italia adlatis turbabantur: Sic Ecclesiae germanicae ab revelationibus Anabaptisticis infestabantur, quas CASPARUS SCHWENKFELDIUS passim per Germaniam et Helvetiam disseminaverat, et inde Raetiae nostrae valles subingressae erant. Notabatur istorum hominum dissensus praeprimis a tribus articulis: 1mo quod fidem non verbo Dei, sed internis Spiritus S. revelationibus, niti, ac per eas demum certitudinem Salutis haberi; 2do Externum Ecclesiae Ministerium nonnisi mortuam litteram esse, ac proinde publicos conventus, nec necessarios, nec utiles esse. 3tio Carnem Christi unionis hypostaticae beneficio deificatam quadantenus esse, et duas naturas conflatas in unam, contenderent. Passim in Helvetia erant plebeji et ignari homines, qui sub

e) Camp. Append. ad Lib. II. Cap. LXVI. ad p. 1368.

sub praetextu cavendi a congregationibus improborum, a publicis congregationibus abhorrebant, et nescio quem sensum divini Spiritus in cordibus suis crepabant.

In civitate Curia duo habitabant, qui illas opiniones stabilire, et in praxin deducere omni conatu adnisi sunt, licet illi non ex urbe oriundi fuerint, verum civitate donati, TARDIUS unus, vitae genere lanius, alter vero compactor librorum, et bibliopola nomine FRELLUS dicebatur. Bini isti, abstinebant ab omni Ecclesiastico coetu, nullam sacram Ministri concionem audire avebant, nunquam sacram Domini Synaxim communionis christianae tesseram frequentabant, et quando prole beari contingebat, infantibus recens natis baptismum non postulabant. Insupra de ordine Ministeriali non nisi per contemtum loquebantur, Zvinglium ceu bellatorem et bello confossum iniquis dicteriis traducebant, vitia quae in uno alterove Ministrorum observabant, exacte notabant, et falsе perstringebant. E contra aversionem a mundi consortio semper crepabant, et sub pietatis veritatis, ac Zeli conservandi obtentu privata conventicula habebant. Ea pietatis specie in societatem pertraxerant rudes aliquot ac simplices, forte sinceri propositi homines: at offensi haerebant reliqui cives et tota Ecclesia, mirantes cuncti duorum homuncionum satis indoctorum supercilium, ratum in sacris ordinem, summorum virorum conspectum contemnere, et Ecclesiolas in Ecclesia erigere audentes. Tentarunt Fabricius juxta atque Gallicius, Ecclesiae Ministri privatis Sermonibus illos ad agnitionem opinionis praeconceptae deducere, ad sanam mentem revocare, et ut redeundo ad sacros coetus scandalum amoveant, benigne hortari. At frustra: pergebent illi semper in proposito imperterriti, crescente indies scandalo. Igitur quum nullam resipiscentiae spem darent, a FABRITIO et GALLITIO apud Senatum evocati sunt, ubi rationes edisserere jussi fuere, ob quas minus sacra communia cum caeteris Christianis habere possent. Ibi illi in sui facti causam quaedam adtulerunt levia et parvi ponderis, quae nullo negotio a Ministris exposa sunt.

Una talium disceptationum coram Senatu facta fuit Januario M. Anni MDLX. quod ex Fabricii litteris colligitur ad Bulling. die 22. Mensis

Menſis et Anni praenotati, ubi ſic: *Eo ipſo momento tuas accepi quo nobis in Curiam eundum fuit diſputandi cum Anabaptiſta gratia. Hominum genus pertinax, et quod inſtitutionem nullam admittat. Labor ergo tuus et nobis et aliis piis Miniſtris apprime utilis eſt futurus. Deus conatus tuos fortunet.* Labor ille Bullingeri cujus hic fit mentio, Tractatus erat quem Venerabilis ille Antiſtes t. t. adverſum Anabaptiſtas moliebatur. Sic quippe ipſa Bullingeri ad Fabricium verba ſonant, ſcripta die 8. Decembr. 1559. „Totus ſum „ in libris ſcribendis quos Germanica lingua adorno, et molior contra „ Anabaptiſtarum ſectas omnes; ita enim dudum poſtularunt multi viri „ boni inferioris Germ. et paſſim in hiſce quoque regionibus expoſtu„ lat Anabaptiſtica peſtis. Scripſi quidem ante Annos XXIX. con„ tra eosdem libros IV. Sed interea multa alia et tempus et Anabapti„ ſtae nobis confutanda ſuppeditarunt. Labor eſt ingens; aliquando „ cogito me vix abſolvere poſſe: et tamen verſor in eo jam dies XIV. „ in quibus abſolvi librum 1. Tu ora Deum etc. Simul et in Jere„ mia pergo, nec ullas meas conciones omitto. Fortaſſis hic erit „ ultimus meus labor etc. f)

Anabaptiſtae vero illi licet aperte erroris convicti eſſent, nihil tamen a pervicacia demiſerunt: imo vero Senatus videntes benignitatem, eo quod nihil durius in eos ſtatutum fuerat, duriores fiebant, et indies evadebant. Publicum id ſcandalum Paſtores Eccleſiae intolerabile reputarunt, et Magiſtratus brachium pro tuendo honoris Miniſterialis et ordinis decore ſollicitarunt. Urbis Proceres duos illos ad Diſputationem prodire juſſerunt. Habita illa Diſputatio fuit a PH. GALLITIO et JO. FABRITIO in Civitate Curia coram ampliſſimo Senatus conſeſſu, Novembri Menſe Anno MDLXI. In qua praedicti Paſtores tam luculentam de fanaticis illis reportarunt victoriam, ut alter eorum in viam rectam poſt vincula reductus, alterius quoque lucrandi ſpes non exigua affulſerit. Interminatus eſt illuſtris Senatus illis, ni ad

f) Conf. Ott Annal. Anab. pag. 133. ubi etiam dicitur Bullingerus die 15. Mart. ejusd. anni Fabricio ſuo exemplar perducti ad umbilicum jam laboris, transmiſiſſe: et inter alia ab eo ſcripta: *Spectavi in his gloriam Dei et Eccleſiarum Miniſtrorumque utilitatem, Dominum orans ut conatum noſtrum felicitet &c.*

ad Ecclesiae Statuta se componant, exsilium: unde hi Senatus visa indignatione et ira mandatis ejus obedientiam polliciti sunt, linguae petulantiam cautius exercuerunt, et sacras conciones identidem frequentarunt. Caeterum omnia haec solo poenae metu, ad evitandum exsilium, ab eis facta esse pauci post anni docuerunt, in quibus scintilla haec litis in flammam erupit contentionis, quae summa exacerbatione, tum coram Senatu urbis, Comitiis Trium Foederum, et integra Synodo Evangelica, prolixe et odiose agitata fuit, ut suo loco sequetur.

Hoc tamen tempore Evangelii messis in Oengadina plantata, uberrima rigatione foecundata fuit ab editione Novi Testamenti, et Psalterii Davidici, quo divini libri in linguam ladino Raeticam tunc conversi, et typographicae artis subsidio excusi in vulgi quoque manus prodierunt. Ante factam sacrorum reformationem omnibus persuasio inerat, linguam Raetiae, ob corruptionem qua a fonte recesserat, et barbariem quam contraxisset, scribi non posse. Hanc opinionem Monachi et caeteri Mystae, (apud quos litterae si quae erant stabant) suo calculo firmabant, amabant quippe eo obtentu omnem suam contegi socordiam, et ignorantiam. Mirandum vero prorsus est doctissimos et versatissimos viros AEGYD. TSCHUDIUM et JO. STUMPIUM, idipsum credere potuisse et eandem fabellam suis commentariis inserere, quum non ignorarent voces, quarum vivus est usus, calamo quoque et chartae tradi posse. Barbariem absterfit Reformatio; et quod impossibile hactenus creditum fuerat, facto ipso possibile esse comprobavit primus JO. TRAVERSIUS Zuziensis Vir illustris, cujus tam frequens in nostro opere mentio. Is bellum prius a Raetis contra JO. JAC. MEDICEUM Mussienſem Castellanum A. MDXXV. gestum, cui ipsemet interfuerat, rythmice composuit, quod carmen adhuc exstat. Mos erat eorum temporum varia Acta memorabilia, inter quae etiam acta sanctorum, in sacris litteris referebantur, non a pueris modo, sed etiam ab adultis ac senibus in spectaculo per quas comoedias facta illa ad oculum representabantur ludere.

Qui Campelli scriptum legit, ejus generis dramata, ut quavis occasione acta sunt, ad ineptias usque descripta reperiet: qui autem in iis ludis personam sustinebant, omnia quae loquebantur, efferebant ver-

sibus seu integro carmine. At tales comoedias seu Historiae sacrae dramata plura confecit Traversius noster, nempe ne nihil agendo otiosus esset. Post eum PHILIPPUS GALLITIUS *Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum*, et legis divinae *Decalogum*, (nam et ista sub Papismo a plebe ignorabantur) Anno fere MDXXXVI. inferioris Oengadinae dialecto reddidit; et per manus plebis volitare fecit. Haud diu post idem in gratiam BENVENUDAE CAMPELLAE (quae uxor erat BALTHASARIS PLANTA Cernezienſis, postea Clavennae Commissarii) aliquot ex primis capitibus Geneseos ex Hebraico, *Athanasii etiam Symbolum* in Oengadinense idioma transtulit. Ejus exemplo motus HULDRICUS CAMPELLUS circa Ann. MDL. aliquot Davidicas odas, cum cantionibus sacris aliis, in melodias tunc temporis usitatas, paraphrasi poetica donavit; ampliorem etiam catechismum in juventutis gratiam composuit; sacra quaedam dramata, ut diximus, lusit. Sed ea non poterant nisi a privatis teri, qui scripta manu sibi exemplaria fieri curaverant. Primus qui raetice scriptum opus Typographiae ope in publicos usus exire jussit fuit JACOBUS BIVERONIUS, alio nomine TUTSCHETUS dictus, patria Samadoenus, Vir consularis et juris scientia experientissimus. Is gustum gentis exploraturus, JOANNIS COMANDRI ac BLASII catechismum, olim (Anno nempe MDXXXV.) in bonum Ecclesiae Curiensis adornatum, a se dialecto Superioris Oengadinae donatum, trium plagularum opusculum Anno MDLII. Pesclavii excudendum curavit. Raeti ad libelli praesentiam substiterunt haud secus ac Israelitae olim ad Mannae conspectum, et de luce orta gaudium magnum omnium animos pervasit. Fuerant enim tenebrae crassae et inedia cibi coelestis lugenda. Eo desiderio viso Biveronius versionem Novi Testamenti adornare coepit, quam post aliquot annorum decursum etiam feliciter perfecit, et anno MDLX. in forma octava Basileae suis impensis imprimi curavit. Dictus Biveronius feliciter clausit diem Anno MDLXXII. annorum satur, filio relicto JOANNE JACOBO perinde docto. Decurrit in ea editione textus absque ulla versuum distinctione. Versio ipsa neutiquam ad graecum textum, cujus penitus videtur paraphrastes fuisse ignarus, efficta est: verum quantum fugitivo oculo observare videor, ad germanicam Tigurinorum, adhibita in consilium latina paraphrasi tota expressa est: licet id nunc audacter pronunciare nolim; quum accuratam nondum collationem

rem instituerim. Exprimendi modus et orthographia satis sunt eruda aspera et impolita, qualia principiorum esse solent, quod vel ex eo dignoscatur, quod versionem illam hodie, vulgus vix legere et intelligere norit. Et tamen opus isthoc Ecclesiis Raeticis instar radiorum Solis in diluculo servit; multi ejus lectione ad Evangelii cognitionem perducti longe plurimi in agnita veritate confirmati: Excusum fuit saepius tum Pesclavii tum Basileae. *) Tanto fructu litterarum

*) Postquam Caput hoc ad finem perduximus, beneficio Cel. SCHELHORNII, cui Nestoreos annos litterarum Amoeniorum cultores mecum omnes merito adprecantur, pervenit in manus meas VERGERII libellus cui titulus: *Agl' Inquisitori, che sono per l'Italia, del Catalogo di libri Eretici, Stampato in Roma nell Anno presente MDLIX.* in quo nominis Tuzzetiani seu BIVERONIANI ejusque quoad Scriptionem Raeticae linguae meriti notitia exhibetur, loco quo Inquisitorum impietatem in exturbandis Bibliorum Editionibus acri sale jure meritoque perstringit. Quia vero libellus ille rarissimus sit, integrum paragraphum exhibemus cum res illo contentae non uno nomine dignae memoria sint. Sic Ergo Vergerius fol. 46. 47.

„ Ma nel proposito di proibire le Bibbie volgari state ad udire, che io
„ vi dirò qualche cosa, che sommamente vi spincerà. Jo 'l so certo, e tan-
„ to più volontieri lo dirò essendo in onor di Dio: avete fatto menzion del
„ parlar italiano, del tedesco, del francese, dello spagnuolo dell' inglese, del
„ fiandrese, nelle quali lingue non vorreste che il Vecchio e nuovo Testamento
„ fosse letto, e arrogandovi voi di saper ogni cosa, come Patroni e Censori
„ del Mondo, che vi volete fare (e pur non siete se crepaste) mostrate di non
„ saper ancora in quali altre lingue sia stato tradotto il Nuovo Testamento, e
„ la Bibbia intiera, ed è cosa di tanta importanza, e lo dirò io a consolazion de'
„ pii e a confusion Vostra.

„ La lingua Schiava è intesa in più parti del mondo, che ogn' altra,
„ ella occupa credo la quarta parte dell' Europa; l'usano tutti quei popoli, i
„ quali già furon le reliquie o gli avvanzamenti de' Vandali, e ora abitano di
„ là del fiume Albi verso settentrione, l'usano i Poloni, i Boëmi, i Lusaci, i Si-
„ lesi, i Moravi, e gl' abitanti appresso il fiume Vagro nell Ungheria, l'usano
„ i Cassuti, i Ruteni, i Moscoviti, i Circassi, i Rasciani, i Serviani, i Vallachi,
„ i Bulgari, e altri che abitano in tutto quel tratto fin a Constantinopoli,
„ l'usano i Dalmatini, Bosnesi, Croati, Istriani, l'usano i Carni, Carniolani,
„ Carintiani fin al fiume Dravo, e gli Stiriani fin al Danubio e altri assai: la
„ Bibbia adunque è tradotta e stampata, già qualche anno fa, nella lingua
„ Rutena: io l'ebbi nella città di Vilna in Littuania ove vidi una gran chiesa

„ de'

rum conſpecto etiam HULDRICUS CAMPELLUS Suſienſis tunc Eccleſiae Paſtor PSALTERIUM Davidis Regis in verſus redactum, Hymnos item Eccle-

„ de' Ruteni e moltiſſime, infin oltre al Boriſtene ne ſono. Andate adunque
„ ad aggiunger queſta Traduzione nel Catalogo. Poi ho fatto io tradur
„ l'Evangelio di San Matteo in quella lingua che più ſerva alla Carnia e Car-
„ niola. Poi nella medeſima M. Primo Trubero Carno (ancor queſto por-
„ rete nel Catalogo) ha tradotto il Nuovo Teſtamento, il quale è ſtampato in
„ Tubinga. Finalmente è tradotta già tutta la Bibbia in una lingua più ele-
„ gante, e che più communemente ſervirà e ſtamparaſſi, ſenza lungo indu-
„ gio. Andate ad aggiunger ancor queſt' altre tre, e n'ho da dirvene un'
„ altra, la qual biſognerà, che vi mettiate. Criſto e gl' Apoſtoli parlaron in
„ una lingua vulgare (ben potete creder) inteſa da tutto il popolo, e queſta
„ era Siriaca e non Ebrea, il che ſi pruova chiaro con la Scrittura. Or
„ nella Siriaca è ſtato ſtampato quattro anni ſono, in Vienna, a ſpeſe del Se-
„ reniſſimo Ferdinando il Nuovo Teſtamento e per un Moiſe Meridineo Suria-
„ no fu mandato a donar al Veſcovo Efeſino, che ne faccia partecipi i Veſcovi
„ e popoli della Siria: queſte ſono cinque traduzioni, che voi non ſapevate.
„ E ancora voi vi date ad intendere di poter ritener il corſo di queſta dot-
„ trina celeſte, la qual da molti Re, da molti Duchi, e da molte braviſſime
„ Città franche, e da molte centinaja di valentiſſimi e dottiſſimi uomini, e più
„ che in niun tempo ne ſiano ſtati dagli Apoſtoli in qua (o come vi ſpiace
„ queſta parola, o come ella vi paſſa, come una ſtoccata, fino nel cuore, ma
„ ho detto il vero, e lo replico, dal tempo degl' Apoſtoli in qua non vi ſono
„ ſtati tanti dotti uomini nelle ſacre lettere, quanti ne' ſono ne noſtri) e in
„ tante lingue è propagata e difeſa? E eſſendo voi allo incontro occupati nelle
„ delizie voſtre, ſapendone tanto poco, quanto voi ne ſapete, eſſendo ſul
„ perdere e in manifeſto diſpergio e odio del mondo, e ſopra tutto avendo
„ maliſſima cauſa, e difendendo voi ſogni e chimere d'uomini? Queſta è l'im-
„ portanza. E inquanto alle nuove lingue che accettano e celebran Geſù
„ Criſto, uditene ancor un' altra. Inſino nell' Ungarica, nella qual avanti
„ queſto tempo, appena ſi potea ſcriver alcuna coſa, adeſſo per grazio di Dio
„ s'è incominciato a voltar e ſcriver il nuovo Teſtamento, e di catechiſmi e
„ delle poſtille, per mezzo delle quali (ſpirando il divin favore) in fin i Tur-
„ chi ſperiamo che verran in cognizione della ſincera dottrina di Gesù Criſto
„ crociſiſſo, e precederanvi nel regno celeſte. E dico di più la lingua degli ono-
„ rati Signori delle tre leghe, chiamati volgarmente Griggioni, i latini gli chia-
„ marno Reti, è tale, che pareva impoſſibile a poterſi porre in iſcrittura, eſ-
„ ſendo ella, quaſi peggiore che la Furlana, la quale è tanto triſta, quanto
„ ſono buoni gl' ingegni e quanto grande è il valore di quella provincia ono-
„ ratiſſima, e non dimeno ancor queſta di Griggioni, ſi è poſta in iſcritrura
„ da pochiſſimi Anni in qua, e n'è un Catechiſmo, che io ſo di M. Gia-

„ copo

Ecclesiasticos partim a se concinnatos, partim ex aliorum canticis conversos, nec non catecismum editis ampliorem et locupletiorem, uno volumine forma octava, per eundem Jac. Parcum Anno MDLXII. suis sumtibus excudi curavit. Non continentur attamen in opere illo omnes Psalmi, sed desunt fere L. Carmen illorum effictum est ad numeros seu melodiam cantionum quarundam germanicarum, quarum tunc in Ecclesiis erat usus, et ad eosdem exasciatae sunt odae illae quas vel Huldricus ipse, vel si quis alius confecit, libro inseruit. Singulis Psalmis argumenta addita sunt, prolixa valde, et tumultuaria. Neque adeo tenax textus sacri fuit Campellus, ut paraphrasin suam illi quam simillimam redderet: verum vena, ut ei dabat, verba et res alienas facile admisit. Caeterum dictio Campelli est Biveroniana purior, in qua tum verba tum Orthographiam ad latinam originem reducere laudabili studio allaboravit, quantumvis tenuia adhuc curatioris limae specimina illa sint. Avide fuit exceptum et istud opus, quod tum publico usui ad divinam cultum tum privatae aedificationi operam praestabat, unde et aliquoties typis exscriptum fuit. Sic Evangelii Lux his terris illata tenebras profligavit, barbariem abstersit, et ad omnem culturam fenestram imo viam aperuit. In feliciter factam Ladinae linguae culturam sic olim Petr. Joh. Businus Sylvaplanensis.

Lingua licet fuerit Rhaetorum inculta rudisque,
Posse tamen scribi, posse legi atque coli
Tempora nostra docent: tanta est mutatio facta,
Ut cultu atque opibus clara vocanda siet.
Sive velis prosam, seu Carmina, copia abundat
BIFFRONS, CAMPELLUS lumina clara micant. &c.

„ copo Tuzzeto da Samadeno, che è nell' Agnedina, uomo pio e prudente, e
„ converrà che ancor questo voi corriate a porre ne' cataloghi. Vedete quanti
„ io ve n' insegno. In somma in ogni canton del mondo ogni lingua con-
„ fessa la pura dottrina del figliuol di Dio, e a lui solo dà l'onor e la gloria;
„ e voi poverazzi vi rimanete nelle carogne, e nelle puzze delle vostre umane
„ invenzioni, idolatrie, e bestemmie. Haec Vergerius. „

CAP. XV.

CAP. XV.

1563.

Communitas Aceriana in Raetigoja Fabricium accersit ad initium dandum praedicationi Evangelii in sua Ecclesia parochiali: Sequitur Missae abolitio, et imaginum exterminatio. Aug. Maynardus, Pastor Clavennensis, et Jo. Traversius, Maecenas, Sydera primae magnitudinis decedunt. Zanchius Clavennam accersitur.

Annus MDLXIII. alia memoratu digna non habet praeter Ecclesiae Acerienſis ad Sacro-Sanctum Evangelium reformationem, et DUUMVIRORUM praeclarorum et de renata veritate meritiſſimorum mortem. Eſt ACERIUM germ. *Schierſch* Eccleſia ſeu communitas frequentiſſima, in Raetigoja valle, prope ad anguſtias, per quas iter eſt in Majaevillanum dominium ſita, componiturque ex plurimis villis, quae huc et illuc per montana diſperſae conſpicuae ſunt. Magnus numerus colonorum illorum deſiderabant praedicationem Evangelii, ejus quippe ſupra miſſam, dulcedinem indidem guſtabant et perſentiſcebant quoties ad convicinos circum et quaque jacentes egrediebantur: at quamdiu addicti in avita ſacra numero praevalebant, ſpes non erat Evangelii quoque praedicationem introducendi: Sed neque reperiebatur idoneus aliquis Vir, qui ad promovendam Eccleſiae illius reformationem eo ordinari potuiſſet. Attamen fautores Evangelii Anno 1557. in eum ſtatum rem Domini deduxerunt, ut JOANNEM FABRITIUM Tiguro nuperrime adlatum ad ſe evocare potuerint, qui illis ſacram concionem ex Domini verbo habuit. a) Totalis tamen ſanctua-

a) Fabric. ad Bull. d. 27. Dec. 1557. *Auf den heutigen Tag hat ein groſſe Gemeind im Prettigoü begehret durch die Conſules an mich, das Ich mit ihrem*

sanctuarii ab imaginibus repurgatio, Missae abrogatio et Praedicationis Evangelicae surrogatio facta demum fuit Anno MDLXIII. Quo autem modo conversio illa successerit enarrat nobis ipse FABRITIUS, qui ad perficiendam illam quod potuit toto animo contulit, perscriptis ad BULLINGERUM sequentibus:

„ Hodie Reverende in Christo Pater ex Praettigavia redii, „ ubi primum postquam nostra pars Suffragiis tandem vicit, con- „ cionum feci initium. Magna spes est: Communitas aut Ec- „ clesia si mavis frequentissima, et tanta quanta vix est in omni „ Praettigavia. *Die Gmeind heiss Schiersch, gehoerend viel Hoeff „ und Berg dazu.* A non nullis cum in Suffragia iretur vehe- „ menter reclamatum est; quod mirum non est. Venerunt ad „ me Anus quaedam spectatae ante concionem, quae per Deum „ rogarunt, ne Author essem dejiciendorum idolorum, quae illi „ in sanctis numerant. Caetera se me volentes audituros. Fue- „ runt ante meum adventum qui interminarentur, si quis sugge- „ stum conscenderet: Sed Dei gratia singulari humanissime acce- „ ptus sum, benignissime etiam ab adversa parte auditus. Ex- „ posui orationem Dominicam. Scis tu quam amplissimam et „ popularem habuerim materiam. Sed tantum popularis omnino „ esse volui, ne quos adversae partis initio exasperarem: utinam „ esset aliquis bonus et honestus Vir, quem nostri summopere „ expetunt qui negotium perpetuare possit. Sed dubito unde „ comparari possit. Habet ea Communitas Viros, quod in omni „ vita nunquam credidissem, montanos, *Bärglütt* multa exercita- „ tione et satis in sacris exercitatos, adde et pro rusticis satis di- „ sertos. Memini autem proverbii: rusticum oratorem non con- „ temnendum. Stipendium ad 110. fl. accedit non amplius. „ Ro-

Willen und Erlaubniss dahin komme, und ein Predig bey Ihnen thue: vermeintend die gutwilligen sie wöllend das ganz Thal auf ihr Seyten mit der Hilff Gottes bringen. Diese Gemeind aber in deren Ich soll predigen ist bisher auf der Mess gsyn. Hierinnen will Ich mit des Raths Verwilligung und Rath handlen, &c. Conf. Hotting. H. G. Tom. III. p. 825.

„ Rogarunt me enixe procurarem aliquem, et quidem tempestive.
„ *Es ist durch Güte der unsern, um minder Unruh willen nachgeben*
„ *das man die Bilder solle in der Kilchen lassen bis auf Georgi,*
„ *und dan wiederum meeren, hiezwischen einem Predicanten anstel-*
„ *len. So man hiezwischen einem freundlichen bescheidenen Mann*
„ *hätte, wäre kein Noth mehr.* Sed unde comparari potest? Plu-
„ res concionatores non CHRISTUM sed sua quaerunt. . . . *Was*
„ *guten Werks wäre aber das.* Haec fortassis pluribus quam
„ oportebet, praesertim apud Te occupatissimum. Curia, die 21.
„ Junii, 1563.„

Eximio isti gregi primus Pastor datus fuit ALEXANDER SALUCIUS Philippi filius, cui ven. Synodus injunxit Thosanam, alii relinquendi, et Acerianam statim curam suscipiendi, ne ex spiritualis cibi defectu detrimentum grex Domini pateretur. Et obsecundavit Alexander Patrum jussis: non tamen ei longa Acerii vita fuit; namque peste quae Philippum Patrem abstulit Anno MDLXVI. sublatus et ipse in panegyrim coelestem fuit.

Dicti anni MDLXIII. Julio mense exeunte amisit Ecclesia Clavennensis fidum suum Pastorem AUGUSTINUM MAYNARDUM, cujus extrema vere CHRISTI servum decorarunt, et Ecclesiam aedificarunt. Audire illa placet ex Comite Ulysse Martinengo, qui funeri et morti ipse affuit, cujus verba Fabricius suis ad Bull. inseruit, quando mortem illius pernunciavit. Optimus Senex (ita Fabricius ad Bulling.) mihique summe colendus Augustinus Maynardus diem suum obiit: cujus obitu non dubitarim Ecclesiam Clavennensem male mulctatam dicere. Vir enim fuit integer et gravis, et prae se ferens heroicam quandam Majestatem in vultu, incessu, congressibus. De cujus morte haec ad me Illustris Vir Martinengus: „ Pridie Kalendas Augusti decessit nobis hu-
„ jus Ecclesiae Pastor Dominus AUG. MAYNARDUS. Mane ejusdem
„ diei convocatis fratribus Sermonem habuerat eximium, cujus summa
„ haec est: in ea doctrina ut persisteremus, quam ipse per viginti an-
„ nos praedicasset, esse enim tutissimam, saluberrimamque utpote quae
„ puro Dei verbo niteretur. Postero die extulerunt eum in propriis
„ humeris Seniores Ecclesiae, maximo cum omnium moerore; fuit

„ enim

„ enim Vir sic de Ecclesia Dei bene meritus et omnibus dilectus, ut „ ne adversarii quidem invenirent, quod obtrectarent. De novi Pa„ storis electione, quidquid statutum fuerit narrabo ut scias. Ex Ita„ lia nihil novi nunciatur, sed constanter affirmant Tridenti proximis „ his diebus factam fuisse Sessionem quandam: eam quamprimum ha„ bere potero curabo tibi perferendam. Salutabis Bullingerum, quem „ Virum colo et observo. HERCULES a SALICE salutem tibi pluri„ mam dicit. Clavennae tertio nonas Augusti, MDLXIII. Haec „ Martinengus quae verbotim exscripsi. Fabritius tuus. „

Adductae summorum istorum binorum Virorum litterae abunde docent qualis Vir fuerit Maynardus, et quale sui desiderium reliquerit. Scripta quoque illum edidisse refert GULERUS, quorum utinam specialiorem dedisset notam: *) mihi nulla eorum notitia, praeter quam de unico isto cui hic est titulus:

Trattato dell' unica et perfetta sodisfazione di Cristo, nel qual si dichiara e manifestamente per la parola di Dio si pruova che sol Cristo ha sodisfatto, per gli peccati del mondo, nè quanto a Dio c'è altra sodisfazione che la sua, o sia per la colpa, o sia per la pena, composto per M. AGOSTINO MAINARDO Piamontese. A. MDLI. 8vo. plag. 18.

Qui in animum revocat quae supra de hominibus illis diximus, cum quibus bono Viro conflictandum fuit, ille etiam novit causam, qua ad scribendum de satisfactione Christi compulsus est. Ipsemet dicti libr. pag. 13. in hunc modum fatur. *Oggidi alcuni che fanno professione di predicar Cristo, sotto pretesto di tal nome scorrono in orribili biasteme, publicamente ed in pulpito innanzi a gli popoli predicando apertamente e come dir si suole a piena bocca, e per esser meglio intesi, spesso replicando il medesimo, dicono che alla salute nostra non basta la*

*) In Catalogo haereticorum quorum scripta omnia prohibentur Romae A. 1559. d. 30. Dec. promulgato, et cum annotationibus Vergerii recuso, extat *Augustinus* quoque noster *Maynardus Pedemontanus*. Opp. Verg. Tom. I. fol. 176.

Sodisfazione, la quale ha fatto Cristo per noi, ma è necessario di altra Sodisfazione per gli peccati nostri, che quella di Cristo &c.

In Successorem Primoribus Ecclesiae commendatus fuit HIERONZANCHIUS Bergomas, tunc in Schola Argentoratensi sacrarum litterarum Professor, Vir orbe toto celebratissimus. Is quia in illa Academia dogmata Reformatorum de Praedestinatione, Perseverantia et Eucharistia aliisque docere pergebat, iram Marpachii caeterorumque Lutheranorum incurrerat, et in arenam provocatus cum illis digladiari cogebatur, licet eam ferram ille invitissime reciprocaret. Habuerat idem in conjugem *Coelii Curionis* filiam: affines itaque et cognati ejus cum apud Clavennates effecissent ut Zanchius vocaretur ad Ecclesiae illius curam suscipiendam, sic Zanchium ad vocationem acceptandam stimularunt, hoc consilio ut tum odiis Lutheranis eum eximerent, tum ut derelictae patriae, quae memoriam dulcedine semper perfundit, eum proximum saltem vicinum redderent. Ad deferendam illi vocationem Ecclesiae Clav. nomine, Argentinam missus fuit FRANC. BELLINKETUS Bergomas et ipse, ac veritatis causa exsul. Vocatione *Zanchius* obtemperavit, et sub finem Anni MDLXIII. Clavennam adpulit; ubi postquam libro Synodico seu Raeticarum Ecclesiarum confessioni subscripsit, vacans Ecclesiae cathedra illi demandata fuit. Quanta pietate commissa cura defunctus fuerit Vir ille dicere nil adtinet, orbi enim Zanchii eruditio, moderatio, et pietas notae sunt. At molestum nactus erat collegam SIMONEM FLORILLUM Neapolitanum, satis quidem eruditum at hispanici ingenii hominem, ad factiones moliendas natum, et parem ferre nedum superiorem, nescium. Per annos propemodum quatuor Zanchius Clavennensis Ecclesiae curam exercuit, ibi etiam post uxoris obitum viduus LAURENTII LUMAGAE (quae praeclara est in oppido familia) filiam in uxorem duxit, ex qua plures liberos suscepit. Anno denique MDLXVII. exeunte, a FRIDERICO III. Electore Palatino ad profitendas sacras litteras in Academiam Heidelbergensem vocatus, ministerio Clavennae renunciavit, ac PLURIUM secessit ubi per tres forte menses adhuc commoratus est, initio autem MDLXVIII. anni Heidelbergam demigravit.

May-

Maynardum post tres tantum hebdomadas secutus est praeclarus ille et nunquam satis laudandus JOANNES TRAVERSIUS, Vallis Tellinae, bis terve Capitaneus seu Gubernator, militiae in bello Mussiensi Dux, legationibus ad exteros Principes, et dignitatibus plurimis in Patria gestis, illustrissimus, quique non consilio modo et auctoritate causam Evangelii adjuverat, sed impetrata a Ven. Ministerio facultate ipsemet doctrinam Christi ab aliquot annis praedicando promoverat, seculi vere Phoenix, et Patriae totius, cum maxime vero Evangelicorum, ornamentum. Senio ille confectus ab annis duobus tribusve solitudinem colere coactus erat, idque tanto magis quod ex paralysi laevum brachium mortuum adhaerere corpori diceretur: accessit lethalis infirmitas, diuturna, quae fortem virum exercuit. Infirmitates attamen ac dolorem patientia vere Christiana ad finem usque pertulit, ea semper animi praesentia, ut visitantes ipse alacri animo consolatus fuerit. Quamdiu lecto affixus, cum morbo conflictatus est, oportebat JOANNEM BISATZIUM Ecclesiae Ministrum aperto s. codice capita ut occurrebant latine ei praelegere, ut dictis divinis animam firmaret. Succubuit tandem vi morbi Heros fortissimus, et naturae debitum reddidit Zuzii in aedibus suis undecimo Kalend. Septembr. aetatis agens annum octuagesimum. b) In documentum eorum quae dixi, litteras adponam FRIDERICI SALICEI, quibus de obitu Soceri, communem amicum, Tigurinorum Antistitem certum reddidit, tum defuncti Testamentum ab ipsomet dictatum exscribam, digna enim utraque visa sunt, quae a tineis et blattis vindicem. SALICEI litterae sic decurrunt: „ Reddo Te certiorem obitus eximii et apud nostrates sua aetate incomparabilis Viri Domini Joannis Traversii, soceri mei qui d. 22. „ praesentis Mensis ad beatas Sedes migravit, relicto sui, nedum domesticis, sed et toti Patriae nostrae maximo desiderio. Decubuit autem per tres continuos menses, tanta interim usus patientia, ut dici „ vix queat. Nec enim dum incolumis permanserat tam praefuit „ Patriae, etiamsi is fuerit longe omnium nostrae aetatis virorum salu-

 berrimus,

b) Trav. ad Bull. 14. Kl. Decembr. 1559. De Statu annosae meae, qui annum ago 76. Te facio certiorem &c. Minus accurate ergo Campellus Cap. LXVI. pag. 1368. App. attigisse 75tum et Nic. Stupanus in carmine Epitaphio: 76.tum supergressum esse scripserunt. Rectius Clar. Hottingerus 79. Tom. III. pag. 874.

„ berrimus, qui aegrotans indefessum verbi Dei concionatorem egit „ usque ad extremum vitae suae diem. Plurimus enim hominum „ concursus qui eum decumbentem visitabant, quos omnes hilariter „ suscipiebat, et verbo Dei mirum in modum abs se dimittebat, inque „ illo instituto permansit usque ad id momenti quo e vita decessit. „ Haec vero significo vir Clarissime, quia novi eundem socerum meum „ dum viveret, Tibi fuisse commendatissimum; et proinde dum resci- „ veris ejus felicissimam ad superos migrationem, etiam laeteris, ac De- „ um una nobiscum collaudes: cui laus sit et gloria in omne aevum. „ Amen. Obiit autem mense praeterito, et Dom. Augustinus May- „ nardus, qui in Ecclesia Clavennensi aliquot annis diligentissime prae- „ fuit concionando: in hujus locum accersitur quidam Dn. Hierony- „ mus Stanchus, qui nunc est Argentinae; estque eo missus D. Fran- „ ciscus Bellinchetus, qui eum Clavennam, (si quidem oblatam condi- „ tionem suscipere non renuat) deducat. Virum non novi: ajunt „ vero ipsum esse pium et doctum, et qui spartam sibi commissam ad- „ ornare queat pro dignitate. Utinam vero felicissimus sit ejus ad nos „ accessus, ut qui religionem Christi et morum pietate et doctrina „ Evangelica promoveat diligentissime. --- Filium meum Basilea revo- „ co et Patavium mitto ut ibi sua studia absolvat. Samadeno, die „ 27. Augusti, 1563. „

Traversii *Testamentum ex Autographo sic habet.*

In nomine Domini Amen. Anno millesimo quingentesimo sexagesimo tertio indictione tertia, die autem octava Julii. Ego Joannes Traversus quondam Jacobi Traviers filius, cursum humanae naturae animo volvens, et omnes homines ex divino statuto morti obnoxios esse, ac quod praesens vita nihil aliud sit quam quotidianus gressus ad mortem, et hora mortis nihil incertius: quo fit ut meum testamentum ac ultimam voluntatem corpore quidem morbo divinitus immisso laborante lectoque affixo, animo vero sano ac rationis compote, facere et condere decrevi in modum qui sequitur.

Primo

Primo confiteor nunc et confitebor in posterum, donec Spiritus corpori meo comes fuerit, Sacro-Sanctam catholicam fidem et Evangelii doctrinam, quae nunc in Ecclesia nostra sonat, et quam publice et privatim sum professus, in qua quum Dominus vocatum me venerit, de gratia et misericordia omnipotentis Dei confisus peccatorum meorum mole, spe gratuitae miserationis Jesu Christi Servatoris nostri sublevatus, mortis jura excipiam, et animam meam ex tunc prout ex nunc, et ex nunc prout ex tunc misericordi Deo Salvatori nostro Jesu Christo commendatam habere volo. Et quod corpus meum more Christianorum sepulturae per filios et haeredes meos tradatur, et prope sepulchrum quondam uxoris meae sepeliatur.

Secundo precor filios meos ac filias meas, atque per Deum immortalem obtestor quatenus eorum vitam in honestate et timore Dei, in fide vera ac bonis operibus transigant, et eorum liberos etiam ita doceant et educent.

Tertio injungo omnibus descendentibus meis, ut omni tempore pauperum rationem habeant, et memores sint, nos substantiae hujus temporalium bonorum dispensatores esse, et Domino olim rationem daturos. Quare et hilares datores secundum facultatem suarum portionem erga pauperes Christi agant.

Quarto iterum haeredes meos hortor, et per amorem paternum, quo omnes adeo ferventer amavi, rogatos esse volo, ut etiam se mutuo ament, et omni beneficentia prosequantur, et bona per eorum genitricem relicta et per me relinquenda inter se se aequis portionibus (salvis tamen pactis domorum) cum caritate et sine dissidio dividant et possideant, exceptis libris, vestibus et clenodiolo meis, quae omnia inter solos filios dividenda relinquo. Quoniam vestes et clenodia quondam uxoris meae, etiam ex ejus decreto inter solas filias divisa fuerunt.

Quinto. Testor et relinquo Joanni filio meo, cum nomen meum habeat, sigillum cum annulo secreti mei possidendum et custodiendum

endum cum reverentia et requisito honore non obstante proxima declaratione de fienda divisione inter filios meos, super clenodio meo.

Sexto. Lego Joanni Traverso, filio Petri Schucani abjatico meo, nunc Basilae litteris operam navanti, tres coronatos, quibus conficiendum sibi curet annulum aureum. Et praeterea lego ei sigillum argenteum, in quibus tamen ambobus insculpta sunt arma et insignia Traversorum, et ut in posterum dictus Joannes et cognomen et insignia Traversorum semper gestet et usurpet.

Septimo. Lego Joanni filio Friderici a Salice abiatico meo carissimo ob singularem amorem, quem semper erga me exhibuit, et demonstravit, scuta quatuor in auro.

Octavo. Lego Petro filio quondam Petri Martini Rascherii, abiatico meo scuta quatuor.

Nono. Lego Annali, filiae quondam Jacobi Traversi abiaticae meae scuta octo, ad vestiendum eam honorifice, secundum statum ejus.

Decimo. Lego Annae Jusnae, filiae quondam Petri Martini abiaticae meae pariter scuta quatuor.

Undecimo. Lego Annae, filiae Friderici a Salice abiaticae meae eadem ratione scuta quatuor.

Duodec. Lego Annae Jusnae filiae Joannis Traversi pariter abiaticae meae scuta quatuor.

Decimotertio. Lego Emeritae filiae Jacobi Furat, pro diversis et multis beneficiis impensis in commoditatem et utilitatem meam Renenses sex convertendos in usum suum ad ejus beneplacitum.

Deci-

Decimoquarto. Lego Grettae famulae meae pro sollicitudine, diligentia, et cura in mea infirmitate adhibita Renenses quatuor convertendos in usus suos, ad ejus arbitrium.

Decimoquinto. Lego Renenses tres filio Nesae et abiatico Anthonii Drusur, qui aliquo tempore inter amicos hic illic est educatus.

Decimo sexto. Lego triginta pauperibus Communis, cuilibet eorum ulnas quatuor panni nostratis, distribuendas consilio haeredum meorum Zuzii habitantium.

Decimo septimo. Ac ultimo lego quod dum sacrae coenae christianae memoria celebratur in templo, debeat formari et parari mensa lignea cum scamnis congruis, scutellis sex, et poculis totidem, et illa per haeredes meos debeant confici et parari eorum propriis expensis semel tantum, conservari ac manu teneri per Convicos Vicinitatis.

Hoc supremae voluntatis meae Testamentum quoniam prae corporis infirmitate manuumque tremore ipsemet scribere non potui, propterea id opera Jacobi Schucani compatris mei perficiendum curavi, qui mihi in lecto decumbenti assidens, me dictante, de verbo ad verbum excepit, praesente quoque D. Joanne Contio Ecclesiae nostrae Ministro, quem ad majus robur et testimonium hujus mei Testamenti conscium et testem esse volui.

Neminem pigebit, ea quae ad nunciatam Traversii mortem, FRIDERICO SALICEO beatissimea memoriae BULLINGERUS defuncti cultor singularis reposuit, legere.

Clariss. Viro, D. Fridl. a Salice Viro apud Rhetos primario, Domino meo colendo et amico Sincerisſ.

„ S. D. Ne forte suspiceris negligentiorem esse me in respondendo, scias litteras tuas scriptas d. 27. Aug. hoc vesperi demum d. 22.

„ Octobr. mihi esse redditas: ubi tam diu delituerint Ego nescio.
„ Intellexi ex his, quod animo meo vehementer doluit orbatos nos
„ esse piissimo et constantissimo Viro, Domino Jo. Traversio. Ami-
„ sit in hoc uno viro Rhetia permultum: Amiserunt Ecclesiae singu-
„ larem Patronum. Quoniam vero divina ita voluit voluntas, et
„ senex fuit, nec diutius vivere potuisset commode, inque firma fide
„ migravit ad Dominum, rursus consolationem admittere, Deumque
„ precari debemus, ut sublato viro optimo, optimum aliquem nobis
„ sufficiat, sicut quondam in locum Heliae substituit Helisеum. De
„ filio nostro Joanne nihil ab eo die audivi, quo hac transiens me
„ salutavit. Curabo ut tuto ipsi tuae reddantur litterae. Dominus
„ Hieron. Zanchus Vir est longe doctissimus, Bergomas, linguarum
„ peritus, in scriptoribus vetustis versatissimus, disputator acutus et
„ exercitatus, eloquens et indefessus, in Ministerio Christi. Diu
„ jam mihi notus fuit. Argentinae una cum Domino Martyre
„ beatae memoriae profitebatur; et eandem ob causam ob quam
„ Martyr manere non potuit, et Zanchius migrare voluit. Nescio
„ tamen qui fiat, quod nondum ascendit. Metuo ne quid illi eve-
„ niat adversi: Lutherani enim ipsum oderunt vehementissime. Res
„ et tempus ubi ver aderit dabunt consilium quo mittas filium. Au-
„ dimus hic in Gallia rursus spargi semina dissensionum: pro certo
„ tamen nihil affirmo. Ego tamen puto Guysianis in Gallia cum
„ potestate existentibus, nullam solidam pacem futuram. Dominus
„ judicet. Cupis scire ut valeam, mi Domine et frater: ut possum.
„ Quotidie sentio vires animi flaccescere, utpote fractas assiduis curis
„ et laboribus: frequentius laboro gravibus capitis doloribus, et aliis
„ infirmitatibus: quae res monet, Sarcinas colligam et itineri accin-
„ gam me desideratissimo. Ora pro me semper Dominum ut mihi
„ adsit et servet a malo. Julium Mediolanensem salvum cupio et
„ alios fratres. Vale Vir amicis. D. O. benedicat Tibi et Tuis.
„ Tiguri, 22, Octobr. sub Vesperam. 1563.

Bullingerus tuus.

Illustris

Illustris Viri obitum NICOLAUS STUPANUS Pontresinensis Oengadinus tunc vero in BASILIENSI Academia humaniorum litterarum Professor celeberrimimus, c) sequentibus, inter alios, rythmis deflevit, quos sempiternae illius memoriae sacratos, heic exstare decet.

Religionis adhuc TIBI major cura tuendae
Sueverat os sacrum non nisi sacra loqui.
Saepius ipse etiam Praeconis munere functus,
Quae via, monstrabas duceret ad Superos.
ZVINGLIUS ac veluti Helvetiae, LUTHER atque PHILIPPUS
Lucem Evangelii Saxoniae referunt:
Sic quod apud RHAETOS purgata Ecclesia mendis
Gratia TRAVERSIO multa debetur huic.
Tanta Homini fuerat pietas, prudentia, virtus
Tam constans animus, tamque benignus erat.
Semper ut interea pensum traxere Sorores,
Dumque suos multo vixit honore dies:

c) WOLLEBIUS in Conc. funebri JO. NIC. STUPANO habita et a JO. GROSSIO Serm. fun. Tom. II. edita eum Pontresina, inferioris Engadinae vico ortum adserit; sed errore conspicuo. Pontresina enim Superioris, non inferioris Oengadinae vicus est. CAMPELLUS Topogr. Cap. XXVI. eum inter Stupanos Ardetienses recenset: Si QUADRIO autem credimus Tom. III. Diss. V. §. 82. natales ille suos Valli Tellinae debet. Sed manifesto et hi errore: cum Pontresinae Nicolaus et natus fuerit et educatus, quam in rem certa darem documenta, si necessitas postularet.

Urgeret verbum, ſinceraque dogmata Chriſti,
Corrigeret cultu dogmata ſacra pio.
Ac decies ſeptem et quum ſex ſuperiſſet in annos
Quae ſignant magnum tempora longa Virum.
Jamque auris veſci aethereis tum Zvinglius enſe
Ictus deſierat, non ita morte Luther
Difficili, obruerat Wittenbergica terra Philippum,
Ampli terrarum qui decus orbis erant.
Hos ſequitur comites fidos, tanquam inter Achates
TRAVERSIUS Sociis non minor hiſce ſuis.

CAP. XVI.

A. 1563 — 1567.

Zanchius Argentorato relicta Clavennenſem cathedram ornare incipit non ſine moleſtiis a Florillo Symmyſta illi creatis. Eo Paſtore peſtis graviter ſaevit, Clavennae, Plurii, item Malanſiii, Cicerici, et Acerii in Raetigoia, prout paſſim per Helvetiam. Bullingerus confeſſionem Helveticam conſcribit, quae etiam a Raetico Miniſterio recipitur; illius occaſio edifferitur. Peſtis graſſatur Curiae, magnam civium partem abſumit. Ex ea occumbit Paſtor uterque Gallicius cum tota fere famllia, et Fabricius. Hujus in locum Ruſſicona evocatur Thobias Eglinus cum Tigurinorum conſenſu; Gallicii cathedrae Jo. Gantnerus Curienſis admovetur. Tobias celebrationem Synodi, Curiae urbi, jure deberi ad modum Turicenſium contendit. Sed Ingadini juxta cum majori Eccleſiaſtarum parte Synodi locum extra Curiam figere incipiunt, et omiſſo Tobia Huldr. Campellum ſibi Praeſidem eligunt. Diſſenſionis amica et fraterna compoſitio.

Hieronymus ZANCHIUS acceptis ab Eccleſia Clavennenſi vocatoriis litteris obtemperaturus, ad diſceſſum ſe comparavit, et verſus Anni MDLXIII. finem in Raetiam adpulit. Gratulati ſunt Raetiae Miniſtri ſibi de adventu impigri iſtius in vinea Domini operarii

rii, curam coetus Clavennenſis ei tanto impenſius commendarunt, quod grex ille a diverſis artibus *'eterodidáskalúntoon* miſere diſcerptus fuiſſet, et vix pacis vinculo contineri poſſet: Zanchius Raeticarum Eccleſiarum Confeſſioni lubens nomen ſubſcripſit, et in Eccleſiae ſibi concreditae pacem, bonumque, omnes vires impendere pollicitus eſt. a) At ingreſſurus provinciam multa in viam projecta obſtacula, expertus eſt, quae fructum Miniſterii ejus, labefactare, aut gradum in Eccleſia ei debitum minuere tendebant. Motus nati ſunt in Eccleſia Clavennenſi, inter Eccleſiaſtas duo ZANCHIUM et FLORILLUM; adhaerente auditorum parte uni, altera alteri, non ſine animorum acerbitate: videbaturque Zanchium Lutheranorum contentiones evitaturum ex Argentina ceu Scylla in Charybdin incidiſſe. Contentionis cauſam mihi hactenus datum non fuit adcurate cognoſcere. Forte adſeclae Camilli qui in illo coetu latebant, viſa Zanchii eruditione metuentes alterum ſibi Maynardum datum eſſe, facile in id conſilium conſenſerunt, quod ad minuendam Zanchii auctoritatem faceret, vel plane ad inde demigrandum adigeret. Occaſionem vero ſubminiſtraſſe videtur Symmyſta alter SIMON FLORILLUS Neapolitanus, qui defuncti Maynardi vices ipſe explere videri volebat; quum Zanchius contenderet Paſtoris primarii locum, ex tenore vocationis ſibi deberi. In ea contentione laudata ſemper Zanchii fuit modeſtia, notatum Florilli ſupercilium. Miſera etiam erat Eccleſiae illius facies ob peſtem, quae per aeſtatem Annī MDLXIV. in oppido Clavennae ſaeviit, et magnam civium Evangelicorum partem abripuit, quippe intra paucas ſeptimanas CVIII. homines conſumſit. Conciones habebantur in publico foro aut ſub dio; et quando ſacra Synaxis habita fuit, adtulit quisque poculum ſuum, et de effuſo communi vino bibit, lamentabili ſane adſpectu, at quo fideles omnes maxima conſolatione adfecti domos ſuas remeabant. b) Totum illud tempus Paſtores Clavennae apud gregem ſuum perſtiterunt mori cum illo parati. Notatus fuit HIERON. TURRIANUS Miniſtri PLURII, eo quod ad primam famam infectionis, inde aufugit;

a) Matric. Synod. pag. 100. ſub Num. 61.

b) Fabrit. d. XI. Sept. 1564. et Zanch. d. 28. April. 1564. ap. Hott. H. K. G. Tom. III. p. 888.

git; reprehenſus ea propter graviter a Fabritio, apud quem alia non habebat quibus fugam excuſaret, niſi quod Italorum mos eſſet peſte ingruente templa ſtatim claudi, et omni congreſſu mutuo homines prohiberi. Adferam quae in manibus habeo paucula; deliteſcunt forte alicubi plura, ex quibus alii a nobis allata illuſtrare, aut fuſius explanare queant. Sic ergo Fabritius ad Bulling. ipſis Kal. Maji Anno 1564. poſt alia, quae dedimus ſupra. c) „ Ad haec mala accedit „ Eccleſiae Clavennenſis miſera et afflicta facies. Eccleſia varie eſt „ diſcerpta. Utrinque factiones potentiſſimae. Duo ſunt miniſtri „ Florillus et Zanchus. Uterque ſuas habet partes, et quidem alteri „ infenſiſſimas. Deum immortalem quid tandem fiet? Peſtis Cla„ vennam crudeliter infeſtat, et ut ſcribit Zanchus media civitas infecta „ eſt: concionantur in publico foro, non intra parietes; et ne haec „ quidem tam evidens Dei plaga eos redintegrare poteſt. Saepe „ dubito an aliquid Spiritus ſit in ejusmodi hominibus. Audio ta„ men Zanchi modeſtiam praedicari, illius vero alterius rigorem ac „ ambitionem reprehendi. Sed (quod dixi) partes ſunt, et ſuum „ quaevis Doctorem defendit, in alteram invehitur.

Fabricius ad Bulling. d. 7. Aug. 1564. „ Ex litteris D. Bezae „ ſatis intellexi Galliae res non eo omnino loco eſſe, quo ſperaba„ mus. Multum autem intereſt nos deinceps quoque edoceri quid „ fiat, propter foedus quod brevi apud nos tractabitur. Scripſerat „ Dn. de Bellieuvre exſpectari Soloturi primores ex Gallia viros, qui „ an advenerint neſcio. . . . . Quid autem ſi peſtis in Gallia exhau„ riet Eccleſias? Quid ſi haec Domini eſt voluntas, cui parere pie„ tas nos jubet? Vix tamen crediderim nos immunes fore. Fiat „ voluntas Domini. Ego peſtem non tantopere extimeſco quam gen„ tis hujus mores, quae peſtem ſic anxie timet, ut non paucis propter „ ſolitudinem fame quandoque ſit pereundum. Clavenna nunc plane „ eſt vacua. *Sy fachend an d' Stadt berüchen und ſübern. Ich laſs mir gwiſs ſagen das ſy alle yngebunden Bücher ufflöſind, ein jedes Blatt inſonderlichen erſchüttend, die Fäder verbrännind.* Nam quod „ exurant veſtes et ſuppellectilem, id citra controverſiam conſtat.

„ Multa

c) Cap. V. de Vergerio.

„ Multa in his regionibus disco, quae si audissem fieri, vix unquam „ credidissem.

Idem ad eund. d. 4. Sept. 1564. „ Reverende in Christo Pater. „ Litteras tuas accepi, una cum libro tuo, qui D. Zanchio inscriptus „ est, et Epistola ad eundem. Curabo prima occasione, licet de „ tempore nihil promittere certo possim. Illa enim via jam clausa „ est propter pestem, quod ipsum Te ex Zanchi litteris intellexisse „ puto. PLURII quoque hoc malum ingravescit, unde Minister illius „ Ecclesiae, Hieronymus ad nos profugerat. Displicuit mihi hoc in „ homine factum vehementer; quod is primus esset, qui fugam arri- „ peret. Reprehendi eum: respondit hunc morem esse italorum „ templa statim claudi, omni congressu mutuo homines prohiberi. „ Sed quod eum alii quoque non pauci sequerentur, Senatus noster „ eis hospitium negavit, jussit ad suos redire. Fortassis ad vos de- „ scendit: nusquam hic apparet amplius. Quod si se apud suos „ continuisset, consilio et re praesto fuisset, et saltem baptismum ad- „ ministrasset. Certe videtur res pessimi exempli, ideoque non fe- „ rendus, sed ad suam Ecclesiam remittendus. Est alias homo per- „ versi cerebri et ingenii.

Contagiosa illa lues adlata erat ex Germania, secus Rhenum fluvium, et passim per Helvetiam vehementissime grassabatur, indeque in Raetiam penetraverat. Inter prima corripuit MALANSIUM, CICERIUM in Majevillano dominio: inde TSCHUDERIUM vicum in celsis montanae Raetigoiae ad Acerianam ditionem ac paroeciam spectantem, ipsumque ACERIUM depopulata fuit; d) cis montes tandem illata Oengadinam quoque vastavit. Late grassante contagione illa, erat BULLINGERUS corporis viribus quasi fractis, atque per continuos et indefessos quos

d) Fabric. ad Bull. d. 4. Octobr. 1563. *Die Pestilentz soll in einer Wilde in Prettigeu uff TSCHUDERR genant sich eingelassen haben, und zimmlich arbeiten, sonst stirbt in Pündten niemand dieser Krankheit: dann zu Melans und Zitzers da es einmahl angefangen hat es wiederum nachgelassen. Ich glaube kaum es werde uns zu Chur überhupfen. Aber es ist ein Elend z' hören, was Unfreundlichkeit in diesen Landen erzeigt werd, denen dieser Präst zu Hus und Hoff komt.*

quos adamantinus ille vir obibat labores, frequentius a graviſſimis capitis doloribus ſe infeſtari dolebat. Suaſit amiciſſimo thermas BURMIENSES, Frid. SALICEUS, et relaxationem a ſtudiis; ad illasque profecturo ſua omnia, ſeque ipſum in comitem itineris ac morae obtulit: e) Verum Antiſtes Venerandus potius ſarcinis colligendis et itineri ad aeternam beatitudinem ineundo curas applicavit. Incubuit nempe conſcriptioni CONFESSIONIS, quam in teſtimonium ſuae fidei et doctrinae moriens Ampliſſimo SENATUI Tigurino in manus dari apud ſe ſtatuerat. Erant et cauſae aliae graviſſimae quae ſanctiſſimum virum ad id inſtitutum exſequendum impellebant. In Palatinatu Theologi quidam inquieti et turbulenti WESTPHALUS, TIMANNUS, et aliis in locis alii non ceſſabant multa de diſſenſionibus Eccleſiarum Helveticarum in vulgus ſpargere, et criminari quod de nullo fere dogmate fidei puram et rectam fidem habeant: prudentes itaque viri qui in Eccleſiis TIGURINA, BERNENSI et GENEVENSI praeerant, utile exiſtimabant communem omnium nomine confeſſionem edere, ut ex ea judicium conſtaret de doctrina Eccleſiarum Helveticarum. f) Fuerat quidem Seculi Anno XXXmo ab Oecolampadio conſcripta una confeſſio, germanica lingua, quae ad Comitia Auguſtana eo tempore celebrata, miſſa fuit, et vulgo BASILIENSIS audit. Erat et alia anno ejus Sec. XXXVI. communi opera BULLINGERI, MYCONII, GRYNAEI, LEONIS, et MEGANDRI, Baſileae in celebri conventu in conventu Auguſtianorum ibidem habito, confecta, et abs LEONI germanico idiomate donata: Sed breviores eae erant, quam ut explicata de controverſis tunc doctrinae capitibus doctrina, ex illis intelligi potuiſſet. Inſtabant ergo paſſim Viri Zelo ſtabiliendae veritatis flagrantes qui prioris Helveticae Anno MDXXXVI. conſcriptae articulos plenius, ac dilucide magis diductos et illuſtratos cuperent, ut viris adverſarum partium aequioribus de ſana Eccleſiarum Helvetiae doctrina uberius conſtaret, et animi quoque eorum exulcerati facilius lenirentur. Inter illos primas ſane tenuit

e) Frid. a Salice ad Bull. d. 13. Decembr. 1563.

f) Hoſpinian. Hiſt. Sacram. P. II. p. 329. coll. cum ipſis Bull. dat. 22. Octobr. 1563. ſupr. C. XV.

tenuit laudatissimus ob Zelum suum, quo pro gloria Dei et veritate vindicanda ardebat Princeps Palatinus FRIDERICUS III. qui Bullingero saepe per litteras adhortator et monitor fuerat, ut de ulteriore confessione adornanda, et de aliis capitibus ad dissidia componenda idoneis serio cogitaret. Hoc, itaque aliisque monitoribus incitatus BULLINGERUS, opus adgressus confessionem ipsemet verbotenus Stylo latino composuit. En ipsa Beati Viri de Ecclesia Ref. immortaliter meriti verba, quibus occasionem proximam sui instituti in Ephemeridibus suis delineat: „Postulante, *inquit*, Palatino Friderico III. mense Decembri „ Anno 65. missi inter alia confessionem et expositionem verae Religio- „ nis. Scripseram illam Anno 64. cum pestis ingrueret, ut ipsam „ post me relinquerem, et Senatui donarem testimonium meae fidei et „ doctrinae meae. Ac videbatur nunc Palatino mittenda, quod is „ peteret certam formam doctrinae. Placuit illa plurimum, ac pe- „ tivit, ut meo consensu liceret eam imprimere, et vertere in germa- „ nicam linguam. Eodem tempore agebatur inter Tigurum, Ber- „ nam, et Genevam de conscribenda confessione unanimi. Caeterum „ cum audirent Patres et Senatores probari meam illam Palatino, vi- „ sum est eandem cognoscendam et judicandam mittere Bernam et „ Genevam. Qui cum approbassent, mittitur Dominus Gualtherus „ SCHAPHUSIUM, BASILAEAM, MULHUSIUM pro consensu. Consense- „ runt. Soli Basilienses dixerunt Superiori Anno se edidisse Confes- „ sionem. Jussus scripsi CURIAM et Sangallum &c. Qui sponte „ subscripserunt. Communi ergo consilio Senum et Senatorum edi- „ tur confessio Helvetica. Approbarunt eam Galli et Scoti, ita et „ Angli. Editur latine et germanice omnium Ecclesiarum nomine. „ Haec ille.

Caeterum de celeberrimae hujus confessionis origine, causis impellentibus et fatis, ex authenticis fontibus copiose et erudite disseruit Vener. et Clariss. HULDRICUS Theologus Tigurinus, in oratione seculari in hujus Conf. memoriam ante annum recitata et edita: ipsum Ecclesiarum exoticarum consensum, cum aliis ad plenam confessionis Historiam pertinentibus, ex suis fontibus eruenda, et cum orbe erudito communicanda speramus abs eruditissimo J. JAC. SIMLERO, Collegii Parthenici Ephoro dignissimo, et in his litteris Phoenice, amico de

nobis

nobis meritissimo. Hoc dum illi agunt, Ego pro Raetiae meae parte, tesseras consensus, secundum quod petierat BULLINGERUS ex sacrario depromtas, omnium oculis visendas, hic appendam. Ita sonant.

„*Ehrender Herr und Vatter. Euwer Brief sammt dem überschikten Libell der Confession haben Wir empfangen, beyde verlösen, und ires Inhalts gnugsam verstanden. Fügend Euch hieruff mit kurtze bruderliche Wohlmeinung also zu vernemmen. Nachdem Wir so das heilig Evangelium hie zu Cur, auch in den gemeinen 3. Pündten, hie dieser und ennet den Bergen mit einanderen predigend, hievor ein Confession gestellt, deren Wir samt und sonderlich underschriben, dieselbe aber mit Euwer jüngstgestellten alliglich zustimt, und gar und gäng überein komt. Wir uns auch mit der Kilchen Zürich in den Hauptpuncten je und gentzlich verglycht, und kein Misshällung in denselben weder jetz noch hievor nit gefunden: habend Wir uns in unser, und der anderen Brüdern Namen gutwillig begeben zu Euch zestaan: Hieruf die Brüder auch aller Handlung berichtet, so viel in so schneller Eyl müglich gesyn, und noch bisher nüt anders gespürt dan alle Einhelligkeit. Darum ihr dieser Confession verlyben mögend: die Diener der Kilchen Cur samt allen anderen Kilchendienern, so das heilig Evangelium in gemeinen 3. Pündten hie dieser und ännet den Bergen predigen. Gott gebe Gnad das dies Euwer und unser Christenlich Fürnemmen zu den Eeren Gottes, und gemeiner Kilchen Wohlfart gedinen moege. Wir habend auch deren Dingen halb mit Herrn Burgerm. Tscharner so jetzt im Amt ist, nach Nothdurft geredt der Euwer und unser Fürnemmen gelobt, und uns vermahnet mit demselben unverzogentlich fürzfaren. Dis wir Euch Eerender Herr und Vatter in schneller Eyl nit verhalten woellen. Bittend hiemit Gott das er Euch seiner Kilchen in langwieriger Gesundheit erhalten woelle. Geben zu Cur, den 23. Februarii, Anno 1566.*„

JOANNES FABRICIUS Diener der Kilchen Chur, zu S. Martin.

PHILIPPUS GALLICIUS Diener der Kilchen Chur, zu S. Reglen.

Germanicam versionem inter infinitos quibus obrutus erat labores, ipse Confessionis Author adornavit, ea celeritate ut Anni MDLXVI. mense Martio tum confessionis Exemplar latinum, tum versio germanica typis Foschoverianis subjecta fuerint, et in forma quarta Magistratus sumtibus, simul edita. Eodem Anno adhuc idem Typotheta Confessionem in forma octava excudit. De excusis exemplaribus a Magistratu Tigurino, et a Pastorum ac Professorum collegio, in Raetiam Ministris distribuenda transmissa sunt Confessionis Exempla XII. quorum acceptatio unionem fidei inter duas Ecclesias, perpetuo firmamento sigillavit, et in vexillum sub quo ambae militent extulit. Exemplaribus adjuncta erat Epistola communi nomine a BULLINGERO scripta, quam verbotim subjungo.

Pietate, eruditione, et vigilantia praestantissimo Viro D. Joanni Fabritio, et reliquis, Curiensis, et reliquarum III. Foederum Ecclesiarum Ministris, Dominis colendis, et fratribus carissimis nostris.

„S. D. Postquam mirabili Dei providentia gratiaque singulari factum est, ut Ministri omnium Ecclesiarum in Helvetia consenserint in eam confessionem, quam antea vidistis et in quam etiam vos consensistis nobiscum, visum est illam praefixa praefatione, communi omnium nostrorum nomine edere in publicum. Quod felix et faustum sit precamur, benedicente laboribus nostris Domino nostro Jesu Christo. Basilienses responderunt sibi non videri necessarium ut nunc huic se adjungant confessioni, qui suam superiore anno ediderint: per caetera se nos complecti pro fratribus.

Jussi autem sumus XII. exempla mittere ad vos, ut ea inter vos distribuatis et inter Senatores praecipuos. Omnia egimus communi Magistratus nostri consilio, cujus sumtibus publicis, res haec tandem est perfecta. Restat vero colendissimi Domini et fratres, ut primum agamus maximas gratias Domino Deo nostro, pro hoc concordi nostro consensu. Deinde ut sedulo opem ejus imploremus, quo laboribus nostris

noſtris benedicere pergat, ipſeque efficiat, ut confeſſio noſtra multum boni fructus proferat. Bene valete, Viri Reverendi, Domini colendiſſimi, et fratres cariſſimi. Orate pro nobis, ac amemus nos mutuum caritate ſyncera. Tiguri, XV. Martii Anno Domini 1566.

HEINRYCHUS BULLINGERUS

Suo et omnium aliorum Paſtorum Profeſſorumque et Miniſtrorum Eccleſiae Tigurinae nomine.„

Ab eo tempore CONFESSIO iſthaec quae vulgo HELVETICA cluit, teſſera fidei et unionis in Raetica Eccleſia evaſit, habeturque: Vexillum, ſub quo ſe Chriſto, et divinae ejus veritati in S. litteris patefactae militare profitentur. Quumque hactenus tantummodo RAETICAE confeſſionis ſubſcriptio exigeretur a predicaturis in Raetia Evangelium, nunc Statuto fixo ordinatum eſt, ut cooptandi in Miniſtrorum Raetiae numerum, tum ſubſcriptione in matricula Synodica, tum manu dextera Synodi Miniſtro juramenti loco porrecta, teſtentur ac ſpondeant, nil quidquam quod a divino verbo, et iſthac Confeſſione diſſentaneum ſit aut in eis non contineatur, docturos aut diſſeminaturos eſſe. Quae lex in conſuetudinem abiit, et ad hunc usque diem intemerata obſervatur. Eam Nos Confeſſionem, olim, lingua Retica dialecto Oengadinenſi donavimus; verſionemque noſtram Ven. Synodus A. 1757. Filiſſurii congregata adprobavit; adhuc tamen inter noſtros parietes delitescit.

De caetero, peſtis quae ſemel Helvetiae ac Raetiae agros corripuerat, citius non deſiit, quam urbes et vicos utriusque male depopulata eſt: et in primis annus MDLXVI. fuit ab ejus cladibus nobilitatus. Ea MULHUSAE oppido non adeo frequenti DCCC. BASILEAE vero VII. M. hominum, quos inter Academiae Profeſſores quinque, et nobiliorum numerus inſignis erat, abſumſit. Ex urbe et agro BERNENSI XXX. M. numerabantur, quos contagio intra biennii ſpatium abſtulerat. Nondum erat CURIA civitas a clade quam ante XVI. annos pertulerat recollecta, quando lues eam rurſus invadens, intra unam aeſtatem dicti

Anni MDLXVI. mille et quadringentos homines exstinxit. Ecclesiae Ministri occubuere ambo, jactura non facile reparanda, et bonorum omnium dolore. Inter primos a luc exstinctus fuit PHILIPPUS GALLICIUS ille, toties a nobis memoratus et nunquam sine laude memorandus, Pastor ad D. Regulae, cum integra quam penes se habebat familia uxore nempe et tribus filiis, JOANNE jam in Ministerium suscepto et concionante, JOSEPHO et NOA. Patrem secutus est eodem Anno PHILIPPUS qui Flemii in Superiori Foedere Ecclesiasten agebat, et anno sequenti Acerii in valle Raetigoja ALEXANDER ibidem Ecclesiae primus Pastor. Agebat GALLICIUS annum sexagesimum secundum quando ad coelestes Sedes evocatus fuit. Et unicum, (quod sciam) reliquit filium ex clade ereptum, GEDEONEM dictum, qui paternum nomen juxta ac virtutes continuare visus est: quantumvis numerosae sobolis fuerit Pater, sex nempe filiorum, et quatuor filiarum. Fuit Philippo dum vixit res angusta domi, unde in ea temporum calamitate vix ad alendam familiam necessaria sterile stipendium suppeditavit: defuncti vero merita Curiensis Senatus tanti non aestimavit, ut residuum a clade filium ope sua ad litteras promoveri curaret. Sed satis habuit eum Tigurinis commendasse. *Veniet ad vos*, (haec Pontisella ad Bull. g) *Gedeon, filius Philippi Gallitii b. m. commendatus vobis ab Amplissimo Senatu nostro. Quaeso venerande Vir, (quod citra tuam molestiam accidat) juvenem ingeniosum istum digneris juvare in pulmentariis adipiscendis. Facies rem Deo gratam, et Ecclesiae etiam olim utilem. Meruisset quidem majora D. Gallitius, quam ut a Magistratu nostro liberi ejus aliis obtruderentur: At seis nostros in rebus ejusmodi restrictiores esse, quam ut bonorum juvenum educatione, negotium Christi dignentur juvare.* Tigurini ingemiscentes bonorum virorum sorti, meritissimi Patris filium christiano prorsus adfectus susceperunt, et ad prosequenda studia alimoniam ex Augustiniano coenobio adolescentibus pauperioris sortis distribui solitam, eidem distribui ordinarunt. Sic quippe ad eundem rursus Pontisella: „ Magna laetitia affecti sumus „ cum ex litteris tuis intelleximus pro humanitate tua comprehensu„ rum Gedeonem, filium b. m. Domini Gallicii, qui longo tempore, „ fortissimo, constantissimoque animo, ac primis annis etiam cum vi-

„ tae

g) d. 12. Aug. 1567.

„ tae suae periculo Evangelium propagavit. Haec nisi mihi consta-
„ rent pro filio ejus tantopere laborare, et Tibi molestus esse noluis-
„ sem. D. Zanchius retulit mihi Lentulum illum sibi Clavennae
„ successisse. h)„ Tigurinorum proin subsidio elevatus fuit Gedeon, in tantumque promotus ut Anno 1575. Junio M. Ministrorum verbi Dei charactere donari dignus censitus fuerit. Prout laborum in vita sic non diu post etiam beatae quietis in morte Socius factus est JOANNES FABRICIUS MONTANUS ad aedem D. Martini Pastor doctus, pius, et Zelo Domini flagrans, qui eadem peste absumtus die 5ta Septembris supra allegati anni, aetatis XXXIXno una cum uxore et liberorum uno aut altero, in Domino obdormivit. Quo animo pius vir venientem mortem exceperit, pateſcit ex carmine quod de vita sua conscripsit, et de suo in Raetia ministerio, et ultimis, cum sequentibus claudit:

Auspiciis citius Rhaetaeas missus ad oras
Curiae, quae summis cingitur alta jugis.
Hic Annos haerere novem mihi contigit, ex quo
Tempore Christicolas pasco Minister oves.
Interea variis Respublica fluctibus acta
Alterat instabiles irrequieta vices.
In mediis igitur turbis quod carmina scribo
Horrida me circum saxa stupere puto.
Quid statuant de me venturis fata diebus
Una videt magni provida cura Dei.

Quic-

h) die 23. Aug. 1567.

Quicquid erit, quaecunque manent me tempora tandem,
Vita mihi CHRISTUS, mors mihi QUAESTUS erit.
Scripsi Anno Domini 1565. Novemb. d. 5. Aetat. 39. i)

In locum Fabritii Senatus Curiensis a Tigurinis THOBIAM EGLINUM nominatim efflagitavit, qui RUSSICONENSEM tunc coetum in agro *Tauriaco* regebat. Praefuerat ille olim Ecclesiae Davosianae per triennium, quando scilicet Frauenfelda ob fervidiorem in Romanenses animum, abire jussus in istas oras a Tigurino Antistite missus venerat; et de illa Davosii mora nomen ejus ac valor totam Raetiam pervaserat. Tigurini Curiensibus gratificaturi ICONIUM Rusticonae valedicere, et gregis Curiensis ad D. Martini curam suscipere jusserunt; quod ille lubens fecit, quantumvis cum profusis lachrymis auditores ejus discessum comitarentur. Erat alias Thobias patria Neunforensis Tauriacus, et vocabantur majores ipsius de cognomine GOEZII: Sed Thobias existimans *idoli*, quae notio est vocabuli germanici, vocabulum esse Ministro nomen intolerandum, EGLINUS vocari maluit, ab avo suo qui proprie Egolgius, at ex inolita nominatione diminutive Egli, dicebatur: postea ipsum Götzii nomen in graecum ICONII solita illius aevi metaphrasi commutavit. Ejus filius Raphael utrumque servavit, et EGLINUM ICONIUM se scripsit. k) In Gallicii cathedram suffectus fuit JOANNES GANTNERUS civis Curiensis, vir juvenis eloquens et doctus vulgo habitus; quique ab annis octo Ministri characterem gerebat.

Pestem

i) Misc. Tig. Tom. III. p. 402.

k) Extat prolixa de hac re Thobiae Epist. in Arch. Hottingerian. Tom. III. fol. 199. Inter alia haec sensum omnium exprimunt: Proavus meus vocabatur Egolgius Götz. Ex hoc praenomine Egolgio factum est cognomen Egli. Sed cognomine Ego verus sum Gözius, aut si mavis idolum ineptum; et sunt tales cognati mei plures in *Nüforen et im Münchhoff*. . . . *Götz hin, Götz har, es ist mir der Götz also fürkommen*, quasi esset nomen Ministro intolerabile &c. dat. d. 21. Sept. 1571.

Peſtem comitata eſt exundantia fluviorum et camporum inundatio qualem memoria hominum ignorabat. Quum enim circa Auguſti finem per dies ac noctes fere quatuor imbres calidiſſimi continuo depluerent, aquae ſupra alveos exundantes foecundos campos vaſtarunt et in arenarias converterunt, alibi pontes abduxerunt, alibi ruinae ſecutae damna irreparabilia colonis intulerunt. Inter damna graviſſima quae Rhenus anterior Gryſeis intulerat, cenſebatur diſſolutio pontis vectigalis ad Richenovium architecturae non ignobilis, qui ab aquarum impetu abreptus fuerat: cujus reparatio licet ad priorem firmitatem et ſplendorem non acceſſerit, quum JOANNI PLANTA Raetienſi tunc Domino, magno conſtiterit, labefactatio tamen hujus, prognoſticon poſtea, creditum fuit, illius ruinae, quae hominem illum miſerando prorſus fato obruit. Sed aliorum haec ſunt interpretationes. Irreparabilia damna per ruinas dicebantur paſſi Praegalli a Maira fluvio, Vallis D. Jacobi incolae a Lyra: ad Rhenum poſteriorem, et illinc rurſus per Tarveſedi et Campidulcis convalles, ab omnibus quibus ſecantur: Valle Telini ab Abdua, et Oengadini ab Oeno ſuo. Sed haec tetigiſſe ſufficiat.

Raphaël Eglinus F. S. Theol. Doct. et t. t. Prof. Ord. Marpurgenſis, in Praefatione quam Orationi Fabritii de vita Pellicani, adjecit et edidit, inter alia etiam notavit Fabritium Curiae Raetorum non Paſtorem modo primarium, ſed et totius Synodi Rhaeticae DECANUM PERPETUUM egiſſe; patrem vero ſuum THOBIAM, Curienſibus ita illum nominatim efflagitantibus, in Fabritii locum et veſtigium, imo vero faſtigium ejusdem Praeceptoris ſui ſucceſſiſſe, 1) ac ad vitae usque finem iisdem oneribus et honoribus perfunctum eſſe; ex quibus imperitior facile concludet, tum THOBIAM quoque perpetui DECANI dignitatem in Miniſterio Raetico geſſiſſe, tum, eam dignitatem primario in Eccleſia Curienſi Miniſtro perpetuo adhaerere. Poſſent haec encomia non modo Raphaëlis in Parentem adfectui condonari, ſed etiam Thobiae meritis digna fuiſſe cenſeri, ſi verum eſſet quod illae faſces ipſi collatae fuiſſent: at quia ſuper eum titulum primum ſub THOBIA et reliquis

1) Edit. A. 1608. Marpurgici e Typogr. Guolfgangi Kezelii.

quis RAETIAE Paſtoribus diſceſſio facta eſt, et de re facti agitur, noſtrum eſt, quidquid rei id fuerit diſerte et plenius explanare. Qui hactenus in Eccleſia Curienſi docuerant Miniſtri JO. COMANDER aeque atque PHILIPPUS, GALLITIUS iidem palmaria Divini numinis in reformandis Eccleſiis exſtiterant a primis initiis inſtrumenta: eruditio, Zelus, gravitas, quibus inſtructi erant, labores denique quos Eccleſiae cauſa exantlaverant, primum ipſis inter Miniſtros locum paraverant; quae merita quia omnibus nota erant, nullus Eccleſiaſtarum Sedem ſuperiorem illis dubiam fecit. Tribuebatur, inquam, Sedes primaria illorum meritis a modeſto fratrum caeterorum conſenſu; caeterum enim illi ſingulis vicibus ſpartam MINISTRI SYNODALIS, quae hodie DECANATUS dicitur modeſte a ſe declinabant, et Societati reſignabant: inter Canones quoque Eutaxiae Synodalis conſcriptos, et confeſſioni inſertos, exſerta quoque conſtitutio legitur, qua in primo ſtatim conventu, precatione finita, Miniſter qui illuc usque fuerit, deferre jubetur ad fratres de uno aliquo deligendo, qui ſententias, ſuper iis quae proponentur roget, et conſeſſum dirigat. Fabricii qui Comandro ſucceſſit, ea quoque laus fuit, ut omnes caeteri Miniſtri eum ſibi praecedere, et in Synodis directionem agere voluerint, quas faſces et ille cum omnium laude ad vitae usque finem geſtavit. THOBIAS Fabricio ſurrogatus ordinis praerogativam quam Anteceſſores in ſua ſtatione tenuerant, continuare, et primario in Eccleſia Curienſi Paſtoris loco, ad Tigurinae Eccleſiae exemplum, cujus Antiſtes, omnium ejus ditionis Paſtorum ſimul attendens et Epiſcopus eſt, perpetuam adferere cogitans, modeſte et forte, in ſpeciem tantum a caeteris fratribus in Synodo A. MDLXVII. oblatam DECANI, (noſtri Seculi axiomate loquar) Praeſidis ſpartam, adeo facile ſuſcepit, ut non tam a fratribus reſignari, quam ex gradu quem in Metropoli teneret, deberi ſibi honor ille videretur. Ea re viſa Eccleſiaſtae per Foedera diſperſi, metuere coeperunt ne de modeſtia ſua Antiſtites Curiae proficere in animum inducerent, et honoris gradum, quem ipſi ex fraterna condeſcendentia hactenus Comandro, Gallitio, et Fabritio demandaverant, ſibi ex jure quodam vel poſſeſſionis, vel ficti cujuspiam alicujus adſerere et uſurpare tentarent. Ingadini omnium primi clamare: Antiſtitis (qui vocetur) Curienſis dioeceſim intra oppidi moenia concludi, neque committendum ut Eccleſiaſtici coetus dehinc ita frequenter ut

hacte-

hactenus factitatum Curiae peragantur: verum eos passim per Ecclesias convocent oportere; id enim et jura postulare communia, et a fidei consortibus desiderari, et congregationi splendorem conciliare: alii tacite consentire: ambitio Curiensium in invidiam adduci: sicque Suffragiorum pluralitas locum Synodi in Annum MDLXVIII. proxime sequentem ZUTIUM delegit, oppidum Oengadinae Superioris frequens, amplum, cultum, et congregationum publicarum caetera Sedem. Praepropera et inopina Engadinensium designata aegre quidem ferebat Thobias: at protestari in contrarium non sustinuit, in recenti enim omnium memoria erat, extra Curiam alibi quoque saepius Synodos habitas fuisse; licet primi ordinis titulum et gradum Pastor Curiensis abjudicari aegre ferebat. m) Dissoluta ergo Synodo Tobias juxta cum Gantnero Symmista Sedem Synodo futurae delectam, despectam reddere, conventus Ingadinorum deridere: eo pacto itendentes, caeteros fratres extramontanos a frequentatione venturae Synodi abstrahere; quo casu Ingadini desertae fratrum Societatis insimulati fuissent. Id ad aures delatum Engadinorum, bilem movit, atque conceptum animo consilium magis firmavit, et ad perficiendum calcar fuit: unde appropinquante Synodi tempore, Ministri Ingadini ad Curienses juxta ac reliquos per Foedera Ecclesiastas, acerbas litteras perscripserunt, in quibus multa deEglini et Gantneri susceptis, per novum quae Synodi locum despectum reddere conentur, conquerebantur: Curienses e contra hortabantur ut memores officii non modo ipsi ad Synodum compareant cum reliquis, sed et insuper *sigillum*, *librum*, *album*, *secreta*, *Regalia*, et quaecunque Synodi propria sunt secum afferant; Addentes, nisi Curienses ea fecerint, eos communi nomine coram III. Foederum Senatu, superbiae, Tyrannidis et Schismatis accusandos fore. Thobias autem illorum litteras nihilo motus, Zuzium proficisci recusavit, praetexens Senatus sui Auctoritatem, a quo proficisci, aut sigillum Synodale caeterave extra urbem dimittere prohibitus fuerit. Scripsit sane Curiensis Senatus Synodo congregatae, et Zuzienst quoque Communitati peculiares litteras, quibus causas reddit, cur eam profectionem suis dissuaserit, sugillat etiam novitatis illius studiosos, inter quos Campellus primarius esse cognoscebatur. Num ad Thobiae institigationem eae

m) Plac. Synod. p. 48.

exaratae fuerint, an vero Senatus ille proprio motu auctoritatem sui Pastoris sustentare intenderit, haud satis liquet. Thobias in sinum Bullingeri deposuit, Curienses suos metuisse monstrum aliquod ali novum: „Suspiciones esse, volvi consilia de derogando Curiensibus etiam „in Secularibus sigillandi usu; atque sicut Ministri Ingadini petunt „sigilla ac Secreta Synodi omnia sibi adtribui: ita superioris ac infe„rioris Oengadinae Magistratus, id ipsum in civilibus tentaturos. „Istis suspicionibus color inde inducebatur quod ipsa illa tempestate Foedus superius, ad minora sua Comitia Curiam venire recusabat, imo vero ea plane tollere ac obliterare studeret.

Interim ad condictum tempus, Ministri Ecclesiarum Raetiae, frequentes Zuzium in Synodum confluxerunt, contemta duorum Curiensium indignatione fannisve. Synodi Praeses a praesentibus creatus fuit HULDRICUS CAMPELLUS Pastor Susiensis, Vir ob eruditionem, merita in Ecclesiam, et laborem in conscribendis Raetiae annalibus adhibitum immortali memoria dignissimus. Peracta in illa fuere omnia, placide et ad omnium votum: placuit etiam omnibus designatum anno superiori stabilitum proporro retinere, et adversum duorum Curiensium attentata firmare; fuitque Synodo Anno MDLXIX. celebrandae locus indictus in ILANTIA urbe superioris Foederis. Successissent prospere cuncta, nisi temporis quo celebrari et congregari Synodus debuit articulus, et quod eam congregatam, ob coelum immite evenit factum vere deplorandum, occasionem Curiensibus illis dedisset Synodum Zuzianam ceu ominosam et nescio quibus de Coelo displicentiae signis notatam traducendi. Celebrata fuit Synodus prima Junii septimana, et altera dicti mensis Dominica sacrum feriandum erat Pentecostes festum, cujus solemnitas cujusvis Ecclesiastae praesentiam exigit. At antequam congregatio dissolveretur, ingens nivium vis coelo decidit, per quas itinera montium obstructa fuerunt; neque potuerunt extramontani Albulam, neque Valletellini Berniam montem in tempore superare, ut in festo suis adessent Ecclesiis. Ministri Valletellini tempus lucraturi per Clavennam iter iniverunt, et salvi ad suos remearunt: Solus Franciscus CELLARIUS Pastor Morbenienſis, qui negotiorum quorundam perficiendorum causa Clavennae restiterat,

et

et dum secus Larium, nullius mali suspicax iter suum promovet, ex improviso a sicariis interceptus, in navigiolum quod praesto paratum aderat, illatus, Comum, Mediolanum, Paviam deinde Romam abductus fuit, ubi post multos tandem cruciatus, vivicomburio sublatus est, gloriosa Martyrii corona ornatus. Sed de hoc suo loco. Heic igitur Tobias vociferari: bellos hos esse Synodi Zuzianae, a majorum consuetudine discedentis fructus. Lubet querulas Eglini voces ipsas, quas tanto animi dolore in BULLINGERI sinum effudit, subjicere.

Die ultima maji Anni 1568. adeoque paucis ante celebratam Synodum sequentia perscripsit, juxta alia, quae alibi daturus ero:

„ Nunc, inquit, ad Synodum nostram venio. Sedem Synodi
„ Ingaddini nostri in Superiori conventu, in quo causa Zan-
„ chiana tractata fuit, designarunt Zuzium, locum quidem in
„ Superiori Ingadina non infimum, Comitiis tamen publicis non
„ consecratum. Hunc autem locum elegerunt ipsi suis Suf-
„ fragiis, cum itali ac reliqui fere omnes exceptis Ingadinis
„ jam discesserant. Nulla Synodus ibi hucusque celebrata
„ fuit: Sed pluralitate Suffragiorum obtinuerunt. Nunc ap-
„ propinquante tempore scribunt ad nos Ingadini fratres omnes
„ acerbas litteras, in quibus primo conqueruntur de nostra
„ negligentia, quasi Sedem Synodo delectam apud omnes red-
„ damus despectam, conventus Ingadinorum derideamus, fra-
„ tres dehortemur, ac arceamus: hortantur contra ut faciamus
„ officium, ac non modo ipsi compareamus cum reliquis,
„ sed et insuper sigillum, librum, album, Secreta, Regalia, et
„ quaecunque Synodi auctoritatem concernunt, nobiscum affer-
„ ramus, ac quasi submissis fascibus, haec omnia quam expedi-
„ tissima tradamus. Nisi haec fecerimus accusaturos nos ac
„ condemnaturos superbiae, tyrannidis, Schismatis, in Sena-
„ tu Ill. Foederum. Inter alia vero Campellus noster, nego-
„ tium Zanchi odiosissime refricat, ac nos vere Schismaticos
„ fore affirmat, si Zuzianam Synodum non frequentemus.
„ Scripsit autem hanc suam invectivam D. Pontisellae, D.
„ Gantnero, ac mihi. Ego qui in hoc scripto praecipue fui

 „ notatus,

„ notatus, (*denn Ich will wohl das Ich dem Campellen hie in* „ *der Gerſten ſitze*) ſcripſi Apologiam 8. foliorum, quam tamen „ nondum miſi, veritus ne graviores hinc inde lacerationes „ emergant. Paravi me, etiam Albulam montem ſuperare, „ ac fratribus intereſſe. Cum autem propter inſtantes ferias „ veniam ab Ampliſſimo Magiſtratu noſtro, veroque petenti, „ interdictum nobis fuit, eo proficiſci, imo et ſigillum eo mit- „ tere prohibuerunt. Omnes credunt monſtrum aliquod ali „ novum. Cogitant nobis derogare, ac praeter conſuetudi- „ nem etiam in rebus ſecularibus ſigillandi uſum ſibi ipſis etiam „ adtribuere. Foedus ſuperius etiam recuſat venire ad minora „ ſua Comitia, eaque tollere ac obliterare ſtudet. Acris con- „ certatio ſubſequitur. Sicuti petunt Ingaddini ſigillum ac „ ſecreta omnia ſibi attribui: ita Magiſtratus etiam Sup. ac infer. „ Ingadd. forte id tentabunt in rebus civilibus. Graviſſime „ noſter Senatus ſuccenſuit, ac peculiares etiam Zuzienſibus, „ ipſique Synodo ſcripſit litteras, quibus cauſas reddit, cur „ hanc profectionem nobis diſuaſerit: Sugillat etiam novitatis „ iſtius ſtudioſos, e quibus Campellus non eſt ultimus. Cum „ haec agerentur, litteras accipio a Senatu toto Davoſienſe, in „ quibus nunciant ſe ſuo Paſtori hanc Synodum interdixiſſe: „ petere autem declarationem, num ipſi conſilio ac voluntate „ Magiſtratus noſtri non ſint profecturi; ſibi nam rem novam „ et invidioſam videri. Sic domi manemus invitis Ingaddi- „ nis: quid ſint acturi ac decreturi auditurus brevi. Domi- „ nus nos defendat ab inteſtinis motibus ac morſibus. Niſi „ Ingaddini Veterum veſtigiis inſiſtant, audies tumultus ac nihil „ non mali inde conſecuturum. Male ſunt affecti erga urbem „ noſtram; praeter meritum tamen. Nunc et non erubeſcunt „ omnia Secreta Synodi ex urbe noſtra, in qua perpetuo aſſer- „ vata fuere ſuperbe expoſcere. Haec ſatis. Ocyſſime ſcripſi „ omnia, quare ignoſce. Vale. Ultima Maji, A. 68. „

Plenam habet coronidem lector, quando et iſtas perlegerit, quae ſtatim a finita Synodo ab eodem ad eundem transmiſſae. Et ſic decurrunt:

„ Metue-

„ Metuebam Vir Ampliſſime, ac nobis Domine aeternum
„ colendiſſime, Te hominum quibus dedi incuria, meas forſitan
„ non accepiſſe: Sed ea ſollicitudine me liberavit Koblerus
„ noſter. Nunc quod nuper non potui, ſingularia ac triſtia
„ quaedam ſuperioribus adtexam. Synodus Zuziana finiit:
„ quid conſtituerint, ignoramus adhuc: nihil tamen confirmare
„ potuerunt absque communi fratrum ſigillo, quod penes ſe
„ Magiſtratus noſter Ampliſſimus voluit retineri. Referam
„ tamen alios fructus infelices, qui ex conſpiratione illa infelice
„ emerſerunt. Primo Ingaddini antiquum Synodorum ſtatum
„ ac ordinem immutarunt ac labefactarunt. Deinde novitio
„ hoc ſuo conventu omnibus bonis ſuſpicionem reliquerunt,
„ res quoque Seculares contra III. Foed. conſuetudines inno-
„ vandi. Quam enim ſuperioribus annis pervicaces ac factioſi
„ fuerint, univerſa Helvetiorum respublica teſtimonio eſſe poteſt.
„ Quorum autem conſilio, quibus impulſoribus ac adminiculis
„ Foedus ſuperius rem novam tentet, ac Comitia illa minora,
„ hactenus in urbe noſtra celebrata abrogare ac delere cupiat,
„ ſuo loco ac tempore patefiet. Tertio Eccleſiis multis, iis-
„ que praeclaris Conventus ille non parum nocuit: nam fratres
„ quidam cum ad feſtum celebre Pentecoſtes remeare domum
„ conſtituiſſent, ob coeli gravitatem ac inclementiam Albulam
„ montem ſuperare non potuerunt. Sic Eccleſiae multae in-
„ terea dum feſtum duravit, Paſtoribus ſuis, ac rebus aliis ani-
„ marum ſaluti neceſſariis caruerunt, magna piorum querela,
„ ac (ut Plautino utar vocabulo) diſpliicina. Nonnulli etiam
„ ex itineris imperitia ac difficultate ita ſunt delaſſati ac con-
„ fecti ut nunc periculoſiſſime laborent. Ultimum autem
„ loco quidem, ſed aeſtimatione primum ac longe triſtiſſimum
„ accidit, ut optimus frater FRANCISCUS CELLARIUS Eccleſiae
„ Morbenienſis quae eſt in Valle Tellina Miniſter, dum redire
„ vellet ad ſuos in itinere ex agro III. Foedd. ex inſidiis inter-
„ ceptus; navi (quae ad iſtam praedam parata, in juncetis qui-
„ busdam, circa Rhetiae terminos fuit occultata) alligatus eſt,
„ ac Comum transvectus ac hinc inde fortaſſis Mediolanum, aut
„ denique Romam. Id 5. Junii accidit in profeſto. Haec vio-

lentia

„ olentia ac tyrannis ex noſtris Monachis ſpeculatoribus aut pro-
„ ditoribus potius evenit, quibus per Dominos Rhaetos nihil
„ non licere ajunt, cum tam ſint pecunioſi, utpote aerarii An-
„ tichriſtiani alumni, ſed cum Rhetorum damno, eorumque bo-
„ norum dilapidatione. Dolet mihi calamitas fratris optimi
„ qui hactenus ita Morbenii vixit cum uxore ac pluribus liberis,
„ ut nemo bonus unquam quidquam habuerit, quod de eo con-
„ queratur. Chariſſimus prae caeteris fuit Domino Fabricio
„ f. m. utpote homo doctus, manſuetus, omnibus gratus, exce-
„ ptis peſtilentiſſimis iſtis Monachis Morbenienſibus, qui ceu e
„ ſpecula proſpectantes, Patriae libertati vigilantiſſime inſidian-
„ tur. Mitto autem Tibi fratrum Italorum ſcriptum ea de
„ re, quod heri DD. Coſs. obtulimus, hodie in Senatum rela-
„ tum eſt. Interim afferuntur etiam litterae a Praefectis Plu-
„ rienſis ac Clavennenſis Reipublicae, qui Dominorum III.
„ Foedd. nomine ac ordinatione eo ſunt miſſi, ut ad guberna-
„ cula ſedeant. Scribunt ii Senatui eandem fratris cauſam,
„ quomodo acciderit. Juxta vero reſpondent Magiſtratui
„ noſtro, ſe quod nuper Tibi ſignificavi, mandatum eorum di-
„ ligenter exhauſiſſe, quod tamen re ipſa praeſtitum non eſt.
„ Scripſerunt enim Domini noſtri Plurienſi ac Clavennenſi
„ Praefectis et Commiſſario, ut Monachos duos, Plurienſem
„ unum, alterum Clavennenſem, utpote coryphaeos omnis *'ata-*
„ *zias*, ex improviſo caperent, reſervarent, ac ad futura Comi-
„ tia noſtra ſiſterent, et traderent. Nunc Plurienſis ſcribit ſe
„ Monachum ſuum hactenus non potuiſſe conquirere, cui ta-
„ men ſuperioribus diebus (ſicuti exemplum vobis miſi) adfuit
„ acceptis pecuniis. Alter ſcribit Monachum Clavennenſem
„ vadimonium promiſiſſe. At noſtrorum alia mens erat, ut
„ ſubito caperetur, non ut vadimonium acciperet, ſicque mo-
„ vendi atque elabendi cauſa praeſtrueretur. Sed auri ſacra
„ fames, quid non mortalia cogis pectora! Praefectus Morbe-
„ nienſis Papiſta, hic fuit in urbe noſtra cum miſer Cellarius
„ caperetur: ſuſpectus mihi ejus adventus fuit. Decreverunt
„ noſtri ſe Magiſtratui Mediolanenſi, Tribus Foederibus, ac ſin-
„ gulis iſtorum locorum Praefectis ſcripturos ſine mora, ut

„ omnem

„ omnem moveant lapidem, ne quid iniqui in Cellarium ſta-
„ tuatur, ubi ubi perquiri potuerit. Deinde ſine omni ter-
„ giverſatione Monachis manus injiciant, etc. Conſulnimus ut
„ legatum mitterent: Sed ſociis anteire in hac re noluerunt.
„ Niſi ocyus ex improviſo in Coenobium Morbenienſe irruant,
„ atque primarios Monachos captivos huc ducant, nunquam
„ Cellarius liberabitur. Verentur noſtri ne quid gravius ac
„ nocentius lateat in herba. Haec ocyus, die 9. Junii, 1568.„
Hactenus Eglinus.

Utcunque tamen Tobias in adſerenda Curienſium praerogativa adverſum torrentem niteretur, noluit tamen citius cauſa cadere, quam omnia expertus eſſet. Anno quippe ſecuto MDLXIX. primis diebus Junii, dum Synodus Ilantii, Praeſide rurſus HULDRICO CAMPELLO, aſſeſſoribus D. ANDREA JANDREA, et D. JOANNE CONRADO Ilantino Paſt. ſcriba vero D. JO. CONCIO BISAZIO, celebrabatur, coram Synodo comparuit Praeſtantiſſimus Vir D. LUCIUS TACKIUS civitatis Curienſis Praefectus, ſibi adjunctis D. THOBIA EGLINO et D. JO. GANTNERO Miniſtris ejusdem Eccleſiae, petens Senatus Curienſis nomine, ne Synodus alibi celebraretur quam Curiae; idque jure civitati deberi. Eis reſponſum fuit Miniſtros Raetiae hactenus hac libertate uſos fuiſſe ut Synodos ſuas celebraverint, ubicunque libitum fuiſſet, absque impedimento et mora; hacque libertate ſe in poſterum quoque uſuros: neque ſibi conſtare, aut unquam audiviſſe Civitati Curienſi hanc praerogativam deberi. Imo Miniſtros Curienſes ſemper interfuiſſe Synodis celebratis Valtenspurgii, Flemii, Malanſii, Kublis, et alibi. Haec acta ſunt praeſentibus D. Joanne Nuttli Valendauſiano, et tunc temporis Judice Foppae Ilantianae, D. Chriſtophoro Cavazza, Ilantiano, et D. Martino Andredolfo, Lavinienſi inferioris Engadinae.

Videns itaque Tobias conatum ſuum invidia laborare et ſurdo fabulam cani, ab inſtituto receſſit, atque Societatis ſanctae Decretis obſequium ac conſenſum adſtipulatus eſt. Tunc allata in medium fuerunt Synodi *matricula*, *liber* actorum cum ſcriptis caeteris auctoritatem Synodi concernentibus, et Synodi Cancellario in manus tradita.

Is de Instrumentis Apographa fecit in libro peculiari congesta, qui una cum Protocollo Actorum, et libro Confessionis ad omnes Synodicas congregationes ab eodem adferri debuit. Ipsa Autographa, scripta utpote separata, quum periculum esset ne de manu in manum intercíderent, simul atque sigillum, cujus rarior est usus, placuit Tobiae asservanda concredere, tuto tamen custodienda, et ad Synodi solius significationem, extradanda. Quo pede hucdum observatur, nisi quod a septennio jam Confessionis quoque autographon, et Actorum ab A. 1632. ad 1682. liber Tabulario illi asservandus traditus fuerit.

CAP. XVII.

CAP. XVII.

1565 —— 1569.

Thomas Planta Curienſis Epiſcopus decedit. Contentio odioſa de Succeſſione inter Barth. Saliceum, et Beatum a Porta agitata apud Rhaetos, Pontificem et Helvetios. Ex horum arbitrio BEATUS infulae potitur. Taraſpini ab Eccleſia parochiali Scolienſi diſceſſionem faciunt. Curia Oenipontana ſanctuarium ad ſacra Romano more peragunda eis exſtrui curat, et ad ejus manutentionem requiſita ſubſidia aſſignat.

Ultimum clauſit diem THOMAS PLANTA Curienſis Praeſul die quarta Maji Anni MDLXV. in thermis Valerianis ſeu Fideriſienſibus, quo ad recuperandam valetudinem pridie ſe receperat, aetatis Anno XLV. Corpus exanime altero ſtatim die Curiam in Epiſcopalem arcem reportatum, in aede cathedrali ſolito Antiſtitum ſepulchro magnifica cum pompa lugubri tumulatum fuit. Ad mortis nuncium datum, omnes Foederis Cathedr. Oratores Curiam devolarunt, tum ad accipiendas Epiſcopalis Oeconomiae rationes tum ad cognoſcendum, confirmandumque Succeſſorem, quem Canonicorum collegium deſignaturum erat. Inſidebat cunctis opinio ingentem praeſentis pecuniae ſummam in aerario Epiſcopali reperiundam fore: notum enim erat defunctum Praeſulem a longo jam tempore penſionariorum (Sic vocabantur qui favorem pretio vendebant) Caeſareanorum primipilum exſtitiſſe, induſtrium praeterea ſemper oeconomum egiſſe, quo pacto fieri ſecus non poterat, quam ut aureorum multa millia collegerit. At nihil quod tantae ſpei reſponderet in loculis aerarii repertum fuit: Stupentibus omnibus quorſum auri illa vis deportata eſſe potuerit, inter-

ciderit ve. Res haec mali exempli visa est et ruinam illustri Sedi adferre apta, nisi in tempore commode praestrueretur: ad praecavendas igitur in posterum expilationes, ab unito Canonicorum collegio, civitatis Curiensis Consulibus ambobus Inventarium residuae substantiae confectum est. Eo absoluto in deliberationes quoad Successorem itum est, et heic distrahi animi, contentiones pullulare. Alii quippe BARTHOLOMAEO SALICEO Sondrii Archipresbytero insulam imponendam vel ex ea causa suadebant, quod jam ante hos viginti quatuor annos dignus habitus fuisset in eum censum venire, quando LUCIUS ITERIUS eum honorem indeptus est, quia magis partium studio quam justitia repulsam tulerit altera vice in contentione cum THOMA, Praesule nuper defuncto: Alii contra BEATUM a PORTA Davosianum patria, Parochum Velcurii apud Estiones ejusdem collegii Episcopalis Socium, Virum a qualicunque eruditione, et morum integritate commendatum, sufficiendum judicabant. Illi favebant stirps, patria ampla utique et spectabilis, et communitatum cathedralium major pars: ab hoc stabant Joannes Dominus Raetiensis magnum inter Raetos nomen, hujusque frater Capitaneus Conradinus, Valerinensis cumque his Plantanorum major pars, quibus adhaerebat Grysaeum simul ac Decem Jurisdictionum Foedera, seu magis, quotquot factioni Caesareae addicti erant. Commendabatur Bartholomeus a summa in patriam fidelitate, cujus praeclarum olim Anno 1525. adversum Jo. Mediceum exemplum ediderat, quando in velitatione ad Dubinum, ipsemet tunc Sondrii ac Berbenni Archipresbyter, bipenni armata, hostes undecim trucidasse dicebatur, a) aetas item ipsius decrepita eum honorem postulare videbatur, idque tanto facilius quod aemulo certam fere spem successionis relinqueret. Traducebatur e contra Beatus ob affectum in Austriacos, quo istorum magis quam Raetorum ipsorum a quibus originem ducebat, commoda curare promovereque dicebatur. Atrae huic notae color inde obducebatur, quia Beatus ex Matris stirpe San-Pietro prope Velcurium originem ducebat, oppido intra Austriacam ditionem sito; quia majores ipsius partes Austriacorum ab olim tutati erant, quia denique ipse Beatus illis eum affectum debeat, nisi ingratus

a) Pall. p. 125. Minus benigne ob id factum de eo judicat Quadrius, Tom. I. p. 424. — Secus facturus, si pro Mediceo depugnasset.

tus esse velit ob praeclaram conditionem Archipresbyteri, quam ex eorum favore in patria civitate Velcurio obtinuit; et tertium jam annum tenebat. b) Virtus tota Beati in Zelo pro sancta Romana fide, cui innutritus erat, et integritate morum, qua inter suos ad exemplum eminuisse dicitur, posita erat, et has laudes, ipsius fautores longe lateque spargebant, in coelum usque extollendo. Interea Canonici, quorum novem solum in collegio Episcopali praesentes erant, in Suffragia euntes concordare nesciverunt, neutra parte alteri cedere volente; atque hoc pacto Suffragia quatuor Saliceum, quinque Portanum in Episcopum designarunt. Et poterat Beatus illico Episcopus proclamari, Suffragiis enim vicerat, nisi altera pars ubi inferiorem se vidit aliud *kribphygyton* obtendisset, per quod electio facta, nullitatis arguebatur. Ea electionem Beati duplici nomine nullitatis arguebat: uno; quod duo tresve canonicorum qui Beato suffragati erant, non essent natione Raeti, ad quos solos jus suffragandi ex statuto olim Anno 1526. lato pertineret, verum extranei et in ditionibus Austriacis orti: altero; quod BEATUS ipse nativitatis culpa destitueretur qualitate in novo Episcopo praerequisita; eo quod patria Davosianus esset. Decem Jurisdictionum colonus, quum in Episcopum evehi nemo possit, nisi genuinus sit Cathedralis Foederis filius. Ad prius respondebant Beati amici, totum illud, quantumcunque sit, vel licet verum esset et observandum, concidere ob admissionem a Bartholomaeo ejusque fautoribus non impugnatam, quando in Suffragia eundem fuit; certum enim esse nunquam ipsos hanc exceptionem de sub scamno prolaturos fuisse, si Bartholomaeo superiorem evadere contigisset: Quoad posterius reponebat Beatus, quod majores licet sui Davosii consederint, originem tamen trahere ex antiqua inter alias PORTANORUM gente, quae

b) Pruckers Veldkirch. pag. 95. „ *Herr Beatus a Porta hat A.* 1562. *die Pfarr Veldkirch betretten von Fromm- und Geschiklichkeit hochberümt, weswegen er dan nach Vorbeystreichung dreyer Jahren, nach Bischoffs Thomae Planta Tod, Bischoff zu Chur erwählt, aber von der Plantischen Familia, und anderen, welche sich damals von der wahren Kirch entschiden, und in den Pund einliessen, also verfolgt worden, das er das Bischoffthum verlassen, und sich in das Tirol nacher Fürstenburg begeben hat müssen, allda er als Pfarrherr A.* 1590. *in Gott seelig entschlaffen.* Quanta hic ignorantia, et maledicendi cacoethes!

amplo satis numero, SCOLII cumprimis ac VETONII conspicua sit, ibidemque turres aliaquē priscae opulentiae rudera in Oengadina inferiore Cathedralis foederis provincia, hucdum commonstret: c) praeterea et se et fratrem suum germanum CASPARUM a PORTA, (qui postea per plures annos Castellani provincia in castro Fürstenburga functus est) ante annos aliquot in civium Curiensem numerum adscitos esse, et latere neminem quod dictus frater suus varios Magistratus in ea civitate gesserit, et adhuc tum gerat. d) Verum caeteri quatuor canonici Rhaeti, suorum impulsu, haec nil morati Bartholomaeum suum ad aram, ut in more habent, sustulerunt, et Episcopum salutantes ceu talem ab omnibus agnoscendum proposuerunt: Reliqui contra in obstinacia perseverantes, citius extrema subire velle ingeminabant, quam alium qui a votorum pluralitate electus non esset, Episcopum agnoscere, acceptareque: probe autem noverant causam suam ab antenominatis Proceribus, simulque a duobus reliquis Foederibus sustentari, quin nec Helvetios ipsos catholicos sibi defuturos fore. Duos annos et supra, ea causa in cathedralibus Comitiis diversis in locis celebratis disceptata fuit, et non sine magna sumtuum ab utraque parte profusione. Volebat videri una pars pro juribus cathedralis Foederis, altera pro juribus Capituli decertare. Quum vero appareret Bartholomaeum viam potius facti arrepturum, quam ut cedere cogitaret: Beatus vero accusationem coram Pontifice ni sponte cederet, interminaretur, tandem inter utramque partem conventum fuit, totam causam arbitrio Pon-

c) *Ausführ. der Rechtf. des Gotteshausb.* pag. 16. Pall. Lib. IX. p. 236. *In der Gemeind* Vettan *im undern Engadin, ist noch ein alter Thurn zu sehen, daraus eine veste Behausung gebauen worden, ist vor Zeiten der Eugenien von Porta Besitzung gewesen.* (Minus accurate. Ille Eugenius fuit Vir ex ea familia spectatissimus qui exeunte Sec. XV. teste Campello Lib. I. Cap. XXVII. cum dignitate floruit. Turrim autem avito patrimonio incoluere possederuntque dicti Rossii a Porta et avus meus b. m. adhuc ea habitatione prisce haereditatis jure ad se derivata usus est. Nunc vero per venditionem ad alios transiit,) *Schuls, Scuol ligt ein Stund unter Vettan, ist ein schöner, grosser Volkreicher Flecken. Da ist von alter Zeit her der Thurn gestanden deren von Porta.* Addo. *Eine ganze um den Thurn gelegene Gegend oder Contrade, wird noch heutiges Tages* La Giassa da Porta, *genennet.*

d) Arduser, voc. Porta, pag. 91. 92.

Pontificis committere, ejusque decisioni stare. In hanc conditionem faciles descenderunt Salicei, quod Pontificis gratiam in se suosque inclinare sibi persuaderent; illi quippe petitum absque dubio impetraturos se credebant per DIETEGANUM SALICEUM octo Jurisdictionum Austriacorum nomine Praefectum, Heroa qui inter Lutheranos avitam religionem constanter retinuerat ac tutatus erat, et quod notandum, regnantem tunc Pontificem PIUM IV. ex sacro baptismatis fonte susceperat. At hoc ipso pacto ipsi causae suae nervos inciderunt, quum sperare potuissent, quamdiu articulo Decreti allegati inhaeserint, neminem tantam audaciam sumturum ad statutum fundamentale evertendum.

Juxta condictum Beatus vere ineunte anni MDLXVI. Romam profectus est, a duobus Foederibus, a Proceribus quibusdam, a Helvetiis catholicis, amplissimis ad Pontificem commendationibus stipatus. Bartholomaeus ex suis qui causam agant, eo delegat, ipse interea triumphum ante victoriam canens, arcem Episcopalem occupat, Architriclinum ac ministeria reliqua pro lubitu constituit, imo per Communitates cathedrales, ut mos erat, Satellitio stipatus circumequitat, a quibus juramentum fidelitatis et accipit, et vicissim dat; quod aliquae absolute, aliquae sub conditione, (nempe si causam apud Pontificem obtineret) praestiterunt. Beati commendationibus magnum pondus adjecisse ferebatur ANNIBAL SITTICUS Comes Alto Amisslienſis, Pontificis ex Sorore nepos, qui scriptis ad Pontificem, avunculum, litteris, dicebatur Saliceum decrepitum, nigris coloribus, ut virum a cognatis Lutheranis circumcinctum, et haereticis plus nimio faventem, ac conniventem, descripsisse: Beatum contra ut Zelo in sanctam fidem aestuantem, id quod etiam ex vero trahebat, quia Beatus San Petrii in concionibus adversum haereticos ac Zvinglianos acerrime et semper detonare consueverat. Utcunque fuerit: post illud tempus animadversum fuit DIETEGANUM SALICEUM inter et Comitem ANNIBALEM odium exarsisse plusquam vatinianum, quod abs dictis litteris initium sumsisse creditum est cum probabilitate summa, quum antea amicissime vixerint. Tot amplissimis commendationibus motus Pontifex litem secundum BEATUM dedit, bono Bartholomaeo ceu corvo hiante delusо. In omen repudii tractum tunc fuit incendium arcis Episcopalis, quo correpta

parum

parum abfuit, quin conflagrarit, ni civium Curienſium et populi qui ad nundinas confluxerat, impigro et ſtrenuo labore valide repreſſum et reſtinctum fuiſſet; in quo felix ſatis fuit Bartholomeus, quod ex lecto, concubia nocte, nudus licet, ſalvus tamen igni ereptus fuit.

BEATUS Roma domum redux, ex Papali declaratione, Epiſcopus, a Caeſare quoque confirmationem et regalia obtinuit: nec tamen Bartholomeus Sedem illi cedere voluit, ſuorum nixus patrocinio, obtendens juramentum fidelitatis ſibi ab aliquot communitatibus jam praeſtitum. Renitentem BEATUS apud Judicium duorum reliquorum Foederum in jus vocat, quod ex delegatis jam congregatum erat, et Bartholomeum citandum curavit. Saliceus ſequi recuſavit, allegans duo Foedera jam declaraſſe animum ſibi infenſum, ſcriptis contra ſe ad Papam litteris. Praeſentabat Cathedralis Foederis mandatum, quo prohibebatur quidquam inire agereve, quod adverſum jura pugnaret. Sententiam allegabat ante annos 144. inter civitatem Curienſem et Epiſcopatum factam, cujus ſenſus erat, ut ſi quando inter Epiſcopatum et civitatem Curienſem, aut aliquam communitatum Cathedralium, aut cathedrales oriretur lis ſuper quamcunque cauſam, tum unice apud cathedrales jure agi oportere; quod et hactenus ſine contradictione obſervatum ſit. Coram hoc judice ſolo ſtare et cadere profitebatur. At judices a duobus Foederibus conſtituti, exceptionibus iſtis nulli moti, litem et ipſi ſecundum Actorem dederunt. Et tamen quidquid omnes illi dicerent, Bartholomaeus obſtipo collo in arce perdurabat. Tum Caeſar ipſe litteris et ad Saliceos et ad commune Cathedrale Foedus datis, ſatis imperioſis, Beatus ut Epiſcopus agnoſcatur, et ei Sedes cedatur, poſtulavit. Helvetii quoque a Beati factione implorati litteris amicis quidem at quadantenus minacibus, jubebant ſententiae a duorum Foederum Judicibus pronunciatae obtemperari. „Ad „ quas Cathedrales, ſe non minus liberos ac ſui juris eſſe quam ſunt „ reliqua duo foedera, ipſive Helvetii, quibus ſingulis ſint peculiares „ ſuae leges, immunitates, conſuetudines: propoſitum eſſe ſibi immu„ nitates in ſe antiquitus derivatas, divino cum auxilio tueri ac in po„ ſteros propagare: nunquam ſe in ea quae ſociorum ſint involaſſe: „ ſpe-

„ sperare itaque et orare se ut sua sibi jura illaesa relinquantur. Justi-
„ tiam se semper curavisse administrari cuivis jus apud se petenti, et
„ illud hac quoque occasione secundum statuta edicere paratum esse,
„ responderunt.

A verbis rixa ad pugnam tendebat, volabatque rumor duorum Foederum Rhaetos, obstinaciam Cathedralium vi expugnaturos. Sed praesagientes Cathedrales impetum in Beatum, ejusque factioni addictos in Foedere Cath. priores effundere cogitare dicebantur. Hoc intellecto Beati fautores, qui apud aliquas Cathedralium communitates non nulla auctoritate erant, et ipsi amicos sollicitare, prensare, studia ambire, donec et suam causam aliquibus persuaserunt. Circa ipsos illos dies litterae ad Cathedrales deferuntur, arcem cathedralium Fürstenburgam insidiis, nescio quorum tentatam esse; quae sive verae fuerint, sive fictae, facile tamen ex praeludiis conjectare licebat tragoediae eventum. Sic fracti cathedrales, et molestiarum quas Sacerdotum causa pertulerant satis pertaesi, de componendo dissidio consilia agitare coeperunt, adque eum finem Comitia Bergonium indixerunt; Curiae enim pestis adhuc saeviebat. Ad ea Comitia accesserunt etiam ex XIII. cantonibus legati Viri prudentia et auctoritate praeclari. Nolebant Salicei infractionem jurium Foederis admittere: Rumusculus quoque emanaverat Beatum Papae promisisse omnem operam ad subruendam potentiam Evangelicorum in Raetia: Salva itaque volebant suas leges, privilegia, consuetudines. Helvetici Legati ea dexteritate de concordia egerunt, ut a parte utraque causa illorum arbitrio commissa fuerit. Ex horum Sententia, (quod facile conjectu erat,) Saliceus cedere jussus, et in magnam pecuniae summam mille tercentorum (puto) aureorum, damnatus fuit, expressa cum Declaratione, ne ea cessio emigratiove ullatenus vel ipsi Bartholomaeo, vel genti ipsius infamiae verti possit. Ad praecavendas lites, quae in electionibus Episcoporum occurrere possent, priscum statutum, de novo mandatum est ut collegium Canonicorum eam electionem omnino cum consilio et consensu Foederis cathedralis suscipiat. BEATUS in Episcopatu confirmatus est, ea tamen cum conditione, ut Articulos sex anno MDXLI.

constitutos, et ab Iterio, Plantanoque Episcopis, juratos, ratos habeat, faciatque ut populis in Raetia, peculiariter Cathedralibus consuetudines, immunitates, ac privilegia quae habent, inviolata ac salva constent, et quantum per ipsum stent, conserventur. Tandem ab eisdem Communitates quae Bartholomaeo fidem dederant, ab eadem liberatae sunt. Instrumentum super eam causam confectum, datum est die XXIII. Novembr. MDLXVI. et sigillis Legatorum nomine, ut et a parte cathedralium roboratum visitur. Subscripsit illi etiam BEATUS Episcopus nuper acceptatus, suumque illi Sigillum appendit. Hoc facto pax restituta fuit; BEATO sub Anni MDLXVII. initium Communitates vicatim adeunti populi fidelitatis juramentum praestiterunt, Curiensium Praesulum numero septuagesimo sexto.

Caeterum diuturna ea lis de Successione utrique illorum gravissimis impendiis stetit, adeo ut calamitatis loco tum ipsis tum Episcopatui censeri queat. Bartholomaeus utique tum ob contentiones alias, super eandem causam agitatas in eas angustias ab aere alieno conflato, (munificus enim erat) conjectus erat, ut eluendae mulctae ipsi adjudicatae facultates, quas a majoribus acceperat, non satis fuerint, et ipse in extrema senectute iis eguisse dicitur, quibus vitam toleraret. Hinc post ipsius obitum qui non diu post accidisse videtur a Cathedralibus populis saepius decretum ut id quidquid erat aeris alieni ex superfluis Episcopatus reditibus dissolvatur, cui quidem statuto Beatus diu satis obnisus est. Delecti tandem ex cathedralium numero sex Viri, et quidem pro Beato JO. TSCHARNERUS Consul Curiensis, BALTHASARUS PLANTA et PETRUS PLANTA, Bartholomaei vero nomine AMBROSIUS MARTINUS itidem Consul, RAGETTUS PLANTA et JAC. LUDISCH, litem composuerunt. Instrumentum super eam rem factum datum est d. XII. Febr. MDLXVIII. Sed rem Episcopatus per eas causas magnopere fuisse adflictam cuivis facile est colligere. Certe intra decennii spatium proxime secutum in eum cumulum adcreverant Episcopatus debita, ut opem suam debuerit Foedus Cath. Capitulo addicere, ad arcendum creditores qui ex immobilibus effectis, sibi aes debitum contractum expungi desiderabant. Quae hanc in rem a Cathe-

Cathedrali Foedere cum FELICIANO NINGUARDA Episcopo Scalensi in emolumentum Episcopatus tractata sunt, utpote oeconomiam spectantia, a meo instituto aliena reputo: contentus observare, omnem curam a cathedralibus in conservationem Episcopalis Sedis impensam oculo obliquo ab Episcopo BEATO spectatam, et ubi potuit declinatam fuisse. Ni fallar, odiosae molestiae quibus exagitatus ac vexatus fuit, quamdiu Praesulem egit, in causa fuerunt, ob quas a Curia Fürstenburgum, Sedem transtulerit, tandem et Episcopatu se abdicaverit; de quo dicetur suo loco.

BEATO Curiae Praesule, apud incolas Dynastiae TARASPIENSIS cultus Romanensis, qui circumcirca passim exoleverat institutus fuit. Situm est Taraspum seu potius Tepereſtum in Oengadina inferiori e regione Vettonii ac Scolii oppidorum cis Oenum amnem ad Austrum, paretque Dominio Austriaco, utpote a Foederibus Raetorum exclusum. Septuaginta fere censentur aedes, familiaeve, quae villas huc illuc dispersas incolunt. Religionis exercitium istae in communi aede parochiali Scolensi Divae Virgini sacra celebraverunt, quamdiu superstitio Papana ibi viguit; Communitate autem seu Ecclesia illa ad Evangelii tenorem repurgata plures ex Tepereſtinis Evangelio nomen dederant, adque hujus ritus se conformarunt, colonorum illorum tamen parte majore avitae religioni adhaerente. Scilicet religioni Domini insistebant etiam regionis incolae. Anno interea MDLXIX. cum Scolienses Templi sui scamna de novo fieri curassent, et ad impensas ei fabricationi impensas exsolvendas Tepereſtinis quoque ex parte quam hactenus in aede illa sacra antiquitus tenuere sumtuum portio adjudicata esset, Tepereſtinorum major pars, a communione sacrorum adhuc aliena ad eluendas impensas illas, vel obolum conferre negabat. Ea propter Scolienses omni Templi usu et jure illos excludunt, sperantes fore ut citius Tepereſtini illud redimant, quam dimittant; consilio utique ab omni dexteritate et caritate alieno. Tepereſtini exacerbati separationem a Scolensi populo, a quo nimis benigne nunquam habiti fuerunt, facile acceptarunt. Oenipontana Curia illico id factum ad stabilitionem avitae

religionis arripuit, et Tepereſtinis fabros murarios, aliosque ſtatim ſubmiſit, quorum beneficio Sacellum ipſum in Templum ſat conſpicuum exaedificatum eſt, adjudicato item annuo Salario in ſuſtentationem ſacerdotis ibi ſacra curaturi, campanisque, cum reliqua ſuppellectili ſanctuarii, poſtmodum donatis. Ex his initiis cultus Romanenſis in ea Dynaſtia radices egit, et firmatus indies eſt, nam morte decedentibus qui Evangelio manus ſemel dederant, omnes illae villae ad primam ſuperſtitionem redierunt.

a) Ottonis a Porta Chron. Rhaet. pag. 31.



CAP. XVIII.

CAP. XVIII.

1563 — 1572.

Carolus Borromaeus a Pio IV. ad Archiepiscopatum Mediolan. evehitur, a cujus Zelo animatum Inquisitionis officium persecutionem in Evangelicos acriter intendit, in limitibus Raetorum graviter exercet, quin intra ipsos Raetorum limites desaevit. Evangelicis nec commercium nec itinera tuta. Monachi quaquaversus per Raetiam dispersi exploratores agunt, et quae resciscunt sancto officio indicant. Pellizariis merces adimuntur. Monachus Vincentius Stampa Clavennae cupit lavare manus nudas in Sanguine Lutheranorum. Ulyssis Martinegi bona Brixiae et alibi fisco adjudicantur. Jac. Serravalensis Clavennae habitans, Cremae capitur et ad triremes damnatur. Alius Monachus Plurii degens proditorium librum ad Pontificem conscribit, et capitur, sed etiam elabitur. Insidiarum omnia plena. Evangelicae Synodi ad Proceres querelae. Senatus Raeticos Sex Viros denominat ad insidias Monachorum cognoscendas; Baptistam Saliceum Mediolanum delegat ad securitatem pro Evangelicis impetrandam. Monachi ope nummorum elabuntur, et Mediolano bona verba adferuntur. Franc. Cellarius a Synodo Zuziana redux. Secus Larium capitur, et

Romam transmittitur. Varia super hoc facinus Consilia et Acta. Cellarius Romae vivus comburitur. Inquisitionis officium cognita discordia et meticulositate Raetorum, majores spiritus sumit, et in plures Raetos ejus generis adtentata exercet, quod aliquot exemplis edocetur. Subjunguntur notitiae quaedam concernentes persecutionem Evang. in Italia.

Quandocunque oculos extra Raeticae ditionis limites Austrum versus in Romanenses proximos Italiae incolas, vicinosque nostros conjicimus, toties sanguinariam in Evangelicum nomen professos rabiem, hostiliaque omnia cum dolore intueri cogimur: Nunquam tamen lupos illos rapaciores deprehendemus, ut hac quam explanatum imus temporis pericha. Incidit ea in illud tempus quo CAROLUS BORROMAEUS Mediolanensi Patricia familia genitus, Archiepiscopales Patriae dioeceseos fasces suscepit: ob ejus autem merita uti a Rom. Sede SANCTI nomen post fata adeptus est, sic talia sane sub ejus Praesulatu adversum Evangelicos in genere, Raetosque aut his subjectos in specie acta sunt, quae venerationem merito apud illos conciliare, debuerunt qui fideles Christi doctrinam profitentes occidendo cultum credunt praestare Deo. Ante hunc Praesulem Inquisitionis officium, solum in indigenas suos intentum erat, ne forte a pestifera haereseos lue, sic Evangelicam doctrinam apellitant, inficerentur, aut ex aliis Italiae provinciis, ad se delatos Religiosos observabat, an egressum e Synagoga molirentur: aut egressos e sui medio, quando dabatur deprehendere, intercipiebat, ac solitis poenis aut perimebat, aut ad priorem mentem reducebat: at nunc crescere illi sancto officio et Zelum et animum conspiciemus, quo actus nec nativis quidem Raetis ubi potest parcit, et per ipsas horum ditiones officii sui partes exserere contendit. Sancti illius officii designatis connivebat Hispanica Aula, cui Mediolanum suberat, quae quum a Raetis foedus adversus Gallum extorquere non posset, facile suis Inquisitoribus permittebat, quidquid in Raetos per fas aut nefas adtentaturi erant. Quae adferam facta nos plene de hac re convincent, licet tantum e naufragio sint tabulae,

lae, et longe plura dare possent illi adgressores, si litare veritati aliquando tamen adlubescerent. Peragunt in haereticos inquisitionem ut notum est Dominicani Monachi, hujus autem ordinis Monasteria quae in Raetia erant, et Monachi, fidam suis votis, fidam contribulibus S. Officii Mediolani fratribus operam navabant, atque inter Evangelicos haud aliter se gerebant ac corycei explorantes quae isti aggrediantur aut consilia captent: huc illuc circumeundo ubivis tentabant, alios metu, alios praemiis et pecuniarum largitione a confessione deducere: Minima denique prout expiscati erant, vel per se, suosve, aut per litteras S. Officio indicabant, et deferebant. Inde fiebat, ut qui Raetorum apud Mediolanos versari conspiceretur, statim cognosceretur cujus sortis et animi esset; et illi pro re nata consilia capiebant. Ab exploratoribus istis nec personae, nec merces tutae erant, istae enim si modo alicujus pretii erant, sine omni juris respectu a harpiis illis intercipiebantur, et in praedam cedebant. Afflicti ab infortunio hujus generis inter alios etiam BERNARDINUS ac fratres PELLIZARII mercatores Clavennae opulenti religione Evangelici: istorum quippe sericeae aliusque generis merces, aliquot coronatorum millibus aestimatae, quando Mediolano devectabantur a Marchione Piscarienſi Ducatus Gubernatore, Anno MDLXII. exeunte, interceptae sunt in Inquisitorum seu Dominicanorum inibi Monachorum gratiam, quibus dictae merces in praedam tandem cesserunt; hoc solo nomine quod Pellizarii Evangelicae religioni addicti esse cognoscerentur. Debebant boni illi Inquisitores pretiosam adeo notitiam vigiliis et sollertiae cujusdam CORNELII GROSSIENSIS Monachi ordinis Dominicani in Monasterio Morbenienſi: id quod ex quibusdam litteris in illius Tirani capti, et a Magistratu torti, cucullo repertis, exploratum evasit. a) Con-

a) Conf. Camp. trist. Cap. LXVII. pag. 1377. Suspicor hunc Monachum, eundem esse de quo Campellus in Topogr. Cap. XXXIII. p. m. 166. his verbis meminit: Ex nobili LANDOLFORUM familia ortus fuit Rodolfinus Landolfus, qui magnis sumtibus egregiam Typographiam ibidem excitavit, cui post ejus mortem filius Cornelius cum fructu praeest. Fuit quoque Rodolfinus ille jam dictus cum Antonio fratre germano, interfector Pesclavienſis illius nobilis Monachi, non tam ob suam corpulentiam, quam propter ingentem pecuniae vim, Pontificiis passim per Rhaetiam distractis Indulgentiis collectam, clari, atque juxta ob anathemata Tirani, et alibi publice promulgata summopere suspeeti

Conquesti sunt boni Viri grave adeo damnum passi, de tanta injuria apud Illustrem Raetorum Senatum: et Senatus iniquam vim cognoscens, pro obtinenda mercium restitutione BAPTISTAM a SALICIBUS nobilem apud Romanenses magni habitum, Mediolanum ad Piscariae Marchionem delegavit: ast citius clava ex Hercule quam ex sancti officii manibus rapina extorqueri. Denuo igitur Raetorum Senatus congregatus, postquam facinus illud ex Monachorum suae ditionis delatione patratum fuisse compertum habuit, in sequentem sensum pronunciavit: *Nos oratores trium Foederum Ilantii congregati lectis litteris ad nos ab Illustrissimo Marchione Piscariae missis, et diligenter auditis, quae ad nos dilectus noster Baptista a Salicibus retulit in causa Sericorum et aliarum rerum Bernardino et fratribus de Pellizariis in ditione Mediol. interceptarum; quandoquidem aperte cognovimus id omne damni praedictis fratribus evenisse machinationibus fratrum et inquisitorum: ideo per has nostras decernimus et omnibus Magistratibus subditorum nostrorum imponimus, ut visis hisce nostris, quamprimum inquirant omnia bona tam mobilia quam immobilia, et de iis inventarium et sequestrum faciant. Quoniam quantum in nobis est volumus indemnitati dicti Bernardini fratrum providere. Et ideo trium Mensium proxime futurorum spatio, si integre omnia quae intercepta fuerunt, simul cum omnibus expensis non restituentur et resarcientur, volumus in bona, ita ut diximus in inventarium redacta, ut melius nobis videbitur ingredi, et de iis disponere, ut aequum nobis videbitur. Omnes igitur Magistratus nostros, ad quos hae nostrae pervenerint, monitos volumus, ut sciant, se in indignationem nostram incursuros nisi quamprimum eas penitus exsequantur.* Dat. Ilantii, d. 22. Jan. 1563.

At quamvis via haec ad extorquendam ablatorum restitutionem justissima esset, veriti tamen sunt Raetorum Proceres illam incedere, eo quod sub facto illo Monachorum anguis latere; et de eo Hisp. Rex occasionem cum Raetis inimicitias exercendi captare metueretur. Sic Inquisitores perpetui evaserunt possidentes, num eo nomine Beati, judicent alii.

Factum

cti et inviſi; quam ob rem cauſam dicere juſſus, ea probabiliter aſſerta, Judicum Sententia abſolutus eſt.

Factum ita insolens bonos Evangelicos a commerciorum tractatione deterrebat, et ea sola causa absterritus FR. BELLINKETUS Patria Bergomas, Evangelii autem causa exsul, et Bergunii civitate donatus, ferrariae suae quam cum multorum profectu exercebat mercimoniae renunciavit, ne scilicet aliquando et ipse, uti olim Bergomi, et merces suae a) rapacium unguibus retinerentur, lupisque in praedam cederent. b)

Raetorum Senatus, quietem suis procuraturus, officialibus apud subditos Magistratum gerentibus injunxit in Exploratores illos serio inquirere et pro merito animadvertere. Officiales vero vix initium perquisitioni dederant, quando ea seges ejus generis hominum propalata est, ut a caepto desistere, an coeptum persequi consultius esset dubii haererent: notum enim erat nebulonum operas, Extraneorum incitamentis suffulciri, quorum iras provocare res discriminis plenissima erat. Ex eo metu ULRICUS BUOLIUS Scanavicanus Tirani Praetor, Monachum quem ea de causa comprehensum tenuerat inultum abire permisit. Famosus pariter ex illo grege erat quidam VINCENTIUS STAMPA, quem omnes noverant Inquisitoribus deferre quaecunque scrutari poterat, homo Evangelicis infensissimus, quique nil magis dicebat se desiderare quam *ut tandem aliquando nuda sua brachia in Sanguine Lutheranorum lavare possit.* Hunc tamen, ut ut insidiarum complicem, et aliorum facinorum reum, Clavennensis Commissarius JO. PETR. a SONVICO durius tractare ausus non est, sed levi cum censura dimisit. Perire non decet notitia, quam circa hos homines in sinum Fabricii depositi Aug. MAYNARDUS, quum eam nunc ad veritatis fidem nos confidenter propalare possimus. Quod ad Te, *ita* „ *Maynarde*, mi Fabriti non scripsi, nulla fuit occupatio mea, sed „ tantum quia non erat ulla digna materia, cur ad Te litteras darem: „ nunc vero cogor scribere etsi nolim et invitus. Rogo autem Te „ quan-

a) Conf. Camp. Cap. LXVII. pag. 1377.

b) Fabric. ad Bull. d. 29. Mart. 1563.

„ quantum possum, ut cum legeris litteras memoria quidem teneas „ omnia, sed litteras meas nulli hominum ostendas, sed secretum me „ habeas, quia materia est odiosa. Nudius tertius Commissarius no- „ ster sacrificum quendam Clavennensem qui VINCENTIUS de domo „ STAMPAE appellatur, Evangelii inimicissimus, in carcerem conjecit. „ Hic amicus erat perversi illius Monaci Dominicani, quem Tirani „ Potestas absolvit, et inultum abire permisit, et secretorum omnium „ conscius fuit hic Vincentius. Hic semel dixit *se desiderare nuda „ sua brachia in Sanguine Lutheranorum lavare.* Opinio multorum „ est, si quae hic fiunt, ea Inquisitoribus hunc veluti exploratorem „ omnia deferre. Taceo innumera, quae a me vera dici possent: „ Verum ab aliis intelliges copiose ac particulatim. Verum hoc Te „ monere volui, ut cum Dominis, qui istic sunt, ita rem agas ne ela- „ batur. Scribam etiam ad D. Commissarium, ut cogat illum veri- „ tatem fateri, machinationes contra Christi fideles patefacere, consilia „ Prophetarum Baal, Dominicanorum, inquam, et aliorum, qui male „ nostris Dominis sunt affecti, nedum Evangelio, aperire. Hic „ unus corypheus est, a quo tam multa sciri possunt, quam ab alio, „ quicunque tandem ille fuerit: detineatur igitur in custodia nec elabi „ permittatur. Puto hunc si veritatem dicere cogatur contra Do- „ minicanos talia dicturum ut justissime a Dominis sint expellendi. „ Habent Domini litteras quasdam alias Domino Gallitio a me datas; „ et ipse Dominis consignavit contra hunc hominem, quae manifestum „ facient illum. Haec, ut dixi, non libens ad Te scribo: quia nemini „ vellem nocere: Verum honor Dei et amor fidelium praevalere de- „ bent. ——

„ De concilio nihil novi habemus, namque dissolvitur indies. Id „ affirmant qui illic redeunt Episcoporum multitudinem jam discessisse, „ et esse tantam Annonae abundantiam, ut vili pretio vendatur, nec „ inveniriri qui emant. HERCULES noster simul cum RODOLFO filio „ profectus est Venetias, cum autem ad nos redierint, certos nos de „ omnibus reddent. Quod tu ad Martinengum Comitem scripseras „ de Duce Sabaudiae, illum cum italis Ducibus forsan velle quidquam „ machinari, nihil ad hunc usque diem certi quidquam sciri potest.

„ Certum

„ Certum quidem est, uti ab his qui ex regione Pedemontana ad nos „ venerunt relatum est, ipsum Ducem Sabaudiae factum sive institutum „ fuisse a Papa veluti Ecclesiae Capitaneum, Confalonerium vocant itali: „ accipit autem quot annis pro stipendio sexaginta millia scutorum. „ Veneti in sua ditione persecutionem satis gravem Christo faciunt „ BERGOMI, BRIXIAE, VERONAE, PATAVII: Omnia bona Ulixi Co- „ mitis (nempe MARTINENGI) ad fiscum redacta sunt Brixiae. Co- „ mes Ulysses mihi tuas legit. Vale. Die 7. Martii, 1563. „ Clavenna. „

Nefandam post Evangelicorum sanguinem sitim, Romanensibus prolixe exprobrat VERGERIUS passim in scriptis suis cumprimis vero in lib. de Idolo Lauretano opp. Tom. I. fol. 355. 356. ubi similis phrasis observatur, quam Sacerdotem Clavennatem ore extulisse refert Maynardus. En ipsa verba Vergerii:

Tantum abest, ut Papatus curationem ullam voluerit unquam admittere, ut etiam majore furore ac insania coeperit in nostros grassari et debachari. Nam ubicunque illi in tota Europa per Principes licuit, instituit crudelissimam illam Inquisitionem et carnificinam, qua vix XXX. annorum spatio, partim igni, partim ense, partim laqueis, partim aquis, partim carceribus et inedia trucidavit, et consumsit non pauciores quam centum nostrorum fratrum millia, neque adhuc definitur, ut omittam eos, qui fuerunt in exilium ejecti, bonis omnibus spoliati, ad negandum Christum compulsi, et omni contumeliae genere affecti, ita ut si conferas crudelitatem et Tyrannidem istorum Rom. Pharisaeorum ea major futura sit quam ullius Neronis, Domitiani, aut Caligulae: Vix enim hi tantum Christiani Sanguinis profuderunt. Neque contenti illa Inquisitorum carnificina, qua nihil unquam vidit terrarum orbis truculentius, atque ubi magis odium Diaboli adversus Christum exarserit, colligere suos exercitus voluerunt, et inflammare aliquorum Principum animos, ut suos itidem colligerent. Itaque aggressi Germaniam, fuderunt Sanguinem filiorum Dei, incenderunt aedes, pagos,

oppida, civitates quotquot potuerunt, et Provincias vastarunt et exterminarunt quantum item potuerunt, omnia certe vastaturi et exterminaturi, si illis licuisset. Potestne haec negare Papatus? Annon omnium oculi conspicere potuerunt exercitum ejus qui ALEXANDRO FARNESIO Card. et OCTAVIO ejus fratre Duce Parmensi Ducibus Anno Domini 1546. ex Italia in Germaniam ingressus est, quo tempore jactabat FARNESIUS Card. ille, Se tantum Sanguinis Germanorum fusurum, ut in eo possit ejus equus natare: *Quin adhuc non desinunt, (ut dixi) furere; nihil enim aliud agunt, nihil meditantur aliud, quam quibus artibus Caesarem et alios Principes ad arma contra Christianos sumenda, queant iterum concitare, et eos delere, si modo possint. Hinc spectant omnes eorum tam crebrae Legationes, huc omnes practicae, huc omnia consilia. Hoc imprimis nunc agit viva voce, in sua legatione Card. POLUS, qui idem egerat ante aliquot annos, edito libro illo suo pro Antichristi defensione, (quem Nos nunc excudimus cum antidotis) Caesarem enim ex Bello contra Turcas suscepto tunc revocabat, ut Semen Turcicum adulterinum, et pestiferum (ita enim in suo libro verbum Dei apellat Vir ille, qui vult interim pius haberi) ex Germania, atque Anglia evelleret, et gladio mulctaret eos, qui Semine eo delectarentur.* „ Hactenus Vergerius.

Sed ad Monachum Clavennalem. Idem Maynardus adhuc d. 21. Mart. Ejusd. Anni ad Eund.

„ De Sacrifico illo, de quo scire cupis quae circa eum agantur Cermenatus Tibi aliquid dicet. Hodie tamen a D. Beccaria audivi, „ Commissarium nolle de illo quidquam definire, nisi consilio Domi„ norum TRIUM FOEDD. Timet namque reprehendi, si quidquam abs„ que sapienti consilio tentaverit. „

Haec amicissimi inter se. Edocemur vero ex istis ab Officialium in officio peragendo cunctatione, negligentia, atque praepostera meticulositate, Erronum illorum impudentiam potius fotam et adauctam, quam suppressam imminutam, et in ordinem coactam fuisse.

Quan-

Quantum enim reſiduae Tabulae edocent, ex dictis initiis, indies deteriora et crudeliora ſucceſſerunt: in ipſa quippe Raetorum ditione, infeſtis inſidiari, vi ac aſtu eosdem Comum ac Mediolanum perducere, vias ac itinera obſidere, vicinias circumire, jam nil verebantur; nec erat qui aperte ſe opponeret. Malo haec ipſis narrare EGLINI verbis, qui de Statu Religionis Bullingerum ipſo quo haec agebantur tempore edocuit. „ Quid fiat, dicit ille, in Italia ex D. ZANCHO „ praetereunte nimirum audiviſtis. Certum eſt multos Monachos „ emiſſarios CLAVENNAE et PLURII atque aliis iis locis finitimis circum„ vagari, conductos ac miſſos nomine ac ſtipendio Pontificio, tan„ quam Speculatores ac corycaei, qui omnia explorent, quidque Rhaeti „ captent de Religione conſilii expiſcentur, denique etiam alium ab „ alio diverſos aggrediantur, ac paulatim tentando, partim vi, alios „ metu, alios premia oſtentando a vera religione avertant. Et ſi un„ quam Hiſpanica imo nebulonica illa Inquiſitio cruenta fuit, nunc „ maxime eſt. Nemini nunc fere ex mercatoribus tutum eſt Me„ diolanum, (ubi ſuſpecti ſumma crudelitate aut occiduntur, aut trire„ mibus adjudicantur, aut denique vinculis domeſticis [utpote optima„ tes] illiberaliſſime retinentur) proficiſci. Statim enim aut per lit„ teras, aut certos diſpoſitos ubique exploratores, Inquiſitoribus, ac „ ejus facinoris Pontificiis officialibus produntur, denique ad Papam „ Lutheraniſmi nomine deferuntur. Nuper etiam JACOBUM quen„ dam SERRAVALENSEM natione Venetum, qui Clavennae hactenus „ Evangelium profeſſus eſt, eundem in Italiam negociorum ſuorum „ cauſa, CREMAE in oppido Venetorum comprehenderunt, manibus„ que poſt terga ligatis, ceu omnium Nebulonum Anteſignanum, „ Venetias poſt multas injurias, quibus illum affecerunt, tandem du„ xerunt, ad triremes vero damnarunt, aut ut multorum eſt opinio in „ mare praecipitarunt. Eadem laniena BONONIAE et quidem longe „ crudelius exercetur: ſummis et infimis eadem mors, paria vincula, „ idem cruciatus impendet. PLURII prope Clavennam Monachus „ quidam agit: is oppidanorum Papiſtarum benevolentia ac Pontificis „ liberalitate confiſus litteras ſcripſit proditorias, quibus cum nobilio„ ribus ejus loci conſpiratione facta, poteſtatem adipiſceretur in Praeco„ nes ac Evangelii fautores ſaeviendi. Eas Romam deferre voluit, „ quo Pontifex videat poteſtatem factam, ac liberaliſſime pecunias pro-

„ fundat, quibus multorum, ac aliorum animos corrumpat, atque in „ ſua vota trahat. Cum vere Coſs. ejus loci, litteras obſignare de- „ trectarent, res prodita eſt ab ipſo Parocho Papiſtico. Monachus „ incarceratus CC. Coronatorum mulcta iterum evaſit. Sed puto „ haec omnia D. ZANCHUM aperuiſſe. Si vero oblitus eſſet, mit- „ tam rei ſummam, prout D. HIER. TURRIANUS Plurienſis concionа- „ tor, per D. Zanchum italice mihi reliquit, et D. Coſ. Ambroſii „ filius in noſtram linguam (neſcio quam bene) verbotim reddidit. „ Haec Eglinus die 29. Decembr. An. 1567. quem mei loco, heic loqui volui, ut rerum ſuis diebus geſtarum teſtem, lector meus ſimul habeat, veridicum et liberalem.

Dictas inſidias quando Raetorum Senatus intellexit, tanto magis indoluit quod eas ab illis, quibus omni nimis indulgentia ſemper connivuiſſet, ſtrui, perviderat. Clavennae itaque Commiſſario ſimul et Plurienſi Praetori in mandatis datum eſt ut perfidos duos Monachos illos Clavennae et Plurii exploratorum perſonam ſuſtinentes, adeoque inſidiarum fabricatores ex improviſo capiant, aſſervent, et ad proxima Comitia transmittant. Ad cognoſcendam cauſam eorum praeterea delecti fuere ex quovis Foedere duumviri ex ſpectatiſſimis et dexteritate valentiſſimis STEPHANUS nempe WILLIUS Curienſis conſul, BALTHASAR PLANTA Cernezienſis, Clavennae olim Commiſſarius, ex Cathedrali; JULIUS MEYSSEN Superioris Ligae Ex-Landrichterus, Ammanus N. SCHNELLERUS Daminianus ex Gryſaeo; Capitaneus RUDOLPH. a SALICIBUS et Landammus HANS ARDUSERUS ex tertio Decem nempe Jurisdictionum Foedere. Verum Monachi ordinationem iſtam intelligentes, exſecutionis tempus praeſtolari e re ſua non duxerunt, ſed omni mora miſſa itineri ſe accinxerunt. Plurienſis quidem qui proditorium librum conſcripſerat, Praetori ſuo PAULLO WINKLERO ducentis coronatis ſtatim enumeratis, viam elabendi facile adinvenit, atque *aphantae* factus, a nemine amplius conſpectus eſt: aureus quoque pulvis, Judicis illius oculos ſic obnubilaverat, ut proditorem amplius reperire nemo potuerit. Clavennae agebat Commiſſarium WOLPHGANGUS a MONTALTA Laaxienſis, Papiſta et ipſe. Si alius, qui a Sacerdotibus ſuis inſtigatus, omni niſu ab Evangelicis ſanctificationem feſtorum Divis Romanenſibus dicatorum exigere ſolebat: hic Dominis

reſcripſit

refcripſit Monachum ſuum promiſiſſe vadimonium; quum Dominorum voluntas non eſſet ut vadimoniorum acceptatione, elabendi via aperta relinqueretur, ſed ut improviſa captura opprimendo, illum ad factorum rationem dandam iis quibus debebat, conſignaret. Clavennenſis ille Monachus explorator, alias proprio nomine GABRIEL TURETUS dicebatur, habitus vulgo filius aut nepos PAULLETI CASTROMURII de Scholaſticis, nefandi olim Patriae proditoris, qui Anno 1525. quo obſeſſa tenebatur Clavenna ad Jac. Medighinum transfugerat, adeoque *káku korakòs 'oon.* Coram iisdem Comitiis Evangelica Miniſtrorum Synodus, de intolerandis inſidiis, periculis, et injuriis, quibus ſui paſſim impeterentur, graves querelas egit, et de mediis, per quae ſuorum ſecuritati et ſaluti conſuleretur, proſpici ſollicitavit. Horum aequiſſimo poſtulato ſatis facturi Senatores, ipſum Mediolani Ducem et Senatum adire neceſſarium judicaverunt, reputantes fruſtra operam in cohibendis rivulis collocari, fonte aquas abundanter ebulliente. Ei negotio perficiendo deſignatus fuit Capitaneus BAPTISTA a SALICIBUS, Solienſis, Friderici Salicei Samadenenſis gener dexteritatis exquiſitae et judicii ſubacti, nobilis habitus; cui in juſſis datum gravamina ante allata Duci atque Senatui exponere, bonae viciniae ac amicitiae jura expoſtulare, juratorum denique inter utrumque Statum pactorum fidelem obſervationem exigere, obtinereque caveretur ſibi ne ob religionis cauſam nec Raetis nec ſibi ſubditis moleſtia ulla creetur deinceps. Baptiſta Mediolanum delatus commiſſa ſibi omni ſollicitudine peregit, et a Duce juxta ac Senatu verba plus ſatis bona, promiſſaque de Articulis inter utrumque Statum juratis, et reliquis bonae viciniae officiis exactiſſime obſervandis, ampliſſima reportavit: ob quae renunciata Senatus Raetici Proceres, impenſe ſibi gratulati ſunt, et Delegato ſuo notabile honorarium enumerarunt. c) Effectu ipſo res comprobari adparebat inde, quod Monachi qui circa Larium excubabant, et viis inſidebant ſeceſſiſſe, aut de ſaevitia remiſiſſe videbantur. d) At quo animo

c) Act. publ. ad A. 1567.

d) Eglin. ad Bulling. ult. Maji, 1568. Accepimus tuas litteras Reverendiſſime Pater, quibus Danielem Sileſium anxie nobis commendaveras. Eram in balneis Ego, et jam accinctus iüneri, cum tuas mihi obtulit litteras: maturavit autem abitum

animo promissa illa facta fuerint fides qua servata sunt abunde docuit, et mox testatum fecit singulare factum, paucos post dies in Raeticae ditionis terris, a Pontificiae seu Inquisitoriae sanctitatis Emissariis, patratum, cujus circumstantiis paullo articulatius enarrandis immorari decet.

Evangelicorum in Raetica ditione Ministrorum Synodus Anno MDLXVIII. habita fuit ZUZII in Superiore Oengadina primis Junii Mensis diebus: e) Ea dum celebratur coelum immite tantos effudit imbres, ut regio tota nivibus obsita, montana vero adeo gravata fuerint, ut praeclusa iter facturis montium cacumina exstiterint. Ea coeli inclementia tanto molestior Pastoribus eveniebat, quod ab ea cogerentur Ecclesiis abesse, in quibus proxima Dominica S. Pentecostes festum celebrandum, et corporis Christi Mysteria distribuenda erant. Tunc Pastores Ecclesiarum in Valle Tellina impatientes exspectandi aperturam jugi Berninae, per quod Pesclavium indeque in Volturenam via ducit, superata Malogia, per Bregalliam et Clavennae Comitatum ad suos

abitum propter comites aliquos, quos hinc inde Thusciam usque nactus erat; nec dubium est quin Mediolanum usque tutus venire possit; ulterius a nostris commendari non potuisset. Tumorem etiam Monachorum Comensium, et qui circa Larium sunt lacum subsedisse ajunt; unde nullum Silesio nostro periculum imminere arbitramur. Evocabuntur etiam duo sceleratissimi Monachi, quorum alter Plurii, Clavennae alter seditiosissimi hactenus vixerunt. Sistentur ii Reipublicae III. Foederum, in futuris Comitiis nomine ac suspicione nescio cujus perfidiae in Patriam commissae. Ut vero ne fuga sibi consulant jam jam nostri praemonuere praefectos horum locorum, ut eos custodire in tempore non negligant, adque diem constitutam in custodiis reservent. De Plurensi Monacho, historiam Tibi jam pridem missi translatam ab Ambrosio juniore. Italicum amisi. Swenkfeldii nostri nondum sunt examinati, cessat enim summus Tribunus, interim vero libellos tuos ita imbibo totos, ut si sint iterum effundendi suffocentur atque intereant adversatii in suo veneno. Propediem remittam: paucula enim restant decerpenda, nec semper iis incumbendi otium est; ita nunquam non negotiis distineor. Brunnerus noster ex quo Majafeldam venit, nunquam me alloquio aut litteris dignatus. Aegrotavit tota familia Gedeonis, filii Philippi Gallicii: rogat ut veniam ei des ad suos invisendi.

e) Lavizzarius Lib. II. p. 109. et ex hoc Quadr. Tom. II. p. 59. Locum Synodi faciunt Coira. Male.

suos remeare elegerunt, ac etiam Deo comite Ecclesiis suis restituti sunt incolumes. Unus FRANCISCUS CELLARIUS Morbennii Ecclesiastes qui a fratrum commilitonum comitatu semet segregaverat, et ob privata quaedam negotia peragenda Clavennae biduum haeserat, dum nullius adversi suspicax iter suum securus prosequitur, in angusto quodam loco, infra oppidum Clavennae, unum circiter milliare sito, ubi larius lacus saxosam ripam alluit, illico a subornatis aliquot, de juncetis proximis prodeuntibus, inopinus invaditur, in celocem inibi paratam vi pertrahitur, Comum, indeque Mediolanum deductus, haereticaeque pravitatis inibi Inquisitori consignatur. Ab Inquisitore Mediolanensi Cellarius catenis vinctus cum custodia Placentiam, denique Romam transmissus fuit: emanavitque paulo post incerto auctore rumor, eundem lento igne integrum diem aut eo amplius pendentem crudelissime ustulatum esse. Sed postea patuit hunc rumorem vanum fuisse; seu ut propius vero dicam praesagium tantum futuri. f)

Facinoris hujus infandi exsecutionem a malitia Monachorum a quibus Cellarius Clavennae moras nectens observatus erat, derivasse, palpare vel coecus potest, neque id ausi unquam sunt ipsi Romanenses negare. Juxta subornatos autem illos qui Cellarium exceperant, quando navigio importatus praeda fuit, observatus est venientes praestolatus fuisse trux quidam, cui vultus ne agnosceretur larva obtectus erat; hunc autem fuisse Fra Gabrielem tum ex testimonio constitit variorum qui illac paullo ante praetergredientes hominem oculis spectaverant, tum et ex indubio indicio certum evasit quia ille ab ea die profugus nusquam amplius in Raetia palam comparuit. Fama istius facti a Monachis perpetrati, in vulgus emanans, Raetorum animos primo statim tempore gravissime offendit; indicium enim luculentissimum erat reverentiae et obedientiae quam Monastica sanctitas, legitimis sub quibus vivunt Magistratibus exhibere cupiat. Inde tam Romanae religioni, quam Evangelicae addicti, conjuratorum petulantiam qui ipsa supremi Dominii jura proculcare, et hominem nullius mali nec

f) Egl. ad Bull. 9. Aug. 1568. et Camp. Cap. LXVIII. pag. 1417.

nec accusatum nec convictum, per insidias e legitimi Domini ditione, vi auferre non erubuerant, exsecrabantur. Ipse JOANNES PLANTA Vallis Tellinae tunc temporis Capitaneus seu Gubernator, et Raetii Dominus, Vir Juris utriusque consultus, Romano alias cultui addictissimus, statim atque asportatum esse Cellarium cognovit, nuncio confestim cum litteris Comum misso, pro virili, serioque egisse dicitur ut miser interceptus restitueretur, quod metueret ex eo facto graves in Raetia turbas exorituras, frustra tamen et ejus opera fuit. Plebs itaque una voce coërcendam praepostere religiosorum licentiam esse clamabat, paratam se ad irruendum in Morbenense et Clavennense Monasteria, quae Dominicanorum Mediolani Inquisitorum speculae sint, et Machinationum officinae, seque ad ea solo aequanda offerebat; imo vero in Triumpilinos caeterosque porro Mediolanensis Ducatus fines perrumpendum esse vociferabatur, ut nempe publicae sibi factae injuriae poenam inde repeterent, unde illatam esse indicia omnia dabant.

Ad consultationes super admissum facinus capiendas, Raetorum Senatus in Encaeniis Curiensibus, Curiae confluxit; qui factum licet indignissime ferret, caute tamen et moderate procedendum ratus est. Ab isto conventu Commissario Clavennensi injunctum fuit, ut ob perpetratum in Cellarium facinus, et alia quae ad manus haberet indicia, fratrem Gabrielem custodiae dari aut ulteriore securitate sibi caveri faciat quod inquisitioni instituendae adfuturus sit. Ordinatum quoque a Monachis Morbenensibus, quos officinam Explorationum fovere constaret, vadimonium pro VIII. M. Coronatis exigere, in certificationem quod ad causae Cellarianae exitum, neque e Raetica ditione discessuri, neque ad extraneos scripturi sint. In eandem rem Pluriensis quoque Monachus et Ludimagister satis dare jussi sunt. Tum ad impetrandam Cellarii restitutionem, tres delegatos ex quovis Foedere unum, ad Gubernatorem juxta et Archi-Episcopi Cardinalem CAROLUM BORROMAEUM, Mediolanum mittere expediens visum est, eique officio peragundo Jo. de Monte Grisaei Foederis ex Landrichterus, BAPTISTA de SALICIBUS, et PETRUS GULERUS Davosianus delecti sunt. Sed omnia frustra. Turetus enim nusquam gentium amplius visus est. Pro Plurensi autem Monacho fautores adfuerunt, qui per largitiones

et

et artes alias, ut corrupta erant tempora, obtinuerunt ut extra vincula esset; quo facto ille tempus elabendi praeterlabi passus non est. Et frustra postea Senatus in fugam ejus inquiri curavit aut per quem promota esset. Raetorum Legatis Mediolani de illata injuria expostulantibus Gubernator ALBURQUERQUE Dux de Terranova, id factum absque omni consilio et conscientia sua patratum esse, reposuit, deque injuria Raetis per illud illata dolorem testatus est, ajens id omne qualecunque sit factum, ex Inquisitoris injussu susceptum et peractum esse, in quem vero ipse nil prorsus haberet imperii. Inquisitor autem interrogatus captivum jam Romam transmissum esse subita fronte respondit. Tum Gubernator, ut ab ipso Pontifice petitum extorqueant, suadebat, adque id operam suam, qua ipsemet ad Sanctissimum scribere, ut captivum vel in sui gratiam Raetis reddere complaceret, si ea legatis grata foret, obtulit, eosdem et verbis et honorificentia semper liberalissime tractans. Sed legati re petita carere maluerunt, quam tantae officiositati obligari, atque re infecta ad suos reversi sunt. Ex illa legatione Baptista a Salicibus annulum torquem, ensem et calcaria aurata domum reportavit, insignia Equestris dignitatis quam Pontifex ipsi ceu dilecto filio (ita verba sonant) donaverat ac contulerat per Breve signatum apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, Pontificatus Pii V. Anno tertio, Anno MDLXVIII. die X. Jun. adeoque paucos dies post patratum in Cellarium facinus. Quum ergo reduces legati, nihil effeciisse auditi sunt, unus Baptista odio et invidia gravabatur. Nam qui notus erat apud Mediolanenses in pretio haberi, isdem autem qui reliquis legatis Dux sermonis extiterat, insciis collegis cum Inquisitore et Gubernatore, occulti nescio quid consilii remotis arbitris agitasse diceretur, persuasum omnibus erat irritum totum legationis successum uni illi deberi, qui Papae ob collata Equestris dignitatis insignia gratum se ostendere voluerit, Cellarii autem Raetorum nomine causam tepide, imo frigide, et in speciem tantum egerit.

Ad intelligendam responsionem Mediolano allatam Deputati a Communitatibus Curiae d. XX. Julii congregati sunt, qui eandem, ad populos suos exscripserunt. Caeterum quia elapsis facinorosis alia media ad manus non erant, per quae vel Cellarius restitui, vel injuria vindicari potuisset, Officialibus in Valle Tellina et Clavennae Comita-

tu adtentio injuncta est ad opprimendos illos qui Cellario invadendo et auferendo adfuerant, publicatioque facta, ut qui unum pluresve illorum in ditione Raetica deprehenderet, is si vivum, centum, si vero mortuum adducturi forent quinquaginta coronatorum honorarium ex aerario reportarent. Lavizarius et ex eo Quadrius, ajunt solum P. CASANOVAM ceu abductionis Cellarii directorem ab ista publicatione sibi cavere debuisse, huncque solum mutavisse: Sed minus accurate; quantumvis credamus Casanovam talem fuisse, qualem ipsimet nobis edisserunt. Ab eodem Raetorum Congressu, Decretum circa Morbenense Monasterium Mense superiori extradatum, confirmatum et repetitum est, atque Praetori inibi CONRADO a JOCHBERG serio mandatum, ut vadimonium ab illis accipiat, et eorum adtentata vigili oculo comitetur.

In ipsam Helvetiam indignationis populi Raetici fama perlata est, unde Bullingerus qua Raeticas Ecclesias storge complectebatur metuens ne ex fervore praecipitantius quae agerent, Eglino suo, et Evangelicis, caeteris ne quid in re tanti momenti praecipitanter agant, verum omni moderatione, matura consilia capiant, Auctor erat. Verum tanto disuasore ne quidem opus erat; quamprimum enim primus furor deferbuit, oblivio tantum non omnem injuriae memoriam deleverat. *Non est verendum*, ita Antistiti Turicensi respondit Eglinus, f) *ut praecipitanter nostri agant: frigidiores enim sunt, quam ut pro veritate bellum suscipiant. Verbis rem tractant. Nec fieri posse ullo modo crediderim, ut Monachi Morbenio expellantur. Adeo altas egere radices speculatores illi.* Episcopus Curiensis Mediolano ni fallar edoctus, suis ingerebat, dignam non esse Cellarii ablationem ob quam Raetia moveretur: abductum enim Cellarium olim ordinibus sacris et voto obstrictum, digne potuisse a Principalibus quibus suberat ad paenam reposci; modum autem a necessitate exculpari et excusari, quum certo constet Raetos Pontifici exsules nunquam extradaturos fuisse, qui eosdem ne quidem ex Valle Tellina abigere in illius gratiam voluerint. Episcopi vocem adtente exceperunt sui, et maxime Grisaei qui majorem in illo Foedere partem conficiunt, qui omnem hanc causam ceu pure

f) d. 29. Jun. 1568.

pure Eccleſiaſticam, ſuis auctoribus relinqui debere dicebant, imo vero potius omnes Miniſtros Exſules ex Italia de Raetorum terris abigendos. His enim expulſis demum ab omni vicinorum injuria, Raetos liberos fore clamabant. Evangelici fervidiores ajebant, omnem Raeticae Reipublicae honorem, de modo quo ſe hac in cauſa geſtura foret, dependere. Quod ſi injuriam diſſimulare, pericula et laborem defugere Raeti conſpicerentur, tunc hoſtibus demum animum augeri, et videntes eos ab avita fortitudine degeneraſſe, nunquam defuturos injuriis laceſſere, indignisque modis patientiam onerare. Qui prudentiores habebantur dicebant violenta remedia, populari Regimini plerumque exitioſa eſſe, et nunc minime accomoda quo a diverſis partium et religionis ſtudiis omnes in varias formas et fines trahantur. Et quum Cellarius italus gente fuerit, non Raetus, quemque et alii perinde Itali abſtulerint, neutiquam conſultum Reip. ſuadebant, ut unius ejusdemque exteri cauſa tota Raetorum gens tantum periculi adiret, et belli graviſſimi futuri molem in ſe ſuſciperet. Inimicitias ac bella facile ſuſcipi, non ita facile poni et finiri. Suadebant alii abſtinendum eſſe a publica vi, verum ne Monachis impune liceret graſſari, exemplum irae juſtae conſtituendum, et ut Cellarius reſtituatur allaborandum eſſe; huic fini, opportunum ducebant, unum ex illorum qui Cellarium abduxerant grege opprimere, vinctumque ad eundem locum deducere, eodemque quo Cellarius mortis genere peremtus intelligeretur, interimere. Sic legibus ſuam vim, et injuriae mercedem commeritam referri.

Facilis quoque erat conjectura Equeſtrem illam, licet umbratilem honoris ſeu dignitatis praerogativam in BABTISTAM SALICEUM Evangelicum nobilem collatam, ex Pontificis conſilio haud alium finem ſpectaſſe, quam Raetorum iram frangere, Evangelicorum conſilia turbare, ſaltem temperare: et hunc etiam effectum haud difficulter ſortita eſt. Nolim lector credat conſilia quae adtulimus adverſa, ad ornandam orationem noſtram efficta eſſe, qui mos eſt prae aliis Lavizarii et Quadrii Memoriales ſuos libros condenſantium; ipſum loqui ſinam teſtem, utique idoneum THOBIAM EGLINUM, cujus ad Bullingerum ſunt quae hic do relata. Sic ille die 9. Aug. 1568.

„ Rumor de creatione aurati noſtri Equitis quotidie magis „ confirmatur. Certiſſime ei oblata ſunt haec inſignia per „ Equitem ſimiliter auratum: An vero ſit accepturus nec ne, „ clam me eſt. Frater tamen Friderici a Salice a parte dicit „ D. Baptiſtam eum honorem nunquam accepturum niſi con- „ cedentibus Foederibus. Interim artibus ſuis clam efficiet, „ ut concedatur ac accipiat; Sed etiamſi omnino reſpuat, nemo „ tamen adeo coecus eſt, quamvis maximae ſint tenebrae, qui „ non mutuam ac arctam amicitiam, quae illi cum Pontifice „ intercedit, videndo tangat, maxime quod hoc tempore, ac „ in hujus cauſae tractatione ejusmodi incitamenta propinentur. „ Ut ſilentio praeteream quid cum miſero Cellario Romae in- „ terim agatur, quem eodem fere tempore (ut Praegallia nun- „ ciatum eſt, ſed minus certo) lento igne, integrum diem aut „ eo amplius pendentem, crudeliſſime uſtularint. Gratiſſimae „ ſunt Pontifici ejusmodi oblationes humanae, quas aureis de- „ inde muneribus et largitionibus pulcre remunerat. Adau- „ get ſuſpicionem indigna ac frivola Monachi Clavennenſis „ liberatio e vinculis, quae nuper a reditu Legatorum in mi- „ noribus Comitiis hic eſt decreta per XXIV. Viros. Reliqui „ huc ductum voluerunt Monachum, ſed ceu inferiores cedere „ reliquis ſunt coacti. Sic infregerunt iſti quae in nundinis a „ totis Foederibus erant conſtituta, nempe ut Monachus ille in „ vinculis detineretur, usque ad exitum iſtius cauſae: illi pau- „ culi liberarunt. Interim tamen totum hoc negotium, quod „ ipſius et Monachi propinqui publice tractant, ad Communi- „ tates refertur: et heri in noſtris tribubus cauſa fuit tractata „ ſatis ut audio ſplendide. Aliae tribus decreverunt Mona- „ chum rurſus invadere ac capere; Legatos autem iſtos quibus „ uſus eſt fautoribus penitius rogare, unde iſtam liberandi pote- „ ſtatem acceperint, a Communitatibus ſuis, nec ne: ad haec „ Praefectum quoque Plurienſem interpoſito juramento quaerere „ quomodo res fuerit acta cum ſuo quoque Monacho, qui Plu- „ rii antequam Cellarius caperetur, erat in vinculis ob litteras „ quasdam proditorie ſcriptas, ut olim Vobis nunciavi, et qua „ de cauſa, quibus impulſoribus eum dimiſerint, cum tamen

„ com-

„ communi hominum fama proditorium proceſſum ſuſtinuerit,
„ ut ajunt. Ad haec convenere ut Morbenienſis ſpecula ſolo
„ aequetur, corraſis prius omnibus rebus precioſis ad Rhaeto-
„ rum manus. Cras demum Suffragia collecta in ſingulis
„ tribubus comportabuntur in unum, quodque munitius erit,
„ retinebitur. At plerasque in eo conſentire audio ut de-
„ ſtruatur coenobium Morbenienſe ac Monachi expellantur
„ omnes. Id populus quoque curat omnis. Decem Ju-
„ risdictiones quoque in id audio incumbent. Ingaddini in-
„ ſuper omnes. Soli Foederati ſuperiores recalcitrabunt.
„ Una et Tribuum noſtrarum voluit ut omne pecus Comenſe
„ ac Mediolanum quod Alpes noſtras depaſcit, pro more anti-
„ quo retineantur; donec duocenta intercepta ſiliginis onera re-
„ ſtituantur a Comenſibus. Eſt autem noſtras quidam Vir
„ honeſtus Domaenius vocatus qui cum Monachis quoque Re-
„ ligionis nomine ſuſpectus eſſet, invaſere mercaturam aut mer-
„ ces ejus, ac omnes ejus ſaccos ſiligine plenos interceperunt,
„ reſtituturi eos, ſi Lutheranam fidem abnegaverit, aut in prae-
„ ſentia 300. coronatos numeraverit. Cum vero neutrum ſe
„ facturum diceret, retinuerunt merces, donec litteris ad ipſos
„ miſſis teſtetur Lutheranum ſe non eſſe. Haec ſunt vera,
„ nam apud Magiſtratum conqueſtus eſt de injuria illata. „

„ Idem ad Eund. d. X. Aug. Jam modo Senatus ſurrexit. Ob-
„ tinuit potior Sententia, primo ut Monachi invadantur ac exa-
„ minentur quoad bona externa, ne ex iis quicquam Rhaetis
„ auferatur. 2do ut coenobium deſtruatur. 3tio ut Co-
„ mitia magna convocentur, in quibus uniuscujusque Commu-
„ nitatis Suffragium colligatur, et de omnibus prolixius diſpute-
„ tur. Utinam et caeterae Jurisdictiones officium ſimiliter fa-
„ cerent. It. d. 15. Aug. In noſtro negotio egregie aut
„ potius odioſe ceſſatur. Superius Foedus nihil vult conclu-
„ dere, usque ad feſtum D. Martini, ſic moderante ſummo
„ iſtius Foed. judice, qui ex Epiſcopo quoque noſtro effecit
„ *amsoliernon anera*, eique leges dedit, alias plus ſatis idoneo,
„ ne Decretum Foederis usque dum publicaret. Eſt autem

„ Epi-

„ Episcopi ejusmodi negocia primo tractare, et exscribere, aut „ disseminare. Haec causa fuit tantae morae, quae intercessit „ antequam negocium ad Communitates sit relatum. De „ caeteris Communitatibus nihil certi habeo quid definiverit. „ Malansii tamen ac Majenfeldii omnino nobiscum sentiunt. „ Davosium ignarum habet Ministrum, nec scio quid ibi sit „ actum. Eques noster auratus ut vult videri insignia illa „ aurea ceu Aspidem respuit, suisque hic mandavit, ut diligen- „ ter attendant in obtrectatores, quibuscum ad summum jus „ decernant. Constanter ferunt exsulibus ac expulsis italis „ transitum denegatum in Raetiam non ita pridem publico aut „ secreto potius Mandato Inquisitioni Mediolanensi exhibito. „ Si tale Diploma hostibus datum est, quid spei reliquum est? „ Clavennae duo fratres sanguine juncti, religionis vero profes- „ sione disjunctissimi, mutuis ac fraternis armis se se prope con- „ fecerunt, cum alter diceret exsules Ministros non ferendos. „ Nec dies praeterit, quae non turbis et discordiis luctuosa red- „ datur. Nunquam crediderim eo rem perventuram, ut Mo- „ nachi expellantur. Adeo altas egere radices, ut qui multis „ in re pecuniaria sunt fructuosi. Deus Te nobis servet. „

Idem ad Eund. d. 29. Nov. „ Ex quo gener Domini Frid. a „ Salice Pontificis calcaribus ac aurea catena deformatus fuit, „ nunquam neque ipse, neque ipsius Friderici litterae hic visae „ sunt. Fuerunt magni Viri, qui istum Cellarii raptum ac „ dolosam circumventionem sic ulciscendam putarunt. *Man „ solle ein Münch oder Pfaffen auch ab Ihren Orthen einen er- „ drucken, Ihn binden und gfenglich in Beyseyn etlicher Predi- „ canten und Herren von jedem Pundt an das Ort führen, da „ der fromm Cellarius ist aufgefangen worden: und da solle man „ Ihm ein dreyfache Krone aufsetzen von Papir, und eine eiser- „ ne Kette am Hals, und 2. Sporn an die Füss binden, und „ Ihn dan daselbst an einen lichten Galgen henken. Hiemit „ würde ein jeder um sein Münz bezahlt.* Sed volant argen- „ tea tela, quae haec impediunt. „

Id.

Id. d. 12. Octobr. „Ubi autem miſer Cellarius nunc verſetur, „ quidque perditiſſimi Monachi quotidie excogitent, collige ex „ litteris Lentuli noſtri, quas ea lege mitto, ut remittantur. „ Eo autem apud multos res devenit, ut jam non de profligan- „ dis Monachis, ſed de expellendis ac deponendis Miniſtris con- „ ſultetur. Dominus Jeſus hoſtes illos Patriae pudefaciat, ſua- „ que mala in ipſorum capita perpendiculariter dirigat. „

Id. d. 26. Oct. „ Celebrantur hic minora nunc Comitia; ac „ generalia Comitia indixerunt ad diem trium Regum Ilantii, in „ quibus negotium D. Cellarii ac Monachorum, quod pene re- „ frigeravit, tractabitur. Jam jam relatum eſt idipſum ne- „ gotium in Communitates, ac major pars III. Foederum in eo „ eſt, ut factum Monachorum tam audax, ipſorum latibulorum „ everſione ulciſcantur. Superius tamen Foedus fortiſſime re- „ pugnat: at duobus reliquis utpote potioribus annuere coge- „ tur. Sic tandem proditores Patriae, aliqua ignominia affi- „ ciantur. Vereor autem ne poena pecuniaria avaris ſuffi- „ ciat. „

Id. d. 10. Jan. 1569. „ Noſtri heri ad Comitia profecti ſunt: „ Audiemus brevi quid in cauſa Cellarii definiatur. Ulciſ- „ cendam hanc injuriam convenere duo foedera; ex tertio etiam „ non paucae Communitates. Sed latebris exigi vix poſ- „ ſunt. Quantum plena manu, Monachorum fautores con- „ curſaverunt oppugnaturi ſi quos minus benevolos ſentirent! „ Et periculum eſt certe ne munuſculis ejusmodi emolliant du- „ riſſimos quosvis. Legatus noſter affirmat Venetum Sena- „ tum Inquiſitores, ipſorumque actus repudiaſſe ac amolitos „ eſſe. „

Poſt haec ineunte Anno MDLXIX. medio Januario menſe, rur- ſum Comitia gentis celebrata ſunt Ilantii in Foed. Gryſeo, ubi Cellarii cauſa ex profeſſo ventilata et diſceptata fuit. Aderant Synodi Evan- gelicae Deputati de injuria fratri illata, et ſupina in eo recuperando negligentia amare dolentes, conquerentesque quod niſi Monachorum

Sanguinem suum sitientium effrenis licentia compescatur, Ecclesiastas in Valletellina haud tolerabiliori loco ac medios inter licarios stare; ex quo enim Cellarii raptus inultus refrigescat, Monachos et Errones adeo insolentes factos esse ut jam nihil non tentare erubescant. Vera haec erant, et a communi rumore confirmabantur: Ast quoad modum his malis dandum divisae secundum religionis studia erant etiam Sententiae.

Catholici Gryscei ab Episcopi dictamine informati pendentesque, nullatenus causam Cellarii suam facere volebant, addentes omnes molestias quas Raeti ab Inquisitoribus et Mediolanensibus devorare cogerentur, inde derivari quod profugi italia, in Ecclesiis Vallis Tellinae et Clavennae tolerarentur; magis ergo e re Reipublicae fore Exsules illos ad sua amandare, quam illorum gratia continuis simultatibus et injuriis inquietam aegre conservare Rempublicam. Erant etiam ex Evangelicis Proceribus non nulli, qui ob Cellarium publicam rem in discrimen conjicere dehortabantur, ex ea ratione quod Raetus non esset, sed italus, ab italis quoque ablatus. Quamdiu autem Comitia duraverunt, circumvolitaverunt Monachorum patroni, nummis bene onusti, omni modo intenti ne in Papae filios dilectissimos gravius quid statueretur. Nihilo minus Senatusconsultum in hosce articulos conscriptum et pronunciatum fuit:

„ Primo Praetores in Valle Tellina, Clavenna et Burmio operam dare debere, ut Decreta a Dominis Raetis in publicis conventibus facta, et Evangelicam religionem concernentia per omnia ad amussim observarentur, proinde dictae Evang. aeque ac catholicae religionis exercitium conservari debere non impeditum et illaesum, sic quidem ut illi alios non habeant Ministros, quam a Raetica Synodo, et isti ab Episcopo aut Capitulo Curiensi admissos ac approbatos: quadraginta quoque coronatos Evangelicae praedicationis Ministris olim constitutos absque tergiversatione eisdem ex publico aerario exsolvendos esse: Monachos extraneos in has ditiones venientes non admittendos, sed juxta Decretum quoad illos olim factum quod in pleno vigore relinquitur, Magistratus Auctoritate

„ ritate arcendos et amandandos esse, et eos solum tolerandos,
„ qui illo jam tempore in Raetica ditione exstiterint, quando
„ primum Decretum illud factum fuit. Secundo, decretum:
„ ut officiales pro virili satagant in reos abductionis Cellarii
„ sedulo inquirere, et ubi deprehendantur, pro merito animad-
„ vertere. In amissi autem mariti ac parentis solamen, dere-
„ lictae Cellarii Uxori et infantibus ad vitae subsidium viginti
„ coronati adjudicati sunt, sive ex Monasteriis, sive alias ex
„ publico, unde Officialibus commodius videbitur, quotannis
„ ad certum tempus exsolvendi. Act. Ilantii, in Comitiis,
„ Decimaquarta, Kal. Febr. Anni Dom. MDLXIX. „

Et haec quidem in favorem Cellarii acta sunt, minus sane ad Evangelicorum Ministrorum votum, spem, ac, ut ajebant, publici regiminis decus. Omnium loco exstent indignabundae TOBIAE in Tigurini Antistitis sinum effusae voces:

„ Nil habeo Reverendissime Pater, quod ultimis tuis digne re-
„ spondeat. Sic nam omnia in conventu Ilansiano fuere ve-
„ nalia, ut cum rubore vix audeam litteris consignare. To-
„ tum negotium Cellarii ad Commissarios relatum est, iis plene
„ est commissum, ac decretum ut diligenter inquirant Morbennii,
„ num istius loci Monaci culpae quoque succumbant. Quasi
„ vero proximiores lupi ovum pastori prae caeteris ignoverint
„ qui longissime absunt. Egregia certe animadversio! quid
„ dico animadversio, cum mera munerum sit extorsio. Finis
„ nam istius commissionis est, ut unctiores a Monacis disce-
„ dant. —— Aperte Ministris pro afflictissimis Italiae Eccle-
„ siis intercedentibus responsum est ab ipso Domino a Rezinz:
„ *Ihr kommend hiir umsärn mit iiweren Kilchen. Wir kön-*
„ *nend nit nun mit iiweren Kilchdienern darumgahn; Wir ha-*
„ *bend anderst z'schaffen &c.* Repulsi sunt tanquam canes
„ molesti. Aegerrime tulerunt nostrorum Sententiam de ex-
„ stirpandis Monacis; hocque totius patriae ruinam dixerunt.
„ Quid autem mirum, cum vis pecuniae Pontificiae maxima

„ sit profusa. g) Comitia ista ROD. a SALICIBUS in Ducem,
„ PETRUM GULARUM in Vicarium elegerunt. Ambo Viri in-
„ tegerrimi, ac sanae religionis acerrimi propugnatores. Non
„ inulti mansissent Monachi nostri in crudelitate perpetrata, si
„ tales Valtelini habuissent moderatores. h)

Ad miserum vero CELLARIUM quod spectat, fama quaedam incerto auctore emanata sparserat eundem Romae dudum e medio sublatum esse, unde et veluti deploratus ab omnibus oblivioni traditus fuerat, quum tamen ille ab Inquisitione Romana integrum fere annum in omnem eventum vivus adservatus et ejus causae cognitio dilata fuerit. Observato autem ipsius vincti causam a nemine suscipi, nec quidquam turbelarum inde metuendum esse, a Busiridiano illo Tribunali, ceu Lutheranae aut Zvinglianae haereseos reus ad rogum damnatus est. Exsecutio facta est Romae decimatertia Kalendas Junias, Anni MDLXIX. qua cum furculo ne populum alloqui, et fidei confessionem edere posset, ori oblique impositio per integrum diem lento igne paulatim ustulatus, deinde exstinctus fuit. Auditus fuit fidei suae intrepidam semper et sibi constantem edidisse confessionem, et quum rogo impositus, primum in sublimiori suspensus, deinde sensim sensimque ad subjectum ignem demitteretur, observatus fuit cruciatus dirissimos constantissime et patientissime pertulisse, ita quidem ut quoties lignum ori impositum alligatum per occasionem adimebatur (palinodiam enim elicere tentabant tortores) toties CHRISTUM et Evangelicam ejus veritatem pleno ore ad ultimum usque spiritum confessus sit. Erant tunc temporis Romae, ex Raetia oriundi, cuipiam Principum pedibus stipendia merentes, qui supplicii de Cellario sumti successum propriis oculis ab initio ad finem contemplati sunt, et ejus quod viderant et audiverant in Patriam reduces facti testimonium depofuerunt, quod exceptum et consignatum, a Campello quoque ipso in suos commentarios relatum est, qui ipsi TRIUM FOEDERUM unitati examinandi circa ipsum illud tempus propositi sunt, et publica adprobatione donati.

g) d. 24. Jan.

h) d. 15. Jan. 1569.

nati. Eant nunc Lavizzarius et Quadrius, ac dicant Cellarium morientem poenitentis animi, h. e. Apostasiae indicia dedisse: quo ipso improbae in historia fidei luculentissimum reliquere specimen, nam tale quid de Sancto Christi Maytyre edicere nemo ausus est, nisi qui defunctorum famam maculare non verentur. Nil Ego peccare credo, si in Cellarii sicarios et cinerum ipsius post duo fere demum secula obtrectatores, adplicem tritum illud: Non audet Stygius tentare Pluto, quod audet effrenis Monachus, plenaque fraudis anus.

Neque tamen a CELLARII cruore saturati sunt Sanguisugae illi. Sed viso facinus illud ex voto successisse, animosiores ad alia ejus generis plura patranda redditi sunt. Nulla fere apud Raetos Comitia abinde habita sunt, quibus non Raetorum aliquis adesset dolens aut merces ablatas, aut cruciatus inflictos, aut vadimonia extorta, aut carceres toleratos, et quae hujus commatis infanda plura: et hoc pede Harpyae illae, abinde supra XXX. Annos carnificinam in Evangelicos Raetos horumque Ministros continuo exercuerunt, ut in usum fere abiret Evangelicos spoliare, et Pastores vita privare. Adeo homines exuerant, qui nullius jurisjurandi, ac religionis jure tangebantur, et Evangelii unum exterminium anhelabant. Ad ipsa Comitia Januario mense supradicti Anni MDLXIX. comparuit JOANNES ANDREAS DEL FRANZA, dolens omnes merces suas in ditione Mediolanensi interceptas et religionis nomine ablatas esse. Aderat et ipse Raetorum Repraesentans Clavennae Commissarius CHRISTIANUS HARTMANNUS, exponens sibi ipsi, Locumtenenti suo, et jurato Cancellario, ob adtentiorem in exploratores Monachos oculum, a Mediolanensibus exsilium imo exterminium interminatum esse. Et hi quidem a Raetico Senatu aliud relevamen non obtinuerunt, quam scriptas publico nomine ad Ducem et Senatum Mediolanensem litteras, quibus illos ad officia bonae viciniae commonefaciebant et restitutionem mercium a Monachis ablatarum sollicitabant; et si minus id fieret, par pari referre non tam intimabant, quam dicebant. Talionis enim legem intentare Raeti ausi non sunt, veriti rabiem irritare, et hostilia arma adversum se provocare. In Comitiis ejusdem Anni medio mense Junio celebratis JOANNES ANTHONIUS PERUS miserum quoque fatum quod sibi Bononiae

obtigit, copiose ediſſerens, omnium animos ad commiſerationem commovit: Ego LENTULUM Clavennae Paſtorem, virum terſe doctum, et HERCULEM SALICEUM Moecenatem, hic loqui ſinam.

„ Menſibus elapſis, ita Lentulus, contigit ut quidam hujus
„ oppidi civis, (ſupradictus) et qui profitetur jam inde a puero
„ puram JESU CHRISTI religionem, cujusque frater eſt ſignifer
„ totius iſtius communitatis Vir ſtrenuus et cordatus, adde eo-
„ rundem parentem ex eorum hujus oppidi civium numero
„ fuiſſe, qui faverunt initio Evangelio, ac in cauſa fuerunt cur
„ ejus praedicatio in hoc Oppido reciperetur, perſeveraret, ac
„ floreret, ut Dei beneficio hucusque perſeverat et floret, is, in-
„ quam, Bononiam profectus, mercaturae exercendae gratia, ut
„ antea ſolitus fuerat, ſine ulla cauſa (quandoquidem de Reli-
„ gione ne verbum unum quidem auſus fuerit mutire, neque
„ litteras vel libros de Religione cuipiam pertulerit) ab Inquiſi-
„ toribus, ut vocant, eſt captus, ac carceri duriſſimo per ſex
„ Menſes integros eſt detentus. Tandem eo ventum eſt, ut
„ ea conditione liber dimitteretur, ſi pro eo fidejuberet aliquis
„ ipſum eſſe ſoluturum Inquiſitorum Tribunali nummos aureos,
„ quos ſcutos vocant vulgo, bismille, niſi Romanam coleret
„ impietatem: quanquam Inquiſitores omnem pecuniam quam
„ hic ſecum adtulerat, occupaverant, ac apud eos jam habe-
„ bant, ea enim erat mille trecenti quinquaginta nummi aurei.
„ Quum ergo hujusmodi conditione ſibi facta fuit abeundi po-
„ teſtas, haudquaquam Comum vel Novo Comum, ubi juxta
„ Inquiſitorum voluntatem falſae religioni erat daturus operam,
„ ſed recta domum, hoc eſt ad nos, et ad Chriſti Eccleſiam ſe
„ recepit, nulla prorſus habita ratione tantae pecuniae quae
„ omnino amittenda erat. Nunc autem fidejuſſor eum vexat
„ ut ſolvat nummos aureos 650. alioquin ſibi dependendum
„ erit. Sed angitur interea Vir pius, ut qui non ſolum
„ amiſerit nummos aureos 1350., ſed etiam ut dixi a fide-
„ juſſore moleſtia afficiatur pro reliqua pecunia; praeterquam
„ quod ejus frater, ut eum e carceribus eximeret 400. corona-
„ tos aureos impendit. His de cauſis decreverunt ipſe et fra-
„ ter,

„ ter, Clariſſimos Dominos Rhaetos adire, eisque ſupplicare, ut
„ eorum dignentur miſereri, eosque commendatos habere, ut
„ optimos decet Dominos erga ſuos fidos et amantes ſubditos,
„ atque ſuper ea re aliquid decernere velint, quo aliquatenus
„ miſeri tanto ſubleventur malo. Quod ni fiat non ſolum
„ ceſſurum eſt in maximum damnum iſtorum, quod tamen
„ minime eſt contemnendum: verum etiam in pietatis de-
„ trimentum et ipſorum Dominorum exiſtimationis. Nam
„ quod ad pietatem adtinet, infirmi non nulli, qui tamen hu-
„ cusque Evangelio utcunque conſenſerunt, procul dubio ni in
„ poſterum caveatur, incipient labeſcere: qui vero nondum
„ Chriſto nomen dederunt, cunctabuntur poſthac magis illud
„ agere, tametſi illis aliquo modo Chriſtus illuceſcat, ſi quis
„ tamen quanta ſit humanae naturae imbecillitas ſpectabit.
„ Quantum vero ad ipſorum Dominorum exiſtimationem per-
„ tinet, quis non videt in futurum adverſarios ad illam violan-
„ dam fore audentiores, ſi ſuorum ſubditorum injurias non vin-
„ dicant ſolum, ſed ne curant quidem, atque nihili faciunt?
„ Neminem latet quid nuper acciderit quando in ipſorum agro
„ captus et abductus fuit quidam V. D. Miniſter, quem Ro-
„ mae Menſe Majo proxime praeterito igni abſumſerunt.
„ Quid itaque non audebunt audaciſſimi homines, ſi viderint
„ ad omnia eos connivere, quibus in primis ea curae eſſe debe-
„ rent? Quare quo magis quaſi expergefiant viſum eſt Te
„ optimum et pium in Chriſto Patrem rogare qui pro tua hu-
„ manitate ſingulari digneris efficere, ut qui inter Vos, hoc eſt
„ in Veſtra civitate Tiguro ſummum gerit Magiſtratum, dili-
„ gentiſſime ad noſtros Dominos ſcribat, eis commendans pios
„ iſtos viros, atque adeo ſuam ipſorum exiſtimationem, et eam
„ pietatem, cujus hactenus Dei beneficio aſſertores exſtiterunt.
„ De quo plura non addo, ne diffidere videamur bonitati tuae.
„ Illud tamen minime praetermittemus, Nos ob tantum in
„ noſtros hoſce quos commendamus in Chriſto fratres cariſſimos
„ collatum beneficium Tibi eſſe futuros obnoxios, ita ut nun-
„ quam tantae Humanitatis ſimus oblituri. Dominus Je-

„ ſus

„ sus Christus Te conservet. Clavennae, XXII. Aug.
„ MDLXIX.

Philippus a Vertemate
Clavennensis Ecclesie Senior.

Tui studiosissimi obsequentissimique ut famuli, et in Christo filii Scipio Lentulus Eccl. Clav. Mnr, jussu et voluntate totius Collegii.

HERCULES a SALICE alter Ecclesiae Senior, eidem Praeclarissimo Viro D. Henr. Bullingero, Doctori, Theologo, et Pastori, (Inscriptionis sunt verba) in Eccl. Tigur. multis nominibus Venerando, Domino et fratri suo in Christo colendo, anteallatam PERONIS cognati sui causam enixissime commendavit, per sequentes:

„ Ea est nunc Venerande Pater et frater Romani Antichristi
„ Tyrannis, ea rabies intolerabilis, qua is cum impuris suis Mo-
„ nachis coelum terris miscet, ut non vereratur quot quot ejus
„ mendaciis adversantur, dira quaeque minari et intentare. Id
„ autem fieri existimo quod Sathan regni sui excidium praesa-
„ giat, quod ut spero, viventibus nobis atque videntibus con-
„ tinget. Ausus est ipsius Inquisitor praeterita hyeme Do-
„ mino Jo. Ant. a Piro nepotem meum Bononiae negotia sua
„ gerentem capere, captumque menses aliquot vinctum asser-
„ vare, eumque immeritum, utpote qui nihil dixerit aut fece-
„ rit in ea urbe contra Paparum Decreta. In illis vinculis
„ praeter durissima quae passus est ab impurissimis illis Demoni-
„ canis fecit jacturam bismille et trecentorum coronatorum,
„ quemadmodum narrabit coram D. Baptista, ejusdem Domini
„ Jo. Antonii frater et nepos meus. Hunc autem modis om-
„ nibus Tibi commendo, ut eum juves opera, studio, gratiaque
„ Tua, ubicunque poteris, poteris autem plurimum. Id autem
„ eo diligentius abs Te peto, partim ut in tempore Monachis
„ illis contra nostros furentibus praeoccurratur, partim quum vi-
„ deam

„ deam quorsum eant improborum conatus, qui si ferantur,
„ timendum nobis erit, ne liberis nostris Rebuspublicis grave
„ aliquod praejudicium adferant. Pluribus eum Tibi com-
„ mendarem, nisi nossem quae Tua est erga me caritas, quae
„ et quanta possim mihi a Te polliceri. Quod et alias sae-
„ penumero expertus sum, et ut spero hac in re nunquam me
„ fallit de Te exspectatio. Novarum hic nihil est rerum prae-
„ ter quae vulgo feruntur, de milite a Pontifice in Gallias misso.
„ Tu si quid habes comperti, ne graveris nobis impertiri. Vale,
„ et me quod soles, ama. Clavennae, die 6. Januarii,
„ 1569. „

Clarissimae Dominationis Tuae

frater obsequentissimus

HERCULES a SALICIBUS.

In afflicti et a Spiritualibus illis expilati hujus gratiam Senatus Raeticus perscriptis ad Romanum Pontificem litteris, de iniquissimis modis per quos Raetiae filii et subditi passim per Italiam non ab Inquisitoribus modo, sed a quibusvis Ecclesiasticis personis affligantur et expilentur, conquestus est, eundemque ut suos a talibus intentatis abstinere, et expilatis sua restituere jubeat, monuit; adjecta exserta declaratione, ni id fiat, obligatos et Raetos fore, secundum eandem regulam cum Monachis et aliis Ecclesiasticis personis in ditione sua existentibus, procedere. At in cassum. i) Postea etiam BAPTISTA a SALICIBUS Papae dilectus ad remissionem mulctae fidejussori impositae obtinendam, Romam missus fuit: Sed nec iste aquam elicere e pumice valuit; bona tantum modo verba reportavit. k) Demum Anno MDLXXIII. Julio Mense a Senatu Raetico, in causa Peronis decretum fuit binos tresve legatos Comum ad Praesulem, aut si mage videatur

i) Act. XI. Jun. 1569.

k) Act. XVII. Novembr. 1571. XIII. Jan. 1573.

tur Mediolanum et Bononiam mittere, qui litem transigant, pacta quoque ineant per quae Raetis utriusque Religionis salva sint, et tuta vitae, itinera, commercia; stante omnibus sententia injurias vindicandi, et commercii libertatem adferendi: Istud vero si obtineri non posset alii talionis jus in Romanos Monachos, exercere, alii ex Episcopi Comensis bonis in ditione Raetorum jacentibus expilatos indemnizare statuerant. At quid ab ea legatione peractum sit, scisce re hactenus non potui. Certum vero est Raetis nunquam tempus fuisse, quo jus Rationis exercere aut Episcopi Comensis bona reditusve invadere existimaverint opportunum: certum etiam Monachos et Inquisitores eodem semper modo, in bona et corpora etiam Raetorum quando poterant desaeviendo perrexisse. Sed Bononia propius ad Raetos Mediolanum revertamur.

Senatui Raetico, Anno MDLXX. Kal. Febr. congregato Praetor Pluriensis HARTMANNUS de HARTMANNIS ex officio et commissione sibi demandata afflictum subditi sibi praenobilis Viri JEREMIAE VERTEMANNI statum deploravit, qui ab Inquisitore Mediolanensi captus in carcere nullum ob facinus, sed ob solam religionem detinebatur. Igitur a Senatu Inquisitores de novo moniti sunt, detentum mox e vinculis dimittere, ni cum suis eodem modo, sive Ecclesiastici sint, sint politici, in ditione Raetica, agi velint. At pro sancta fide catholica paratus erat BORROMAEUS vel extrema adire, imo iras provocare, ipsum quippe Raetorum in Dominio Majaevillano Praetorem in vincula conjicere veritus non fuerat, quem et durius quoque diu habiturus fuerat, ni a Raetorum Senatu monitus, vel honoris gratia extradare debuisset. 1) Verbo: Archiepiscopus ille exterminium Evangelicarum cis Alpes Ecclesiarum juraverat, et ad scopum illum pertingendum titulus aliquis belli, aut honesta occasio quaerebat ambabus manibus. In ipsius vulgi ore volitabant significationes, Zelum fidei catholicae, et machinationes in Evangelium spirantes. Sacerdotes quoque eo anno, insolito numero in Synodum congregati idipsum consultavisse, et constituisse dicebantur; certum etiam erat Doctorem MODESTUM ab ea Synodo Romam delegatum fuisse. Haec quia apertissima erant Sena-

1) Act. VIII. Mart. 1570.

Senatum Raeticum permoverunt suos in terris Subditorum Officiales ad adtentum in Sacerdotes oculum habendum, Synodique illius consultata exquirenda, monere, quo malis obverti in tempore remedia possent.

Quoad memoratas incarcerationes et expilationes ab Inquisitionis officio Mediolani factas nulli magis notabantur contulisse quam Monachi Morbenienses Dominicani ordinis, qui omnia uti apud Raetos, sub quorum ditione vivebant, cognoscere poterant, confratribus deferre observabantur. Ob tantam perfidiam et ingratitudinem, erant ex Patriae amantibus non nulli qui speculam illam solo aequandam esse suadebant: at Raetorum Senatus hoc consilium constanter recusavit, ne diffidia quaerentibus ansa suppeditaretur. Interea quia Monachi illi abductionis Cellarii comperti fuerant esse complices, a Raetorum Senatu statim interdictum illis fuit novitium amplius ullum in Monasterium suum recipere, sic ut progressu temporis fieret, quod decedentibus illis qui tunc vivebant, Raeti honesto quodam modo ab explorato-ribus in sinu liberandi forent: atque Decreti hujus exsecutio Praetori Repraesentanti saepius, maxime vero Anno MDLXIX. MDLXXI. MDLXXII. intimata fuit. Verum Religiosi illi non quid Raeti Domini, sed quid sanctum Mediolani officium mandabat, observabant. Prout autem S. Officii adtentata tendebant ad Evangelium procul ab Italia, et citra Alpes abigendum: Sic Morbennii Monachi, Zelo secundi esse nolentes, omnem operam navabant efficere ne ullus Morbennii, aut in vicinia Evangelicus Minister sustinerent considere. At Exsules ex Italia minis non cedebant, et a machinationibus Monasticis non frangebantur; proinde abducto Cellario, ULYSSES MARTINENGUS genere Comes de Barco vicibus Pastoris Morbennii defungebatur, hac nempe sua opera praestruens, ne lucerna Evangelii exstingueretur, aut coetus sacer per defectum Pastoris detrimentum caperet. Hoc labore Heroa mox levavit SCIPIO CALANDRINUS luccensis, Religionis causa Exsul et ipse, Vir praeclarus, et moribus integris, qui a coetu cum adplausu in Pastorem susceptus est. Dignus Vir iste erat amore, nulli enim labori cognoscebatur parcere, ad suorum animos confirmandos necessarium; identidem is Mellum, Trahonam, Caspanum egrediebatur, sedulo cavens ne sua culpa quisquam suorum amitteretur. Mo-

nachi hoc viso fortiora jam media ad dispellendum a grege Pastoreni ad manus sumere statuerunt, ad istumque finem novam artem, novam viam inierunt, ad quam ora, mensque cujusvis, qui venas humanitatis in corpore gerit, stupescere merito debent. Stabat CALANDRINUS in pulpitu sacro Templi MELLENSIS, Evangelicam doctrinam auditoribus suis praedicans, cum ex improviso ad fores aedis duo adsunt Monachi, sclopetum in Praedicantem dirigentes, et rotula adtracta exoneraturi. Aderat Deo sic dirigente senex quidam cui JACOBUS CERMELINUS nomen erat, qui viso animi designato subita et intensa voce adhuc satis tempestive Praedicantem his verbis inclamavit: *Signor Calandrino guardatevi, incurvatevi*, i. e. Domine Calandrine attende Tibi et incurva Te; et hoc faciens Calandrinus globulos et lapides e sclopeto emissos evitavit, qui supra et juxta caput ipsius praetervolantes in parietes Templi illisi deciderunt. Monachi, viso sagittam non adtigisse scopum, bonum senem qui Praedicantem monuerat, pugione transfixerunt, et ad suggestum penetrantes eodem cultro concionatori aliquot vulnera intulerunt, populo ad crudelitatem inauditam stupefacto, et quod metueret idem fatum omnes manere, ad defensionem se comparare nesciente. Bonus concionator domum reportatus est saucius, et metuebantur vulnera esse lethalia: Senex ille ex vulneribus acceptis vitam clausit. Acta haec sunt mense Februario Anni MDLXXII. m) Monachi in fugam se dederunt, nec fuit in festinatione et clamore illo qui latrones insequeretur, aut capiendos clamaret; de facto autem suo quo delati sunt palam gloriabantur, et secus Larium navigantes atrocissima quaevis in haereticos spirabant, ajentes mox affore tempus quo Vallistellinae et Raetiae haeretici exscindendi sint. Sic impune elapsi sunt sicarii nefando facinore perpetrato, et frustra Raeticus Senatus illos perquisivit. A Congressu tamen die XI. Martii allegati Anni celebrato JO. WYSIO Jenaziensi et PETRO BUNDIO Desertinensi huic Trahonae, illi Morbennae Praetoribus mandatum fuit, in facultatem latronum inquirendi, et fisco III. Foederum adjudicandi. Ipsa quoque MORBENIENSIS Communitas ad Comitia die Martino sacro habita citata fuit, ex causa quod ad talia facinora conniveret et sibi conplaceret;

m) Relator. facti. datae d. 29. Febr. 1572. Tom. Conf. Campell. Tom. II. Cap. LXXII. pag. 1496.

ret; quod etiam inde confirmabatur, quia alium quendam, qui Pastorem CASPANI ante aliquot annos interficere ausus fuerat, impunitum inter suos vivere sinebant, imo fovebant n) Et haec *tà ópla tys ttrateias 'ekeinoon tà donatà.*

Nubi exemplorum allatae unum adhuc adjicio, quod ante allegatis parallelum haberi queat, in ipsa autem Raetia patratum. Illud ex Campello ipso ad Bullingerum referente percipe.

„ Ignosce mihi, sunt Campelli verba, Venerande Domine,
„ quod rursus Tibi aetate gravi, et alias plus satis adversa va-
„ letudine afflicto sim molestus. Quidam concionator fuit
„ cum pius tum doctus nomine CONRADUS EPISCOPUS, qui
„ quum propter veritatem et fortitudinem non parum invidia
„ odioque impiorum et veritatis hostium in Superiori Foedere
„ laboraret, non pauca etiam hinc passus, jam ante quinquen-
„ nium circa Ilantium oppidulum offensus fuit mortuus, infra
„ viam abjectus, non sine suspicione latrocinii, quod et vulnera
„ et livores satis aperte testari videbantur, maxime quum esset
„ homo, si alius, maxime sobrius. Quare illius ex fratre Ne-
„ pos Simon Episcopus, cum sit boni ingenii ad studia prose-
„ quenda commendatur. „ Datae sunt hae litterae die XXI. Sept. Anno MDLXXIII. Haec ad unum Caput satis.

Appendix.

Exscriptum Caput elaborantibus nobis, dum illius aevi pervolutamus documenta, plura etiam in manus inciderunt, calamitosum Evangelicorum in Italia statum indicantia, et inter illa Exempla quaedam exstantiora, et memoria digna: ea nos ex tenebris eruere et ab interitu vindicare utile judicavimus, cuipiam forte usui futura.

n) Act. publ. Bnyb. XI. Mart. 1572.

I.

Ulysses Martinengus Comes a Barcho, Clavenna ad Bulling. Idib. Xbr. 1563.

„ Veneti, caeterique Italiae Principes saevam adversus pios persecutionem prosequuntur, nuperque Mediolani undecim nobiles cives religionis causa in carcerem conjecti sunt: Severissima quoque Edicta de nonnullarum regionum pestilentia infectarum commercio fugiendo facta sunt, in quarum numero et Dominorum Rhaetorum ditio est. „

II.

Thobias Eglinus ad Bullingerum, e Curia die 2. Mart. 1568.

„ Ex Valletellina scribitur ab eximiis Viris, Mantuae Virum summum religionis ergo in vincula conjectum esse, et quia homo ille ipsi Duci sanguine conjunctus sit, propterea Ducem, Inquisitorem de liberatione sollicitasse. Inquisitor id potestatis habere denegavit ac respondit: agnoscere se quidem Ducem pro suo Domino; Papam tamen longe excellere, cujus haec causa agatur, propterea se non posse annuere ac istum Virum liberare. Paucis post diebus Dux ipse Nobilem quendam misit ad Inquisitorem ejusdem rei gratia ut oret ac exoret istius Viri liberationem. Inquisitor noluit, et in sua potestate minime situm esse repetiit: Ostendit tamen claves, si ipsi vi ac illicita potestate eum vellet liberare, reddant rationem, se vero id neutiquam facturum. —— Romae quotidie aliquot comburuntur, suffocantur, decollantur, omnes carceres et custodiae sunt impletae, adeo ut indies de novis carceribus exstruendis laboretur. Vix ampliſſima quamvis Roma piorum numerum capit et detinet. Combussit eximium quendam Virum nomine CARNESECAM olim Florentini Ducis oratorem. Detinuit etiam duos alios longe eximiores, quorum alter vocatur Baro BERNHARDUS de Angole, alter Comes a PETILIANO Romanus verus ac strenuus: sed saepius ad deflectionem sollicitati, tandem palinodiam cecinerunt,

cinerunt, modo liberarentur, et liberi vivere possent. Quid fit? Alter eorum aeternae custodiae addicitur ac 8000. coronatos pendere cogitur: alter 1000. coronatis mulctatur, adque perpetuam Jesuitarum coenobii custodiam damnatur. Sic vitam turpi deflectione lucrati sunt, ipsa morte miseriorem. Haec in praesentia ex Italia habui. „

III.

Idem ad Eund. 20. Mart. 1568.

„ Ad Dominum Bonettum ex Genua perscriptum est, *das zu Modena im Herzogthum Ferrar sey ein reicher Edler Herr dem Pabst verzeigt als ein Ketzer —— damit er nun Ihn in seine Klauen bekomme, ward die Sache auf diese Weise angestellt. Es hatte gedachter Herr einen Vetter zu Rom: dieser ward auf die Engelburg beruffen, und ihm diese Propositition gemacht*: Aut subito hic occideris; *oder du must deinen Vetter zu Modena schreiben, das er unverzüglich in Bolonia auf gesetzte Stunde kommen, dahin wollist auch kommen, dan du heigist nöthige Ding mit Ihm z' reden. Den Brieff hat man eilends gen Modena geschikt. Der Herr ist gen Bolonia geritten, und kaum ein Fuss mögen inne haben, da ist er von Stund an gefangen worden.* Alter demum liberatus. *Das heist ein Drackenböfsl.* „

IV.

Idem ad Eundem. d. XXIX. Mart. 1568.

„ Nisi maximopere vererer, ne hoc tempore ad Te scribendi negotium Tibi facesserem, uberiores ad Te dare erubescerem. Nunc cum tantis negotiorum ponderibus hac praesertim tam truculenta temporum conditione graveris, unicum saltem casum, qui VAIENZAE in Italia contigit in praesentia memorare audebo. Vir quidam et generis splendore ac virtutum praestantia nobilissimus, cum Christianae religionis nomine et suspicione hostibus esset proditus, raptus est in squa-

squalidum carcerem, diuque in eo asservato, acerrima tandem quaestio fuit decreta. Cumque vi tormentorum ad defectionem adigi non posset, iteratis quaestionibus sic miserum exercuerunt ut in ipsis tormentorum anguſtiis magno cum ejulatu exspirarit. Fama tantae Tyrannidis percrebrescente, cives cum signo dato undique concurrere, furor arma ministrare, obvia quaeque arripere, delubra dilacerare, aras cum imaginibus evertere, inque Sacrificulorum caput omnia ruere et tendere. Pars sibi fuga consulere, pedibus alii proteri, plerique trucidari et expelli: Gubernatorem denique ipsum vix evadere, ac varii generis tumultus et seditiones per totam Italiam serpere, viresque acquirere. Haec pro certo apud nos scribuntur et dicuntur. D. JESUS suos ex faucibus suorum hostium clementer eripere dignetur, Ecclesiaeque suae profundam jamque diu exoptatam pacem largiri. „

V.

Idem ad Eund. d. XV. Jan. 1569.

„ Nuper civis quidam noster Mediolani fuit, talemque tragoediam se spectasse affirmat. Doctor quidam a Deo vere doctus juvenis adhuc, religionis Lutheranae, ut appellant, nomine accusatus diuque in vinculis retentus tandem suspendio dignus judicatus est. Sententia autem fuit lata ut caudae Equinae alligatus traheretur ad patibulum. Exoratus tamen, ductus non tractus fuit. Semi autem strangulatus cum deficere recusasset, lento igne tostus fuit, tandemque canibus dilacerandus expositus. Constans fuit in vera fide, ac Monacis justum Dei judicium extremo etiam spiritu praenunciavit. Haec autem omnia vidit et audivit quidam e numero civium nostrorum. „

VI.

Id. ad Eund. d. XXII. Jan. 1571.

„ SELII Superioris Ingadinae Ecclesiae Minister, homo Italus pro certo mihi retulit se ibidem loci ex Capitaneo Baptista a Salicibus torquato

quato Pontificio, qui ex Italia scripto acceperit pro certo intellexisse, Ferrariensem Inquisitorem, (antequam terra contremuerit,) [*de quo terraemotu antea dixerat*] XV. Monachos Lutheranismi suspicione laborantes in quasdam angustias detrusisse, fumoque grandi excitato suffocasse. Postea ingravescente terraemotu Duci obiecisse, id damni ac miseriae quidquid sit hinc inde exoriri quod haereticos non durius tractarent, ac diligentius inquisitionem instituerent: respondisse Ducem: Verum esse, se quidem tantae calamitatis causam praebere: Sed non quod lenius aut remissius hactenus egissent, sed quod innoxio sanguini tam parum aut nihil pepercerint; unde ipsorum sanguinem nunc fundi necesse esse, ut innoxius a manibus ipsorum requiratur. Hinc suspicionem grandem ipsi Duci natam esse, adeo ut a Pontifice requisitus ac admonitus edicendum ei sit: cujusnam religionis amator ac professor se declaret. „

VII.

Jo. Lascius Polonus ad Bulling. Patavio. d. XIII. Novembr. 1572.

„Ne de vita nostra pro Tuo amore dubitares, paucis scribere libuit. Iter nostrorum Dei clementia faustum felixque fuit; etsi nonnullam difficultatem ante Brixiam experti sumus quod Mediolano, (ubi arcem munitissimam perlustravimus) absque iis litteris veneramus, quae testarentur nos in nullo pestilenti loco fuisse. Adeo hic diligenter pestilentia cavetur; quae nunc vehementer grassatur in universa Polonia. Venimus autem hanc in urbem XXI. die Octobris, in qua paullo ante nostrum adventum tres sunt capitali supplicio affecti, videlicet Pater cum filio et genero ob religionem Lutheranam: antehac vero quartus ab uxore proditus. Nudius quintus Imperator Venetorum e classe rediit. - -„

VIII.

„Mandato Reverendissimi D. D. FEDERICI CORNELII Episcopi Bergomensis et Comitis etc. ac Reverendi Domini AURELII ODASII ordinis

ordinis Praedicatorum ejusdem civitatis Bergomi et Districtus, haereticae pravitatis Inquisitoris, intimetur praecipiaturque personaliter in his scriptis.

Magnificis Equitibus, Dominis (Hieronimo et M. Antonio) fratribus ex Magnifico Domino Antonio de Gromulo nec non Magnifico Domino Medeae, eorundem Magnificorum Equitum Matri.

Quatenus hinc ad tertiam diem ab horum intimatione futuram, sub pena Excommunicationis latae Sententiae, trina tamen trium dierum canonica monitione praemissa, ac aureorum quingentorum auri, eis et cuique eorum inobedientibus auferendorum, fabricaeque SSmae Inquisitionis applicandorum licentiasse, atque e laribus eorum propriis excuriasse habeant, et omnino debeant, et quique eorum habeat et debeat Dn. HERCULEM SALICEUM, qui a non nullis diebus (ut ad noticiam SSmae congregationis Inquisitionis venit) domi eorundem Magnificorum Dominorum fratrum moram traxit, et hoc rationabilibus urgentibusque causis animum Reverendissimi Episcopi, ac Reverendi Inquisitoris moventibus, et pro debito Officii eor. Aliter ad hujusmodi poenarum fulminationem exactionemque procedetur.

In quorum fidem etc.

Bergomi ex Episcopali Palatio
die 18. Aprilis, 1572.

Hieronimus Novellus,
Officii SSmae Inquisitionis Not. m. †

CAP. XIX.

CAP. XIX.

1567 —— 1571.

Zanchius Clavennae vexatur, et Plurium ſecedit; unde Heidelbergam ad Theologiae profeſſionem vocatur. Eidem Clavennae ſufficitur Scipio Lentulus Neapolitanus. Hujus fervor adverſum italos Serveti ſeu Arii dogmata propugnantes, exauditur a Raetica Synodo, quae a Proceribus impetrat edictum, cujus tenore omnes Confeſſioni Raeticae et Tigurinae ſubſcribere recuſantes, Raetica ditione exire jubentur. Varia judicia ſuper Decretum editum. Scripta in illud ſparſa contectaque a Barth. Sylvio, Mino Celſo Senenſi etc. Proceres in exſecutione Decreti indulgentiores ſe exhibent, quam aliquibus e Miniſterio placuiſſet. Joſiae Simlerus et Rod. Gualtherus libros Raetico Senatui inſcribunt. Fridericus a Salice beata morte decumbit.

NOn multa ſunt quae de HIERONYMI ZANCHII Clavennae Miniſterio adferenda habemus, praeter pauca quae adtulimus ſupra: quae autem ad manus ſunt, eundem quamdiu in Statione illa ſtetit a Symmyſtae importunitate vexatum fuiſſe declarant. Mali iſtius hominis artes tantum apud coetum effecerunt ut Zanchius dimiſſus fuerit, quo facto orbi declaravit illo dignum non fuiſſe. Tantum potuit aliquorum improbitas. Tentavit equidem Synodus, ad quam cauſa delata fuit, conciliationem inter partes firmare, ſed conatu

infurctuoso, etenim praevalens factionis vox, moderatiora consilia non admittebat. Zanchius itaque patienter tum adversariorum jacula, tum Ecclesiae ingratitudinem, tum bonorum in causa bona defendenda oscitantiam tulit; et ne ingratos vel oculis adspiciendi haberet occasionem, relicta Clavenna, Julio m. Anni 1567. Plurium secessit, oppidum proximum, aedificiis opulentia ac mercatura nobile, ubi inter amicos et affines commodam vitam traxit. Disco ista ex Thobiae Eglini ad Bullingerum scriptis, inter quae et sequentia sunt: „ Sortem D. Zan„ chi multi Viri boni deplorant: ea tamen animi altitudine ac patien„ tia praeditus est, ut laetus nunc relicta Clavenna vivat Plurii inter „ affines ac bonos amicos. Scribit Clavennenses quidem triumpha„ re, sed minime apud cordatos. Nec credere possum unquam fore, „ ut dissidium hoc aliter componatur, ipseque restituatur. Adeo in„ clementes et asperos se in Synodo nostra praebuerunt. Sed fiat „ quod Domino visum est. Si qui in officio suo fuissent animosio„ res, nunquam eo res redacta fuisset. Utinam cum honore in istis „ regionibus retineri possit. „ Haec ille d. 29. Julii, 1567. Post uxoris suae, quae COELII CURIONIS filia fuerat, obitum, ZANCHIUS ad secundas nuptias transierat, et Clavennae LAURENTII LUMAGAE ex praeclara familia mercatoris filiam sibi in conjugem desponsaverat, a qua Pater filiorum et filiarum aliquot factus est. Cognati itaque ipsius et amici toti in eo erant, ut summum Virum apud se retinerent, quod ipsum etiam Evangelicorum in Raetia desiderium erat: at calamitosis illis temporum et Ecclesiarum circumstantiis non reperiebatur Statio tanto digna viro. *Scripsit ad me Zanchus*, (loquitur Eglinus) *plures esse in his partibus, qui unice in hoc incumbant ut retineatur, ac ab omnibus Ecclesiis vocetur in Vallemtellinam, Morbenium maxime, ubi liber sacrarum litterarum fiat Professor: Se tamen nullam conditionem acceptarum nisi accepto prius a Genevensibus consilio.* a) At facile est scitu causa cur Zanchius Morbennii Professorem agere recusaverit, et ex Thobiae verbis optime intelligimus, quae rursum adferre prodest. „ Morbennii, ait, locus plenissimus periculis est, idque propter Mona„ chos, quibus regni Anti-Christi adversarium veneno tollere, (aut alia „ arte perimere) facillimum esset, nisi singulari Dei gratia ac tutela „ defen-

a) d. 12. Aug. 1567.

„ defenderetur. Quia D. Zanchus ipse ad Vos proficiscitur Vir cla-
„ rissime non potui eum nisi meis quoque litteris gravatum dimittere:
„ quae autem causa sit profectionis ipsius, ipsi intelligetis ex ipso.
„ Vereor ne non e sinu et gremio nostro avellatur. Nostrum Am-
„ plifs. Magnatum scio futurum facilem ac promtum in D. Zancho
„ retinendo: de X. Jurisd. non nisi optima sperarim. De Superiore
„ tantum Foedere dubito, ac de Clavennensibus mille artificibus.
„ Dominus Jesus suum patrocinium nobis praestare non dedigne-
„ tur. „ b)

Neque defuerunt sub Zanchii Ministerio Camilli sectatores qui molestiam bono Viro facesserent, ob quos sortem Ecclesiae suae cum Bullingero suo saepius deploravit, ab istoque instanter petiit, caveret ne ulli Italo citius testimonium concedatur quam certo constet eundem de Deo, de peccato originali, de Satisfactione Christi, et de Praedestinatione, de animarum post exitum e corpore sorte et orthodoxam fidem tenere. c) Dum PLURII moras nexuit, inter sermones nascebantur ei disceptationes cum HIER. TURRIANO Ecclesiae Pastore, docto utique Viro, at illius farinae homine: hunc tamen ad meliorem frugem adductum fuisse conjici posse videtur ex Cel. Hottingero, d) sed de quo Ego multum addubito. Solebat de istis hominibus Zanchius dicere: *Facile est divinare unde hoc malum, et per quos fotum. HISPANIA* (Serveti patria) *Gallinas peperit, ITALIA fovit ova. Nos jam PIPIENTES pullos audimus.*

Non licuit ZANCHIO post excessum a Clavenna diu esse otioso; is quippe ut vacare auditus est, per amicorum commendationes a FRIDERICO III. Electore Palatino, ad ornandam Theologiae professionem in Academiam HEIDELBERGENSEM vocatus fuit. Discerpta erat Ecclesiae Palatinae facies per TILEMANNI HESHUSII clamores, qui colle-

b) Id. ad eund. d. 25. Aug.

c) d. 19. Aug. 1565.

d) Tom. III. p. 873. 874.

gas doctrinam Evangelicam in puncto Euchariſtiae ſecundum Eccleſiae Helvetiae confeſſiones, explicantes ferre impos, magnas rixas concitaverat: Sedandis itaque motibus iſtis aptiſſimus judicatus ZANCHIUS fuit, quod eruditio in illo juxta cum moderatione certaret, id quod in diſſidio cum Argentinenſibus Lutheranis antea teſtatum dederat. Vocationi obtemperans ZANCHIUS Decembri menſe Anni 1567. Raetiae in perpetuum valedixit, atque initio 1568. Heidelbergam delatus, URSINO celeberrimo itidem Theologo inde diſcedenti Succeſſor datus fuit. dd) Ubi reliquum vitae Annos adhuc fere XXIV. cum laude exegit, ad Superos evocatus Anno demum MDXC. 1. Novembr.

In honoratiſſima Statione illa conſtitutus, Zanchius, ſemper omni amore Raeticas Eccleſias proſecutus eſt, et de Statu earum ſollicite perquiſivit, licet FLORILLUM mente excidere ſibi nunquam paſſus ſit. Juxta alia quae accumulare opus non credo, teſtes ſunto iſtae, quas omnium loco adduco ad Bullingerum ex Heidelberga, d. 22. Sept. 1569. datae, ubi ſic:

„ Gratias Tibi ſummas debeo, quod librum de origine erro-
„ ris, quem olim Montalcinus pluris dextero oculo jubebat ae-
„ ſtimari mihi dono miſeris, et honorificam in eo mei mentio-
„ nem feceris. - - Usque quo Domine? Quid non ubique
„ Terrarum in pios fratres tentatur, agitur, ſaevitur? Sed hac
„ ratione maturat ſibi interitum Antichriſtus, quem cito perdat
„ Deus! De Rheticis Eccleſiis et ſollicitus ſum, et quid boni
„ ſperem non habeo, aut video: multa nam mala audio. Adſit
„ illis Dominus Jeſus, et pios ſervet fratres. Illud mihi eſt
„ omnino extra controverſiam Eccleſiam Clavennenſem nun-
„ quam bene habitarum, dum ibi fuerit Florillus, mirabilis diſſi-
„ diorum et turbarum artifex, utpote qui ad hoc unum natus
„ eſt, homo Hiſpanici ingenii, imperitus et parum bonus.
„ Hoc jam libere ſcribo quia libere etiam ſcribitur, et res ipſa
„ clamat, miſeram Eccleſiam. „

Ad

dd) Monum. Pietat. et litterar. pag. 205.

Ad Clavennenſis Eccleſiae curam aequo labore cum FLORILLO ſuſtinendam ſtatim poſt Zanchii exceſſum vocatus fuit SCIPIO LENTULUS, Neapolitanus patria, et vir doctiſſimus, Eccleſiae in monte Sondrii Paſtor laudatiſſimus, antehac vero Valdenſium in Angronia Valle Barba, i. e. Miniſter, ut ſuo loco, ni fallar, jam notavimus. Labor qui a Miniſtro in Clavennenſi Eccleſia exigebatur, Virum poſcebat in litteris firmatum, laboris indefeſſi, et in gubernationis negotiis dexteritate valentem: et talis erat LENTULUS, at valetudinarius valde, ſic enim ab articulari morbo angebatur, ut ſaepius *tripedem* ſe incedere dolere ſoleret; et ob hanc cauſam oblatam ſtationem lubentiſſime praetulit primae, in qua multum laboris cum itineribus obeundum erat, licet in iſta ſalarium non mediocre modo eſſet, ſed ad laboris qui requirebatur proportionem, tenuiſſimum, et tantum non ad improperium miſerum. En ipſiusmet verba:

„ Quod ad me adtinet ſic habeto: (ad Bullingerum communem Patrem haec ſcripta ſunt) me diſceſſiſſe a monte Sondrii bona illius Eccleſiae venia, quod labori ferendo non eſſem ob imbecillem meam valetudinem, (laboro enim jamdiu articulari morbo) quum vici diſtarent inter ſe haud parum, ac propterea in ea Eccleſia Miniſterii exercitia potius eundo, vel potius itando eſſent conficienda, quam praedicando. Quo factum ut vocatus ab iſta Eccleſia Clavennenſi, huc me contulerim. Habeo hic collegam D. SIMONEM FLORILLUM civem meum, qui Te etiam atque etiam amanter ſalutat. Eſt iſthic quidam frater Italus JULIUS SANTERENTIANUS olim Dn. PETRI MARTYRIS f. m. aſſecla; cuperem erudiri an ejus doctrina et vita ejusmodi ſint, ut vocatus aliquam provinciam poſſet cum laude gerere. e) Ego (ſic idem alia occaſione) in Theologicis, CALVINI ſcriptis, quem primo Genevae docentem audivi, deinde TUIS (Bullingeri) utor libentiſſime. Etenim quum in ENGRONIA Miniſterio Evangelico fungerer, tantis diſtrahebar negotiis ut vix Bibliis legendis ſuppeteret. Hic (Clavennae) quum quin-

„ quies

e) d. 8. Sept. 1567.

„ quies in singulis septimanis sit concionandum, scire potes
„ quantum superſit temporis ad scripta illa fusa, qualia sunt M.
„ LUTHERI legenda. f) Paullum filium meum quem ad
„ vos ad excolenda studia mitto, quam enixissime commendo.
„ Annum studuit latina, apud D. Tobiam Curiae, quo Tobiae
„ filius (Raphaël) ejus loco fuit Clavennae. Peto ut ratio-
„ nem habeatis meae tenuitatis, ut qui praeter centum eono-
„ natos, quos Ecclesia dat Salarium, nihil aliud prorsus habe-
„ am. SCIPIO CALANDRINUS Minister Ecclesiae Morbenienſis
„ quo cum hic sum, Vos salutat. „ g)

Qui regno cuipiam aut liberae Reipublicae novam faciem dare moliuntur, observati plerumque sunt Regis aut primarii illius viri, cujus humeris gubernatio super imposita subsistit, mortem exspectare, tum vero sub Successoris initia omnes animos colligere, et ad Imperantis animum frangendum, omnes lacertos commovere. Idipsum stratagema, discedente Zanchio, tentare cum LENTULO nupero Clavennae Pastore annisi sunt CAMILLI Sectatores in ea Ecclesia adhuc residui, primoque impetu ejus animum prosternere aut labefactare tentarunt: Sed in opinione falsi sunt, LENTULUM quippe et animosum et in gerendis his Domini bellis veteranum militem et vigilem supra quam exoptassent experiri debuerunt. Exercuere namque doctum illum Virum in ea palaestra jam ante dudum, farinae illius homines, qui passim per Vallemtelinam dispersi erant, cum quibus ipsi identidem congrediendum erat. Antequam Clavennam vocaretur, is ad JO. WOLPHIUM Professorem Tigurinum in eam rem ita conquestus erat: „ *Mihi, ut aliquid de rebus Ecclesiae, cui servio, Tibi communicem,* „ *mihi, inquam, fere quotidie est quasi confligendum cum hominibus italis,* „ *quod tamen et ipse Italus quum sim, minime pudebit dicere, quibus* „ *nulla religio placet, quando papistica eis incepit displicere. At Dei* „ *beneficio sunt hic pii et cordati Viri, qui una mecum fortiter resistunt,* „ *neque ullo modo permittunt Satanam praevalere.* „ Haec ille d. XIX. Octobr.

f) d. 3. Jun. 1575.

g) die 6. April. 1575.

Octobr. Anno 1566. quo adhuc in Valle Tellina, in Monte Sondrii Paſtorem agebat: At Clanennam venienti uti meſſis amplior adfuit, ſic labor quoque cum illis hominibus adcrevit tantus, ut collegarum in Raetia Miniſtrorum, ſimul etiam ſecularis brachii auxilium implorare neceſſum judicaverit. Servavit nobis LENTULUS ipſe litteras ſuas quas ſuper eam cauſam ad Miniſtros Raetiae pro Synodo congregandos, Thobiae autem Eglino ac Pontiſellae inſcriptas, perſcripſit, quas heic exſtare decet, quum Eccleſiae Clavennenſis Statum curatius delineant. In illis poſt plura huc non pertinentia, loquitur hunc in modum:

„ Ut poſitis in tempore de ratione tota eorum quae ſunt
„ praeſtanda cogitare, paucis ſtatum et quaſi Eccleſiae noſtrae
„ miſerandam faciem vobis ob oculos ponemus: Eſt hic itaque
„ quidam SALOMON Plurienſis faber ferrarius, pene alter Ale-
„ xander, de quo tantopere D. PAULLUS apud Timoth. con-
„ querebatur, quod ſibi mala multa intuliſſet. Is namque
„ quum ab hinc decennium fuerit propter Arianiſmum ab hac
„ Eccleſia excommunicatus non modo in errore perſiſtit, verum
„ apud omnes quoque, quotiescunque ſe ſe offert occaſio, profi-
„ tetur eatenus ſe credere Jeſum Chriſtum eſſe Deum, quate-
„ nus fuit e Spiritu S. conceptus, neque agnoſcere eum eſſe
„ Deum Patri aequalem ſive parem ac una cum Patre creato-
„ rem coeli et terrae; atque impune hucusque hic impurus
„ canis paſſim filium Dei inſigni contumelia afficit. Rurſus
„ habemus hic LUDUVICUM FIERUM Bononienſem, cui paullo
„ antequam Salomoni, fuit et ipſi hujus Eccleſiae ſacris interdi-
„ ctum, quod impudentiſſime negaret JESUM CHRISTUM eſſe
„ aeternum, aeterni Dei filium, Patri parem et creatorem coeli
„ et terrae. Quam ob rem a Synodo tota habita Curiae
„ Anno MDLXI. recte fuiſſe Satanae traditum fuit declara-
„ tum. At quum is ſuperioribus diebus e Moravia huc ad-
„ puliſſet, tantum abeſt ut ab impia ſua Sententia diſceſſerit,
„ ut in ea nunc magis deliret, quam unquam alias deliraverit. Deinde neque eſt hinc relegatus adhuc HENRICUS
„ ille, et ipſe faber ferrarius, quamvis illum noſtrum omnium

„ nomine ad Praetorem noſtrum detulerim tanquam ſceleſtiſſi-
„ mum Anabaptiſtam. Praeterea verſatur quoque hic plerum-
„ que ac divertit ad hunc Henricum quidam ALEXIUS Triden-
„ tinus, qui eſt infamis Anabaptiſta, ut qui ſe profiteatur eſſe
„ furioſorum illorum hominum Apoſtolum. Habet praeterea
„ firmum hic domicilium jam exacto quadriennio quidam JA-
„ COBUS Venetus alias Sacrificulus; qui etſi nonnunquam ad
„ ſacras conciones accedit, nunquam tamen, utpote ſibi male
„ conſcius, ſacrae Domini coenae communicavit, nullaque alia
„ magis delectarur conſuetudine quam haereticorum, ſive hae-
„ reſeos ſuſpectorum: Paſtoribus et Eccleſiis ſemper impuden-
„ tiſſime obloqui conſuetus. Hujus autem ſive privignus ſive
„ filius, (ejus enim matri, ut conſtans eſt fama Venetiis con-
„ ſuefcebat) quamquam et ipſe ob graviſſimas cauſſas, et do-
„ ctrinae et vitae impurae convictus ab Eccleſia noſtra impius
„ et ſceleſtus eſt declaratus: attamen et hic habitat et quotidie
„ Eccleſiam deridet. Sed et huc migravit abhinc triennium
„ quidam PETRUS, qui ſe Romanum facit, quum revera mani-
„ feſtiſſimis ſignis deprehendatur eſſe Hiſpanus. Is initio qui-
„ dem bonam apud nos edidit fidei ſuae profeſſionem; Sed
„ eum poſtea comperimus profiteri Georgianum et Anabaptiſti-
„ cum delirium, librosque Georgii Siculi Haereſiarchae huc illuc
„ circumferre, ac nonnullis incautis et curioſis tanquam divina
„ oracula oſtentare. Eſt et inter iſtos connumerandus qui-
„ dam FRANCISCUS Bagniacavallenſis (eſt enim Bagniacavallum,
„ oppidum ſatis opulentum et nobile in ea parte Flaminiae,
„ cui Dux Ferrarienſis dominatur) qui et ipſe bonam ante apud
„ nos ſuae fidei confeſſionem ediderat: Sed ubi paullo poſt
„ alio conceſſit, ac ad nos inde rediit, coepit improbus nebulo
„ paſſim aſſerere Chriſtum eſſe non natura Deum, ſed gratuito,
„ ac veluti precario. His omnibus praeterea adjungimus JO-
„ ANNEM Mutinenſem, putidum quoddam ſilicernium, qui vel
„ audire nolentibus illud ingerere non deſiſtit regenitos omnino
„ non peccare, nec peccare poſſe. Quod etſi verum eſt,
„ ut per os Divi Joannis a Spiritu S. prolatum: tamen impu-
„ rus homo in eum ſenſum torquet, ut pro regenito non agno-

„ ſcat

„ scat eum, qui in aliquod post veritatem cognitam, (ut fert
„ humana fragilitas) peccatum lapsus fuerit, quamvis in Chri-
„ stum credat, et pro modulo gratiae sibi concessae e peccato
„ surgere nitatur. Quid jam commemorabimus eos qui con-
„ fessioni Raeticae subscribere detrectant, qui recusant ex ejus
„ praescripto de sua fide a Ministris interrogari? quin etiam to-
„ tam Ecclesiasticam gubernationem ac disciplinam vituperant.
„ Ad haec autem accedit et istud omnium malorum gravissi-
„ mum, quod non procul absunt, qui istis nebulonibus fave-
„ ant, eos protegant, foveant, atque adeo pro iis tanquam con-
„ junctissimis fraterculis suavissimisque congerronibus acerrime
„ pugnent. Videtis ergo fratres observandi quo in loco res
„ Ecclesiae nostrae sint, et quibus de causis ad vos, ut diximus,
„ confugiamus, utpote iis in malis versantes, quae procul du-
„ bio mox Ecclesiam hanc pessundabunt, nisi ocyus ei vos qui
„ apud DD. nostros plurimum, ut omnino par est, valetis, Au-
„ ctoritate quoque vestra succurratis. Quam ob rem ite-
„ rum atque iterum Vos rogatos ac obsecratos velimus, ut offi-
„ cii Vestri prorsus esse putetis tantam agendam causam susci-
„ pere, et quam primum ea ratione, quae vobis magis videbi-
„ tur idonea et accommodata nobis opitulari. Nobis autem
„ hoc potissimum consultum videtur ut impetrentur ab Illustriss.
„ D. D. nostris litterae, quibus diligentissime Praetori nostro
„ injungatur, ut ex hoc oppido, totoque agro Clavennensi eos
„ omnes abigat, a quibus sicut paullo ante diximus, Ecclesia
„ nostra perturbatur. Supervacaneum autem esse existimamus,
„ pluribus vobiscum hac de re agere, quum nobis vestra satis
„ superque pietas sit perspecta &c. Valete. Clavennae,
„ die VII. Novembr. Anno MDLXIX.

Adpropinquante habendi SYNODUM tempore, LENTULUS querelas suas repetiit, et ut communi opera medela adhiberetur institit. En ipsa ejus ad Ecclesiastas Curienses verba:

„ Illud etiam vobis est animadvertendum, in Volturena ac
„ locis circumvicinis non deesse haereticos praesertim Arianismo

„ et Anabaptiſmo infectos. Ad eas autem peſtes profligan-
„ das tametſi ſedulo incumbamus: tamen interim perditi nebu-
„ lones nobiscum commorantur, neque ex his regionibus pe-
„ dem movent, qui, licet ipſis nullus ad Eccleſiarum noſtrarum
„ communionem pateat aditus, ſenſim tamen perniciem non
„ vulgarem Eccleſiis et Miniſtris aſſerunt. Sumus itaque in
„ ea Sententia, hujusmodi homines, qui doceri ſe nulla ratione
„ patiantur, imo in deterius ruant, ex harum regionum limiti-
„ bus penitus eſſe exterminandos, ut Eccleſiae publice ac priva-
„ tim caveatur. Quocirca vehementer cupimus, ut a noſtris
„ DD. illud impetrare ſummo ſtudio contendatis ne cui in his
„ locis commorari liceat, niſi qui Raeticae confeſſioni, vel manu
„ ſi ita opus fuerit, vel aſſenſu ſubſcripſerit: quam unam eſſe
„ exiſtimamus iſtarum avertendarum peſtium viam. Sic enim
„ omnino fiet, ut hi vel regionem hanc deſerant, vel noſtrae
„ confeſſioni ſubſcribant. Quod ſi qui ſubſcripſerint, et po-
„ ſtea fidem datam fefellerint, tum demum fidos Paſtores Ma-
„ giſtratuum auctoritatem oportuerit requirere, a quibus dignam
„ ſua perfidia poenam ferant. „ Haec Lentulus die octava Maji, Anno 1570.

Synodus Miniſtrorum Evangelicorum menſe Junio Curiae congregata, lectis litteris a nobis jam adductis, ab Eccleſiaſtis Curienſibus praeſentatis, LENTULI Symmyſtae ſollertiam et in munere ſuo peragundo ſtudium collaudavit, ſimul etiam conſilium quod idem ſuggeſſerat, ad liberandas Eccleſias ab illis hominibus, maxime proprium eſſe judicavit, ſuoque calculo comprobavit. Eadem occaſione uſus Tobias ſcandalum et continuum laborem quem in Eccleſia Curienſi ſibi faceſſerent Tardius lanio, et FRELUS Anabaptiſta, ad genium identidem redeuntes, copioſe expoſuit; circa quos pertinaces, Synodus idem medium, quod Arianizantibus illis applicandum cenſuit. Quum ergo eodem menſe oratores communitatum Curiae ad Comitia congregandi eſſent, TOBIAE EGLINO commiſſum eſt totius Synodi nomine illis periculum Clavennenſis caeterarumque Eccleſiarum, quod abs hominibus illis extraneis immineret, exponere, eorumque auctoritatem ad confirmanda Synodalia Statuta, eaque in exſecutionem mittenda implorare, effi-

efficereque ut qui Confessioni et Statutis Raeticae Synodi non assentirentur aut subscribere recusarent, illi e Raetorum ditione abire juberentur. Exsecutus est EGLINUS commissum fideliter: et Comitiorum Oratores petitum Synodi aequum et justum esse judicantes Rescriptum hujus tenoris extradiderunt.

„NOS TRIUM FOEDERUM Oratores in Conventu Mense Junio Curiae celebrato coacti, audita expositione coram nobis facta a Venerabili D. Tobia Eglino divini verbi in Civitate Curia Ministro vice ac nomine totius Synodi Religionis Evangelicae, conjuncta cum petitione pro confirmandis aliquibus Statutis ab ipsa Synodo constitutis, ad evitanda prava et damnata quae videntur sub aliquo praetextu irrepere dogmata: visis etiam ipsis Statutis decernimus: Ea passim in provinciis nostris Vallis Clavennae et Plurii, ac Vallis Tellinae, a quibusvis esse servanda, sub poena inferius descripta: quae quidem sunt: Ut unusquisque sive subjectus nostrae ditioni, sive alias commorans, in iis locis nostro dominio subjectis, teneatur de duabus Religionibus unam, videlicet aut Sacrosancti Evangelii, juxta confessionem ipsius Synodi Curiensis, aut Romanae Ecclesiae, pure ac syncere profiteri, pariterque illius suae quam profitetur Religionis Symbola ritus ac leges sequi ac observare aperte, ac citra ullam fraudis suspicionem, Dogmata autem Ariana, Anabaptistica et alia quaecunque damnata a. S. Christiana Ecclesia in Provinciis nostris, atque eorum ritus ac fermenta tolli, eradicari, et amoveri volentes constituimus, ut si qui de illis locis commorantes deprehendantur (super quo etiam diligenter inquiri cupimus et jubemus) esse infecti aliqua hujus contagionis macula, ii declarentur a Magistratibus et officialibus per nos in illis locis deputatis, pro haereticis, ac ex Dominio nostro, alio in perpetuum relegentur; quin etiam priusquam id fiat, puniantur ex ipsius Magistratus discretione. Declarantes insuper, ut unusquisque ei Religioni, cui se addixerit, subscribere teneatur, ac id maxime ab iis praestari volumus qui Religionem sequi se velle profitebuntur expressam in Curiensis Synodi confessione: alioquin habendi et multandi, quemadmodum superius est explicatum. In quorum fidem has fieri, et sigillo civitatis Curiae omnium nostri nomine roborari voluimus. Actum et datum, ut supra, die XXVII. Jun. Anno MDLXX. „

Decretum istud quando ab Officialibus in terris subditorum proclamatum, et publicis locis affixum fuit, animos Arianizantium maxime offendit, quorum caput TURRIANUS Plurienſis Miniſter facile habebatur, et huic adſentiebantur Solienſis Vico-Supranenſis, et Caſtanetanetanae in Praegallia Eccleſiarum Paſtores, juxta caeteros per Vallem Tellinam ſparſos. Non muſſabant modo iſti, ſed aperte dicebant: Decretum iſthoc iniquiſſimum eſſe, quum libertatem conſcientiae tollat, circa quam tamen nulli ſeculari foro competat judicium: Hujusmodi Decreto, Romanam Inquiſitionem per poſticum in Eccleſiam reduci, quam tamen a ſe quam longiſſime rejectam voluerint primi Reformatores, ut ipſa lex Chriſti mandet: nunquam fuiſſe optimos Proceres de tali Decreto cogitaturos, niſi praepoſtero Zelo Miniſtrorum ad id cudendum inducti et incitati fuiſſent. Quin imo in Decretum illud calamum arripere, ac ut aboleretur evincere nil veriti ſunt, BARTHOLOMAEUS SYLVIUS tunc Trahonae Eccleſiaſtes, MINUS CELSUS Senenſis nuper ex Italia adfuga, quibus MARCELLUM SQARCIALUPUM profeſſione medicum adjungimus, ſcriptis in illud memorialibus libellis. Primus SYLVIUS in Decretum Dominorum CENSURAM ſtrinxit, ea praefidentia, ut ipſa ſua manu conſcriptum exemplar unum, BULLINGERO, quem tamen orthodoxiae aſſertorem minime tepidum eſſe noverat, transmittere non dubitaverit: *Avtographon* hucdum aſſervatur in Bibliothecae Canonicorum Tigurinae Scriniis Hottingerianis Tom. XXVI. fol. 343. ſq. In eo Zelum Paſtorum Raetorum praepoſterum reprehendit, eosque ceu Spiritus Chriſtiani, et caritatis vacuos ſugillat: Subſcriptionem confeſſionis alicujus extra verbum Dei, absque tyrannide a nemine hominum exigi poſſe contendit; paſſim vero et fere unice infirmitatem ſuorum crepat, quorum rationem haberi debere per legem Chriſtianam poſtulat, et Magiſtratum in ea quae ſunt fidei ingerere ſe non debere inculcat. Haec libelli nec adeo docti, nec politi ſumma eſt. JOSIAS SIMLERUS Tigurinus Profeſſor, in libro cui titulum fecit: *Scripta veterum latina de una perſona et duabus naturis in Chriſto*, Anno 1573. edito de Sylviani libelli argumento breviter egit, quae ad SYLVIUM pudefaciendum ſatis eſſe poſſent: accuratiori tamen limae ſubjicere cenſuram illam voluit SCIPIO LENTULUS, qui Reſponſionem ſuam primo ab Eglino, Campello, et Concio Biſazio in Raetia, tunc etiam a Bullingero et Gualthero

thero Tiguri adprobatam, juxta cum Sylvii (quem tamen nuspiam nominat) scripto, licet demum A. MDXCII. Genevae apud Jo. le Preux exprimi typis curavit, sub hac rubrica: *Responsio orthodoxa pro Edicto Illustrissimorum Dominorum TRIUM FOEDERUM RAETIAE adversus Haereticos et alios Ecclesiarum Rheticarum perturbatores promulgata: in qua de Magistratus authoritate et officio, in coercendis Haereticis, ex verbo Dei disputatur.* Quum ex titulo exscripto abunde libelli argumentum quale sit intelligatur, prolixiori ejus recensione abstineo; unum saltem delibabo paragraphum quo ad obtentum imbecillitatis a Sylvio ingestum, respondetur, eo quod ad genium illorum hominum et dogmata plenius cognoscenda faciat. Haec ergo pag. 186. Lentulus

„ Scimus Dei beneficio dandum esse lac parvulis, qui
„ solido cibo non sunt comedendo. - - - Sed haec nil pe-
„ nitus ad rem nostram faciunt, quum, ut supra demonstratum,
„ res non sit nobis cum parvulis et infirmis, sed cum iis qui
„ infantiam et infirmitatem simulant quo magis noceant, aut
„ aperte jactant se nobis esse in rebus divinis multo adultiores
„ et firmiores. An aequum est praetextu imbecillitatis quo-
„ rundam callide et malitiose illam simulantium, Dei veritatem
„ sceleratis nebulonibus conculcandam permittere. Imo quaeso
„ quaenam caritas haec tua mi Pastor egregie, lupos ovilla larva
„ tectos demulcendo, totum gregem in maximum periculum
„ adducere? Sed fingamus esse revera infirmos, sicut Tu eorum
„ sortem commiseratus dicis, quamdiu istos feremus negantes
„ veram Jesu Christi Servatoris nostri deitatem: negantes in
„ unica essentia divina esse revera tres personas, Patrem, Filium
„ et Spiritum Sanctum, ita ut eorum unusquisque sit per se
„ verus ille sed unicus Deus, tametsi non sint tres Dii, sed
„ unus Deus: negantes Praedestinationem particularem: concu-
„ piscentiam esse peccatum: Christi justitiam per fidem nobis
„ imputatam: negantas ullam esse regenerationem nisi perfe-
„ ctam, quod in hoc mundo posse et necesse esse fieri affir-
„ mant: negantes Christi beneficium in eo potissimum consistere
„ quod is sua morte nobis adquisiverit nostrorum peccatorum
„ remissionem, et non vim quandam, ut ipsi somniant, qua in

hoc

„ hoc mundo fiamus impeccabiles: negantes hominem peccato
„ ita esse corruptum, ut nullum ad vere bonum habeat liberum
„ arbitrium; nisi Deus in eo et quidem potenter ipsum affici-
„ endo, opus bonum ipse inceperit et perfecerit: negantes
„ Apostolos fuisse dum viverent semper eousque peccatores ut
„ ipsos semper oportuerit precari, ut sibi remitterentur peccata:
„ negantes Ecclesiasticam disciplinam a Domino institutam, et
„ ab Apostolis pie inviolateque servatam: quin ipsum negantes
„ verbi Dei Ministerium, sive dum reputant illud esse puero-
„ rum seu carnalium exercitationem, sive dum omnibus volunt
„ fieri in Ecclesia, vel quidquid in buccam venit, loquendi po-
„ testatem? Negantes animae immortalitatem, aut dicentes se
„ nescire an ea vivat post corporis mortem nec ne, ac illi som-
„ nium adtribuentes, quo permaneat consopita quousque vene-
„ rit Dominus, qui illam ex eo est excitaturus ad judicandum
„ vivos et mortus. Deficeret me tempus volentem omnia
„ delira fanaticorum istorum narrare. Quousque Censor fe-
„ remus istos tuos delicatulos infantes, qui tamen tantum vi-
„ rium et astus habent, ut Christianae Religionis fundamenta
„ tentent convellere?„

Alter italorum qui supra Decretum Raetorum editum, scripto libro displicentiam testatus fuit, est MINUS CELSUS Senensis, ille de quo hactenus inter eruditos dubitatum fuit et certatum an proprio hoc nomine Vir illo aevo sic nominatus vixerit, an LELIUS aut FAUSTUS SOCINI, SEB. CASTALIO aliusve sub adscititio nomine latere amaverit. Nunc vero evictum dedit Cl. SCHELHORNIUS Memmingensis Bibliothecarius et litterator summus, proprio hoc nomine virum, ipsa de qua modo agimus aetate, ex Italia, ubi eruditionis et famae splendore fulgebat, in Raetiam nostram, in qua Italorum tunc temporis seges abundabat, accessisse, indeque post triennii circiter moram Anno praeter propter 1572. Basileam demigrasse, ubi etiam, quantum conjectare liceat, ultimum diem clauserit. Ex ejusdem Celeberr. Viri deductione liquet MINUM nostrum, PAULLI V. Pontificis truculentia, qua in plurimos summae dignitatis viros desaeviebat, territum, aetate jam satis provecta per varios casus, per dira pericula vitae, patriam tellurem Anno

no MDLXIX. relinquere coactum fuisse: huncque ut optatum senectuti suae quaereret nidum, a crudelitate securum in quo Deum ad conscientiae ductum rite colere posset, intra Alpes RAETIAE se recepisse. Ipse MINUS in dedic. Novi Test. latino-Gallici Basileae A. 1572. Kal. Sept. scripta ad exilii ipsius Epocham hanc statuminandi ansam abunde claram praebet, quando dicit: *Quum ex Rhetorum jugis, quo ante triennium diros pietatis hostes fugiens memet receperam, huc ad saluberrima Basileae moenia contendissem &c.* Bonus iste vir in tranquillum delatus portum in duo ex insperato offendicula incurrit: unum, quod animo commoveretur ob magnum dissensum qui gliscebat inter confratres maxime suos tunc in Raetia exulantes commorantesve, alterum ob persuasionem aliorum contendentium haereticos extremo supplicio afficiendos esse, cui Decretum a RAETIS Proceribus editum viam quadantenus sternere videbatur. Ista proinde controversia de haereticis a Magistratu quatenus puniendis, inter Ministros Raetiae, et italos quosdam in Praegallia Clavenna et Valletellina concionantes cum fervore agitata, CELSUM ipso temporis articulo ex Italia fugitivum et inter hos commorantem, (ni eundem illis accensere allubescat, ad quod autem credendum indicia sufficientia desunt) permovit ut scripto quodam argumenta eorum, qui pro haereticorum poena, vehementer pugnabant discuteret, et contrariam mitioremque Sententiam argumentis non proletariis consolidaret. Fecit id primo italico sermone, typisque eam disquisitionem mandare statuerat; verum gravioribus curis ac difficultatibus, quae ab exsilio suo acrius sibi impingebantur, molestissime impeditus rem non tantum distulerat, sed prope oblivioni mandaverat, quum Basileam delatus nova ejusdem argumenti scripta in ejus quasi oscitantis manus devenirent. Ibi ille in celebri officina Typographica PETRI PERNAE operas corrigendo honesta ratione victum parabat, atque in ejus aedibus latinam libri sui traductionem perfecit. Prodiit primum ejus *de haereticis capitali supplicio non afficiendis liber*, uti titulus prae se fert CHRISTLINGAE, at quantum laudatus auctor quem presse sequimur, in his sacris versatissimus ex typis auguratur BASILEAE Anno MDLXXVII. ex ipsa Petri Pernae officina, in qua eum correctoris vices obiisse demonstraverat. Lubet nunc in horum fidem ipsi MINI CELSI verba audire prout ex ante allegato ipsius de haereticis capitali supplicio non afficiendis libro, Sect. I. p. 9. sq. Cl. SCHELHORNIUS

HORNIUS, (nos enim libro destituimur) expressit. De primo offendiculo, *sic MINUS CELSUS*: „Hoc propterea dico quod quum ab„ hinc triennium religionis ergo Italiam fugiens, Antichristi manus eva„ sissem, et longo defessus itinere, maximisque exantlatis laboribus ad „ RHETORUM Alpes, ceu ad portum appulissem, ratus (ut apud fratres „ nostros Italos fere creditur) has inter Ecclesias, quas REFORMATAS „ jure merito nuncupamus, indissolubilem esse doctrinae consensum „ et unitatem, reperi tandem maximo quidem animi mei angore, ta„ metsi omnes consentiunt Papam Rom. verum esse Antichristum, „ Missam omnia antiquae Idololatriae genera quam longissime superare, „ homines fide in Christum non propriis operibus justificari, Purga„ torium veras esse Papatus nundinas, Sacramenta duo, non septem „ esse: et in aliis demum piis sanctisque verae religionis articulis con„ veniunt: attamen earum quamplurimas plurimis in rebus inter se „ manifeste dissentire. Quapropter, quum unaquaeque illarum opi„ niones suas habeat pro articulis ad puram Christi religionem maximi „ momenti, profecto necesse est, in hoc opinionum discrimine ut una„ quaque partium opinionem suam pro orthodoxa fovente, persecu„ tione in haereticum admissa, alia aliam insectetur, alia aliam haere„ seos damnet et anathemate percutiat, alii demum alios, quicumque „ in suas manus inciderint ferro, igne, aqua e medio tollant. Hinc „ autem eveniat ut infectationis et sanguinis nunquam sit modus. „ Heu quam decentius, quam Deo honorificentius, quam pro pace „ inter Christianos servanda conducibilius, quam demum ad Anti„ christi communis hostis regnum deturbandum, ac demoliendum ap„ tius, in quo quidem nostra haec rem tractandi ratio plus quam par „ sit credere offensionis causam aliquibus piis ibi degentibus praebere „ potest, qui Papisticum hunc morem in Ecclesias nostras irrepsisse „ audientes; cunctabundi, quam paraverant fugam detrectant, nec im„ purae meretrici valedicunt: quam, inquam, decentius ac utilius esset, „ eos qui se perfectos vel agnoscunt, vel credunt, imperfectorum im„ becillitatem ferre, nec sibi ipsis placere, sed fratribus suis ad eorum „ aedificationem; quemadmodum Christus sibi ipsi non placuit. „

De ansa autem qua ad librum contra haereticorum supplicia conscribendum compulsus est, rursus MINUS CELSUS. „ Constanter affir„ mo,

„ mo, Deumque ipsum mentis meae testem appello me non odio aut „ invidia, non rixandi cupidine, non ambitione, inanisque mundanae „ gloriae libidine, non aliena suasione spe premii proposita, neque de„ mum studio haereticos a morte asserendi, ut libere ac tuto falsae „ doctrinae peste mundum contaminare valeant, provinciam hanc scri„ bendi, ac quibusdam resistendi suscepisse, verum animi offensione „ illa, qua sum mirifice affectus, quum Antichristi manus effugiens, „ Italia profectus intra RAETICAS alpes quievissem, audissemque Evan„ gelicas nostras Ecclesias, contra atque antea opinabar, non solum „ corporea poena haereticos mulctandos censuisse, sed apud aliquas „ etiam consuetudinem introductam esse, eosdem ultimo supplicio affi„ ciendi. Hac re una primum permotus, Deique gloriae studio „ deinde impulsus, ad eum quem mihi propositeram finem sum perdu„ ctus, et maximo quidem desiderio, spe autem non minore labores „ hos meos ad Dei gloriam, Christianaeque Ecclesiae utilitatem non„ nihil momenti allaturos.„ Hactenus ille.

Bene de publica re litteraria meruit Clar. SCHELHORNIUS, dum ad indicia ab ipso MINO CELSO signata adtendens, in ea quae circa Religionis causam tunc temporis in RAETIA acta sunt curatius inquisivit, et ex OTTII Tigurini olim Professoris collectionibus Anabapt. MSC. quas opportne possidebat, observavit acrem Anno MDLXXI. inter TOBIAM EGLINUM et JO. GANTNERUM Pastores Curienses, de poena Haereticorum concertationem agitatam fuisse, quam in rem magnam actorum illius Synodi partem suae Dissertationi inseruit, ut inde evinceret MINUM CELSUM abs concertatione in illa Synodo facta commotum fuisse ad librum de haereticis gladio non coercendis scribendum. In quo quidem parum a vero abfuit, nam ea omnia in eum modum, quem Cl. Vir exscripsit acta sunt, et ansam illi ad scribendum dare potuere. At si statum personarum et rerum t. t. propius consideremus, oppido clarum fit, non adeo in GANTNERI privati hominis, ejusque natione germani, obstinationem a Synodo illa punitam digitum intendisse MINUM CELSUM, quam in confratrum suorum (inter quos degebat) italorum sortem, qui quum *plures* numero essent, et dogmata docerent ut *haeretica* proclamata, iisque Ecclesias *varias* inficerent, a caeteris vero Raetiae Ministris in *jus vocati*, et a *Decreto* Trium Foe-

derum publice affixo exsulare jussi essent, dignum demum isti objectum videri poterat, circa cujus explicationem et defensionem CELSUS MINUS studium suum collocare voluerit; quod ipsum sine dubio edoeturus praeclarus Vir ille fuerat, si quae nos ediſſeruimus ipsi nota fuissent.

Cur binis istis Auctoribus Raetorum Decretum perstringentibus tertium quoque addiderim, ansam dedit sequens THOBIAE EGLINI Epistola ad BULLINGERUM die XVIII. Febr. MDLXXII. data quam etiam MUSEO HELVETICO Part. XVII. pag. 137. insertam esse adspicio. Talis est.

„ PLURII novus surrexit Academicus, nomine MARCELLUS
„ SQUARCIALUPUS medicus, homo doctus, qui prodigiosam
„ istam quidvis sentiendi impune Sententiam non mediocribus
„ viribus asserere procul dubio conabitur. Expunxit ille
„ nuper tria haec CITOLINI *) cujusdam carmina, quae ad illu-
„ stria RHAETORUM insignia Gentilitia ad parietem depicta ho-
„ noris ergo adscripserat.

Fortia signa simul connectunt armipotentes

Tergeminos populos sociali Foedere junctos:

Solamen profugis. Felices vivite semper.

„ Horum loco SQARCIALUPUS, cum videret Dominorum adver-
„ sus haereticos Edicta, repositit hoc suum distichon:

Est liber CHRISTUS, est RHETIA, liber et hospes,

Este procul vulpes, dura catena vale.

„ Ego

*) De Alexandro CITOLINO insigni Viro ob Christi confessionem apud Raetos, deinde in Angliam Exsule, quaedam memorabilia adfert Cl. Schelh. Diss. Laud. de MINO CELSO SENENSI pag. 66 — 72.

„ Ego vero, cum haec mihi D. LENTULUS scriberet, rogavi,
„ ut hoc meum tetrastichon lupi istius loco ululatus legere non
„ dedignaretur.

Est liber CHRISTUS, est RAETIA, liber et hospes,
Sed grave servitium prodit ab Haereticis.
Calcatur CHRISTUS, non hospes ab hospite tutus:
RHOETE volens liber vivere pelle LUPOS.

Caeterum quoad Decreti exsecutionem, ut eo se nostra flectat, oratio, nuspiam Ego reperio a quoquam officialium in quenquam *'eterodidaskaluntoon* acrius et ad Statuti normam fuisse animadversum, seu quod homines illi aliam formam assumserint, seu quod a Magistratibus clementia justitiae praelata sit. Unus Machaeropola Sondriensis qui placita abnegare recusavit, a RODOLPHO SALICEO Vallis tunc Gubernatore rigorem Decreti sentire jussus est, teste Lentulo; cujus tamen nullibi nomen reperio. Sic indulgentia Dominorum, tam voces quam scripta Decretum incusantium impune per ora virûm volitarunt ad Mensem Martium Anni subsecuti MDLXXI. usque, in quo ad revisiones judiciorum ab officialibus factorum accipiendas SYNDICI per Praefecturas missi, etiam Decreti observationem et exsecutionem curare jussi sunt. Eorum in Syndicorum illorum numero etiam STEPH. WILLIUS Consul Curiensis, Tigurinorum amicissimus, et doctrinae Orthodoxae propugnator strenuus; neque tamen ab his praeter unum exemplum severioris paullo animadversionis statutum fuisse comperio. TURRIANUS enim, CAMMILLUS, SYLVIUS ipse cum caeteris omnibus, submissionem ac Synodi legibus obedientiam facile stipulati sunt, et antea commissa multis excusabant:

„ His mandatum ut proximae Synodo se sistant, et con-
„ fessioni subscribant, id vero ni fecerint, latam sententiam su-
„ beant. Indigne tulerunt Raetiae Ministri tantam Syndico-

„ rum indulgentiam, eo quod constaret eosdem confessioni
„ saepius fidem stipulatos esse, sed nunquam servasse. Qualis
„ autem homo fuerit quem Syndici ejecerunt, ex EGLINI ad
„ Bullingerum litteris d. 24. April. 1571. datis, quibus Syndi-
„ caturae illius acta enarrantur, cognoscendum dabo. Scripsi,
„ inquit, nuper perbreves, Reverendissime Domine, et prolixio-
„ res promisi, quas nunc tamen rebus aliis praepeditus prae-
„ stare non possum. Reversus est Amplis. Vir, D. WILLIUS
„ ex Italia, et postquam domi repperit et tuas lucubrationes
„ dono missas, et D. Gualteri litteras, utrique maximas gratias
„ egit, et de referendo beneficio cogitaturum anxie promisit.
„ D. Commissarii, quibus hoc negotii a nobis datum fuit, ut
„ in SERVETANOS, et ARIANOS nebulones quos infelix Italia,
„ sive Vallis Tellina fovet, accuratius animadverterent, unum
„ tantum ejecerunt nomine CHRISTOPHERUM qui SONDRII Lu-
„ dimagistrum egit, hominem quidem summe, sed perverse doc-
„ tum, Arianum sive Servetanum, et nescio quibus aliis mon-
„ stris personatum et horrendum, qui frontis expers coram
„ D. Commissariis Trinitatem verendam blasphemaverit, dixe-
„ ritque: *Wie könt ein alter Esel einem jungen, so er geboren*
„ *hat, in allweg gleich sey? &c.* Horret animus, cui haec
„ tam atrocia subeunt. Ejectus ille est nebulo, qui severius
„ aliquid commeruerat. Caeteri omnes una cum SYLVIO
„ multis se excusare sunt conati, et propterea impetrarunt a D.
„ Commissariis ut in futura Synodo nostra compareant, se no-
„ bis, nostraeque confessioni subscribant, et conjungant, nisi
„ hoc fecerint, latam in ipsos etiam Sententiam Exilii scil.
„ subeant. Quid autem non audent distorta Italorum inge-
„ nia? Non semel et SYLVIUS subscripsit confessioni nostrae
„ modo securus esse possit: postea haereses et pestes suas aliis
„ affricare non dubitavit. Rectius meo judicio D. Commissa-
„ rii egissent, si quos propria turpitudo convicisset, exilio mul-
„ ctassent. Sed auro splendente nulla pollet oratio: et quis
„ resisteret tot sanctis? olim corruptus quidam dicebat. Ni-
„ mirum Synodus proxima plena contentionis erit. Deus
„ faxit ut bene erumpat! Ocyssime, 1571. 24. April.„

Qua-

Qualiter autem super heterodoxos illos a Synodo proxima, Junio Mense Anno MDLXVI. habita, statutum fuerit, et quae illi ad sui exculpationem tentaverint, sequenti statim capite articulatius dicetur, quo acta illius Synodi ex documentis eo pertinentibus exhibituri sumus.

Huc referendum venit JOSIAE SIMLERI Theologi Tigurini celeberrimi institutum, quo aliquot veterum latinorum Ecclesiae Doctorum insignia monumenta latina de una persona et duabus naturis JESU CHRISTI tractantia, adversus Nestorium, Eutychetem ac Acephalos olim scripta, in unum volumen collegit in capita distincta, summariis illustrata, annotationibus necessariis indicibus instructa edidit Anno 1571. Ad quod faciendum animatum fuisse a controversiis ubiquiticis, quae t. temporis acerrime agitabantur, facile conjectu est. Sed habuisse eundem Arianizantes in Raetia ob oculos Praefatio secunda operi praefixa ostendit. Dedicatum enim est opus illud *Clarissimis* (sunt Simleri verba) *et Nobilissimis Viris, Magnificis Dominis, Judicibus, Consulibus, Ammanis, ac Senatoribus TRIUM FOEDERUM Veteris Rhaetiae, citra et ultra Alpes sitae.* Veteres illi, quibus SIMLERUS in hoc suo opere locum dedit, sunt primo Imperator ipse JUSTINIANUS, tum Romanus Consul juxta ac praeclarus Philosophus ANITIUS MANLIUS SEVERINUS BOETHIUS. Hos excipiunt Pontifices Romani duo LEO M. et GELASIUS: duo praeterea Episcopi FULGENTIUS Afer Ruspensis, et VIGILIUS Tridentinus, qui in Raetorum prope finibus Evangelium docuit, ac Martyr oppetiit. Postremo JOANNES CASSIANUS Eremita, MAXENTIUS JOANNES, et RITTICUS Diaconus.

Tria exemplaria ab Auctore Dominis supradictis transmissa ejus nomine illis pro Senatu congregatis exhibita sunt a TOBIA EGLINO Curiae Pastore: Senatus munus oblatum sereno vultu accepit, inque propensi animi testificationem argenteam pateram, TRIUM FOEDERUM insignibus insculptam ei decrevit. Haud dissimili consilio RUDOLPHUS GUALTHERUS Aedis Petrinae Tiguri celeberrimus Ecclesiastes, prior, Domino STEPH. WILLIO Curiensi Consuli, amico veteri, libellum sex Homiliis de Incarnatione JESU CHRISTI tractantem, constantemque dedicaverat. Sed haec *'en paròdoo.*

Ante-

Antequam vero provehamur, praeterire non decet memoriam pientissimi et nobilissimi Viri D. FRIDERICI a SALICE, pietatis, eruditionis et eloquentiae nomine inter primos Rhaetiae Proceres censiti, ac ob eas virtutes, honestissimis ad summos Europae Principes legationibus functi, qui corporis exuvias placide deposuit Anno MDLXX. die XIV. Junii, annum agens quinquagesimum octavum, in aedibus suis SAMADENI, ubi etiam cum piorum ductu sepultus, resurrectionem justorum exspectat. Adhuc in vivis erat Pater ejus D. RODOLPHUS a SALIS de Promontonio, annum jam supra nonagesimum agens, vir et ille pace belloque clarus, qui filii amatissimi funus uberrimis lacrymis prosecutus, sed non diu post anno nempe MDLXXI. d. 25. Martii, eundem in aliam vitam secutus est. Friderici vidua, URSINA, Jo. Traversii filia, demum Anno 1585. d. 2. Septembr. decessit. Erat FRIDERICO filius unicus, cui JOANNES TRAVERSUS nomen erat, Bullingeri olim commensalis et discipulus, bonis artibus ab incunabulis innutritus, qui postea Anno MDLXXXIII. Vicariatus in Valtellina officium gessit. Et hic ex Eva Planta, Thomae Zuzienfis Nobilis filia novendecim liberorum Pater factus est; de quorum uno FRIDERICO scilicet, ab avito nomine et stirpe degenere suo loco dicendi erit occasio.

CAP. XX.

CAP. XX.

1571.

Tardius et Frellus Anabaptistae Curienses in proposito persistunt, nec ullam correctionem admittunt: idcirco urbe ejiciuntur. Jo. Gantnerus Pastor unus, patrocinium eorum suscipit, et officio se abdicat admodum leviter. Senatus Gantnerum dimittit, et Campellum in ejus locum substituit. Gantnerus Tobiae infensus fit ob eam causam, et alium Pastorem in Canavico exauctorat, semetipsumque intrudit. Mense Junio Anni 1571. Curiae Synodus congregatur, coram qua Tobias et Gantnerus acriter disceptant: at Gantnerus causa cadit secundum omnes partes. Gantnerus receptionem implorat et obtinet, sed Tobiae deprecari recusat. Hinc rursus ejicitur ex Ministrorum numero, et haec Sententia a Proceribus Raetiae confirmatur. Gantnerus indies durior evadit, et contemta Synodo in Ecclesiolas se ingerere conatur: Sed a Senatu Curiense ejicitur in exilium. Odia hinc nata in Tobiam, qui Curiae aegre servatur. Gantnerus conciliat se cum Senatu, nunquam cum Synodo. Ministri Itali Arianizantes a Synodo excluduntur: at emanet exsecutio, praedicantibus illis in suis Ecclesiis. Tardius unus Anabaptistarum privignum suum securi pectori impacta occidit, et aufu-

git: Sic exſulavit ut latro, qui potuerat haberi a ſuis Martyr. Anabaptiſmo ex hoc facto labes adcrevit, ob quam indies obſolevit.

Auctores qui Anabaptiſtarum Martyrologia condiderunt, ab olim notati ſunt omnem induſtriam ponere in depraedicanda ſuorum quos laudandos ſuſceperunt pietate, moleſtia, conſtantia; multi e contra eſſe in exaggerando Judicum rigore et iniquitate; interea autem comperiuntur iidem panegyriſtae, tales in Martyrum ſuorum numerum adſeruiſſe, qui minime ob fidei dogmata ſed ob atrocia crimina, alii vero ob inobedientiam, obſtinationem aliaque mala, commeritis poenis affecti eſſe convincuntur. Id dictum inprimis quoad illos valet, qui in Helvetia ſpeciatim Tiguri, ac Bernae carceres aut mortem pertuliſſe allegantur, ut norunt qui Acta cum hominibus illis, originaria ac genuina oculis ſuis luſtrarunt, quorum alia pars etiam in vulgus edita eſt; idipſum exempla HERTZERI, FELICIS MANZII, JOH. LANDIS aliorumque, quae hic accumulare nil adtinet, comprobant. Adeo verum eſt obſtinationem malum eſſe hominibus illis adnatum, et per quod fieri ſe Sacro-Sanctos ſibi perſuaſerunt, at malum quod omnem ſimul circa eos emendandos operam infructuoſam reddit: unde Magiſtratus quando multoties moleſtos hoſpites extra ditiones ſuas amandavit, iſti vero neglecto omni interdicto identidem redibant, labem ſuam affricare aliis ſatagebant, ſaepius a neceſſitate compulſus fuit duriora exempla ſtatuere, ut Eccleſiam juxta cum Republica tueretur. Eandem prorſus animi indolem geſſerunt illius temporis Anabaptiſtarum coryphei duo in civitate Curia degentes, quorum ſupra fecimus dicendi initium, TARDIUS Lanio, et bibliopola FRELLUS, quotiescunque enim ut Eccleſiae ordini ſe accommodarent, ritusque Sacro-ſanctos juxta cum reliquis Eccleſiae civibus obſervarent, a Senatu ſaepius admoniti ſunt, illi aut obedientiam detrectarunt, aut ſi verba dederunt, ea nunquam ſervare intenderunt, nedum ſtuduerunt. Adhuc tolerati illi fuerunt aliquamdiu, et injunctum Eccleſiae Paſtoribus illos ad meliorem mentem revocare ſed omnia fruſtra: indulgentia quippe illi adhuc abuti, Eccleſiaſtas dicteriis laceſſere, totamque Religionis

gionis formam traducere non verebantur. Quum itaque pertinacia illa medelam omnem respueret, amplissimus urbis Senatus tandem post multas moras, ad avertendum ingens offendiculum, protervos Sanctos duos illos urbe sua ejicit. En vero quid inde secutum! Ministrorum Ecclesiae alter JO. GANTNERUS coetus ad Div. Regulam Pastor, quum animo hominibus illis faveret, in publicis concionibus Magistratus Edictum injustitiae accusare coepit, tandem concionandi quoque munus renunciavit, sperans fore ut citius Anabaptistae revocarentur ab exilio, quam facundo alias et amato Pastore carere eligeret Ecclesia juxta ac Senatus. At secus evenit: atque Gantnerus qui eandem tibiam influre pergebat, ab officii sacri functione omni abstinere jussus fuit. Tum Gantnerus in Symmistam TOBIAM EGLINUM exacerbari, et quasi omnis mali fontem inclamare. TOBIAS contra et se et causam omni nisu defendere, ac ad suppressionem Spirituum Anabapisticorum omnia moliri, movere. Tota haec causa prolixe et magna animorum contentione agitata et disceptata fuit coram integra totius Raetiae SYNODO, Anno MDLXXI. Curiae, medio Mense Junio, celebrata, a qua Gantnerus erroris, et male facti reus damnatus, et juxta cum Ministris Italis Arianismum foventibus, e numero Ministrorum exclusus fuit. Ad instantes tamen aliquorum intercessiones, Gantnerus adhuc in eadem Synodo receptus est sub conditione ut Symmystae injuriam factam deprecetur, et palinodiam propria manu conscribat; at ista hic facere subterfugit, et ob id receptionis gratia in perpetuum privatur. Hoc facto GANTNERUS commotus, indies durior factus est, neglectoque Synodi Statuto apud alias Ecclesias se ingerere studuit, obtinuissetque mansionem, nisi brachii politici resistentia amotus fuisset imo et ex civitate relegatus. Conscripsit ejus controversiae tractationem, prolixe et vere CAMPELLUS Cap. LXIX. et LXX. quorum illo Historiam ediderit, hoc argumenta Gantneri discutit: at opus illius versari hactenus paucis datum fuit. Qui Ecclesiae Raeticae memorias condiderunt, BARTHOL. AOHORNIUS, et HOTTINGERI duo, omnem hujus concertationis memoriam silentio praetervecti sunt, ille forte quia documentis destitutus fuit, hi autem ex prudentiae lege, quod eam minus Ecclesiae profuturam existimarint: unde Clariss. Hottingerus junior contentus est dixisse GANTNERUM, Anabaptistarum partes susce-

fuscepisse. a) Nostris demum diebus Clar. SCELHORNIUS, quum opportune ad manus haberet OTTII Tigurini collectiones Anabaptisticas MSS. quibus etiam Acta cum Gantnero inscripta erant, magnam partem Actorum Synodi Curiensis Anno MDLXXI. a Tobia Eglino ad Bull. perscriptorum Dissertationi suae de MINO CELSO SENENSI inseruit ediditque: unde motus Celeberr. BREITINGERUS, eximiam Epistolarum ad dilucidationem controversiae illius facientium copiam, ex latebris Archivorum excitavit, et bono publico in Mus. Helv. Part. XVI. et XVII. foras dedit. Est autem TOBIAE scriptum, quod Acta Synodi illius ad Bullingerum perscribit, ita articulatum, ut nihil distinctius possit desiderari: continetur in eo rei gestae Historia copiosa et sollicita: et Synodi Acta de die in diem, de Sessione in Sessionem. Illud itaque ipsum heic extare volo, non mancum ut foras dedit Cl. Schelh.; sed prorsus integrum, quod tamen ad Synodi Protocollum adhuc exstans exegi, quoad aliqua (nomina propria ut plurimum) ubi erat aberrans a vero correxi, aut ubi defectuosum supplevi: nihil ejus omisi inserendum quod ad Gantneri favorem, dum causam suam peroravit aut egit, pertineret reperi. Adfectus vero loquentis in hoc scripto, utut sit vehemens, lectorem tamen a veritatis cognitione non abducet. Additiones meas, aut correctiones, asteriscо solum notare volui; ne scriptum male aut passim interpolatum existimari possit.

a) K. G. Tom. III. pag. 897.

TOBIAE

TOBIAE EGLINI ICONII Eccleſiae Curienſ. Paſt.

Deſcriptio Actorum in Synodo Curienſi A. MDLXXI. Menſ. Jun. celebrata quoad JO. GANTNERUM, Anabaptiſtarum fautorem, ſupra quaeſtionem: An liceat Magiſtratui haereticos externis poenis compeſcere et in ordinem redigere, et aliquot Miniſtros Italos Arianizantes, perſcripta ad

HEINR. BULLINGERUM Eccl. Tigur. Antiſt. caeterosque ejusd. Eccleſ. Miniſtros.

Non dubito Colendiſſimi Patres Vos pro Veſtra in nos cura et benevolentia mirari quid tandem actum ſit in SYNODO noſtra quartana atque omnium frequentiſſima, utpote cui ſex quoque praecipui et doctiſſimi ex Rhetico Magiſtratu ceu PRAESIDENTES interfuerunt, ad hoc deſtinati a Dominis Trium Foederum, Ex Superiore Foedere ſummus Judex * CHRISTOPHORUS CAVAZZA Ilantinus, et * Dominus PETRUS GEORGIUS ſive Tſchorſch ſpelucenſis homo acutiſſimus; ex Domo Dei, Dn. STEPHANUS VILLIUS coſ. et JACOBUS BIVERONIUS * ſammadoenus, ſed in cujus abſentis locum ſedit JOAN. PONTISELLA Ludimagiſter Curienſis, ac Senator. Ex Decem Jurisdictionibus, Dn. CONRADINUS PLANTA Foederinenſis, ſeu Fidriſienſis, Domini Raetienſis frater, et Gubernator RODOLPHUS a SALICIBUS Malanſienſis, homines prudentia et doctrina illuſtres. JUNII XI. igitur poſt habitam concionem PRIMA fuit SESSIO, in qua ante meridiem pro more MINISTER (Decanus Praeſes) Dominus CAMPELLUS et duo Aſſeſſores una cum ſcriba electi fuerunt. Dici non poteſt quam importunos ſe MARIUS et GANTNERUS ab initio exhibuerint, totique Synodo jurgiis, rixis, dicteriis, et convitiis, una cum victoriae ſpe et anticipatione oppoſuerint. Omnibus viribus enitebantur ne CAMPELLUS in Miniſtrum, Ego vero in Aſſeſſorem crearer. Sed aliter fratribus placuerat. Communem ordinem Synodi hactenus honeſte ſervatum Momus ille ſolus

invertere conabatur, et a censura, Tigurino more incipiendum esse vociferans, considerationem causarum tam gravium impedire, et Gantneri ineptiis succurere subdole tentabat. Fratres Momi istius insolentia commoti poenam ejectionis in turbatores et contumaces constituerunt primo: deinde Sabbathum non esse transgrediendum etiam in necessitate nisi ex Superiorum permissione, ne avaritiae necessitas praetexatur in legis Dei violationem et Papistarum offensiones. Huic se acerrime opposuit MARIUS, utpote qui liberum rusticis fecit etiam luce sacra post concionem labores quoslibet subire, cujus etiam audaciae a D. Praeside, ut suo loco audiemus, publice fuit accusatus. Tertio in prima illa Antemeridiana sessione, absentibus adhuc Dominis, rationem a nobis Curiensibus exigere voluit; cur pueri singulis septimanis, ut olim factitatum, non catechisentur. Ego regessi me morem, quem a Dn. FABRITIO acceperim hactenus strenue et diligenter esse tutatum: provocavi etiam ad leges Synodales ut recitarent quid singulis Ministris in ea re statutum faciendum sit. Lex septies quotannis examinandos jubet pueros: Ego autem excessi istum numerum, ficque MARIO calumniatori os occlusi. Postea dubitatum est, quid statuendum sit, si neutro parente fidele existente, ipsorum infans tingendus nobis offeratur. Quidam non baptizandum esse dixerunt; quidam ac major pars in medio reliquerunt. Cumque per occasionem FRELLI nostri Anabaptistae mentio fieret, GANTNERUS alta voce intonuit; FRELLUM non esse Anabaptistam. Dn. PONTISELLA restitit ac dixit: Gantnere! Tunc solum negabis esse clarum tempore meridiano. Regessit Gantnerus: eventum id comprobaturum, ex quo jam viciisse putabat. Post haec omnia deliberatum: An pane Azymo vel pane communi in coenae administratione utendum sit, cum Christus quoque communi usus aliquando fuerit. Dn. JULIUS MEDIOLANENSIS ac LENTULUS azymo potius si haberi possit, utendum censuerunt, maxime si mos inveteraverit, ne quid cum aliorum offensionibus immutetur. MARIUS nos Papistas esse calumniatus est, si azymo pani inhaereamus, *dan Christus habe gut dicke Bitten gebrucht, die dem Hunger haben mögen wehren.*

In pomeridiana Sessione causa nostra tractari coepit, praesentibus jam Illustrissimis Dominis. Jussus GANTNERUS edicere, si quae habeat

beat quibus gravaretur. Renuit id facere, ac me accusatorem constituere voluit, siquidem Senatum incenderim ad ipsius depositionem. Decreverunt Domini ut GANTNERUS conqueretur, si existimet sibi injuriam factam esse; non enim se credere Amplis. hujus urbis Senatum quidquam sine causis praeclaris in hac tota causa egisse. Exorsus igitur Gantnerus exponit: quod TOBIAS contra Christianam caritatem et decorem agens Amplissimum Curiensem Senatum, in GEORGIUM FRELLUM Curiensem civem arte librorum compactorem eousque incitarit, ut dictum FRELLUM ceu Anabaptistam et Svenkfeldianum de civitate ejecerit et relegarit, quum tamen vulgo constaret quam placidam et tranquillam honestus ille homo vitam semper egerit, et quod idem ab errore, in quem olim ex Zelo non pravo, sed bona intentione ceciderat, penitus destiterit, ac neutiquam amplius Anabaptista esset. Fuisse illum nescio quomodo a sacris coetibus alienum, offensum impietate nostrorum qui Christianorum libertatem in peccandi licentiam converterent, nunc vero eum de coetibus pariter et Sacramentis recte sentire.

Eam Tobiae in bonum Virum infectationem quando ipse (GANTNERUS) adverterit, non potuisse se diutius continere, quin pro illo se interponeret, ideoque publice de suggestu et coram ipso Senatu docuisse se et protestatum esse, in iis quae sint fidei non ita praecipitanter esse agendum, neque tantam violentiam aut tyrannidem exercendam, ut in FRELLUM sit actum. Et quum dicendo saltem, revocationem Frelli non obtineret, ex eadem causa permotum se, conditionem concionandi Senatui renunciasse, ut palam testaretur, cum ejusmodi violentia ac Tyrannide nil se rei habere velle: quonium Dominus noster CHRISTUS et sancti Apostoli neminem ad fidem coëgerint, sed potius docuerint et praeceperint ut Zizania sinantur crescere, nec ante messem evellantur: ut malo non resistatur: ut inimicus beneficiis afficiatur: et ut nemo omnino ad fidem compellatur quae liberum Dei donum sit. Postea vero Amicorum et auditorum persuasionibus commotum se fuisse ad conditionem quam renunciaverat rursus suscipiendam, quod et sibi persuaderi sit passus, ne piorum aedificationi deesse videretur, at infelici prorsus successu, ob Symmistae Domini Tobiae infectationes. Ex hujus enim instigationibus ab amplissimo Senatu

suam

suam illam de ratione in rebus fidei agendi doctrinam sibi exprobratam fuisse, et a se effiagitatum, ut se erravisse fateretur. Hoc autem facere se prorsus recusasse qui muneris functionem rursum assumens amicis quidem promiserit se pro FRELLO amplius sollicitum non futurum, neutiquam vero quod veritatem amplius confiteri nollet. Quam ob rem se causam hanc octavo Idus Octobr. elapsi anni rursus perstrinxisse et occasione ex XIII. Mathaei capite de Zizaniis arrepta, majoris concordiae instaurandae causa dixisse: non esse quod quis se pro Anabaptista habeat, nam quod antehac docuerit, se etiam posthac docturum dicturumque, nempe Frellum exsilio mulctatum esse innocentem, neque tali modo cum errantibus esse agendum &c. Hanc suam concionem fuisse qui siniſtre interpretati sint, et perverse explicaverint, quasi communem confessionem impugnasset, Anabaptistarum dogmata tueretur et doceret publice ac palam: et horum malevolorum vocibus factum quod Amplifs. Senatum sibi infensum expertus sit, a quo indicta causa, ac altera parte non audita concionandi tum in urbe tum in agro potestatem sibi fuisse interdictam. Hinc vero convicia et probra se tolerare multa, indigne quidem quum secum aeque atque cum FRELLO pariter insonte sit praecipitatum. Horum vero culpam omnem unum TOBIAM esse, qui flabellis suis ad eum agendi modum Senatum semper incenderit; et haec esse summam eorum quae in Symmystam haud libenter quidem, at necessitate coactum esse conqueri. *) His et aliis ejuscemodi multis germanice a GANTNERO prolatis Amplifs. Dn. Consul WILLIUS una cum PONTISELLA calumniosam impudentiam Gantneri admirati, responsum meum suo testimonio antevertentes, aperte dicebant: rem istam longe aliter in apricum venturam; non enim Magistratum neque in FRELLUM neque in GANTNERUM illam exercuisse neque Tyrannidem neque iniquitatem, imo remissius egisse, quam officii ratio ac horum hominum desperata pertinacia requirat. Cumque Gantnerus in causa illa dicere nihil posset, quod non in contumeliam Magistratus incideret, ipse vero oestro Anabaptistico ita percitus esset, ut ex confesso Magistratum patrium incusare ac reprehendere paratus esse videretur: Amplifs. Dn. Consul et

*) Totam hanc Gantneri actionem magis ex Auth. actorum verbis, quam ex Tobiae Scriptione, repraesentamus.

et Dn. Pontisella hanc injuriam ac calumniam ocyus Senatui detulerunt, qui statim summum Tribunum ac alium Senatorem nobis addidit, tanquam testes et auditores earum rerum, quarum ipsi a Gantnero improbe accusarentur. Hi ubi commissionem suam explicassent, nihilo modestior fit Gantnerus, sed semper talia spargebat, quae odiose nimis Magistratum carpebant, quasi praeter justas causas uterque ab ipso fuisset deturbatus. Ego rogabam ut tandem meam responsionem audirent, quae Historiam rei gestae breviter ac vere omnibus esset propositura. Facta mihi potestate habui Orationem illam quam vobis mitto, in qua primo Historiam tantum spectandam illis proposui, deinceps vero ubi post Gantneri elumbes responsationes, testibus confirmata esset ad confirmationem Sententiae nostrae delapsus sum. Complectitur autem Historia illa Annos aliquot, intra quos haec nostra disceptatio versata fuit. Conscripseram jam antea germanicum librum, in quo prolixe omnia consignavi, quae a decennio in hunc usque annum in hac causa obtigerant. Ex hoc germanico scripto summam tantum in hanc meam Orationem conjeci tanta rerum connexione ut unum saepe aut alterum verbum longam ac integram in se complectatur Historiam, contentus si necessariora saltem uno aut altero verbo perstringantur, adeoque adumbrentur.

ORATIO TOBIAE ICONII EGLINI

Ad Venerandam RAETIAE Synodum Curiae congregatam qua acta cum Frello, et Gantnero Anabaptistis hactenus, historice enarrantur.

Maximi res fuit scandali, et quidem omnium opinione majoris Amplissimi Viri, Patres, fratresque colendissimi, quae Anno praeterito in nostra illa Ecclesia inter GANTNERUM et ME contigit. Cum videlicet Pastoris officio functus illum adversum habui in arcendis famelicis quibusdam lupis, qui jam plures annos, circum septa nostra frementes, maximum Ecclesiae damnum intulere. His enim dum ille parcere, Ego vero depellere ab ovilibus cuperem, Ecclesiae nostrae facies non-

nihil immutata, multorum calumniis expoſita fuit. Praeter enim quod haereſum monſtra uberrime ſucceſſere ac adoleſcere videbantur, moveri civitas ac diſſenſio civilis, quaſi permiſtio terrae oriri coepit. Quantis vero ſannis et malevolentiae voculis haec noſtra concertatio apud paganos excepta ac traducta fuerit, vix ſine lachrymis cogitare poſſum. Alius enim dicere Religionem Curienſem ceu hiulcam jam jam ſatiſcere, ac corruere: alius diſſidiis noſtris ambiguam plebem, ac imperitam multitudinem ſeduci, manifeſtos errores defendi, haereticos foveri: alius fovendos eſſe vociferari, nihilque apud eos quidquam penſi aut certi eſſe, qui caeteris tamen religione ac moribus praeſtare velint. Quae omnia Viri Praeſtantiſſimi non in eum finem dico, ut quenquam in conſpectu veſtro velim traducere, aut novis offenſionibus animos veſtros, audiendis noſtris diſſidiis lacerare; Neque enim nova res haec eſt, ſed antiquiſſima, neque peculiaris huic noſtrae Eccleſiae ſed aliis etiam communis, ut ſcilicet aſtu ac ludibrio Sathanae nova in illis ſubinde diſſidiorum accendantur incendia; Sed idcirco haec ad vos refero ut ſcandali hujus atrocitate perſpecta, certius eo vulneribus hiſce veſtra ope medeamini. Penes Vos enim praeeunte Spiritu S. ſpem unicam inveniendae veritatis, reformandi Eccleſias, tollendi Schiſmata, conciliandae pacis, exſtinguendi totum hoc incendium, ac haereticorum examen reſidere, atque hoc unicum ſemper fuiſſe perfugium ac aram calamitoſis Eccleſiae rebus perſuaſi ſumus: Quapropter controverſiam hanc noſtram prudenti ac pio judicio VESTRO lubenter ſubmittimus. Rogo igitur ut me cauſam controverſiae hujus explicantem benigne audiatis: faciam autem id quam potero breviſſime et dilucide. Primo occaſionem ac rem geſtam hujus certaminis bona fide narrabo. Deinde ex narratione rei geſtae colligam Statum controverſiae, ac ſi quid pars adverſa objecerit, intrepide diluam.

OCCASIO ET HISTORIA REI GESTAE.

Ab hinc decennium eſt Viri Praeſtantiſſimi ex quo Proceres et Paſtores hujus Eccleſiae diutinum et improbum quorundam Anabaptiſtarum furorem amplius ferre recuſarunt: propterea Anno MDLXI. menſe Novembri, PHIL. GALLICIO et JO. FABRITIO f. m. Paſtoribus adhuc vigi-

vigilantibus, publica DISPUTATIO in Curia noſtra ab Ampliſſimo Senatu indicta fuit, in qua praedicti Paſtores tam luculentam victoriam de fanaticis reportarunt, ut alter eorum in viam rectam poſt vincula reductus, alterius quoque lucrandi ſpes non exigua affulſerit. Interim poena pertinacibus conſtituta, ut qui reſipiſcere nolunt, e dominio Trium Foederum ejiciantur. Anno autem MDLXVI. cum praedeceſſores noſtri peſte eſſent abſumti, urbsque noſtra communi lue eſſet correpta et perturbata, coeperunt maligni iſti Spiritus criſtas ſuas denuo erigere, tantumque virium colligere, ut ſpem de ſe conceptam non modo fallere, ſed fidem etiam Magiſtratui datam turpiter frangere non dubitarint. Ut enim alter qui TARDIUS vocatur ex eo tempore pertinacior evaſit, ita etiam Bibliopola, quem FRELLUM appellant non modo ad volutabrum et vomitum rediit, ſed foetorem quoque STENKFELDIANUM cum furore Anabaptiſtico conjunxit. Etſi vero diu praeter meritum quam humaniſſime a nobis ſint habiti ac tractati, illi tamen nihilo ſecius antiquum obtinere, Magiſtratui debitam obedientiam recuſare, Praedobaptiſmum conviciis proſcindere, ſcabiem ſuam aliis affricare, omnia venenatis libellis miſcere ac replere, nihilque non facere et audere, quod pacem ac Salutem Eccleſiae turbaret et everteret. Veriti igitur AMBO NOS PASTORES ne iſta *gaggraina* tandem in *ſphakelon* morbum deflecteret, atque oſſa una cum carnibus periculoſe roderet, mature occurrendum eſſe huic depaſcenti morbo exiſtimavimus. UNO igitur ORE animis noſtris adhuc colligatis de ſuggeſtu Senatum incendimus, ne longius connivere velit, ut Eccleſia Curienſis quae hactenus profunda in pace ac multis dotibus efflorverit, paucorum lubidine flacceſcat. Quae certe conclamatio noſtra ſanctum Magiſtratum ac ſponte alioquin currentem ita excitavit, ut nihil ſibi vera pietate antiquius, nihil pace jucundius, nihil ſubditorum ſalute charius eſſe facile oſtenderit. Rupta enim omni mora turbatores iſtos omnes in Curiam accerſens, animosque illorum ultima admonitione fruſtra explorans, tandem Exilium illis praeſcripſit, niſi intra XIV. dierum Spatium errores ſuos correxerint. Hanc Sententiam aequiſſimam, etſi uterque noſtrum improbare haud potuerit, ne tamen ſoli, ut ſaepius conqueſti erant, illis Authores videremur per quos Magiſtratus ceu ſollibus ac flabellis ad executionem durioris Sententiae accenderentur, ſuppliciter pro ipſis Anabaptiſtis interceſſimus, rogantes Do-

minos ut suspensa ac mitigata sententia, nostrae institutioni fanaticos istos committerent: paratos nos esse mitissima quaeque cum illis experiri, et omnes vias persequi, quo ex iis errorum labyrinthis, si fieri possit, expediantur. Quamvis autem exiguum cum illis agendi Spatium a Dominis concessum esset, dimidium tamen annum, aut eo amplius, contra Dominorum Decretum distulimus, nihilque feliciter cum illis agere potuimus, partim quod labores nostri, illorum insania anteciperentur, eorumque duritiem ac pertinaciam exaequare non poterant: partim vero quod GANTNERUS nunc rustico opere faciundo, nunc abdicando se suo officio, interdum etiam tergiversando adeo difficilem se huic provinciae praebuerit, ut non modo remedium istud parce adhibuerit: sed neminem etiam in fidei rebus urgendum aut cogendum esse palam docuerit. Quae doctrina Academica dejectos Anabaptistarum animos ita continuo arrexit, ut insaniae suae largam indulgentiam consecuti, laxioribus habenis porro vivendum fore sperarint. Hinc FRELLUS indies magis magisque furere, animum suum erroribus obfirmare, dolis ac impostoris omnia miscere, sui similes lupos in gurgustium receptos fovere ac alere: contra vero fidis pastoribus medium digitum ostendere; eos seductores, Pseudoprophetas, imo meridianos Diabolos vocitare; ZVINGLIUM sanctae memoriae Virum, sanguinarium, bellatorem, sub terrae visceribus criminari, doctrinam ejus de Paedobaptismo in dubium ponere, denique in horrendas blasphemias erumpere, quibus Christi vera humanitas, Ecclesiae ritus, sigilla fidei nostrae convulsa miserrime periclitabantur. Eo enim vecordiae, eo exsecrandae blasphemiae homo audacissimus progressus erat, ut criminose etiam apertis litteris nos provocare et incessere non erubuerit, Arianos nempe impios, et Christi gloriae fures, et hirudines nos omnes appellans, qui Christum, hominem, creaturam nominemus. Quae certe calumnia si nostrum modo corpus cruentasset, devorari forsan facile a nobis potuisset: quia vero per nostrum latus Dei honos, Christi persona ac natura in dubium vocabatur, petulantiam certe tam virulentae linguae ferre amplius non potuimus, nec debuimus. Multo igitur tempore post, laesa patientia nostra, haec omnia ex officio, Amplissimo Magistratui detuli: Zvinglii doctrinae ac vitae Frelli calumniis ac mendaciis contaminatae patrocinium suscepi, sanctumque Senatum enixe rogavi, ut modum aliquem pestilentissimis hisce calumniis tandem statue-

re

re dignetur. Senatus ubi certis experimentis comperit pertinaciam istorum hominum non modo convictam esse, sed toti etiam Ecclesiae ac Reipublicae multis nominibus formidolosam, pristino consilio insistens, a FRELLO animadvertendi initium fecit, illumque ceu pestem nocentiorem primum urbe privavit et ejecit.

Hoc factum Dominorum non tam aequum quam necessarium GANTNERUS ceu iniquum et ex mero odio profectum statim vituperare, pro suggestu odiose exagitare, stationem suam levissime deserere, licentiam fidei propugnare, scripturae locos corrumpere, tandemque FRELLO insciis et absentibus nobis ab exsilio retracto, cum uxore, liberis, et propinquis ejus Senatum sollicitare, Pastor pro lupo intercedere, supplicare, mores, et errores illius extenuando purgare, Haereticos falsae clementiae obtentu Procerum gladio eximere, adde et minis etiam Patres conscriptos obruere, nisi lupum istum inter medias oves saevire, aequo animo patiantur. Senatus qua est pietate et prudentia GANTNERI audaciam ac inconstantiam non solum mirari, sed et multum reprehendere, eo nomine praesertim, quod cum hujus Ecclesiae vigilans Pastor esse debeat, nunc adeo impudenter contra Senatum lupis asperis abblandiatur, quibus tamen arcendis eundem Senatum non semel antea de Suggestu armaverit et incenderit. Quae certe animi perversitas tamque multiplex stationis desertio GANTNERO diutius impune non abiisset, nisi sigillatim ad officium suum continuandum non modo a privatis quibusdam, sed a me ipso quoque semel atque iterum fuisset fraterne admonitus: ipse parum sollicitus imo voluntaria oblivione conterens, quam odiosis et invidia turgidis obtrectationibus, bis me in Senatu, absentem et innoxium hostiliter proscidit. Nunc posthabitis istis officiis, caeteris omnibus purgatis, fortunae suae culpam in me unum veteratorie transfert, qui ipsum etsi frustra non semel tamen in viam potius revocare, quam de alio collega cogitare semper malui. Sed missis istis, Senatus hujus urbis Amplissimus, ne qua civibus officii sive dubitatio, aut mobili vulgo tumultuandi occasio ex Gantneri obstinacia oriretur, sine mora discordes animos ad amicum colloquium contraxit, quo vel lippis ac tonsoribus, quod ajunt, palam fiat, quibus praesidiis Gantnerus ad tutandos Anabaptistas in arenam descenderet. Ingressus igitur cum suo FRELLO non modo pactione et astu contra

me visus est agere, sed Frellum balbutientem blandiuscule ubique suffulciens ita protegere, ut non nullis S. Script. locis alienum sensum affinxerit: BULLINGERI auctoritatem odiose perstrinxerit, apertam inobedientiam (si quando pro patria pugnandum esset) perniciose approbaverit, utque in pauca conjiciam nihil hoc loco et tempore antiquius habere coepit, quam ut Praesidentium oculis nebula aliqua offunderetur, qua impediti verum a falso internoscere ac discernere minus proclive esset, pestesque ejusmodi obscure grassando tutius delitescant ac triumphent. Quae certe multis etiam causa videbatur, quod Anabaptista solidis argumentis non modo non flecti potuerit sed nobis ipsis *dis dia paboon* diffidentibus, in multis potius erroribus sit confirmatus, et utrinque majori animorum offensione e re infecta sit discessum.

Magistratus igitur ubi re ipsa comperit vanam esse respiscentiam ac exspectationem illam quam FRELLUS ex aliorum subdola commendatione sustinebat, illumque aliud in pectore clausum, aliud in lingua promtum habere, magisque vultum, quam ingenium bonum referre, alia via explorandum esse hominem existimavit. Jussit igitur ut lenis et simplex aliqua piae et orthodoxae fidei confessio praescribatur, cui si nollet subscribere, hominis invictam arrogantiam ceu leonem ex unguibus agnosceremus. Huic autem assentiri homo pertinax non solum recusavit, sed ut fascino quodam oculorum oculos perstringeret, peculiarem quandam confessionis formam, eamque dubiam et fucatam e sinu depromsit, in qua sibi vivendum ac moriendum esse confidenter affirmabat. Videns igitur pius Senatus hominem illum multis fomentis remollescere, et quotidie magis magisque in deterius ruere, denuo illum secundum leges exsilio affecit. Liberata autem hoc monstro Respublica nostra, GANTNERUS id factum sinistre interpretari, omnem culpam in me conjicere, odium causae praetexere, calumniis ac injuriis mecum agere, FABRITIUM de mortuis evocare, me vivum cum defuncto criminose comparare, nihilque non dicere aut cogitare, quod mihi contemtum parere, sibi vero favorem et majestatem conciliare posset; utque nihil omnino intactum relinqueret, stationes quoque meas, quas hactenus diversis in locis magno piorum desiderio implevi, vitio mihi dedit, parum existimans si suam toties vocationem praeter

omnes

omnes rationes fola inconſtantia deſeruiſſet, niſi meas quoque in dubium vocaret, quas eousque nulla levitate, nulla ambitione, aut avaritia, ſed Dei arbitrio, ſed Ampliſſimae Tigurinae Reip. altricis meae, cui vitam quoque ipſam alumnus debeo, vel ſuſtinere vel permutare, neceſſe mihi vel invito fuit. Sed longe alia mens eſt GANTNERO, Viri Praeſtantiſſimi, qui dum cum fructu aliquo ac communibus Eccleſiae votis ſtationem ſuam tueri potuiſſet, tueri non voluit: poſtea remotus et prohibitus id facere, invitis omnibus moleſtiſſime eo aſpiravit ac contendit. Cum enim cerneret omnia ſibi cum ſuo haeretico praeter opinionem eveniſſe, neque Magiſtratum ſanctum, diabolicam illam *'anatalypſian* ac quidvis ſentiendi libidinem, intra Eccleſiae ſuae ſepta paſſurum: memor ſuarum minarum GANTNERUS aedituum ſuo munere exuit, ſuam ſtationem abrumpit, paſtoralem vocem ſuſpendit, palantemque ſuum gregem aequo diutius negligit. Magiſtratus Gantneri inconſtantiae ac levitatis non ſine aegritudine pertaeſus noluit ingratiſſimum hominem, niſi ſponte ac ſupplex redierit amplius rogare: ut tamen ſponte redire poſſet, ſpatium illi et facultas redeundi, diu propoſita fuit. Cum vero diu incaſſum exſpectaretur, et GANTNERUS animum ſuper fortunam gereret, tandem Senatus de alio collega mihi adſciſcendo deliberavit. Hoc intellecto GANTNERUS per internuncios operam ſuam Magiſtratui iterum defert. Hanc autem clementiſſimi Patres, nonniſi ea lege receptant, nempe ut GANTNERUS errorem ſuum confiteatur, illum emendet, et exſpectaret, nullumque inſanis Anabaptiſtis porro patrocinium praeſtet: Sed mecum ex S. litteris domeſticos illos lupos impugnet et abigat, quos ovili noſtro inſidiari deprehenderimus. Dat fidem ſuam GANTNERUS ſe haec promte facturum omnia, idcirco in ſpem colendae pacis ac ſanioris mentis recuperandae a Dominis iterum eſt receptus, licet pudore, ne quid durius dicam, ſuffuſus, errorem aperte fateri noluerit, ſed ſpecioſe demum *Markodymias* ac clementiae titulo illum fucare et tueri conatus ſit.

Reſtitutus nunc GANTNERUS ſuo officio, in prima ſtatim concione quam habuit, Eccleſiae redditus fidei ſuae haud parce oblitus, ad certamen iterum deſcendit, pugnamque iſtam infelicem, aperto nunc marte longeque acrius quam antea inſtaurat. Singulari enim materia de Zizaniis non evellendis ad hoc certamen delecta, pleraque Anabapti-

baptistarum deliria mitiganda ac extenuanda anxie susceperit: Sacramentum jusjurandi exarmavit: leges patrias in Sicarios latas, in ipsorum defensionem alieno ac improbo sensu detorsit. Et ne quid gravius in praesentia dicam, nihil in hoc publico ac illoto sermone praetermisit, quod Anabaptistis praesidio, nobis autem infamiae fore speravit. In hunc usum bruta fulmina multa, ac elumbia argumenta collegit ex Anabapt. et Pontificiorum personis: ex caritatis ingenio praeposstero: ex Apostolorum temporibus: ex causis ac eventibus nulli metuendis; quae omnia quia per se non satis firma videbantur, contumeliis, injuriis, et maledicendi nobis studio munivit.

Finita hac Satyra populariorum animi miserrime scissi in partium studia transierunt. Alii hinc multum offensi exitum rei vix exspectare. Alii GANTNERUM personatum esse Anabaptistam judicare: Multi falsa misericordiae specie decepti Anabaptistas ut sacros quosdam homines in tutelam recipere, utque paucis multa absolvam, tanta inter cives animorum studiorumque contentio exorta erat, ut nemo satis tuto contra istum furorem neque sentire, neque loqui quidquam auderet; ita simplicium animos in illius benevolentiam sua loquacia GANTNERUS pellexerat. Divisa igitur multitudine imperita, jactis propemodum Anabaptismi fundamentis, concionis istius indignitas et imprudentia multorum animos ita vulneraverat, ut me quoque nec natura mea a contentionibus abhorrens impedire, neque imbecillitas cujus mihi sum conscius retinere, neque hujus negotii molesta gravitas deterrere potuerit, quo minus Gantneri audaciae intrepide me opponerem. Voluntatem etiam meam vehementer inflammavit quorundam cohortatio, quorum judicio semper tantum tribui, ut quicquid consilii mihi darent, vel oneris imponerent, suscipiendum mihi esse crederem. Sponte igitur Senatum ingressus GANTNERI insana dogmata Patribus exposui ac confutavi, rogans humillime ut tandem expenderent, quo in periculo versentur, si veram fidem salutis medium, si jusjurandum pacis ac concordiae vinculum, si denique ipsam pietatem ad omnia utilem ac necessariam, a turgidis quibusdam capitibus ita tractari sinant, ut cum nemo ad verum ac bonum Gantneri arbitrio cogendus sit, omnis perfidiae ac nequitiae fenestra aperiatur, et brevi tempore infinitis erroribus aestuare cuncta non sine dolore et Ecclesiae lacrymis aspiciamus.

Solli-

Sollicitus Senatus ubi jam antea cognoviſſet GANTNERUM ſuis promiſſis non ſtetiſſe, ac recens hoc vulnus per longas moras convaleſcere poſſe, principiis obſtandum et in herba quod ajunt hoc malum exſtinguendum eſſe duxit. Rurſus igitur Gantnerum uno ore abdicans, praedicandi ei munere tam in agro quam in urbe probatis rationibus interdixit.

Hoc GANTNERUS aegre ferre, in vetitum niti, negatum cupere, injuriam conqueri, culpare, aeſtuare, vindictam cogitare, crepare noſtra, extremaque omnia in animo ita volvere, ut aggreſſus etiam ipſos Patres conſcriptos, eos injuſtitiae auſus fuerit condemnare, et ab horum ſubſelliis rem illam odioſam ad Senatum civium referre, ne unquam Resp. quieta eſſe poſſit. Ingreſſus civium Senatum ſecum adduxit rapſodum illum FRANCUM in eodem luto haeſitantem, itemque BRENTIUM utopium, et alios complures, noſtrae aetatis homines, una cum toto Veterum Doctorum agmine, ad quos a Scripturis S. ita Gantnerus transvolavit, ut certam ſibi victoriam in iſtis teſtibus mala fide collectis reſidere putaverit. At generoſi cives rei magnitudine adtoniti nihil hic ſtatuere, nihil immutare decreverunt, ſed cauſam illam ceu Eccleſiae propriam, Eccleſiae certis aliquot Paſtoribus ceu arbitris in haec evocandis dijudicandam reliquerunt. His autem cum ſe GANTNERUS ceu ſuſpectis committere nollet, neque ullis horum virorum precibus flecti, ac ab iſta opinione deduci poſſet, tandem poſt longam prorogationem ac reſipiſcendi ſpatium ipſi datum, cum nihil de ſuo ingenio remitteret, Dn. CAMPELLUS in illius locum ſuffectus eſt.

Rigidior hinc factus GANTNERUS invito et neglecto Dominorum mandato in Miniſterium rurſus irrumpit, ac contra caritatis et Synodi noſtrae leges pium et doctum Virum JO. GERUM Scanavici Paſtorem de ſua Eccleſia benemeritum quibusdam, ut rumor eſt, cuniculis ſubruit ac expellit. Nunc ſuper haec omnia generalem totius Ampliſs. Synodi determinationem periclitari, quam idem nobiscum ſentire paratus eſſe videtur. In hunc finem igitur Magnifici Viri, Patres, fratresque colendiſſimi hujus tragoediae fontem, progreſſum, ac quantum e re nata fieri potuit exitum quoque depinxi; idque bona fide, ſi

non pari dexteritate, ſicuti ſuo loco ac tempore, eventus ipſe abunde comprobabit.

Hactenus Eglini oratio.

Abſoluta Hiſtoria non licuit controverſiae ſtatum adtingere, meamque Sententiam, dilutis adverſis Argumentis confirmare: Statim enim GANTNERUS clamoribus omnia interrumpere, contrectato ulcere vociferari, mera eſſe mendacia, meras obtrectationes, quae hic in medium adtuliſſem: poſcere ſe ut ſcriptum hoc meum ipſi tradam, quo ad illud reſpondere poſſet. Ego dicebam, me ſcriptum hoc meum non daturum illi divexandum; paratiſſimum autem eſſe ſingula capita repetere, ac omnia probare. Cumque Hiſtoriam rei geſtae impudenter in dubium vocaret GANTNERUS, ſurrexit Dn. PONTISELLA ac vera me protuliſſe manifeſte teſtatus eſt: repetiit etiam primaria capita utpote de jurejurando, de Rhaetorum legum violatione et quae omnia GANTNERO in faciem contorſit, ut tandem turpitudinem ſuam agnoſceret. Dominus etiam Coſ. WILLIUS me vera pronunciaſſe aperte dixit, nec aliter rem geſtam eſſe, ſponte, non requiſitus comprobavit. Idem etiam Proviſor noſter fecit, qui GANTNERI concionibus iſtis interfuit, quibus patrocinium Anabaptiſtarum tanta cum ſollicitudine ſuſceperat. Ego paratus eram ſingula capita praelegere ac probare omnia; quia vero coenae tempus inſtabat, ad craſtinam SESSIONEM SECUNDAM res dilata fuit. Interim dum omnes ſurgeremus MARIUS ac GANTNERUS frementes conquerebantur rem privatis agi affectibus; me ſcripto accuſationem potius quam defenſionem inſtituiſſe, quae tamen anteire, non ſequi debuiſſet Gantneri relationem. Ego dicebam Gantnerum de injuria conqueſtum eſſe, propterea priores illi partes ſe ipſum defendendi eſſe datas: cum vero in multis veritati pepercerit, longeque aliter quam res geſta fuerit, rem iſtam propoſuerit, imo pleraque ac maxime abſurdiora, aut negaverit aut voluntario ſilentio praeterierit, meum ideo fuiſſe rem ut geſta eſt, aperire. Si quis addubitat, audiat denuo teſtes, et tu MARI viſne exauctorare et gravare iſtos teſtes, qui a me etiam non requiſiti conſcientiae ſatisfecerunt ſuae, meamque orationem totam ſuo teſtimonio approbarunt? Edic? obmutuit Marius.

Seſſio

Sessio II. Crastino cum jam *secundo* post concionem meam consedissent, GANTNERUS domi remansit, ac nescio quam responsionem ad meam orationem composuit, quam in me effunderet. Domini ac fratres ipsius absentiam admirati, per nuncium accersunt ac monent, ut ad meam responderet. Venit anhelans cum imperfecta quadam responsione, conquerens non satis temporis habuisse perducendi eam ad finem, me sine dubio trimestre spatium habuisse antequam aculeatam hanc meam composuerim, quae tamen recentissima, pridie modo nata fuerat. Respondit Gantnerus, ac primo se excusat quod tardius accesserit id nullo Synodi contemtu factum esse, sed quod se ad istam pugnam sustinendam nondum satis praeparasset: conqueritur deinde de non dato sibi scripto meo: Attestatur posthac se talem non esse, qualem mea Oratio ipsum depinxisset: dolos, oppressiones, sibi paratas esse: conciones ejus falso arreptas esse; totam se communitatem appellare: accusari a me in rebus insciis: nunquam se patrocinium haereticis praestitisse: nullum vestigium neque in Apostolis, neque in veteribus Doctoribus inveniri edocens haereticos esse puniendos: adversari mihi etiam neotericos prope omnes: jusjurandum se non exarmasse; sed simplici promissione tantum contentos nos esse debere dixisse, ac praestare ut multi non jurent qui levioris sunt animi: Bellum non necessarium dixisse, cum nihil periculi immineat, cur ergo bonos pelleremus imbelles, ob militiam nobis non impendentem neque necessariam. Confessus est ultimo se civitatum confessioni publicae nihil adversum neque sensisse, neque docuisse, imo semper haereticos se impugnasse; neque factionem ullam in Ecclesiam se introducturum non semel protestatum esse: dolere autem sibi nos in hominibus nemini perniciosis expellendis tam proclives ac praecipites esse.

Ad haec Dominus CONR. PLANTA excepit: Quid TU GANTNERE, PRELLUM perpetuo defendis, ac Te ipsum magisque suspectum reddis? Si non faves illis hominibus, cur illos toties tueris? Purgato Te ipsum ac mitte FRELLUM, quem scimus esse Anabaptistam, et aequo diutius toleratum! Ego illum excipiens paratum me esse dixi, singula orationis, ac Historiae capita relegere ac regustare, omniaque probare, modo tandem audire velint. Exorsus a narratione Historiae perveni usque ad descriptionem erroris FRELLI SCHVENKFELDIANO quoque foetore

aucti, unde eo contumeliae et pervicaciae processerit ut paedobaptismum conviciis quoque proscindere non dubitarit. Obgannuit GANTNERUS Frellum non amplius esse Anabaptistam, nec defectu mentis male sentire, licet olim ut supra dictum, aliorum potius quam sua culpa in eo erravisse. Ego regessi. *Herr Gantner! Wie dörffend Ihr so unverschambt seyn und immerdar M. Gn. Herrn und mich schelten, als ob man den Frellen ohne Ursach verwiesen habe. FRELL ist offentlich vor einem ganzen gesessenen Rath gestanden, und geredt: Der Kindertauff seye weder göttlich noch christlich, sondern eine abscheuliche Abgötterey. Das wird mir ein ganzer Ehrsamer Rath Zeugnus geben:* neque est ut nobis persuadeas fuisse olim FRELLUM Anabaptistam. Imo fuit: errorem agnovit: fidem dedit: illam ocyus fregit: ad vomitum rediit: ac errores duplicavit. Quid igitur Tu garris, ac lucem tenebras appellas. Surgit ad haec Dominus PONTISELLA ac haec mea verba confirmat una cum Coss. longe altiore ac graviore voce, quam ipse fecerim. Mirati sunt omnes GANTNERI frontem, qui Magistratui ac tam praeclaris testibus se se opponere, eosque gravare non erubuerit. Addidi Ego, potesne negare FRELLUM venenatis etiam libellis omnia miscuisse ac replesse, suamque scabiem affricare aliis anxie ac subdole semper tentasse? Nominabo personas nisi concesseris: ostendam manum FRELLI ac litteras, quibus hoc suum virus aliis aspergere non neglexit. Simul ostendi litteras, ac libellum ab ipso scriptum ad quandam sororem, in quo nos vocitavit meridianos diabolos, ac omnibus cavendos, itemque Arianos, Pharisaeos, seductores, ac gloriae Dei fures et hirudines, quae omnia Domini Rhaeti suis oculis inspexerunt, ac legerunt. Sic GANTNERUS in furto deprehendendus ac contrectandus fuit, alioquin lubricitate sua extorquere se semper conabatur instar Anguillae. Sic resorbenda ipsi venerant verba multa, quibus me mendacii condemnare homo arrogans nitebatur. Domini cum viderent me paratissimum esse singula probare, GANTNERUM autem animo concidere ac instabilem esse, satis sibi factum esse dixerunt: pergendum esse ad caput hujus negotii.

Ego confirmata historiae meae narratione ad statum controversiae quamprimum descendi qui ex Historiae narratione colligi facile potuit. Negavit enim GANTNERUS, FRELLUM ob haeresin exilio fuisse puniendum:

dum: Ego id affirmavi, ac recte a Magiſtratu factum eſſe contendi. Hinc quaeſtio naſcitur: Utrum ſit Magiſtratus, cogere contumaces, ac haereticos ad verbum Dei, ad veram fidem, eosque niſi obediant, punire, ac ſi ſeditioſi, ac pernicioſi fuerint, capite etiam plectere? Hanc autem quaeſtionem a Gantnero impugnatam ſaepius fuiſſe probavi locis ſcripturae, quibus improbe ad delirium ſuum obtinendum abuſus eſt, cum in Senatu, tum ſemel atque iterum pro ſuggeſtu. Meam autem Sententiam diverſam ab hypotheſi ad theſin deſcendens probavi.

Si haeretici ſunt puniendi, puniendi erunt a Magiſtratu.

At haeretici puniendi ſunt.

Ergo puniendi ſunt a Magiſtratu.

Duas categoricas propoſitiones deinde ex quibus conditio illa conſtabat, probandas mihi ſumſi: quod ut commodius facere poſſem, terminos argumentationis illius plenius expoſui, ac quaedam 1) de haereticis, 2) de Magiſtratu dixi; 3) autem ipſam quaeſtionem aggreſſus ſum. Adtuli de haereticis diſtinctionem generalem ac ſpecialem; ac qui ſint infideles dixi, qui fideles, qui veri, qui falſi, qui Schiſmatici, qui errantes in fide, qui infirmi, qui haeretici: quid haereſis, quid haereticus, definivi, quibus etiam gradibus diſtinguantur oſtendi: poſtea ex notatione, definitione, ac diviſione FRELLUM haereticum eſſe evici. Deinde de Magiſtratus praecipuo officio pauca locutus ad ipſam quaeſtionem: An haereticorum punitio ad Magiſtratum pertineat, deſcendi. Efficaciſſima Argumenta ad affirmandam hanc Quaeſtionem in parato habebam: quia vero brevitati ſtudendum mihi erat, tria tantum pro mea Sententia roboranda in medium adtuli.

I. A pronunciatis de Magiſtratus finali officio Rom. XIII. Dei Miniſter eſt Magiſtratus gladium gerens ad ulciſcendum male agentes; ex quo loco ſic argumentatus ſum:

Magiſtratus gladio ulciſci debet male agentes:

Haeretici male agunt:

Ergo Magiſtratus eos gladio ulciſci debet.

II. Ne autem quis negaret haereticos male agere, aut quod in genere dixit Paullus, ad corporalia ſaltem peccata, ac certum aliquod maleficiorum genus revocaret, praeveni hoc alia argumentandi forma, ac ex praemiſſis hujus loci una cum loco Paulli 1. Tim. II. hic enim pietatis etiam meminit, ac diſerte dicit, conſtitutos Magiſtratus ut pacatos cives ſuos non modo in moribus honeſtis ac externis vitae officiis, ſed etiam pietate ac Dei cultu contineant, utpote utriusque Tabulae cuſtodes ac aſſertores. Illic a Paullo etiam Dei Miniſter non fruſtra nominatur, ac qui gladium portet. Hoc ipſum aliter confirmavi.

Magiſtratus debet punire manifeſta carnis opera, ut ſunt furta, homicidia, adulteria etc.

Haereſis carnis opus eſt, Gal. V.

Ergo a Magiſtratu puniri debet.

III. Protuli deinde authoritatem legis Dei Deut. XIII. et Levit. XXIV. ac multorum Prophetarum ac piorum Regum exempla, qui olim in ſimili palaeſtra egregiam navarunt operam, neque haereſes impune paſſi ſunt ſuccreſcere.

His abſolutis proteſtatus ſum hanc eſſe meam Sententiam; haec me ex ſacris litteris docuiſſe, hunc eſſe conſenſum Reformatarum Eccleſiarum; eo tendere LEGEM RHAETORUM PUBLICAM; huc ſpectare noſtram CONFESSIONEM: neque aliud in hiſce omnibus adducendis niſi Dei gloriam, Eccleſiaeque pacem ac ſalutem me quaeſiviſſe: haerere

rere me nunc per decennium in Rhaetia, nec sine omni fructu tot annis fidelem Ecclesiis istis operam navasse: Si nolint me ferre amplius ob veritatem intrepide praedicatam, paratum me esse alio recedere, lubentur tamen subiturum me antea Sententias fratrum, quibus in hac mea doctrina, quae tamen mea non est, sed Spiritus S. ab ipsis aut explodar aut justificer: rogare me ut rem tanti momenti accurate expendant, ne dum me solum damnandum quis existimet, simul omnes Ecclesias HELVETICAS, IMPERII, GALLICAS, ANGLICAS, SCOTICAS ac POLONICAS etiam majori ex parte condemnet. Habere me plura alia argumenta, quibus mea evidenter probaverim ac argumenta adversa confutaverim, quia vero brevitati ob temporis penuriam ac fratrum inopiam studendum mihi sit, ipsorumque nunc sit pro ac contra tractare istud negotium, accinctum me esse nunc omnia mea fratrum judicio secundum Dei verbum subjicere ac committere.

Jussus fuit ad haec GANTNERUS respondere, ac suam quoque Sententiam, si posset confirmare. Depromit ille librum compactum, in quem Patrum ac neotericorum testimonia, mala fide collecta Rhapsodus conjecerat. Antequam vero haec recitaret ex libro locos aliquot scripturae alieno sensu, Anabaptistico more, incomprehensibili linguae volubilitate, sine omni vigore ac affectu profudit; Veteris Testamenti umbras cum Novi Testamenti ordine non esse commiscendas: liberatos esse Christianos ex Veteris legis jugo Gal. IV. Spontaneum cor requiri: Ministros pacificos ac Christo conformes esse debere, qui inimicos diligendos esse praeceperit ac Petro stringenti gladium succensuerit: Ministrum oportere esse tolerantem malos 2. Tim. II. sustinere infirmos; omnem contradictionem contra Evangelium suscipere leni spiritu: Spiritualibus in Christi spirituali regno uti armis: non dominatores fieri Ecclesiarum sed leniter agere cum oviculis: malum malo non retaliare: persecutionem sustinere non persequi: non juxta legem ambulare quae occidit; ac plura alia hujus generis nullo habito ordine accumulavit ac legit, tandemque conclusionem intulit: me Spiritu Dei, charitate proximi, veri Episcopi ingenio carere, qui ejusmodi Christi instructione non acquieverim, sed armis carnalibus certare paratus fuerim.

Vix

Vix risum tenere potui, cum audirem ejusmodi ineptias, GANTNERO, tanto Philosopho excidere, qui ne non videretur magnus esse, sacras etiam Scripturas violare, ac suis ineptiis fucare ausus erat. Audi vero quantum acumen ostenderit in humanis testimoniis citandis. Primo denuo conquestus, negotium istud ex affectibus tractari, adduxit CHRYSOSTOMUM tractantem locum Matth. XIII. de Zizaniis non eradicandis: HILARIUM quodam in loco dicentem: *Miserere licet opinionem mundi, humana potentia velle regnum Dei promovere. Ubi hoc fecerunt Apostoli?* CYPRIANUM: *Gladio occidebantur, cum carnalis maneret circumcisio, nunc aliud esse. Zizania ad messem sinenda. In domo magna varia esse vasa, aurea ac fictilia juxta Paullum. Hic aliquid mutare velle, sacrilegam esse praesumtionem ac arrogantiam.* ERASMUM: *nullum jus esse Christiano in Christianum, nisi ut alteri prosit, non esse alium ab alio judicandum: dicere Lucam Cap. XXII. non regnadum in coeli regno vi, sed praesidiis Spiritus: Liberum, non coactum esse oportere Dei cultum.* MELANCHTONEM: *Evangelium non jubere retegere gladium, sed condere.* TERTULLIANUM: *A natura omnis colet, quem existimat colendum esse, nec prodest aut obest alicui: Spontanea esse debere Sacrificia nostra.* BRENTIUM pluribus in libris inculcare, *non ita agendum esse cum tinctoribus sive retinctoribus &c.* Haec omnia Ego notare potui, licet celerrime omnia adeo percurrerit ut nullus ex scribis nostris quicquam observare ac consignare potuerit.

Ego ad haec omnia respondere ac refutare paratus eram; nam pene contriveram D. BEZAE refutationem supra omnia ista objecta: quia vero Domini dicebant, non opus fuisse humana tot testimonia quibus nos non nitamur producere, brevibus in genere GANTNERO respondi; incepturum me, praevenit Dn. CONRADINUS PLANTA homo acutissimus, ac huic causae nostrae faventissimus qui tribus, ut dicam, verbis GANTNERUM ita constrinxerat, ut quo se verteret non haberet. Quaesivit enim: Gantner! *Sag mir, soll man das Böse straffen oder nicht? Resp.* Gantnerus: *Das Bös soll man straffen.* Urget: *Ist Ketzerey bös oder gut? Resp.* Gantnerus: *Bös.* Ergo *so soll mans straffen.* PLANTA intulit. Erubuit Gantnerus licet totus cineritius.

Ego

Ego respondebam ad parabolam de Zizaniis allatam, quam deinceps D. CAMPELLUS post recessum nostrum planius ac prolixius enodavit. Ad reliquos locos infirmandos distinxi inter Ministros ac Magistratum, inter personam et officium, inter publicam ac privatam vindictam: quae omnia cum GANTNERUS cum Anabaptistis confundat, hinc illum Petri gladium, inimici dilectionem ac arma Spiritualia contra nos proferre, ac male docere cum male distinguat: Patres etiam veteres tumultuarie adduci, ac quaedam excerpi, quae speciem habeant infirmandae nostrae Sententiae, si autem circumstantiae omnes probe considerentur, nobis non Gantnero assentiri. Aut enim eos diversam causam agere, in eos invectos, qui Christianam religionem ferro et igni oppugnabant, aut non punitionem, sed eradicationem promiscuam haereticorum culpare, aut sui temporis Episcopos objurgare, qui officii sui obliti, solis Principum armis adversus haereses certarent, aut in hoc unum intentos ac pietatis Zelo abreptos clementiae ac bonitati ingenitae plus nimium indulsisse. At unicum AUGUSTINUM reliquis omnibus confutandis nobis sufficere, quem GANTNERUS propterea praeterire voluerit. Quod neotericos concernat, mirari me qua fronte ERASMUM ac BRENTIUM nobis opponat, cum alter eorum tam varius fuerit ut dissimulare potius quam quid sentiret dicere semper maluerit: alter autem eo vesaniae tandem redierit, ut coelum cum inferis permiscuerit, imo coelum esse in infernis, ac inferna in coelis esse contenderit. Ut autem GANTNERUS agnoscat, ne istos quidem pro se facere adduxi Sententias quasdam ex commentis eorum. Haec enim esse verba ERASMI qui plerumque in Episcoporum furias invexerit: Quid autem vetat, inquit, ne Princeps haereticos turbantes publicam tranquillitatem, e medio tollat? Et cum multa pro infirmis differuisset, tandem addit: Haec neque loquor in favorem haereticorum, neque me patrono quisquam habebit mitius, si modo verum cognovero haereticum, i. e. malitiose errantem, factiosum et immedicabilem. Alibi in quadam Apologia contra Articulos aliquot per Monachos quosdam in Hispaniis exhibitos, haec inter alia scribit ad ALPHONSUM MAURITIUM Archi-Episcopum Hispalensem: Eodem modo sum affectus contra illos, qui quoniam sanari non possunt, necessario tolluntur, ne plures trahant in lucem. Haec similiter Erasmus dicit: Oppone nunc Erasmum Erasmo, ac tuum errorem agnosce Gantnere.

BRENTIUS etiam quam longe a tua opinione discordat! Maxime in eo libello quem Tu domi habes tuae, ac qui Tibi Author nobiscum dissentiendi, quasi Anabaptistae non sint plectendi: Non observas autem loqui Brentium de haeresi, quae ita nuda est, ut in nullum opus malum eruperit, neque religioni etiam fraudi sit, quae denique erroris potius quam haereseos nomen meretur; aperte enim subjungit: tranquillitatis publicae turbatorem, ac in Magistratum delinquentem, sive baptizator sive rebaptizator fuerit, meritum sufferre supplicium. Sed etsi verbis istis destituti essemus, quaeso inspice saltem Brentii Testamentum recens editum ac confutatum, ac facile deprehendes cujus clementiae ac modestiae Vir ille fuerit erga suos confessores, si recte saperes, quos ceu ter haereticos omni crudelitate afficiendos classicum etiam canens judicavit. Aut quales hi fuerunt, qui Protestantibus olim aliisque Principibus Authores fuerunt plectendi Anapabtistas Münsterianos, ac seditiosos rusticos? Desine igitur Gantnere istos homines nobis objicere, quorum confessioni Te accedere non vis haberi: alios autem negligere ac contemnere, quorum confessioni nihil adversum Te docuisse vis videri.

Respondit GANTNERUS: Audistis meam Sententiam, neque negarim, si qui seditiones sanguineolentas moverint, eos etiam plectendos esse. Objiciebam; Si quis autem animas occidit ac seducit praestantiorem hominis partem, num levius id crimen judicabis? Captus erat. Respondet: Ego quae feci et dixi, ex charitate feci ac dixi, misertus hominis pii; nitor etiam exemplo Christi, Apostolorum, ac veterum Doctorum &c. Ego aliam rationem fuisse temporum CHRISTI ac Apostolorum brevibus explicabam. Post haec omnia abrumpunt sermones nostros Domini Praesidentes, ac rogant GANTNERUM, num se cum sua opinione fratrum judiciis esset commissurus? Annuit: Ego idem faciens, recessimus, ut tranquillius eo componerentur omnia.

Diu autem SYNODUS occupata fuit in hac quaestione controvertenda. Fuere qui argumenta mea solummodo confirmarunt, alii nova adduxerunt. Multi iique doctiores singularem industriam hic po-

posuerunt, utpote Dn. CAMPELLUS, Dn. CONTIUS, *) Dn. MARTINUS BRYSON, cujus nomen ex admirabilibus characteribus pingendis jam pridem vobis innotuit. Tractaveram etiam hanc causam antea pro Suggestu, cunctis fratribus ac aliquot ex Praesidentibus etiam praesentibus, ita ut ad explodendam hanc quidvis sentiendi libidinem omnes attenti ac parati essent. Fuit etiam inter fratres omnes tanta consonantia ac harmonia, ut Dominis et Praesidentibus singulari id voluptati ac gaudio fuerit. Solus MARIUS ac duo Itali haereticorum fautores diversum tenuerunt. MARIUS proxima post Apostolos tempora adduxit, in quibus plectendi haereticos nullum ad tempora usque AUGUSTINI vestigium reperiatur. Cum autem caeteri tempora ac personas melius distinguerent MARTIALES illos THEOLOGOS (i. e. Sanguinarios vel Martigenas) vocavit, veterumque historiarum ignorantes. Reliqui duo CAMILLO SOCINO ac CAMULIO, maxime TURRIANUS accesserant, atque una cum MARIO depositi ac excluſi fuerunt, ut suo loco audiemus. Intromissi ac revocati ad fratrum sententias audiendas consedimus uterque. Dominus CAMPELLUS latam Sententiam pronunciavit: Tribus exceptis, omnes fratres concordes esse ac uno ore ex Magisterio S. Scripturae sentire, esse omnino Magistratus haereticos plectere, ac contumaces in fidei rebus cogere, punire &c. quae ipsa etiam Sexvirorum Praesidentium calculo confirmata sit. Concepti autem judicii illius Synodici formales articuli ex Instrumento in hunc modum sonant:

Primum. Quod ad praecipuum caput pertinet controversiae quae TOBIAE cum GANTNERO intercessit, de Magistratus in coërcendis haereticis officio, Sententia est, quod quum quis deprehensus fuerit aliquibus pravis una vel pluribus ac fallis perniciosisque opinionibus sive haeresibus esse infectus et inquinatus, quae pugnent cum vero sanoque sacrae Scripturae sensu, maxime in iis capitibus atque articulis, quae in publica Evangelicae in Rhaetia Synodi confessione comprehensa sunt, et peculiariter in ea Tigurinorum Ministrorum confessione continentur, cui Tiguri suo etiam nomine editae ipsi subscripserunt, et quam suae quo-

*) Schelh. habet GASCIUS. Male.

que Ecclesiae acceperunt; et tamen illi ipsi factiosi ac haeretici homines, sive sint Arriani, sive Schwenkfeldiani, aut Manichaei, Anabaptistae, aut denique alii quicunque, qui in jam memoratis Tigurinorum et Rhaeticorum Ministrorum confessionibus reprobantur atque damnantur, nullam diligentem fidelemque ex verbo divino petitam sibique adhibitam institutionem, quicquam morati, etiam post quantumvis diu nequicquam exspectatam ab ipsis resipiscentiam non passi fuerint sibi ut desistant persuaderi, sed in suis pestiferis erroribus pertinaciter perfistere perrexerint: possit Magistratus Christianus atque etiam ex officio debeat tales pro sua potestate, ne alios suo veneno inficiant, gladio sibi divinitus concesso coërcere, et sic quantum in ipso est seductionem et dissensionem in Ecclesia prohibere, simul atque scelera et damna praecavere: atque taciturnitatem etiam, silentiumque promittentes ita ut venenum suae impietatis sibi solis retinere, nec in alium quenquam effundere se velle pollicerentur, et nihilominus tamen coetus sacros vel conciones, atque sancta baptismi et Eucharistiae Sacramenta contemnerent, vel iis celebrandis, et verbo Dei publice cum reliquis Christi fidelibus audiendo interesse renuerint, in ordinem redigere, et ad Christianam disciplinam servandam justa infligenda poena adigere, idque semper pro peccati et peccantium personarum ratione vel qualitate, quantitateque delicti.

Secundo. Quoniam GANTNERUS jam memoratam ipsorum Sententiam a Domino TOBIA defensam, cum publice tum privatim impugnavit, illum in Deum peccasse, et hactenus impie egisse judicarunt, et ut superior ipsorum super capite controversiae lata Sententia Synodali libro inseri, et ita inter reliquas Synodales leges atque Sancita referri debeat, ita ut qui huic subscribere recusaverint pro Synodalibus membris agnosci atque haberi haud debeant.

Tertio. Praeterea eundem eo peccasse pronunciarunt, quod manifestum defenderit haereticum.

Quarto.

Quarto. Quia suo Magistratui officium facienti se opposuit, eumque oppugnavit.

Quinto. Quia vocationem suam ac munus saepius praeter justam causam deseruit.

Sexto. Quia eo author et in culpa fuit ut diligendus sibi ac fidelis in Christo frater JOANNES GERUS, San Petrii in Canavico Ecclesiae Parochus inde a sua sede ejiceretur, suaque conditione vel salario spoliaretur; quod saltem passus est Dominorum suorum, Magistratus, inquam, Mandatum vel prohibitionem nil quidquam moratus, contra sancitam etiam Synodalem legem, se in illius locum Ecclesiae illius Ministrum seu parochum conduci, proprii capitis tantummodo consilium arbitriumque secutus.

Septimo. TOBIAS ICONIUS e contra, hac ipsa Sententia absolvitur, et ab omni crimine liber atque immunis pronunciatur, cujus a GANTNERO in hac causa insimulatus fuit, et ad ea quae contra Gantnerum et Frellum protulit in medium, ea ut veracia judicata approbataque sunt, cum declaratione Tobiam in hisce omnibus nihil aliud docuisse ac egisse, quam quod fidum Pastorem, animarumque curatorem decet, et a tali in verbo Dei requiritur, et quae facere ex officio debuit.

Octavo. Judicatum est GANTNERUM, quo datum ab ipso offendiculum tollatur, debere ad dictae Sententiae declarationem, errata delictaque, quorum reus esse judicatus est, cum vero ex animo proficiente dolore, et poenitudine non fucata agnoscere, ore rotundo palam confiteri, atque dictae declaratae Sententiae propria manu subscribere, primum quidem in exemplo Sententiae succincte consignatae sibi in praesentiarum ob oculos posito, et inde etiam in tabulis in eam rem pro forma conficiendis, et dehinc a pertinaci suo instituto penitus desistere.

Nono. His rite praestitis, in exemplum sibi et aliis, mulctae nomine GANTNERO irrogatur ut per proximum anni Spatium a

concionandi munere abstineat, ac sibi penitus temperet, et nihilo secius anno finito Synodi Sententiam, ad modum quo se gesserit ferendam exspectet: ita tamen ut si hoc lubenti animo susceperit, ac submisse se gesserit, queat interea temporis nihilominus in consortio recte saneque sentientium fideliumque hominum haberi, et pro membro Christianae Ecclesiae ab omnibus agnosci debeat.

Decimo. Quod si vero neque se errasse fateri, neque ab errore desistere voluerit, atque etiam Synodali sententiae subscribere recusaverit, non solum modo sit suo concionandi munere jam spoliatus, ac ab illo dejectus, sed etiam a Synodi consortio plane exclusus, atque dignus judicatus denique qui Magistratus potestati sit traditus, ac illius procurationi commissus.

Ad praelectos Articulos GANTNERUS respondit, se palinodiam canere nec velle nec posse, nihil enim contra scripturam docuisse, neminem in pravis opinionibus defendisse, sed contra disputasse semper: habere se Authores suae opinionis sacros, habere se etiam vocationem legitimam, ac neminem expulisse: quod autem toties se suo officio abdicaverit, causas fuisse praeclaras: Quod autem Magistratui non paruerit idem ac Apostolos fecisse, qui Deo primam ac potiorem obedientiam debeat; propterea paratum se esse quidvis potius subire, quam aliquid retractare. Lubentissime se autem in gratiam meam redituram utpote qui nullo odio hactenus neque in me neque in alios laboraverit, se haec omnia Deo judici supremo committere.

Urgetur GANTNERUS a Dn. CAMPELLO ne solus sapere putet: rogatus a Dn. CONRADINO PLANTA omnium Foederum nomine ne insolentia sua aliis praejudicet, admonetur scandali hinc inde exorti cui remedium sua retractatione afferri possit. Ego surrexi ac manum prior porrigens hortatus sum ut propter Christi honorem errores suos profiteatur, ac offendicula Ecclesiae tollat, sibique ac liberis suis imo toti familiae melius consulat. Pertinax mansit GANTNERUS ad haec omnia. Spatium tandem ei concessum fuit deliberandi usque in crastinum. Noluit id primo accipere, neque accepisset, nisi MARIUS tan-

tandem, ut hoc faceret persuasisset ei. Sic res in crastinum post meridiem usque dilata fuit.

Sessio III. Crastino illucescente post concionem meam III. SESSIO fuit, die Veneris. Ibi primum omnium ITALORUM negotia proposita fuerunt. Foverunt nescio quas simultates inter se Pluriensis et Clavennensis Ecclesiae Ministri, aut potius fautores quidam haereticorum contra Clavennensis Ecclesiae Ministrum Dominum LENTULUM. Excommunicatos a Clavennensibus semper recepit TURRIANUS Pluriensis Ecclesiae Minister, qui dogma istud academicum aperte defenderat, NICOLAO CAMULIO, mercatori nummatissimo per-familiaris factus, commune asylum haereticis profugis praebuerat: unde non frustra accusati suspicionem haereseos nobis importarunt. Ergo ut scis, Authores fuimus, ut authoritate et jussu Commissariorum Synodo nostrae se sisterent, fideique suae rationem redderent. Venerunt igitur TURRIANUS, CAMULIUS, SOCINUS, SADOLETUS omnes perversi homines, amicorum copiis stipati, utentesque Patrono D. D. BELINO medico nostro, immunes ac innoxii omnes esse voluerunt. Tandem colendissimus Pater JULIUS MEDIOLANENSIS Ecclesiae Pesclavii Minister in apricum protulit plures litteras, Basileae olim a CAMULIO ad TURRIANUM in Rhaetiam scriptas, ac nescio quo Dei beneficio a nostris collectas. In hisce autem litteris Societas illa Diaboli ingenium suum satis aperuit. *Ministros enim Ecclesiarum sanos*, appellant hae litterae, *veteres ac recentes vulpes, novos Pharisaeos, viros Sanguinum, Antichristianos Papas, carnifices, ac etiam deplorant OCHINI exsilium, hominis docti, senis pauperis, ac a toto mundo derelicti.* Conqueritur CAMULIUS haerens adhuc Basileae *de injuria OCHINO facta a Tigurinis, quod illum cum quinque liberis ejecerint ob dialogos suos, quos hactenus in OCHINUM illum, quem diu apud se foverint, insumserit; perquirit etiam viam quomodo PLURIUM tuto proficisci possit, ibique in libera Rhaetorum regione morari, anxius tamen ne noster Minister Tigurinis amicus FABRICIUS minus ei sit futurus propitius: ZANCHIUM tamen fore modestum, nec persecutorem Pontificium acturum promisisse: vereri tamen, ne cum aliis adjungat sibi Magistratum in Socios, ut fecerunt Genevenses: petere ergo ut Turrianus hisce omnibus provideat,*

ac

ac diligenter scribat, num tuto in Rhaetia liberi per confessiones haerere possint; nolle enim se ex una persecutione in aliam pejorem incidere. Tertio commendatur in litteris istis *CAMILLUS SOZINUS ceu Vir probus ac Sanctus, resistens novis Phariseis. Exspectantur etiam BETTUS quidam ac DARIUS haeretici. Commendatur etiam diuturna consuetudo cum Schola Senensi. Lachrymis etiam CASTALIONIS funus prosequitur CAMULIUS, scribens: CASTALIO magnus Christianus obiit; periit meum oblectamentum, ac taedet me porro vivere, &c.* Haec et alia in istis continebantur literis, quae ex italico idiomate in latinum a D. LENTULO conversae erant, et in utroque idiomate Patribus et fratribus, ne quid partibus deesset, praelegebantur.

His accedebant singularia quaedam, quae Dominus LENTULUS in TURRIANUM habuit; ex quibus omnibus satis constabat, illum non Pastorem, Ministrum, sed luporum protectorem esse. CAMULIUS exanimatus respondit: *Er wüste wohl als viel von der Heil. Trinitaet, als sein Schuch, und hat mithin dann mit dem Fus gescharret.* Excusavit se, esse se simpliciorem, quam ut haec mysteria capiat ac intelligat, liberalem se hactenus fuisse in profugos, non quod opiniones pravas amplexetur, sed quod horum exsilio affectorum naturae bonitate affectus misereatur. CAMILLUS homo vafer, absurdus in multis est repertus; simulat is quoque simplicem animum, sed CASTALIONIS, CLEBERGII, BELLII ac MONTFORTII argumenta egregie imbiberat, quibus me cum alio Pastore Italo blandulus in aedibus conveniens, Magistratus in haereticos officium impugnare paratissimus erat. 1mo Zizania enim solummodo de doctrinae semine intelligebat. 2do Christum Apostolis praedixisse de futuris persecutionibus ipsis sustinendis, cur igitur non praedixit etiam Pseudoprophetas a Christianis persequendos, si gladii acies in haereticos debet exacui? 3tio Fides vera nunquam superatur a falsa, nec Deo Diabolus fortior erit. Ergo cum nullum sit periculum verae fidei exstinguendae, libera sit fidei professio, ac nulla coactio. 4to Neminem tam stultum ac insanum fore, qui sciret se errare, propter errores carcerem ac mortem subiret contra conscientiam suam. Cum ergo recte sentire se credant, non cogi debere eorum conscientias, quae sponte cessurae essent, si erro-

erroris essent conscíae. 5to Contendi hodie ac disputari de multis ad salutem non necessariis, utpote quod etiam fiat in hac opinione. Magistratus non esse plectere haereticos, id sentire aut non sentire saluti neque obesse neque prodesse. 6to Apostolos ignem coelitus devocaturos a Deo reprehensos esse. Haec ac alia mihi in privato colloquio objiciebat: refutatus autem in omnibus humillime, ut solent haeretica ingenia, se mihi commendabat, et rogatu etiam Amplissimi Domini Legati nostri, qui ejus gratia Architriclinum suum bis ad me miserat, ut intelligerem quantum sibi CAMULIUS curae esset.

Cum igitur ita, ut sunt isti omnes inventi essent, ac Dominus JULIUS privato Zelo Domini correptus gravissime fratres hortaretur, ne principia ista ac fomenta haereseon levi animo adspicerent, praesertim cum Antichristus occulto, per suos emissarios pollicitis, prece ac pretio, nobis omnibus, maxime Italicis Ecclesiis insidias struat: omnes isti excluſi, ac eorum Minister ad proximam Synodum depositus fuit. CAMULIUS in deliquium animi incidit, ac tanto animi dolore se cruciari prae se tulit, ut Praeses Vallis Rucantiae seu Rhaeticae, una cum Domino CONRADINO PLANTA postea secundo pro ipso intercederent, ac ut de Sententia aliquid remitteremus rogarent. Sed fratribus placuit horum exemplo aliis timorem incutere, ac in sententia perstare.

His peractis GANTNERI negotium rursus ad incudem vocatum est. Reluctabatur is strenue causas ante allatas non sine ira quadam et indignatione repetens: Sexviri autem et caeteri Symmystae Pastores Ecclesiarum omnes enixe eum sollicitare ut subscribendo Decreto facto odiosae contentioni finem imponeret, rebusque suis juxta ac paci Ecclesiasticae et politicae consuleret. Ministri enim GANTNERUM propter dotes ejus non vulgares non minus quam THOBIAM diligebant; praeterquam enim quod indigena erat, singulari quoque facundia valere judicabatur; a sola arrogantia seu pertinacia notatus; quum e contra TOBIAS ad iracundiam promtior et irritabilior aequo, vulgo haberetur. Tandem seu poenae metu, seu amicis sollicitantium impulsionibus victus GANTNERUS cessit, et post aliquantam haesi-

tationem ac tergiversationem subscriptioni se adcommodavit. Stabat super mensam liber Synodi, Decretorum dictus, et Sententia Synodica, ei jam inscripta erat, sequenti titulo ac totidem verbis.*)

Sententia fratrum seu concionatorum Synodi Evangelicae Curiae congregatae Anno Dom. ~~1755.~~ 1571. *die* 12. *Junii, approbantibus simul Praeclarissimis Viris ac Dominis additis Synodo ab Illustrissimis Dominis Rhaetis, trino illo Foedere aeternum cohaerentibus celebribusque.*

„ Super principali controversia, quae intercessit Domino „ Thobiae Iconio cum Joanne Gantnero de Officio Magistra„ tus, sentimus quod quum quis deprehensus fuerit aliquibus „ pravis una vel pluribus ac falsis opinionibus sive haeresibus „ esse infectus, quae pugnent cum vero sensu Scripturae San„ ctae, et maxime in iis capitibus et articulis, quae compre„ hensa sunt in nostrae Synodi publica confessione, et quae „ peculiariter continentur in Tigurinorum confessione, cui „ subscripsimus, atque post diligentem fidelemque institutio„ nem ex verbo divino petitam, non passus fuerit sibi persua„ deri, sed in suo errore pertinaciter substiterit; Magistra„ tus debeat talem pro protestate sua, gladio sibi divinitus „ concesso coërcere, ne alios suo veneno inficiat; et etiam „ taciturnitatem promittentem et nihilo minus tamen concio„ nes sacras ac Sacramenta Baptismi et Eucharistiae contemnen„ tem in ordinem redigere, punireque; semper pro ratione „ peccati ac personae &c. Et quia Gantnerus hunc sensum „ nostrum a D. Tobia defensum impugnavit publice et priva„ tim, eum peccasse judicamus. Quae nostra Sententia de„ bet libro nostro inseri; et qui huic non subscripserit non „ debet haberi pro membro Synodi.

2. Prae-

*) Istam periocham ipse Campellus nobis submiuistravit Cap. LXIX.

„ 2. Praeterea quia defendit manifestum haereticum.

„ 3. Quia impugnavit suum Magistratum facientem suum officium.

„ 4. Quia suam vocationem quater levissime deseruit.

„ 5. Quia expulit fratrem ex sua Ecclesia, &c. per ea omnia eum peccasse judicamus.

Haec publice GANTNERO praelecta fuerunt, et hisce ut subscriberet a multis rogatus denuo fuit. Gantnerus postquam diu titubasset, videns nullam patere elabendi viam, arrepto calamo suapte sponte in haec verba subscripsit:

„ Ego Joannes Gantnerus assentior hisce ore et corde bona Christiana fide.

„ Concedat Dominus, ut ad suam vergat gloriam et nostri abnegationem. Amen.

Antequam autem haec subscriberet, diu quid faceret ut dixi, dubius fuit. MARIUS calumniis eum juvare studuit, quas in Tigurinam Ecclesiam ac Senatum evomuit: *Ich solle vorhin die Zürcher rechtfertigen die haben Anfangs nicht also Confessiones in einen gezwungen.* GANTNERUS Anabaptistarum corypheum BALTHASARUM (HUBMEIERUM) refricabat, *mit dem hab man nicht also Gewalt getrieben.* Mirabar haec a sciolis istis afferri, qui tamen MARTIALES NOS THEOLOGOS vocarunt, ac jam antea Gantnerus crudelitatis Tigurinos condemnasset, cum miseros Anabaptistas ferro vel aquis sustulerint. Ego qui historiam BALTHASARIS illius ex Tuo libro decerptam adhuc in memoria habebam, faciliter illis respondi, ac quomodo cum isto seductore actum sit, quomodo ex oppositio sanctissimi ZWINGLII pro suggestu altero palinodiam insperatam ac seditiosam ex diaboli instinctu cecinerit, ejectus autem alibi exiguo tempore post, capite praecisus fue-

fuerit. Ad quae GANTNERUS respondit: *Nun ist ihm also, so las Ichs bleiben.* Respondi: cur falso adducis ea, quae Tu ignoras, ut libidini Tuae aliorum injuriis satisfacias? MARIO in faciem restiti, eumque satis iracunde objurgavi, qui Remp. ac Ecclesiam Vestram apud nostros in tanta fratrum ac Dominorum frequentia et corona, deferre nescio de quibus rebus, omnibus non verebatur. Multa paratus erat evomere, sed Zelo quodam incensus Ego abrupi voculas ipsius maledicas, ita, ut quid maxime in Vobis desideraret, vix ac ne vix quidem audiri ac intelligi potuerit. Rogavi autem Dominos, ne cuivis fidem haberent in dubium vocanti Tigurinorum acta in Anabaptistas seu haereticos, de quibus omnibus rationem reddere cuivis petenti parati essent. Sic tandem MARIUS obmutuit.

Etsi vero GANTNERUS post hunc ultimum conatum subscripserit, fratrum tamen sententiam quoad annuam suspensionem ab officio concionandi, subire nihilominus oportuit. Ubi enim recessisset, major pars Synodi decreverat, ut ad proximam Synodum consortio ac Ministerio nostro privaretur: si interea temporis certam suae resipiscentiae spem praebuerit, paratos fore fratres iterum recipere illum et amare.

Interea vero dum haec absolverentur, ingreditur Praeses Vallis Rhaeticae sive VIII. Jurisdictionum magna cum Majestate, ac MARIUM praesentem accusat de dogmatibus absurdissimis: liberum ac indifferens permisisse rusticis Sabbatum post concionem auditam, quodcunque opus subire vellent: negasse Dominum MARIUM Virginem post partum mansisse, sed similem aliis mulierculis fuisse; absurda de Christi ad inferos descensu docuisse: committere haec nostris judiciis, ac petere Sententiam a nobis. Simul etiam indicavit nobis, in Sosienſi Communitate esse rusticum Michaelem Werli, qui se redemtum negaret per vulnera Christi, et esse Judaeum sive Turcam, multisque aliis offendiculo et seductioni: consulamus quid faciundum cum ejusmodi. Post haec alia quaedam tractata fuerunt, quae tamen MARIUS interpellare voluit, ac perculsus admodum gravi accusatione Praesidis, importune se voluit defendere, ac omnia turbare, conquerens se

non

non ad finem Synodi haerere posse inopia pressus. Fratres cum aliud tractantes paxillum differrent, a Synodo se MARIUS subduxit, ac domum rediit. At Praeses antea in faciem MARIO dixerat, se testibus multis haec testaturum, si negaverit quae adduxisset. Propterea fratres MARIUM a consortio suo et Ministerio spoliarunt, insuper ut III. Foedd. Magistratui deferatur, primo: quod se toti Synodo maximo cum consensu opposuisset: communem ordinem invertere voluisset; deinde GANTNERI opinionem defenderit: papismi nos in pane Azymo utendo condemnaverit: Vocationes nostras in dubium vocaverit: Ecclesiam Tigurinam ac Ministros contemserit, quasi hi suo stercore fratrum oculos praestrinxerint, ut neque de Diva M. Virg. neque de rebus aliis verum cernere, ac agnoscere possint: ut taceam quibus a Praeside gravatus fuerit, denique etiam a Synodo se se subduxerit. Plures aliae sunt causae, propter quas non deponi modo, sed gravius etiam tractari merebatur homo insolens, ac superbiae inauditae. Antequam autem MARIO suum premium statutum esset, Italis, ut supra memini, Sententia lata est, fuse omnibus antea explicatis quae de OCHINO ac CASTALIONE a CAMULIO scriptore adducta fuerunt. Historiam ac causas OCHINIANI exsilii ex praefatione Tua, quam libro Domino SIMLERI praefixisti, fratribus vere expositi; ne quid aliorum maledicentia in sinistrius de quoquam judicaretur. Postea censura habita est morum ac doctrinae omnium: Synodus vero DAVOSII indicta, Ego in Ministrum electus, ac finis huic conventui positus. Soli Deo Gloria.

Placet autem nunc peculiariter annotare quid cum GANTNERO actum. Postquam die veneris III. Sessione pomeridiana exclusus, ac ex officio sive munere praedicandi dejectus esset, statim fama per urbem volabat Gantnerum esse victum, Gantnerum subscripsisse, Gantnerum ex consortio nostro ac Ministerio suo deturbatum esse; unde haud parum cum se maceraret, cogitavit qua calliditate famae suae jacturam aliquomodo levaret et farciret. Vesperi igitur paullo ante quam ad coenam surgeremus, evocat primo ex collegio nostro Dominum PONTISELLAM, qui cum exiret, cognatam Gantneri ante fores in peristylio reperit, a qua enixe rogatur, ut det operam quo GANTNERUS in gratiam, si quidem subscripserit, recipiatur, adque munus con-

cionandi iterum admittatur. PONTISELLA, qui post subscriptionem Gantneri, ipsum statim jam antea suscipiendum consulebat, author Gantnero ac ipsius cognatae (quae nudius tertius repentina morte obiit) fuit, ut D. et consul WILLIUS una MECUM evocaretur. Ibi GANTNERUS ambire, blandiri, privatim ac clam plus quam in publico fateri errasse, affectibus plus nimium indulsisse: cum autem nihil magis homini agnatum sit quam errare, ac unicuique suus error sit adtributus, petere se veniam, polliceri se omnia bona, rogare se humillime, ut sui miserti pro ipso apud fratres intercedamus, supplicemus, omnia tentemus, ut ad Ministerium ac consortium rursus intromittatur nostrum. Ubicunque pro viribus tale beneficium nostrum referre facultas se offerat, paratum ac benevolum se perenne futurum. Dici non potest, quantum se homo astutus humiliaverit, culpamque suam sit deprecatus. Omnes tres suis blanditiis ita decepit (quamvis hoc libere dicam, nunquam Amplissimo Domino consuli id ex animo placuisse) ut ingressi pro ipso supplicaverimus. Ego longa oratione, nescio quo modo falsus, ac quibus affectibus usus apud fratres, plures ita affeceram, ut statim Suffragiorum majore numero iterum esset receptus ac admissus, licet contra Synodi sanctionem qua diserte cavetur, ne qui semel fuerit excommunicatus ea statim Synodo recipiatur.

Vix finieram orationem meam, ecce penetralia cordis nescio quibus stimulis punguntur, ac mali alicujus aut stultitiae insignis indicia praesagiunt. Nec certe animus me fefellit. Revocatus enim GANTNERUS, qui jam iterum praeter meritum receptus erat, jubetur coram fratribus omnibus culpam suam deprecari, sicut apud nos privatim feciset, et de promisso praestando fidem facere novam. Hoc Gantnerus non modo non facere sed etiam malitiose subridere, quasi dicere vellet: En deceptos! Tunc inter Synodales fratres sedem injussus occupavit, imo a quibusdam impulsus ad faciendum praescripta tamen renuit, persuasus gratiam semel factam revocari non posse. Valde displicuit insolentia ejus fratribus omnibus, ac multos qui Suffragia et voces recipiendi illum dederant facti poenitere coepit. Instante tamen coenandi hora, nihil hoc vesperi mutare voluerunt.

Hic

Hic receſſit ocyus Gantnerus ac quaſi novus victor fratrum aſpectus ſubterfugit.

Diſſoluto conventu, nunquam jam longo tempore triſtior domum veni, ac noctem (ita me Deus amet) etiam illam prope inſomnem duxi, excrucians meipſum, quod tam inconſulto, deceptus hoſtilibus blanditiis, pro illo ipſo tam facile interceſſerim, qui tot Eccleſiae noſtrae faſtidia ac moleſtias jamdiu pepererit, inſidias mihi crudeles ſtruxerit, S. ſcripturas ſine fronte corruperit, apertos haereticos defenderit, Magiſtratum ſuis comitiis proſciderit, vocationem ſuam tanta levitate proculcarit, aliosque ex poſeſſionibus ſuis improbe profugarit, neque poſt haec omnia commiſſa poenitentis animi veri indicium ullum publice ediderit. Quae omnia conſcientiam meam ita laedebant ac onerabant, ut licet omnia in hoc negotio antegreſſo ex animi Sententia ceſſerint, nihil tamen aut parum me viciſſe exiſtimaverim. Cogitare igitur coepi noctu ac antelucano tempore, quibus remediis hoc peccatum noſtrum aut tolleretur, aut ſaltem mitigaretur. Interim dum ſolus vulnerato animo per coenaculum meum cogitabundus obambulo, fores pulſat TURRIANUS Plurienſis Paſtor, rogans me (nondum enim Sententia in Italos promulgata fuerat, ſed demum IV. Seſſione) ne Domini JULII conſilium ſequerer, ſed quibuscunque modis efficerem, ne de Miniſterio deponeretur: paratum ſe eſſe revocare, ſubſcribere, ac omnia ex noſtra Sententia facere: in GANTNERO miſericordiae feneſtram apertam eſſe, qui tamen longe gravius in Deum ac proximum peccaverit, quam ipſi fecerint.

Ego cum audirem Italos dementiae noſtrae exempla ad ſui impunitatem arripere ac abuti, ſubito mutandi conſilium noſtrum, occaſionem animus aeger certo arripuit. Paratus igitur ad collegium feſtino, Dominum PONTISELLAM evoco, ac meum illi conſilium aperio, non poſſe me quieſcere, donec fratribus onus conſcientiae meae impoſuero, ac in illos exoneravero. Quo magis PONTISELLA diſſuadet, eo vehementius ad hoc faciendum uror. Propono negotium, ac peccatum facilitatis libere fateor, ac quod TURRIANUS ac Itali reliqui eo abu-

abutantur ostendo. Concurrunt multae causae mutandi consilium nostrum. 1. Quod Gantnerus post gratiam acceptam subriserit, cum plorare potius debuerit, qui culpam nullam aperte deprecatus sit. 2. Quod Itali omnem impunitatem ex tam stulto facto nostro sibi promiserint. 3. Quod Gantnerus statim fratrum praesentiam ac faciem effugerit. 4. Quod crastino die nunquam dignatus sit interesse Synodo, sed Societatem nostram contemserit, qui tamen primus, accepto isto beneficio, eo se conferre debuisset. Quae omnia cum fratres penitius ponderassent, omnibus pene Suffragis mutatis sub diei vesperam GANTNERUS iterum exclusus et depositus fuit ad proximam Synodum usque, si interea resipuerit. Delitescebat Gantnerus in praedio suburbano. Igitur, deliguntur duo qui hoc nuncium illi apportent, ac causas novi facti aperiant. Accipiuntur nuncii ab initio benevolo a GANTNERO, sed cooperti ipsius convitiis dimittuntur, stomachante in Synodum omnia ex odio ac invidis affectibus agi, moveri, mutari, Synodum haud secus consuluisse secum atque olim Pharisaeos ac scribas in Jesum, divino judicio se commissurum omnia dixit: posse se in Ministerio pergere si velit, flocci nostra decreta faciens Legatis, quid ergo tali sententiae subscripsisset, qua tot piaculorum damnaretur, regerentibus, reposuit, se christianae caritatis et concordiae caussa feciss, non quod ullius peccati sibi conscius esset, cum nil docuerit quod cum confess. Synodi vel Tigur. pugnaret.

Die XVII. Jun. summo mane cum Senatus III. Foederum in Curia collectus esset, XII. fratres ad hoc delecti, Acta Synodi Dominis approbanda ac confirmanda obtulerunt. Germanice D. CAMPELLUS conscripserat Sententiam Synodi de plectendis haereticis a Magistratu, sicuti superius memini, omissis nostris nominibus, expressis vero nominibus Anabaptistarum, Arrianorum ac Schwenkfeldianorum, ac si quae aliae sectae ac factiones contra verbum Dei ac leges publicas irreperent, easque eliminandas esse imperio Magistratus decretum esse: rogare ergo nos Proceres III. Foederum ut hanc Sententiam e sacris litteris, suis legibus inferant, ac ceu Ecclesiae nutritii servare, defende-

re,

re, ac exsequi dignentur: praeterea etiam procurent, ut inutiles illos Pastores Communitates abdicent, quos Synodus abdicandos jam denuo decrevit, maxime GANTNERUM et MARIUM, qui prae caeteris majori Ecclesiarum detrimento essent. Senatus TRIUM FOEDERUM uno ore omnia approbavit, ac sancta etiam tuenda ac exsequenda mira benevolentia in se recepit.

Haec omnia prolixe in privatos usus consignare volui Reverendissime Domine Pater, partim ne oblivioni multa traderem, partim ut si necesse fuerit, regustem, ac veritatem semper tuear. Ignoscas autem quaeso calamo festinanter omnia exaranti: Atque haec jam satis sint, et prolixius ad Te, quam necesse forsan. Si legere illa dignatus fueris, seu potius per otium aut negotium legere possis, certo aliquo tempore tuto ad me remitti cuperem. Nunc Deum precor ut Te Dominum et Patrem nobis colendiss. in nestoreos annos conservet incolumem. Amen. Scripsi haec Curiae, 1571. Mense Junio.

Hactenus Eglinus.

Nos telam pertexemus. Tobiae impulsu, super actam cum Gantnero causam, in membrana confectae tabulae fuerunt, quibus actio Gantneri in Tobiam, hujusque responsio, testimonia, lata denique Sententia inscripta erant, adnexo Curiensium ceu communi III. Foederum nomine sigillo, eoque GANTNERO ut eas manus suae subscriptione, prout antea in Synodali libro fecerat, adprobaret, praesentatae fuerunt: verum Gantnerus non modo manum recusavit, sed etiam ad San Petrinos suos reversus, in officio suo pergebat, publice et privatim clamans: se quidem damnatum esse, sed absque ullis causis legitimis et necessariis: atque nullum Magistratum habere potestatem ipsi interdicendi concionandi munere. Fuisset etiam GANTNERUS a populo illo in Pastorem servatus, nisi Curiensis Consulis litteris Rhaetorum omnium nomine scriptis, conditionem abjudicare illi jussus fuisset. Curiam reversus, domi suae plerumque delitescebat, vindictam in Tobiae caput apud quoscunque locum inveniebat moliens, et suorum civium gratiam ambiens;

biens; quare non semel propinquorum suorum comitatu stipatus, Senatus gratiam expugnare non neglexit, aliquando etiam a Senatu ad Tribuum collegia, querelas suas devolvit: sed adversus torrentem haec omnia. Senatus enim visa hominis pertinacia ei gratiae spem citius non fecit, quam eam fractam esse et submissam ostenderit, atque plus semel ei et suo et communi Ili. Foed. nomine intimari curavit, ut nisi memoratae Synodi Sententiae subscripserit, de suis finibus una cum tota familia decedat. At neutrum ille complectebatur, ajendo se cum tali Synodo, quae innoxium se condemnasset, reconciliationem sub datis conditionibus nunquam ambiturum; et quia in Senatus corona etiam nonnulli erant ipsi faventes, alii autem civium itidem sanguine juncti, fiebat, ut Gantnerus in patria domo ac civitate perinde ac alius civis commoraretur, et res suas curaret, licet coetibus sacris raro interesset, et in Tobiam infensum semper animum gereret. Erant etiam inter Proceres, qui exclusionem Italorum a Synodo factam, minus probabant, cum quibus ut exsulibus, Viris doctis et piis, mitius actum cupivissent; in quorum numero unus ex primariis PETRUS GULERUS erat. Gantnerus vero labore suo adversum Tobiam tantum profecit, ut Anni 1573. m. Febr. Senatus major pars, in pacis remedium etiam Tobiae, ceu qui justo asperior mali provocati et exacerbati auctor esset, dimissionem decreverit: alia multa natalibus Tobiae minus honorifica adspergebat Gantnerus passim apud suos, ut illum in odium deduceret et contemtum. Verum Tobias testimonio Tigurinorum adjutus calumnias illas elisit, a Senatu quoque obtinuit, ut Gantnerus alterutram conditionem eligere juberetur. Gantnerus in extremis se videns Senatus gratiam hac ratione ambivit, profitendo se Tigurinorum confessioni per omnia assentiri, eidemque subscribere paratum, S. concionibus, et S. Sacramentorum administrationi et usui, seu Curiae, seu alibi ubicunque inter Evangelicos degere datum fuerit suam praesentiam promittendo; civibus denique operam suam, quam multis verbis praedicabat, fidelem stipulando; et ad hanc declarationem Senatus gratiam civibus suis communem illi impertivit. Caeterum qua ratione datam fidem servaverit, mox patuit. Quum enim non adeo multo post, Curiae non parva plebis pars conjuratione facta in Senatum conspirasset, Gantnerus Patribus illis beneficium praestitum

ſtitum nempe repenſaturus, ex praecipuis conſpirationis coryphaeis unus et ipſe extitit, atque etiam ad Helvetios qui ſe medios liti illi componendae interpoſuerant, in Curiae hypocauſto maximo dux ſermonis illorum eſſe, ac captum conſpiratorum, ut probum ac juſtum laudare non dubitavit. Isdem poſtea contemta Synodi auctoritate, Anno 1576. Eccleſiolae cuipiam prope Curiam, (nomen nuspiam reperio) curam paſtoralem ſuſcepit, licet quamdiu eam adminiſtraverit, et quo tandem ſucceſſu non inveniam: certum id, illum in odio adverſus Synodum conſtantem perduraſſe, teſtatumque ſemper eſſe cum tali Synodico collegio gratiam ſe non optare, ſibi autem ad exercendum Miniſteriale munus ſufficere quod ſemel in numerum V. D. Miniſtrorum Anno 1558. legitime ſuſceptus ſit.

Miniſtri Itali Arianizantes dicti, Synodi decreto quum obedientiam ſtipularentur, ab Eccleſiis ſuis admiſſi et honeſte habiti ſunt, utcunque numero Miniſtrorum excluſi fuiſſent; ſed hi blanditiis amorem Symmyſtarum recuperare non neglexerunt, per quas effecerunt ut apud ſuas Eccleſias absque moleſtia ulla perduraverint ad obitum usque. Quoad unum CHRISTOPHORUM Cremetum, illum quem ejectum fuiſſe ſupra meminimus, de novo a Comitiis Raet. Octobri Menſe A. 1571. congregatis, Vallis Tellinae Capitaneo injunctum eſt, ut ſolum vertat, ſin minus in vincula conjiciatur.

Quando Gantneri animus per Senatum ad ſubmiſſionem coactus fuit, caeterorum qui Anabaptiſtis favebant conſilia labefactata ſunt, et indies animi imminuti, maxime quum in illorum adtentata adtentio adhiberetur. Invenerat Marius apud Faliſianos locum; ſed Senatus Raet. ſtatim atque id intellexit, viciniae illi injunxit ut Eccleſiaſtam dimitteret, ni cenſorii Tribunalis judicium, immite experiri malit. Act. d. 20. Jun. 1572. Coronidem Anabaptiſtis impoſuit TARDIUS, qui cum in rixa privignum ſecuri pectori impacta occidiſſet, proſcribi ut latro meruit, qui ſi ut Anabaptiſta exſulaſſet, Martyr a ſuis declaratus fuiſſet. Factum id coram Senatus ſept. Idus Majus 1573. Iſtud factum non minus ſectae illi ſuccidium attulit Curiae, quam olim

Schuggerorum homicidium Sangalli, ante Annos 47. finem adtulerat. Sed de hoc satis.

In GANTNERI locum qui functionem abdicaverat, Curiensis Senatus HULDRICUM CAMPELLUM elegit, et litteris Kal. Decembr. 1570. per expressum nuncium Susium in Oengadinam, ubi Ministrum agebat, datis, missisque illi spartam obtulit. Campellus fratribus proximis consultis, potioris illorum partis consilium secutus conditionem acceptavit, Curiam deproperavit atque festis natalitiis Tobiam jam symmystam adjuvit. Verum multo labore et taedio statio illa bono viro stetit. Quia enim Gantnero sequaces ac cognati, propinqui sui dimissionem aegre ferebant, Campelli conciones, et actio, quae huic, utpote Oengadino, et in lingua germanica haud adeo promto, minus ad gustum urbicum fluebant, ab his in sannas traducebantur, quasi nempe cum Gantnero, cive nato, ratione exercitii Ministerialis ne in comparationem quidem veniret. Et quia Gantnerus neque Dominorum Sententiae neque Synodi Decreto obtemperavit, sed constans Curiae perdurabat, hinc per omne tempus quod Campellus Curiae exegit, taedia et aerumnas devorare debuit. Itaque injuriarum satur, pertaesus ac fessus tandem Ao. 1574. Augusto mense, bona cum Senatus et populi venia in Patriam Susium remigravit. Paucis post adventum ejus in Oengadinam diebus, decedere contigit JOANNEM ROESCHELSUM, BONORANUM Coelini in infima Oengadina Pastorem; in hujus locum Campellus Successor vocatus est; cui vocationi lubens obtemperavit, COELINUM concessit, ibidemque postquam annos minimum sex serviisset, ni fallar etiam lumina clausit.

Ad intelligendum penitius contentionis Anabaptistico-Gantnerianae successum, apprime faciunt Epistolae a Tobia Eglino de tempore in Tempus ad BULLINGERUM et GUALTHERUM exaratae, quas in causae hujus elucidationem e suis latebris excitavit, et in publicum jam ante haec quinque lustra dedit celeberr. JO. JAC. BREITINGERUS Musei Helvetii Part. XVI. et XVII. insertas. Easdem nos inde translatas huic

Capiti

Capiti subjungere volumus, ut simul habeat lector, quae super eam rem edita sunt.

I. Thob. Eglin. ad Bull.

1570. Kal. Maji.
8. Maji.
15. Maji.
19. Maji.

ult. Julii.
23. Octobr.
27. Novembr.
4. Decembr.
19. Decembr.

1571. 8. Jan.
5. Mart.
20. Mart.
14. Aug.

Kal. Octobr.
29. Octobr.

aliae - - Part. XVII. p. 120.
22. Novembr.
21. Novembr.

1572. 29. April.
15. April.
25. Aug.
24. Novembr.

1573. 2. Febr.
14. Febr.
29. Mart.
ult. April.
8. Jun.
9. Novembr.
23. Novembr.
29. Decembr.

1574. 2. Jan.
15. Febr.
29. Mart.
27. April.
18. Maji.
25. Maji.
14. Jun.
13. Jul.
20. Jul.
9. Aug.

CAP. XXI.

CAP. XXI.

1570 — 1572.

Conradus Planta Episcopi Decanus, quibusdam beneficiis olim alienatis inhiat, adque ea obtinenda Bullam a Pontifice facile obtinet: Bulla altitonans, Domino Raetiensi JO. PLANTA transmissa, ex cujus tenore Praeposituram D. Ursulae Tilii invadit, Guicciardi resistunt. Res in subcomitiis ventilatur. Rumor de Bulla percrebrescit, et irritat populum. Ultima Procerum compositione, qua Raetiensis mulcta pecuniaria oneratur, populus offenditur et insurgit. Raetiensis confugit Cernezium in Engadinam, sed mox per ditionem Austriacam in castrum suum Raetium remeat. Plebs ejus adventu cognito tumultuatur et vexilla extollit. Raetiensis Laxii subsistit: at ibidem a suis malefidis capitur, et cohortibus consignatur. Tribunal Rhaddamanteum, Raetiensem atrociter tormentis excruciat: tandem capite damnat. Varia super Raetiensis supplicium judicia.

Ubi rerum summa stat penes populum, suspecta plerumque et invisa est singularium potentia; e re enim sua plebs existimat labefactare aut removere eos, quorum opes sunt metuendae. Ostracysmus Athenienſium, aliaeque ejus generis leges apud priscas Graecorum Respublicas constitutae, ex illo fonte manarunt: et quid populi invidia efficiat, senserunt olim MILTIADES, ALCIBIADES, CIMON, aliique

aliique Viri apud suos meritissimi. Hinc quibus sub tali Regiminis forma in dignitatis gradu vivere datur, prudentissime agere existimantur quando publica haud secus ac privata ex legum receptarum tenore administrant, caeterumque secum habitant, et ab omni rerum novarum studio abstinent, per quod plebs haud secus ac crabrones vulgo irritatur. Nos saltem ex domesticis Exemplis scimus eos qui auctoritate, potentiaque sua supra et contra legum receptarum tenorem abusi sunt, plerumque infelices evasisse, quum edoceamur saepius a levi casu aut circumstantia in extrema conjectos fuisse, qui antea res ad nutum volvebant, et si prudentiam comitem voluissent, per totam vitam volvere potuissent. Rerum novarum molimen tanto majori subest discrimini, quando aperti pererrant aemuli, a quibus Reipublicae vires in aequales partes trahuntur; tunc enim aut nova adfectantem succumbere, aut Regiminis formam concuti, si non plane aboleri necesse est: ad nullam vero famam plebs furiosior insurgit, quam ubi summi sui imperii jura suffodi, aut stabilitae Religionis leges convelli clamatur. Hic ipse rerum status est, qui Anno MDLXXII. inclyto inter Raetos Heroi JOANNI PLANTA Cernezienſi patria, J. U. Doctori, et Vallis Tellinae olim vicario, et altera vice Capitaneo, spectatissimo utique viro, ultimum exitium adtulit. Is suo tempore inter optimates unus maxime eminebat opibus ac consilio; et quia Romanensibus sacris a nativitate mordicus adhaeserat, a catholicis (ut vocari amant) in caput seu columnam religionis eorum constituebatur, quando de illa causa tractandum erat; hinc multa eo nomine illi in Raetico Senatu auctoritas, multa quoque et apud Pontificem, et apud Caesarem gratia valebat. Isdem praeterea factionis Caesareanae Primipilus erat, quo nomine ex PLANTANORUM illustri familia plerosque, et alios Proceres plures sibi faventes habebat, licet sacris ab eo alienos: ex quo quanto loco Vir ille positus fuerit dijudicari potest. Causa accersiti mali exstitit magno huic viro, filius CONRADUS, Ecclesiae Episcopalis Curiensis Canonicus et Decanus, pariterque J. V. Doctor, adeoque summis post Praesulem honoribus ac reditibus et ipse gaudens, qui Patris fortuna insolescens, cum vidisset suam factionem in evehendo ad Sedem Episcopalem BEATO, praevaluisse Saliceis, Archipresbyterum Bartholomaeum obtrudere adnisis, in mentem venire sibi passus est bona

Epis-

Episcopatus, Praeposituras, aut sacerdotia aliqua, quae sub Reformationis initia publica auctoritate, aut in pios alios usus conversa, aut inter Communitates distributa fuerant recuperare, pristinoque reddere usui: cui adtentato tempus favere credebat ex omni parte, siquidem Patris Auctoritas magni habebatur, utpote Pontificis et Caesaris gratiae suffulta. Beneficia autem publica auctoritate olim abalienata fere haec erant, quantum sedula inquisitione expiscari potui, Primo Monasterium D. LUCII Curiae, cujus bona THEODORO SCHLEGELIO Abbate ob proditionis crimen Anno MDXXIX. capitis supplicio peremto, a Cathedralibus communitatibus divendita omnia et publicos in usus conversa fuerant, Monachis inde profligatis et ipso Monasterio bona ex parte diruto. Monachi ejecti BENEDURUM apud Estiones Austriacae ditionis, sed Curiensis Dioeceseos confugerunt, et coenobium ibidem ab olim cum San LUCIANO conjunctum, et ejusdem cum hoc Benedictini ordinis intrarunt, occuparunt, et (sine Pontificia licet auctoritate,) tenuerunt. Circa idem tempus, Foederis X. Jurisdictionum homines, Monachis ex coenobio Divi Johannis, ordinis Praemonstratensium in intimo Raetigojae pago, una cum Priore Barth. BILGERO sponte dilapsis, Praepositurae illius bona ad pios usus designarunt distribuerunt-que, quos enumerandi dabitur alibi occasio. Paucis inde post annis a Cathedralibus insignis structurae Coenobium Dominicanorum Curiae existens a D. NICOLAO denominatum, in publicam cathedralis Foederis Scholam conversum fuit, eidemque ejectis Monachis bona illius omnia ac reditus adjudicata fuerunt, ut suo loco narravimus. Pari modo Grisaei Abbatiam Monialium ordinis Benedicti CAZESII in Domiliasca sitam aboleverunt, proventusque inter suos distribuerant. Ordini HUMILIATORUM, (qui tandem Ao. 1570. a Pio V. Pontif. ob structas vitae CAROLI BORROMAEI Archi-Ep. Mediol. insidias, abolitus fuit) spectabat Praepositura Divae URSULAE Tilii, et D. MARGARETHAE de Trisivio in Valle Tellina; sed quia ordo ille sacrorum administrationem in dictis locis peragi non curabat, verum reditus tantum extra Raeticam ditionem extrahebat, Raetico Senatui visum fuit illius Praepositurae proventus sibi arrogare. Multae erant necessitates publicae, ad quas reditus illi cum fructu impendi poterant, et inter primarias erat miseria exsulum ex italia, et praecipue Praedicantium in Valle Tellina,

lina, quibus XL. coronati in Salarium conſtituti, a Parochis Romanis negabantur, nec fere ſuppetebat, unde illis exputarentur. Statim adfuit ANDREAS GUICCIARDUS Nobilis inter Volturenos praeclarus, poſtea Rectoris Tilienſis nomine celeber, qui fidelem proventuum illorum ſecundum neceſſitates obvenientes adminiſtrationem Raetico Senatui promiſit, utque Praepoſiturae illiusque proventum adminiſtratio ſibi adjudicaretur non ſine laboribus et impenſis, tandem impetravit filio ſuo PETRO MARTYRI, Mazzii hactenus Plebano. Petrus iſte Martyr egerat Mazzii Parochum poſt Annum 1540. annos XIV. quum vero juxta cum Patre, fratres ipſius NICOLAUS Art. et Med. Doct. PETRUS ASCHANIUS, et HANNIBAL, adeoque tota familia ad religionem Evangelicam defeciſſet, et ipſe victus eandem ſibi placere publice profeſſus eſt, abjectoque collare Proteſtantium coetui acceſſit et ipſe Anno 1554. Eo animo GUICCIARDORUM in ſacra Evangelica perſpecto, Proceres Raeti pro Comitiis, Curiae d. X. Kal. Febr. MDLV. congregati, ANDREAE Patris petitionibus velificati ſunt, ſolennique Diplomate extradato, jus ac poteſtatem illi conceſſerunt Praepoſituram ſupradictam adminiſtrandi ejusque proventus percipiendi, aut eam quibus vellet conferendi aut elocandi, ſub diſerta tamen conditione, ne proventus illi aliter quam in Dei cultum et pios uſus ſecundum Evangelicam doctrinam impenderentur. a) Haec quantum ſcio omnia ſunt beneficia, ut vulgo vocant, quae in alienos uſus converſa eſſe Epiſcopatus Curienſis, conqueri poterat: is vero licet reſtitutionem non ſollicitarit, CONRADUS attamen PLANTA Eccleſiae Decanus eam ſibi poſtulabat et intimabat. Habito itaque prius cum amicis conſilio rem forti animo aggredi ſtatuit, et ne conatui deeſſet titulus, placuit a Beatiſſimo Patre Bullam extorquere, quaſi cujus ſit de proventuum Eccleſiaſticorum diſpoſitione providere: cujus conſilii auctor promotorque habitus fuit VINCENTIUS QUADRIUS, Pontificius Eques, in aula Romana alicujus pretii habitus. Pontifex nil magis quam aliquam Raetos infeſtandi, ac dividendi occaſionem optans, hanc ſibi ſponte oblatam, coelo demitti credens, ita ambabus ulnis arripuit, ut nihil fuerit

a) Conf. Quadr. Tom. II. pag. 54. et 500.

fuerit quod petitionibus factis derogandum existimarit: ex benefico adeo sanctitatis Pontificiae animo, ad JOANNEM PLANTA emanavit BULLA splendidissima, cujus ipsum exemplum adponimus:

PIUS, Servus Servorum DEI, ad futuram rei memoriam. Ex injuncto nobis desuper Pastoralis Officii debito, ad ea libenter intendimus, per quae provisionis nostrae auspiciis, beneficia quaelibet praesertim regularia viris committantur idoneis, qui sciant, velint, et valeant feliciter regere, et salubriter gubernare. Nuper siquidem dilecto filio nobili viro JOANNI a PLANTA, Domino in temporalibus loci de Rhetio Curiensis Dioecesis, Juris utriusque Doctori, per alias nostras litteras dedimus in mandatis, ut quaedam beneficia ordinis Humiliatorum, in Valle Tellina Comensis dioecesis, Jurisdictionis Grisonum a personis irregularibus et incapacibus occupata recuperaret. Eique etiam concessimus ut ad illa sic recuperata alias personas idoneas, sub certis modo et forma tunc expressis praesentare posset: prout in eisdem litteris plenius continetur. Nos attendentes ejusdem JOANNIS fidelitatem et Zelum fidei, ac summam erga nos et Apostolicam Sedem devotionem, ac propterea eundem Joannem amplioribus favoribus et gratiis prosequi volentes, ipsumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et intendictis, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, censuris et poenis, a lege vel ab homine, quavis occasione vel causa datis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, motu proprio, non ad ipsius Joannis vel alterius pro eo nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de mera liberalitate, et ex certa scientia nostris ac de Apostolicae potestatis plenitudine, eidem Joanni, ut in tota Dioecesi Curiensi et ditione Rhaetorum Grisonum nuncupatorum, sive dicta Valle Telina vel Comitatu Clavennae ejusdem dioecesis Comensis, omnia et quaecunque Beneficia Ecclesiastica, tam secularia, quam quorumvis ordinum regularia quomodolibet nuncupata et qualificata, etiamsi illa vel illorum aliqua Monasteria, Abbatiae, nuncupata, Prioratus, Praepositurae, et Dignitates fuerint, ab haereticis,

reticis, vel aliis laicis incapacibus, ac Clericis Apostatis, aut in eis quomodolibet absque canonico titulo, ac nostra et dictae Sedis licentia, in iis quae ad nostram ipsiusque Sedis dispositionem spectant, intrusis, ac alias quomodolibet indebite occupata vel detenta seu quomodocunque usurpata, aut alias male alienata, illorumque bona et fructus cum omnibus juribus et pertinentiis suis universis recuperare possit et valeat, plenam et liberam Authoritate Apostolica tenore praesentium concedimus facultatem, ipsumque Joannem ad praemissa omnia et singula, nostrum et ejusdem S. Sedis Syndicum et Procuratorem Generalem, cum omnibus et singulis honoribus, oneribus, privilegiis, praeeminentiis et facultatibus, aliisque solitis et consuetis creamus, facimus et constituimus et deputamus. Ita quod liceat eidem Joanni detentores, occupatores, et usurpatores quoscunque praesertim eos qui se gerunt pro Monachis Monasterii de BENDEREN ordinis S. Benedicti, praedictae Dioeceseos Curiensis, quod olim Monasterio s. LUCII Curiae, ejusdem ordinis, ante ipsius Monasterii s. LUCII usurpationem et profanationem per sectas haereticorum factas, perpetuo unitum, et postea quondam BARTHOLOMAEO DE CASTROMURO olim DECANO Ecclesiae Curiensis, tunc in humanis agenti, ad ejus vitam dicta authoritate commendatum fuerat, et post dicti BARTHOL. obitum, absque ejusdem Sedis, ad quam ipsius Monasterii, tanquam illi affecti dispositio pertinebat, licentia, per eosdem Monachos detentum fuit, prout adhuc detinetur indebite occupatum, se a praefato et quibusvis aliis Monasteriis, Prioratibus, Praeposituris et dignitatibus, aliisque beneficiis hujusmodi, absque spolii et adtentatus vitio propria authoritate expellere, et amovere, eisque sic expulsis et amotis ad de BENDEREN et alia Monasteria, Prioratus, Praeposituras, Dignitates, et alia beneficia hujusmodi pro prima et una vice tantum quascunque idoneas personas sibi bene visas, etiam filios proprios, legitimos tamen et alios idoneos, loci seu cuivis alteri ordinario praesentare, ipseque ordinarius Monasteria, Prioratus, Praeposituras, dignitates et alia beneficia hujusmodi eisdem personis commendare et conferre: et si quid detentores, occupatores et usurpatores praefati

juris et tituli praetendant, idem Joannes pro summaria causae et causarum desuper pro tempore pendentium expeditione, Venerabiles fratres nostros COMENSEM et CURIENSEM Episcopos, eorumque Vicarios in Spiritualibus generales, et quemlibet eorum in solidum, et quem ipsorum idem JOANNES voluerit in judicem seu judices delegare et deputare, seu detentores, occupatores, et usurpatores, ac causam et causas hujusmodi ad aliquem Praelatum catholicum trahere possit et valeat, etiam plenam et liberam authoritate et tenore praedictis concedimus facultatem. Districtius inhibentes omnibus et singulis tam secularibus quam regularibus personis, cujuscunque dignitatis, gradus et praeeminentiae existant, in virtute sanctae obedientiae, et sub indignationis nostrae, ac injuriae subsequentis, etiam excommunicationis majoris latae Sententiae, nec non suspensionis interdicti, aliusque arbitrii nostri, eo ipso per quemlibet contravenientem incurrendis poenis, ne dictum JOANNEM super praemissis quomodolibet molestare vel impedire audeant seu praesumant: quin imo illi quantum in eis fuerit favorabiliter assistant. Ac decernentes praesentes litteras de surreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis nostrae seu quovis alio defectu notari vel impugnari, aut alias quomodolibet infringi vel retractari seu eis in aliquo derogari, nullatenus unquam posse, sicque ab omnibus censeri, et ita per quoscunque judices et commissarios quavis authoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpraetandi facultate et authoritate judicari et definiri debere: irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca fratribus nostris Venerabilibus Patriarchae ALEXANDRINO, et CONSTANTIENSI ac BASILIENSI Episcopis per Apostolica scripta motu simili mandamus quatenus ipsi vel duo aut unus eorum, per se vel alium seu alios praesentes litteras, ubi et quando opus fuerit, ac quoties pro parte dicti JOANNIS fuerint requisiti, solenniter publicantes, sibique in praemissis, efficacis defensionis praesidio assistentes, faciant praemissa omnia ab omnibus, quos illa concernunt inviolabiliter observari, non permittentes eundem JO-

ANNEM

ANNEM desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari, contradictores quoslibet et rebelles per Sententias, censuras et poenas, aliaque opportuna juris et facti remedia appellatione postposita compescendo, et legitimis super iis habendis, servatis processibus, easdem sententias, censuras, et poenas, etiam iteratis vicibus aggravando. Invocato etiam ad hoc si opus fuerit auxilio brachii secularis, non obstantibus praemissis, nostra de non tollendo jure quaesito, nec non felicis recordationis BONIFACII P. P. VIII. Praedecessoris nostri, qua cavetur ne quis extra suam civitatem vel dioecesim, nisi in certis exceptis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine suae dioecesis ad judicium evocetur; seu ne judices a Sede praedicta deputati contra quoscunque procedere, aut alii vel aliis vices suas committere, quoquo modo praesumant de duabus dietis in Concilio generali edita, aliisque Apostolicis, ac in provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ac quibuswis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus contrariis quibuscunque, aut si aliquibus communiter vel divisim, ab eadem sit Sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas, non facientes plenam ac expressam ac de verbo ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, creationis, constitutionis, deputationis, inhibitionis, Decreti et mandati infringere, vel suo ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumserit, indignationem omnipotentis DEI, ac beatorum Petri et Paulli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Dat. Romae apud S. Petrum, Anno incarnationis Dominicae 1570. Pridie Kl. Martii. Pontificatus nostri anno sexto.

Subscripsere

Ill. Card. de Medicis Summ.
Ill. Cumin. Cae. Glorierius.

Emunctioris erat naris Dominus Raetienſis, quam ut motus non ſubolfecerit a Raetis ſtatim concitandos, atque altitonans illud ſolium ceu neſcio quod *Mormolykeion* conſpectui publico praeſentaturus eſſet: igitur de ratione per quam illis obviam iretur inter conſcios facti conſilia miſceri coepta ſunt. Verum non ita arcano res tractata fuit, quin rumuſculus quidam occultus de Bulla illa et litteris quarum in Bulla mentio, peculiariter ſcriptis, ad quosdam emanaſſet: de hoc Pontifex ex ſuggeſtione ſuorum monitus, veritusque ne Bullae tenor turbas forte apud Raetos daret, unde ſuum conſilium irritum redderetur, poſtmodum binas alias litteras in Brevium, ut vocant, ſeu Epiſtolarum forma ad eundem Dn. JOANNEM Raetienſem Dominum dedit, priores Maji menſis die neſcio quota, poſteriores vero die XV. Septembr. ſupradicti Anni MDLXX. Conceptae eae erant verbis lenibus et modeſtiam ac humanitatem redolentibus, ſuccinctiores erant longe quam ipſa Bulla, praeterea tollerabiliora mitioraque multo ſonabant. Nec enim in iſtis mentio beneficiorum Eccleſiaſticorum quae in ditione Raetorum Griſonum atque intra Curienſem Dioeceſim continebantur, (unde nimirum tumultus cum primis timendus erat) ſed eorum duntaxat quae in Volturena et Clavennenſi Comitatu, ordinis Humiliatorum fuiſſent beneficia, et in iis peculiariter Praepoſiturae S. URSULAE Tilii, quae licet etiam Raetorum ſint Jurisdictionis, tamen eorum nomen diſſimulatur, et Comenſis Dioeceſeos ſolum mentio adponitur. Qualescunque vero eſſent, Raetienſis illarum praeſentatione cauſam intentare, e re ſua non judicavit.

Integer annus et ſupra, conſultationibus capiendis, aut opportuno tempori exſpectando abſumtus fuit, tandem viam facti eligere placuit ceu breviorem, commodioremque; ea autem Raetienſi ſimul expeditiſſima eſſe videbatur, eo quod Vallis Tellinae Capitaneatu fungebatur illo tempore HERCULES a SALICIBUS Raetienſis conſocer, Tilienſis autem Praetor CHRISTOPHORUS BELINUS a Belloforte ipſius (Raetienſis,) nomen auctoritatemque reverebatur: In quo quidem nec falſus fuiſſet, ſi negotii tranſactio penes ſolos illos ſtetiſſet. CONRADUS itaque PLANTA Curienſis Decanus ſpe plenus, et ſimul cum ipſo parens JOANNES PLANTA auctoritate ſuae praefidens Octobri menſe Anni MDLXXI.

MDLXXI. in Vallem Tellinam se conferunt, ubi CONRADUS auctoritatem a summo Pontifice sibi in dictam Praeposituram concessam obtendens, a nominatis duobus officialibus obtinuit, ut suo tantum nomine et auctoritate, promulgatum fuerit, *ne quis colonorum, vel emphyteutarum, clientiumve qui quid in supradictam Praepositurum beneficiorum nomine deberent, quenquam alium pro Patrono aut Praepositurae Praefecto agnoscerent, quam CONRADUM PLANTAM Curiensis Ecclesiae Decanum, cui proinde quod deberent penderent.* Factum id die X. Kal. Nov. 1571.

Verum GUICCIARDI adeo non postulationi cedere, ut potius ultima experiri animo constituerint. Rationes quas allegabant in sui favorem robore non destituebantur. Jus enim illud quod possiderent in Praeposituram illam, dicebant sibi collatum fuisse ab integro Raetorum Senatu in Comitiis congregato; hinc a solo illo se exturbari posse, neutiquam ab uno alterove Officialium, qui super eam rem nihil in mandatis acceperit. Conscientiam allegabant Sacramento obstrictam, ut proventus illi ad necessitates Evangelicorum impenderentur, nedum ut Curiensi Decano divitiis diffluenti resignarentur. Ultimo Decretum Dominorum urgebant, cujus tenore interdictum est, ne quis ulla Diplomata vel beneficia seu in Volturena ac Clavennensi Comitatu seu alibi Raeticae ditionis sita, a Romano Pontifice impetret: verum omne illud quidquid fuerit a solis Raetis Dominis expetat et obtineat. CONRADUS illos apud Praetorem loci, aut Capitaneum Sondrii in jus vocavit: verum GUICCIARDI sequi recusarunt, ad Dominorum suorum Raetorum conventum ac judicium provocantes.

Curienses Ministri EGLINUS ac CAMPELLUS videntes rem serio agi, et Raetiensis causam absque Evangelici commodi detrimento defendi non posse, adhuc malo in tempore praevenire allaborarunt. Immissum fuerat in unius horum aedes jam diu antequam lis supra Praepositurum intimata esset Bullae exemplar, a manu incognita: Sed id factum ab aliquo Raetiensi malevolo existimabant in spem, quod Ministri negotium illud statim propalaturi et populi invidiam ei adtracturi essent:

essent: et quia exemplar erat minus scite exaratum, argumentique insoliti, hinc totum illud factum habuerunt fictitium, ac inter se celarunt, quod persuadere sibi non possent Raetiensem Dominum prudentissimum utique virum unquam eo demantiae prolapsurum ut rem tantae invidiae adtrectaturus esset. At ubi rumorem de Bulla indies confirmari audirent; Raetiensem autem praetensionem fortius inurgere, sic ut fama volaret in judicio superiorem evasurum, metuere coeperunt ne forte suo silentio imputaretur amissio Praepositurae, si Senatores Raeti Bullae ignari eam Guicciardis ereptum irent. Nihilominus antequam cuiquam rem aperirent, omnia prius cum Raetiensi tentare intra privatos parietes constituerunt: sic enim Symmystae persuaserat CAMPELLUS, cujus soror BENVENUDA uxor fuerat BALTHASARIS fratris germani Domino Raetiensi ex qua filius JOAN. BAPTISTA PLANTA tunc adhuc in vivis erat. Quando itaque nundinis San Martinianis Raetiensis una cum amicis suis stipatus ad Procerum conventum accessit cum Guicciardis litigaturus, a praedictis Ministris BALTHASAR ac CONRADINUS, et cum eis CONRADINUS TOTZIUS Cernezziensis, fororis illorum filius, Jurisdictionis Ardeatinae tunc Praetor, in aedes parochiales D. Regulae, ubi Campellus habitabat convocati sunt. Ab eisdem Ministris adesse jussi erant Pastores qui ex agro negotiorum suorum causa advolaverant, seu ut consultores, seu agendorum, si forte opus esset testes, qui vero de Bulla hactenus ne *gro* quidem perceperant. Heic Curienses, quae de Bulla scirent illis aperiunt, Bullae argumentum quam abominandum, Patriae libertati ac communi religioni (Evangelici erant et illi) adversum pluribus exponunt: in Raetiense ipsorum fratre, ambitionem, patrii dominii contemtum, avaritiam, vim et quae non? taxant; verbo: nihil non agunt ut efficiant apud fratrem quo ab ambitu Praepositurae desistat: id enim ni fecerit, a fide in Deum et in Patriam obligari se ad Bullam illam nefandam cuivis propalandam: ex quo si mala oriantur, quae noluisset, habere quod imputet sibi. Verum ad monitum istud licet fervidum, Politici illi primo impetu nil nisi contemtum ac contumelias projecerunt, imo vero minas, ni Ministri saperent, sibi caverent, ac quieti essent *k. t. l.* At ubi stomachus deferbuit, ac mens serenata esset, fratris Raetiensis factum excusabant dicendo: non revereri illum Bullam nec ei insistere, verum ex jure omni Raeto communi petere ut Praepositura Tiliensis exigui

fane

sane reditus, filio suo concedatur: in ejus rei argumentum paratum esse illum Papae diploma sub ipsis Ecclesiastarum ibi praesentium oculis discerpere; dummodo ad Praeposituram illam conniverent nec se opponerent: quod vero ut facerent per omnia sacra orabant ac obtestabantur. Ministri bihorio in deliberationem absumto ad haec reposuerunt: quoad se salva fore Raetiensis vitam, opes, ac famam, si maculam quam per acceptationem Bullae contraxit, discerpendo eandem in Consulis Curiensis (quando alios praesentes admittere gravetur) praesentia eluat. At vero vanum esse diploma discerpere, rem autem illo contentam contra Raetorum Decretum confirmare, si enim ad hoc semel conniveatur, non defuturum Raetiensi animum, quando opportunum viderit tempus ad caetera quoque in Bulla illa memorata invadenda, aut ei fini litteras alias ejus tenoris a Sanctissimo impetrare: siquidem titulum modo quaerat, ex cujus motivo assequatur ac intentet quod desiderat. Ast surdis fabula: Raetiensi leviora erant Ministrorum consilia, quam ut pondus aliquod eis inesse existimasset.

Interea circa idus Novembres Procerum consessus, (subComitia vulgo) celebratus fuit, in quo inter Raetiens. et Guicciardos causa controversa cum aliquo animorum aestu disceptata est. Urgebant Guicciardi rationes ob quas Praeposituram dimittere Plantano non possent, varias, superius adductas. Consessus oculis subjecerunt iidem testimonium ab Evangelicis Vallis Tellinae Ministris Sex subscriptum, quo fides fiebat, eos nulla praevaricatione meruisse ut beneficium illud sibi adimeretur. Illud in haec verba scriptum erat. „ *Fidem indubitatam facimus nobiles ac pios viros, haeredes Domini Andreae Guicciardi, Rectoris nuncupati, inde ab anno usque MDLV. ad purum sincerumque Dei cultum defeciſſe, eos nunquam deſtitiſſe beneficia conferre in eos qui pie Deum colunt, quique perſecutionem patiuntur propter nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti: praeſertim vero de bonis illius Praepoſiturae, quae ipſis ab Ill. Dominis noſtris, Dominis Rhaetis conceſſa fuit, aſſerimus ac bona fide atteſtamur, eos hoſpitio pios excepiſſe, atque beneficia illis exhibuiſſe, atque tum Miniſtros ac Ludimagiſtros, tum alios peregrinos probosque viros, omni beneficiorum caritatisque genere proſequutos fuiſſe, &c. In quorum omnium* „ *fidem*

„ *fidem haſce dedimus, manuque noſtra ſubſcripſimus. Dat. d. 26. Oct.* „ *An.* 1571. „ Nec deerant Guicciardis fautores, qui Senatui Auctores erant ut ſui decoris curam obſervando Decretum ſemel factum de novo confirmaret: at conſilium iſtud nonniſi ſumma cum modeſtia urgere poterant. Nam quia Bulla omni ſtudio celabatur, et pauciſſimi negotium illud compertum haberent, erant plurimi Senatorum judicantes perinde eſſe num Guicciardis an Plantano Praepoſitura addiceretur, qun parum abfuit quin Raetienſis, partim auctoritate, partim gratia, quia apud plerosque valebat, ſuperior evaſerit. At fuerunt etiam in confeſſu illo unus alterve, quibus Bulla probe innotuerat, et hi nolentes ſe odioſo facto intricare, effecerunt, ut tota haec ſemel prorogata ad ipſas Communitates devoluta ſit.

Ex tunc coeperunt exemplaria Bullae per manus quorumvis volitare, ut jam ipſe Raetienſis procellam ſibi aliquam praeſagiret. Huic malo praevenire volens, Raetorum Trium Viris, JULIO MEYSSEN Landrichtero, STEPH. WILLIO Conſuli Curienſi, ac PETRO GULERO Davoſiano ſimulque tertii Foed. Landammano, Papae Diploma, una cum caeteris duobus Brevibus, ceu Dominis ſuis conſignavit. Atque certo ſi tum ſapuiſſet, ac ab impetenda Praepoſitura deſtitiſſet, ſufficiens erat ſola ejus auctoritas ad omnem indignationem inde paſſim enatam in auras diſſlandam. Verum quae ſunt fatalia non ſunt alia.

Etenim Raetienſis abinde, maximo longe ſtudio Praepoſituram ambire perrexit non velut Papae diplomate nixus, ſed auctoritate ſua fretus. Eam in rem identidem ex praecipuis optimatibus quos ſibi gratificaturos ſperabat, Curiam in Beytagia cogebat: Ab iſtis deliberabatur ſuper modum, quo Praepoſitura, ſalvo Decreti Raetici ac conceſſionis honore, Guicciardis eripi ac Plantano adjudicari poſſet. Anxia ſane quaeſtio; deciſa tamen in hanc formam: primum: Praepoſitura a Guicciardorum manibus erepta, ſub Dominorum Raetorum poteſtatem revocata intelligatur, ac ſtare jam penes Raetos illam quibus vellent elocandi. Deinde cauſa tota Communitatibus hac optione proponeretur: Utris vellent Praepoſituram jam liberam addici, num priſtinis Guic-

Guicciardis, an vero Raetiensi Domino, seu filio ipsius Episcopi Decano. Jam spe devoraverat Raetiensis Praeposituram, atque quibuscunque modis per amicos suos allaborabat, ut sibi in mancupium cederet, nec minis parcebatur, maxime si Ministrorum aliquis in obliquum quid protulisse, aut Bullae mentionem injecisse, comperiebatur. Tantum utique suae praefidebat potentiae.

Pontifex otiose Romae spectabat exitum contentionis, quam per Bullam ceu tormentarium pulverem excitaverat: ut tamen Raetiensi praesidium aliquod adferret, aliquos ex Valtelinis, et aliquot ex Raetis, auratae suae militiae Equites creavit, partim ne nocerent, partim ut prodessent. Erant illi DIETEGANUS a SALICIBUS, BAPTISTAE a SALIC. itidem Equitis filius JOSUA a SALICIBUS, MARTINUS RASERIUS Zuzienfis, EUGENIUS QUADRIUS Trisivienfis, FERRANDUS ac MAZZONUS, BECCARIAE de Talamona, et plures, quorum pars Comitum Palatinorum, alii Vicepalatinorum, aliis alii honorum titulis decorati erant. At haec causam Raetiensis tanto magis exasperabant. Raeti enim clamare: Ecquid nobis Papae Comites aut Palatini: utinam suas illas benedictiones Romae servet, neque tormentarium inter nos pulverem spargat. Verbo de die in diem spissior nubes contrahebatur. Dum enim Raetiensis causam suam per Communitates disceptari curat, Bullae versiones, (ab Eglino ac Campello confectae dicebantur) per manus vulgi volitabant, et crabrones irritabantur. Piget ostenta ac prodigia tunc in coelo visa, splendorem solis insolentem, lineas nigras ex sole humana specie prodeuntes, coeli lumina cruentata, crebriores terraemotus, aliaque illo quo haec disceptabantur tempore observata, quae prolixe ac devote ediderit Campellus; ea enim nos bonae illius viri fidei, ac aevi pietati relinquimus. Invidiam Bullae declinare studebant fautores Raetiensis dicendo; apographa esse malae fidei, et male interpretata, ab hostium nempe manu profecta. At telum hoc plumbeum erat, quia illi veritatem facti ad oculum monstrare parati erant.

Videbant Proceres, discordiam istam fatale Reipublicae incendium parituram, idcirco ad ejus compositionem versus Januarii finem, ac Februarii initium Anni MDLXXII. Curiae congregantur. Coram isto consessu, Guicciardorum fautores, versiones Bullae cum Archetypo conferri voluerunt: ac repertae sunt cum illo ad amussum concordare. Id statim ut malum omen a plebe interpretatum fuit. Intererant Senatui illi ex fautoribus Raetiensis non pauci: factum est Senatus consultum hujus tenoris: primo: Papae Diploma ac Brevia, sunto Raetiensi ademtae, atque sub Raetorum potestate penes Consulem Curiensem asserventur. Secundo: Itidem Praepositura Tiliensis esto Guicciardis ablata, et Raetorum potestati reddita, ut eam elocent cui voluerint. Tertio: Ad eluendas expensas in causa tractanda factas, Raetiensis, ducentorum florenorum mulctam, promtis pecuniis exsolvat. Hac via malum sopitum esse existimarunt Proceres illi, et quum neuter causa superior evasisset, spes erat utrumque se quieti daturum. Adquiescebant in ea Sententia nominatim Curienses, Davosiani, Ilantini, ac Engadini maxime inferiores; et peculiariter Ministrorum Evangelicorum plerique. Persuadebant enim sibi Raetiensem a tumore, quo tota Raetia perstrepuerat, sic territum stare, ut sibi de ista liberatione gratulaturus esset, nec quidquam amplius in Reip. detrimentum tentaturus. Ast exoptassent hi ejusdem fere generis poenam, caeteris quoque auratis Papae Equitibus irrogatam fuisse, quo Senatus Raetici visa indignatione, ab acceptatione Bullarum abstinerent, neque periculum esset, ut per vanos fumos a sincera in patriam fide indigenae abducentur. Ipse Raetiensis dicebatur sibi impense gratulari, quod securum se crederet, et tanti discriminis procellam absque ullo fere damno evasisse.

Ast secus res cecidit: namque magna Communitatum pars, et inter eas, omnes quae Romana sacra sequebantur, audito Senatus consulto frendere ac clamare: mulctam illam pecuniariam, si Raetiensis insons esset, multo aequo esse graviorem: Sin autem reus, longe aequo leviorem. Mox visae ac auditae per populos litterae circumvolitare, nuncii quoque circumire qui passim ad Seditionem conclamabant, causam

ſam obtendentes Reipublicae adverſum hoſtes defendendae. Ita Sententia, qua Raetienſis omnia compoſita iri ſperabat, in fontem, ac fomitem incendii evaſit.

Raetienſis ſtatim ac res ad tumultus ſpectare intellexit, illico Curia ſe ſubducens, Cernezium in Oengadinam ad ſuos confugit, ubi et ſecuritatem habiturus erat: at exſilii paullulum impatiens, quando clamores paullo ſedatos percepit, itinere per Arulam montem, Valdraſianos, Eſtiones, Rucantios ac Fabarienſem Vallem facto, monte Gonkelio tandem ſuperato, in caſtrum ſuum Raetium, ſilenter ſe reſtituit: conſilio utique improvido et ipſi lamentabili. Prodiderant jam ſua ſponte populi animum in Raetienſem, neque potuiſſent Plantae adverſantes magis opportunum exoptare tempus, quo populi in motus e ſuis caedibus excitari potuiſſent.

Equidem GUICCIARDI impares fuerant futuri PLANTANO, qualicunque ratione cauſa ventilata fuiſſet: at ſuffulti ſtabant illi auxilio ANTHONII SALICEI Tellinae Vallis tunc Vicarii, cujus Sororem bono ſuo GUICCIARDUS Petrus in matrimonio habebat. Inveterata erant odia quae inter Plantanos, Saliceosque, ob Caeſereana, forte quae illi, Gallicanaque commoda, quae hi ſuſtinebant, magis autem ob particulares cauſas quas hic adferre nil adtinet b) fovebantur. Ea omnia lis iſta irritavit ac provocavit. Quare Anthonius, injuria qua afficiebatur affinis, motus, omnia in ejus patrocinium ſollicitavit; atque inprimis gentilium ſuorum, (inter quos DIETEGANUS SALICEUS, Praefectus Caſtrenſis eminebat), opem, efflagitavit. c) Quamprimum itaque Raetienſis

b) Cap. LXXII. a pag. 1478. ad 1485.

c) Sprech. Chron. Lib. V. p. 215. Petrus Guicciardus *hatte zum Weib Marien von Salis, eine Schweſter Anthoni von Salis, welcher damals Vicari im Veltlin war. Dieſer hat ſich ſtark widerſetzt, theils weil ſolches zu groſem Nachtheil der Hoheit gem. III. Pündt gereicht, theils wegen Schadens der auf den Schwa-*

tienſis adventus in Caſtrum ſuum innotuit, ſtatim clamores et tumultus recruduere; et primum omnium Praegalli ſigno militari ſublato Curiam verſus iter ſuum ſuſceperunt. Eſt ſeditio nivium globis ſimillima, qui de montibus devoluti quo longius pergunt, eo fortius creſcunt et condenſantur. Sic Praegallis ſe adjunxere et Supra Saxenſes, circa Februarii menſis exitum. Eos mox inſecutae ſunt cohortes Cathedralis Foederis, pleraeque paucis demtis, et Tertii Foederis omnino omnes. Ex Superiori Foedere ſoli Sexamnenſes aderant, et ut quidam ajunt, Raetienſes; reliqui ex illo Foedere militares ſuas vires eo mittere ab initio omnino recuſarunt. Confluxerant itaque, (ne hiulca ſit noſtra renumeratio) praeter Praegallos et Supra Saxenſes quos nominavimus, ex Cathedralibus, Averſani, Bivienſes, Vazienſes, Fürſtenovii, Tomiliaſci, et Quatuorpagici; et his ſex vexillis, duo illa Gryſaea ſtatim ab initio ſe adjunxerant. Ex tertio Foedere, omnes; hoc ordine, Bellfortenſes, Barponenſes, ſeu Coriovallenſes, ex valle Raetigoia Coenobiani, Puzienſes, Caſtellani, Aceriani, Majaevillani, Malanſiani, denique Davoſiani licet inviti, et aliorum minis quodammodo pertracti, atque San Petrini ex Scanavica Corvantiorum valle. Prodigioſus ad unum hominem eumque inermem, ac manſuetum capiendum Exercitus. Caeterum ex Cathedralibus Raetis cohortes ſuas vexillis ſublatis Curiam mittere et arma cum reliquis adjungere, hi recuſarunt. Extra Alpes Julias, ipſi Curienſes ac Bergunienſes, ex citerioribus vero, Oengadini, utriusque Jurisdictionis, Monaſterienſes, et ii in Vennonibus infra Calavenam, qui tunc adhuc iſti Foederi accenſebantur, denique Peſclavium. Hi domi ſemel quieti manſerunt, idque reliquis ad Curiam confluxis annuentibus ſaltem non multum reclamantibus, ne ſcilicet Raetiae limites ab omni virûm robore nudati eſſent, caſu quo impetus aliquis aut irruptio tentaretur. Ipſis enim illis diebus rumor ad Raetos incerto auctore manaverat, inclitum quendam Belli ducem, (cujus nomen memoriae noſtrae, prudentes et volentes

Schwager wachſen möchte, ſodann auch weil er dem von Razünz unwünſtig war weilen der von Razünz ſeine Tochter Anna, dem Bartholome Stanipa, (welcher allbereit Anna Traverſin, gedachter Maria von Salis Tochter) die Ehe ſoll verſprochen haben.

volentes suppresserunt) VIII. vel XM. Exercitum conscriptum lustrasse, eique certum conveniendi diem edixisse, quo Raeti nil tale exspectantes opprimendi forent: at consilium illud per subitum illum exortum tumultum in auras evanuisse. At licet sciam Austriacos, acta cum Raetiensi indignissime tulisse: tantum tamen pro adtentatis ejus exsequendis apparatum a quoquam Raetis vicino constructum fuisse nec reperio, nec facile credo.

Adpulerunt cohortes dictae ad Curiam urbem circa primas Martii dies; novem ex illis castra sua metatae sunt ad portam Superiorem et Amisii in vicino oppido, reliquae sex ad portam inferiorem in Quadra quae dicitur Episcopi, Malesanis, Haldenstenii et Trimontii vicis urbi vicinis. Curienses audito armatae illius multitudinis et tantum non furentis adventu portas pessulis obdiderunt, et quamvis promitteret absque damno ac maleficio ingredi et egredi, Senatus et cives illi non satis fidentes moenibus arcuerunt, custodum numero ad Portas semper excubante, et tormentis aeneis circum moenia ad retundendum impetum dispositis. Non defuerant Raetici Primores ad primam Seditionis famam, in unum convolare Curiam; at dum illi consilia ibi capiunt, seditio ingravescit, jamque in torrentem cui resisti non potest exiverat. Interim illi ad cohortes, mittere legatos, prohibere ne vi contra quenquam, sed jure in Reip. causa agatur: minas etiam addere ni ad sua reverterentur: Sed haec omnia fulgura ex pelvi. Seditiosi enim reclamabant: se in unum collectos Communitatum repraesentare nomen, super quod nullum detur Judicium. Hinc qui Senatus Procerum nomine ad cohortes locuti erant, ii plebeio judicio postmodum constituto periclitati sunt graviter, nec aliter quam mulcta bene gravi exsoluta evaserunt.

Dum cohortes in emigrando occupantur, vel paullo antequam Sedibus moverentur, Raetiensis Primores aliquot ex tribus Foederibus Curiam convocaverat, deliberaturos de mediis, per quae ingruenti malo occurreretur. At dum die quadam sub vesperam Hospitium suum ingres-

ingressus esset, inibique sentiret urbis Senatum raptim coactum esse, suspicatus consilia agitari de se ex Tribuum, (quas majori ex parte adversas habuisse videtur) Sententia capiendo, ac custodiae tradendo, perinde illico, quum vix dum hospitio exceptus esset, in ipso noctis crepusculo jam ingruente, miserrimus se subduxit ex urbe, genis lacrymis madentibus, quod fuga cogeretur inde sibi consulere, ubi maxime tutum se fore putasset, paucis illorum cumcomitantibus, quibuscum comitibus accesserat: et celeritate quanta potuit in Superiorem Foederis Gryscaei partem, quae supra Sylvam dicitur, se contulit; quod apud se reputaret tutum se inibi locorum fore, saltem dum praesentis procellae impetus transiret, eo quod illic omnia silebant altum, primoresque sibi habebat faventes: Laaxii vero pedem fixit, vico, cujus coloni ab olim liberi (*die Fryen*) dicebantur, et ubi Missa seu Religio Romanensis vigebat, ex causa quod vel imaginaretur sibi, vel quia credi volebat, infestos sibi solos esse Evangelicos. Ast quod diverbio dicitur: *nusquam tuta fides*, idipsum et heic evenit: nam ex improviso a manu quadam hominum plebeiorum, ni fallar, Laaxiensium, vicinorumve, inibi capitur captivusque ducitur, a quibus id minime exspectasset. Hoc facto illi sine mora missis ad illius Foederis populos nunciis, illos excitant: Statim adsunt cohortes septem, sub totidem in aëre volitantibus vexillis, idque prae aliis, armis insigniter instructi, non secus ac si cum hoste esset confligendum, ad quod tardiores certe se praebituri erant. Id ubi intellexerunt cohortes armatae ad Curiam excubantes, illico legatis missis per Foederis unionem a cohortibus Grisaeis postulant, ut eum qui contra totam communemque Raetorum Remp. egisse accusaretur, Curiam ceu locum medium, et omnibus pariter Raetis opportunum adducerent, ut quum ibi armis propter Remp. sumtis potior Raetorum pars collecta esset, ut a judicio omnium nomine ibi constituendo judicaretur. Erant ex Raetiensis amicis, qui bonum Virum furibundae colluviei confignandum negabant; sed id erat adversus torrentem niti. Quare ambiguis adeo rebus JULIUS MEYSSEN, Foederis Landrichterus Cajaphae verba protulisse dicitur: *Praestare ut unus intereat, quam totus populus.* Quidquid denique Primores reniterentur, cohortes Gryseae, totae micante armatura fulgentes, Dominum Raetiensem, die X. Kal. Kal. April. cohortibus prope Curiam excu-

excubantibus, et adventum ejus anxie praestolantibus in manus consignarunt. Tunc impotentis fortunae species conspici potuit, quum alii de adducto captivo haud secus ac de publico hoste victo ovarent, alii illustrem hunc virum, in vilissima prae solito splendore nitoreque veste indutum, vilissimo itidem equo prae suo ipsi ademto vehi, conspicientes, miserandam sortem miserescebant, et in lacrymas solvebantur. Ipse Raetiensis Dominus, pristini decoris immemor, calamitatis quoque oblitus, a calonum lixarumque catervis circumdatus dicteria insultantium aequis auribus percipiebat, nec verbum reponebat, stupens quo factum secum evasurum esset. Haec praeda fuit qua viginti et duae armatorum cohortes sub militaribus signis, victorioſe potiti sunt.

§

Tunc de Tribunali constituendo, a cohortibus jura populi Raetici exercere paratis, actum est, cui deliberationi, et constitutioni unus dies suffecit, Judicum quippe denominatio die statim VIII. Kal. Apr. prodita est. Compositum fuit Tribunal illud ex hominibus plerisque novis, si pristinos consideremus consessus, in quibus Raetica Resp. a Proceribus plerumque administrabatur: delecti erant ad illud homines non quidem omnino rudes et prorsus imperiti sed qui in sua quisque Jurisdictione in jure dicendo exercitati, majores vel minores gesserant Magistratus, Ammani, Richteri, Ministrales. Numerus Judicum fuit XLII. ducenti Gaumeri sive custodes aut Satellites ex quavis Jurisdictione, tegendo Tribunali illi ordinati sunt: atque hunc Satellitum numerum, ceu ratam partem, Ingadini quoque et residui alii qui armatas cum vexillis cohortes Curiam mittere renuerant, promte miserunt. Judices illi juramento in Deum, ac Patriam pro justitia exsequenda adstricti sunt dicta die VIII. Kal. Apr. eisque Raetorum nomine ampla auctoritas ac potestas data non modo super BULLAE Pontificiae negotium, et Raetiensis Domini factum, quod eis justum visum fuerit judicandi, verum etiam super eos qui a Papa recens auratae militiae Equites creati essent, atque illos porro omnes qui quid in Raetorum Remp. peccavisse convinci possent, ex illorum merito puniendi, decernendi ac sanciendi, quaecunque ad salutem Reip. Raet. facere exi-

ſtimaverint; tali quidem modo ut quidquid illi judicaturi ac decreturi eſſent, ratum foret et irrevocabile.

Conſtituto judicio, ſeptem Foederis Gryſaei cohortes quae Raetienſem adtulerant, ex Procerum ſuorum ſuaſu ſine dubio impulſae, poſtquam illum judicio conſtituto conſignaviſſent, actutum domum remearunt, relictis tantum ex ſuorum numero ducentis armatis, quot ex ſingulis Raetorum jurisdictionibus, ſeu in judices ſeu in cuſtodes deſtinati erant. Diſcedentes, monuerunt reliquas ad Curiam cohortes, ut ſuo cuſtodum ac judicum numero relicto, idem facerent, quo ſic judicium absque ullo ſtrepitu, ſecundum leges procedere queat. Id ipſum imperabat Procerum ex tribus Foederibus conſeſſus, ut ſupra diximus, adhuc congregatus, modeſte quidem at ſevere: Legati XIII. CANTONUM Helvetiae, qui ad repentinam famam ſubitae ſeditionis, praeſto accurrerant malo medicinam allaturi, idipſum ſerio rogabant, minis quoque additis extorquere tentarunt. Verum cohortes, illis aeque ac iſtis reponere: neminem ſe pro Dominis ſuis praeter ipſas Raetorum communitates agnoſcere, quarum vero nomine ipſi adſint: quare quum Tribunali conſtituto plena decernendi poteſtas data ſit, debere Proceres ceu qui Raetorum Dominorum nomen vane obtendant conſeſſum ſuum ſolvere vanum utpote et ſupervacuum: non ergo citius ſe domum receſſuras, aut Curiam obſidione ſoluturas, quam negotii cum Raetienſi finem cognoverint. Quo audito, Proceres, omnem ſuam operam vanam videntes, conſeſſum ſuum ſolventes, Deo remittentes et plebi, quidquid circa Raetienſem ageretur.

Interea Tribunal tremendum in ipſa urbis Curia ad exſequenda demandata congregatur ſeptima Kalendarum Aprilis. Praeſidem agebat BARNABAS GRASSUS Curienſium Senatorum unus, cui civitatis nomine aderat STEPHANUS MADOGGUS Cathedralium nomine: ſcribam agere juſſus eſt JOANNES PONTISELLA Scholae Moderator, civitatis et ipſe Senator, vir graece ac latine doctus, quique germanicam ſimul ac Raeticam linguam perinde callebat, licet diu reſtiterit antequam id

officii

officii sibi impomi passus sit, nam socrus sua (ut dicebat) Raetiensis erat consobrina. Eidem ex utroque Foedere bini scribae ad latus dati sunt. Judicum nomina adponere, non duco pretium operae. Causa tota acta fuit lingua Romano-Raetica, quum populorum ejus labii major esset numerus, et Raetiensis natus fuisset, vixissetque in tali ditione ubi ea dialectus vigeret. Apud Judices Raet: linguae ignaros, scribarum unus agebat interpraetem. Accusatorum nomine agebat causam BALSARUS quidam Vaziensis patria, religione catholicus judicum et ipse unus, pro accusatis causam dicere jussus fuit JOANNES PAULLUS Samadoenus, Evangelicus. Initio itaque facto BALSARUS primum praecipua Bullae Pontificiae capita latius explicavit, et quot modis Raeticae libertati illa adversetur, fuse exaggeravit, sic ut praetenderet stante Papali Bulla, Raetorum salutem ire pessum totam necesse esse: quod mirati sunt Evangelici adeo presse urgeri a homine Papista acerrimo. Ipsum Bullae Archetypon tunc prolatum, praelectum est, exemplaque versionum germanicae ac Raeticae, huic, illi exhibita. Nunquam autem dicebat ille, fuisse sanctitatem Papae daturum Diploma Raeticae libertati adeo injurium, nisi ad id ab ipso Raetiensi, qui hoc medio aliorum bonis inhiarit, exoratus fuisset, delicto inexcusabili in eo qui ignorare non poterat Raetorum Decretum super eam rem factum, ne quis ad obtinenda ulla beneficia Romam recurrat, sed ea a legitimis Dominis impetret, siquidem illud Decretum is ipse olim ceu Syndicorum Praeses suo Sigillo confirmaverit. Raetiensem Dominum insupra postquam Bullam in manus accepisset, omnem posuisse operam ut effectum sortiretur, atque suapte auctoritate suffultum, nulla Raetis Dominis notitia praevie data Tiliensem Praepositurum invasisse, filio suo Episcopi Decano locavisse, Edictum etiam quo ceu Papae Procurator vel Syndicus declarabatur per Vallis Tellinae Capitaneum ac per Praetorem Tilii promulgari curavisse: Et quae alia accusationis capita, ad manutentionem Bullae, adhibita, parum etiam comperta erant: quae nos consulto omittimus. Ad facinora haec omnia et atrocissima, ut dicebat, scelera, Raetici populi offensi nomine, ex legum tenore satisfactionem sibi dari postulabat.

Reus, Bullae disquisitionem suam facere noluit, num et quatenus Raeticae libertati adversetur; negavit autem se ullo modo eam a summo Pontifice exorasse aut impetrasse: negavit se per praetensionem Praepositurae, validitatem Bullae intendisse; at jus in eam Praeposituram se a legitimis Officialibus ceu Magistratibus expetiisse, et ab ipsis Dominis impetrare allaborasse, quod existimaverit ex aequitate et cum Reip. decore, illud sibi concedi potuisse. Haec Rei nomine, causidicus ipsius praefatus PAULLUS omni modestia, (qui etiam in ferenda sententia longe mitior accusatore fuisse perhibetur) accusatoribus coram Tribunali retulit. A Tribunali damnatus fuit ad torturam, ni lubens fateretur; quod cum facere praefracte recusaret, tormentis misere excruciatus est. In illis confessus est praeter reliqua quae diploma continebat etiam id in animo habuisse, ut externo illorum qui in Bulla continerentur auxilio, seculari etiam brachio, (ut est in Bulla) invocato, quae ibi perscripta sunt efficeret, sicque tandem dominium in Raetos sibi et suis indipisceretur. Credebat nempe tali confessione satisfactum adversariis fore, et qualitercunque dimittendum: at quum tertia die (quae V. Kal. April. erat.) elogium istud publice recitaretur, et accusatores ex confessis longe acriorem gravioremque actionem intenderent, nedum ut ab acerbitate remisissent: unde apparebat omnino futurum ut reus quadripartito dissecaretur: captivus videns quorsum res esset evasura, consilio cum amicis inter custodum manus inito, mutata voce respondit, usque adeo tantum in patriam perpetrandum scelus a se esse alienum, ut nec vel cogitatio id designandi, unquam animum suum subivisset, quantumvis cruciatuum immanitate, adactus id fassus esset. Sic ex Judicum Sententia rursus in carcerem fuit retrusus; ubi licet longe quam antea atrocius tormentis laceratus fuisset, in eo tamen quod postremo dixit perstitit constantissime; id solum confessus Papae se litteras accepisse, eas Dominis Raetis celasse, Praepositurae inconsultis Raetis Papae Bullae fretum invasisse, et quaedam alia in tanto Viro parvi momenti a plerisque judicata. Haec satisfuerunt judicibus illis ad Sententiam mortis super eum pronunciandam quae etiam accelerata fuit, sicque ad ejus tenorem pridie Kal. April. extra moenia apud tabernam lateritiam qui locus supplicii est (*bey der Ziegelhütten*) carnificis manu capite truncatus fuit, Dominus Raetiensis

Vir

Vir sago, togaque clarus, legationibus ad extereos, et functionibus publicis cum laude administratis, laudatissimus. Victima popularis factus. Cadaver a suis statim sublatum, et in Divi LUCII coenobiali Templo tumulatum fuit, ubi cum honorificentia conquieſcit. Acta haec sunt, ut diximus, pridie Kalendas Aprileis Anni MDLXXII. die Lunae, Septimanae sanctae, quam proxima Dominicae Paschalis festum excipiebat ex Eccleſiae constitutione celebrandum. Ob instans dictum festum copiae ab armis ad sua discesserunt, confessus quoque judicum ad interim est solutus, dato tamen die, ad quem post sacra Paschatos finita, una cum destinatis custodibus, rursum frequentes adessent.

Super supplicium ab illustri hoc Viro sumtum varia statim, ut facile conjectu est, volitarunt judicia, aliis eum ut merito sublatum pertendentibus; aliis eum ex toto excusantibus; aliis furori populi praecipitantiam ac rigorem adtribuentibus; aliis alia allegantibus, quos cunctos paullisper audire non pigebit, ne quis nos veritati deesse culpare possit. Dicebant ergo illi, passim terrarum inter potentiores periculosa agitata ac fota consilia esse, de perimendis Evangelicis, subruendis eorum juribus, opibusque in totum labefactandis: horum autem consiliorum conscios dicebant fuisse Raetiensem cum filio Episcopi Decano, utpote primariis inter Raetos Viris, Papae autem addictissimis. Ad eam opinionem firmandam trahebantur quaevis in suspicionem; quae semel producta (ut in suspicionibus fit) ab aliis, ut affectus trahebat, diversimode explicabantur. Hujusmodi erat rumor ille a quodam Belli Duce Raetis infenso, conscripto et lustrato: huc allegabatur latrocinium in SCIPIONEM CALANDRINUM Mellensem in Valle Tellina Ministrum, a duobus Monachis sclopetum in eum exonerantibus, unum tantum ante mensem perpetratum. Tandem quum Augusto mense secuto, in Gallia edita fuerit nefanda illa super Evangelicos San Bartholomeana Laniena, jam illis dubium non videbatur, quin praesumtuosa Raetiensis adtentata, initium dare debuerint pernicioſis inter duas religiones in Raetia discordiis; quae tandem Evangelicorum strage sopiendae fuerint. Et hi non absque numine repentinum suscitatum

tumultum, atque Raetorum cervicibus paratum excidium amotum et suffosum esse jactabant, credebant, ac credi volebant.

Alii contra nil dubitabant dicere, eum innocentem prorsus supplicio adfectum esse et in ipsa causa ob quam passus est, nihilo eum a veris Martyribus qui nominis Christi causa passi sunt distinguendum: Martyres enim ob Christi verbum: hunc ob sustentatum sanctissimi ejus vicarii Decretum sublatum esse. Quid, quod non deerant qui Raetiensis personam, ac mortem, cum JESU CHRISTI dulcissimi Salvatoris persona ac supplicio aequali comparione conferre non verebantur! Observati sunt id feciſſe Sacerdotum Romanensium plerique, qui eo pacto Zelum in sanctam fidem, sacratissimamque Sedem testandum esse existimarunt; hi quippe notati sunt septimiana illa Jesu emortuali, quaque et Raetiensis peremtus est, quando Historiam passionis Dominicae populo ex more de cathedra enarrarunt, explicueruntque, singulas illius partes Judicio quod agitabatur applicuisse, si non cum blasphemia, cum gravissimo tamen suorum scandalo, quod isti libere et aperte Evangelicis quavis data occasione testati sunt. Et illis procul dubio aggregatus fuisset Logolita QUADRIUS, si illo quo haec gesta sunt tempore vixisset. d)

Evangelici, et plerique rere caeteri, Raetiensem ab omni malo animo, consilioque in Patriam ac Protestantes absolvebant, culpa autem mali omnem ipsius filium CONRADUM Episcopi Decanum statuebant, cujus ambitionem ajebant Patrem ad eum statum dejeciſſe. Nam quia ille spem sibi faciebat infulae Episcopalis post decessum BEATI indipiscendae, Parentem dicebant ex culpanda qua in filios ferebatur indulgentia, persuadere sibi passum esse ad abutendam suam auctoritatem in invadenda Tilienſi Praepositura, ut nempe filius suus pro solita magnificentia dignius vivere, ac Praesulem mature repraesentare posset. Quodque si primus hicce conatus ei succeſſiſſet non dubitabant quin

d) Tom. II. p. 54. fq.

quin ad San Lucianam eique conjunctam quoque Benedurensem, Abbatiam et sic porro, prout temporum aut circumstantiarum opportunitas offerebat, ad majora quoque plura aspiraturus ac progressurus fuisset. Ministrorum plerique censebant Raetiensem non tam impetratione Bullae, Dominii contemtu ac suae protestatis auctoritatisque abusu Divinam indignationem in caput suum provocasse, quam potius odio, quo in Evangelicam doctrinam ferebatur plusquam novercali. Ea enim linguae petulantia (ne quid gravius dicam) eam infectabatur, ut nihil ei esset religioni, quoties in illius mentionem incidebat, Evangelicum diabolicum (Quell Evangeli dalus Diavel. heu dolor?) et si quid simile, nuncupare: ac quamvis fratres ejus BALTHASAR et CONRADINUS, qui aperte doctrinae Evangelicae adhaerebant, ob dicta illa inauspicata cohorrescentes, saepius ut linguae temperaret et procacitate abstineret fraterne ac pie monuerint, ex causa ne cum Deo bellum gerere comperiatur, utpote qui scriptura teste irrideri se non patitur, et qui ignis est consumens, in cujus manus incidere est prorsus horrendum; monita tamen illa ceu essent fundamento carentia naso aduncо suspendebat.

Alii denique totam hanc tragaediam, parallelam esse dicebant fato, quod ante octoginta tres retro annos presserat Equitem jo. WALDMANNUM Consulem Tigurinum, quem pariter Turicenses cives, ex suspicione quod cum Caesare colluserit, ac Suevicas copias noctu in urbem admittere consenserit, torturae subjecissent, et quum tantum ex eo extorsissent quantum ad promerendam mortem sufficeret, in tegatorum a reliquis Helvetiae civitatibus eo missorum praesentia, et decem plus minus millium armatorum confluxu die Lunae, Dominicam Palmarum praecedente, h. e. octava Idus April. Anno 1489. capite truncare curavisse ferebantur; circa quod factum etiam dicitur copias citius discedere recusasse, quam Waldmannum sceleris poenas luisse vidissent. Vid. Stumf. Lib. VI. Cap. XIX.

Utri nunc melius conjecerint, liberum esto penes lectorem judicium, a quo Ego lubens abstineo. Res tamen, ni fallar, ipsa loquitur, ambi-

tionem, praefidentiam, ab una, inveterata odia, populi Seditionem, judicum imperitiam ab altera parte Virum certe non malum peſſum dediſſe; id quod aliis perpetuo ſervire exemplo poteſt. Haec Ego libere, nec opto quin qui aliter ſentit, ſuo per me fruatur judicio.

Coronidis loco Epiſtolium adſcribo a Jo. Müllero Praegallo-Vicoſupranenſi Legati Regii Gallici Haldenſtenii conſidentis Secretario ad Joſiam Simlerum ipſo paſchatis die 1572. datum, ubi ſic. „ Ipſo „ Paſchatis die Curiam veni adeo mature ut concioni et coenae cele„ brationi intereſſe potuerim. - - - Proxime futuro die Dominico „ convenient qui Curiam redibunt omnes illi judices, qui Retzunzium „ morti adjudicaverunt, et coram ipſis adparebunt plurimi alii in quo„ rum vitam exacte inquiretur. Baptiſta a Salicibus Eques ille papi„ ſticus 2000. coronatos (nummos aureos intelligo) III. Foederibus nu„ merabit, nec ullo in poſterum publico munere fungi poterit: prae„ terea non licebit illi inconſultis Dominis Raetis, Raetia egredi. „ Cognatus Pontiſella hodie decumbit febri correptus ob curas, quod „ ab omnibus Raetis, a tota inquam plebe, quae hic fuit coacta, ſcriba „ omnium quae facta ſunt, et quae fient ſub his judicibus conſtitutus „ fuerit. Excuſationibus uſus eſt multis, ne hoc onus ſubiret, qua„ rum praecipua eſt, quod ſocrus ſua, quia antea uxorem ex Ingadina „ habuit, conſobrina Retzünzii fuerit. Verum fruſtra omnia. Dicun„ tur quinquepagici a foedere velle diſcedere, quod nobiſcum habent „ propter ſublatum Rezünzium, de quo aliquid mirum recenſebo. „ Cum quadam die in arce ſua et in hypocauſto deambularet, in quo „ Sartor erat, a Sartore ridens petiit: ſi quid delinquerem contra „ Remp. Rhaetor. quis in me vellet animadvertere? Eo audaciae deve„ nerat homo ille. Sartor diu cunctatus tandem reſpondit: *die Pu„ ren mit ihren roſtigen Hallbarten.* Rezünzius indignatus eum „ domo ejecit: Et ut audio idem ille Sartor poſtea factus eſt judex, „ et fuit unus ex numero illorum, qui in illum Sententiam tule„ runt. „

CAP. XXII.

CAP. XXII.

1572 — 1575.

Processus formati a Tribunali censorio, in Baptistam ac Herculem Saliceos, Conradinum et Conradum Plantas, caeterosque accusatos, inter quos haud minimi Morbenienses Monachi. Revisio processuum a novo Judicio delegato, mitis et aequitati consentanea. Laniena Parisiensis Raetos ab amicitia gallicana alienat. Populi Raetici nova Seditio. Helvetiorum legatio ad Raetos. Tribunalis censorii judicia. Revisio nova instituta. Tabulae trium Sigillorum confectae. Ministri Evangelici durantibus motibus invidia laborant: Synodos intermittunt: tandem sollicitati resumunt. Campellus Curiae valedicit. Tobias Eglinus, Müllerus, Pontisella, beata morte decedunt.

Tragoediae nunc spectemus exitum. Post celebratum S. Paschatis festum judices a cohortibus designati rursus secundum condictum in Tribunal congregati, telae ad finem pextexendae operam impenderunt; quam feliciter vero nunc exposituri sumus. Provincia Tribunali demandata obligabat judices animadvertere ac castigare quotquot in Remp. quoquomodo peccasse comperirentur; in hoc autem censu maxime habebantur primo auratae militiae Pontificiae Equites, tunc Bullae Papalis conscii ac defensores, denique illi qui Auctores fuerant ut nobilis quidam ex Germania D. CONRADUS ROTT a SCHRECKENSTEIN inconsultis Communitatibus Raetica civitate donatus sit, in Reip. fraudem et detrimentum.

Primum inter Equites Pontificales locum tenebat BAPTISTA a SALICIBUS Solienſis, cujus ſaepius mentio facta eſt; atque hic poſtridie qua Raetienſis ſupplicio affectus fuerat, ipſis nempe Kal. Apr. citatus fuit, variorumque criminum accuſatus. Primarium erat, quod ante quadriennium Raetorum nomine Mediolanum legatus ad Franciſci CELLARII manumiſſionem obtinendam, mandata debita fide exſequutus non ſit, ſecus enim a ſummo Pontifice Equeſtris dignitas illis ipſis diebus ei collata non fuiſſet: Romam poſtea Idem ſe non contuliſſet; et ſi quae hujus commatis plura. Baptiſta vero ad innocentiae ſuae conteſtationem, Legationis Socios ambo, Servos, qui dum negotium illud tractatum eſt ſuper adſtiterunt, coelum denique et terram teſtes invocabat: militiam auratam Papae nunquam ſe ambiviſſe idem conteſtabatur, verum ea inſignia ſibi nec exſpectanti nec ambienti ultro transmiſſa eſſe, quae vel remittere aut abjicere paratus ſit, ſi acceptatio ejusmodi crimini vertatur: Romam ſe contendiſſe, at ab ipſis Proceribus Legatum ad obtinendam dimiſſionem vadimonii quo fratres PERONES mercatores Clavennenſes Officio Inquiſitionis Bononienſi tenebantur, neque alia quam mandata ſibi, inibi exſequutum eſſe.

Quum nullis idoneis teſtibus commiſſi alicujus in patriam criminis convinci poſſet ex judicum Sententia quoad vitam et honorem indemnatus dimiſſus eſt, permiſſum quoque ut populares in Communitate ſua patria Magiſtratus gerere valeat ſi ipſi demandentur, at interdictum ei publicis Raetorum conſiliis intereſſe, interdictum Dignitates Officiorum apud ſubditos ambire ac gerere, ceu quibus Raetorum beneficio hactenus plus ſatis uſus eſſet. Haec tamen Sententia deinceps in publicis Comitiis, et Baptiſtae et aliis in id genus irrogatis poenis relaxata fuit, imo ex toto exſtincta. At quia aurata illa militia non minima motuum et impenſarum in illis commiſſarum cauſa exſtitiſſe judicaretur ad exſtinguendos ejus generis ſumtus, aut aeri alieno immenſo difflando, dicto Capitaneo BAPT. a SALICIBUS ſolvendi irrogati ſunt bis mille coronati praeter aureum torquem coronatis XXX. aeſtimatum, et calcaria aurea Equeſtris dignitatis inſignia, quae juxta cum litteris Nobilitaribus, judicibus et Baptiſtam et reliquos Equites,

tes, reddere oportuit. Eodem nomine tres Volturenì Equites VINCENTIUS QUADRIUS, ac Doctor MAZZONUS, centum coronatis, mulctati sunt: Tertius autem Eques quidam sed non Papalis impune tulit. Hoc impendio sancta bonis illis Viris dignitas stetit.

HERCULES a SALICIBUS Volturenae tunc Gubernator, quia Raetiensis Domini facinori annuens, edictum proprio nomine promulgaverat, et invadentem Praeposituram Tilienſem adjuverat, aliorum quoque criminum accusatus, primo Provincia privatus est, deinde perinde uti Baptistae Sessio in publicis consiliis ei negata, ultimo bismille coronatis, ne alteri dissimilis foret mulctatus est. His feliciter absolutis judices ad sua remearunt, prorogata in X. Kal. Majas ulteriori judicii die.

Dicto die X. Kal. Maji convenientes judices CONRADINUM PLANTA Raetiensis Domini fratrem ob varia in jus vocarunt. Unum erat quod conventui populi de rebus illis consultandi gratia indicto se subduxisset, ac ad Helvetios se recepisset, velut parum bene sibi conscius. Aliud quod non modo ad fratris factum in Praepositura invadenda connivuisset, sed et quod volens sciensque contra Patriam foviſſet ac juvisset: item quod adhuc citatus, comparere recusaret, idcirco a Judicibus, praevio ei dato XI. dierum ad comparendum spatio, proscriptus est, cum adnexa mille coronatorum mulcta.

Eadem cum Capitaneo CONRADINO die XIII. Kal. Apr. citatus fuit ejus nepos CONRADINUS PLANTA Episcopi Decanus, ac Raetiensis Domini filius. Dica scribebatur ei quod prima esset illorum motuum, et totius quae Patrem obruisset calamitatis origo; veluti quo auctore et infelix Diploma, et reliquae non multo auspicatiores litterae, Roma evocatae essent. Deinde quod dum ob eam causam Raetia tota turbaretur, litteras Tilium ad Monachos super Praepositurae negotium dedisset, (quas interceptas in manibus habebant,) in qui-

bus non modo parentis et causae quae ipsi cum Raetis intercederet, sed litterarum quoque mentio fieret, a se vel parente Mediolanum ac Romam, in Patriae detrimentum procul dubio scriptarum, quarum fasciculum a se ad Larium Lacum missum commendabat, quo fidelis opera daretur ut rite traderentur. Tertio, quod dictorum ad minimum criminum conscius judicium declinasset, et abiisset in exsilium; imo citatus adhuc in contumacia continuaret. Is igitur publica forma citatus dato eidem XI. dierum ad comparendum spatio, cum nusquam adesset, perinde atque Patruus Exsilii perpetui Sententiam mereri judicatus est.

Post hos in jus vocati sunt partim ex Raetis partim ex subjectis Volturenis numero ad triginta septem, qui omnes criminum in Patriam commissorum varii generis accersebantur: atque hi omnes pecuniariis tantum summis mulctati fuere, ex proportione quam vel crimen jubebat, vel potius quam necessitas pecuniae ad diluendas impensas exigebat. Summa pecuniae ex mulctis illis congestae connumeratis decem florenorum millibus, (quo pretio Domini Raeti postea congregati haeredibus Raetiensis facultatem fisco adjudicatam liberam dimiserunt) a Raetiense Domino desumtis, numerata fuit conficere decem et septem coronatorum millia, centum et octo, qui valent florenis Rhenanis 27373.

Ad illud Tribunal citati inter reos quoque fuere MORBENIENSIS caenobii s. ANTONII Monachi ordinis Dominicani, ceu qui multis jam Annis Raetis Dominis multum facesserent molestiae, dum Decreta, inde ab Anno MDLVIII. tranquillitatis ac publici emolumenti causa sancita non modo non observarent, sed alios quoque ad violandum instigarent: dum omnia agerent per quae Evangelici contumelias, vim, pati teneantur: et a quibus factum ut FRANC. CELLARIUS subdole abductus, CALANDRINUS in Suggestu vulneratus, CERMELINUS Senex in Templo ipso confossus, alii aliaque ejus generis multa toleranda habuerint. Verum ad citationem intimatam PRIOR Conventus,

tus, noctu in Italiam ſtatim aufugit, ſarcinis quibusdam exportatis. GAUDENTIUS vero CASPANENSIS Subprior, morbum praetexuit, quo ea die decumbere incepit. Interim nomine omnium BAPTISTA CASPANENSIS, VINCENTIUS MALAGUZINUS, ABUNDIUS et ALEXANDER Morbenienſes, Monachi ſimpliciores rudioresque ad diem judicio dictum ſe ſtiterunt. Judices ex Status quadam prudentia, noluerunt in eos rigidius quidquam ſtatuere, ne odio religionis feciſſe viderentur: verum accepta excuſatione qualicunque eos dimiſerunt impunitos, at ſub iſtis conditionibus, ut quando Raeti Domini in Volturenam ſuos miſſuri eſſent Syndicos (Commiſſarios ejus aevi titulo) deberent tum ipſi Monachi Tribunali praeſentes, tum Sub-PRIOR eorum, ordinationem a Syndicis faciendam exſpectare, eamque obſervandam ſuſcipere; interim autem domi ſe continerent nec quidquam quod ſui non ſit officii agendum ſumerent, in ſpecie a rebus novis, ſcribendo ad exteros, Dominos denigrando, extraneos adverſum Dominos provocando abſtinerent: neminem amplius novitium, juxta Decreta ſaepius emanata eisque intimata in ſuum reciperent, Evangelicos nulla in re turbarent, a contumeliis in Miniſtros eorum intentandis abſtinerent. Articulis iſtis omnibus quum Monachi fidem addixiſſent, impuniti ad ſuos diſceſſerunt, ſtupentibus omnibus a Tribunali ad ſaeviendum conſtituto potuiſſe exerceri gratiam in nocentes ac merentiſſimos, quod vel innocentiſſimis terrorem ſola praeſentia incuteret; ſic Monachi qui ipſimet graviora exſpectaverant, laeti ad ſuos redierunt. His peractis Tribunal Rhadamanteum ſolutum eſt, plebe in novam occaſionem intenta, qua de Primorum corio, novas exſcindere corrigias daretur.

Monachi ad ſuos reduces, ab admonitione data meliores facti non ſunt: Sed eosdem ſe perſiſtere declararunt. Etenim mox compertum eſt Sub-Priorem omnibus ſuis abſolutionem Sacerdotalem negaviſſe qui Evangelicis vel hoſpitium dederant, vel aliquid commercii cum eis fovebant. Quum HERCULES SALICEUS tantiſper Brixiam dum procella tranſiret ad amicos ſuos ac, ni fallar, cognatos, Equites de GROMULO confugiſſet, idque omnibus innoteſceret, illico Hoſpitibus

illis ab Inquisitionis Officio, et Episcopi Bergomensis FEDERICI CORNELII nomine, sub aureorum quingentorum auri poena intimatum fuit, ut dictum HERCULEM statim abire jubeant, a) quod et factum est: erat autem ex Inquisitorum numero unus etiam coenobii Morbennensis Prior, tunc profugus. Certum quoque erat a Sub-Priore litteras ultro citroque in Italiam scriptas, missas, ac rursum ab aliis scriptas receptas fuisse, et omnium diligentissime ad Priorem, quem omnium quae agebantur, certum volebant. Pariter BAPTISTA CASPANIUS supradictus, post suum Curia Morbenium reditum, in Priorem electus non semel in concionibus publicis adversus Evangelicos conviciari et plebis odium in eos conflare auditus est, qui tandem censuram Syndicorum metuens illo adhuc anno abiit ipse in Italiam, contra Dominorum Decretum. Quid quod ipsa Morbenensis plebs a Monachis instigata, ac inprimis a Prioris profugi clandestinis ad Sub-Priorem litteris animata, Dominorum Raetorum mandata proculcare nil vereretur. In tranquillitatis publicae conservationem statutum olim erat, ne Volturena ac Clavennensis Comitatus ulla extraneorum Monachorum ac Sacerdotum opera uterentur, verum ut indigenas, aut in solo Helvetico natos parochiis suis proficerent; mandatum quoque ne ulli amplius novitii in Morbenense caenobium susciperentur. Atqui eo ipso anno Morbennienses nuncios duos clam Dominis et Praetore suo Comum ad Monachum quendam ANDREAM ORSANUM miserunt rogatum ut is ab ANTONIO BALDASSA Forolivense Lombardiae per id tempus Provinciali impetraret sibi in concionatorem, et in collegii Priorem HIERONYMUM CASPANIUM, hominem exterum, quique coenobii Morbennensis civis nunquam exstiterat, contra BAPTISTAM CASPANIUM qui tunc a Monachis in Priorem jam electus fuerat, idque illi argumentis efficacissimis expostulabant, ex quibus primarium erat, quod id fieret in Domini Papae gratiam ut cui magis ex animi Sententia inserviretur. Innotuerunt ista ex ORSANI litteris ad Provincialem perscriptis, quibus demandato fideliter defungebatur, opportune interceptis. Accessit non diu post petitionem factam HIERONYMUS CASPANIUS, atque a Sub-Priore in Monasterium receptus est, Morbennien-

a) Documentum dedimus supra Cap. XVIII. No. VIII. in fin.

nienſibus concionatorem adlatum venerantibus: is contemplatis quae volebat, ſuppellectilia quaedam ex libris et panno exportavit ſecum Mediolanum, quorſum ad accipiendam a Provinciali plenam in Munere demandato confirmationem adhuc reverſus eſt. Mediolano redux ſe pro Monaſterii Domino geſſit, penitus imperioſe agens, velut Auctoritate praeditus quos vellet ex Monachis excommunicandi, accuſandi, in carcerem denique conjiciendi, contra BAPTISTAM CASPANUM nimirum a Monachis electum Priorem, quem rejiciebat Hieronymus Sub-Priore quoque annuente. Atqui hi duo conſentientes DOMINICUM etiam PORTEIAM Sacconienſem Monachum, perinde a conventu illo alienum in Monaſterium receperunt, nil morati quae ſuper id Raetorum Decretis eſſent ſancita. Nec omittendum quod iidem Morbennienſes in Raetorum Dominorum, ac Evangelicae Religionis ignominiam Biltionenſem quendam Sacerdotem pro parocho retinebant, qui VINCENTII NINGUARDAE filium ſimul et filiam olim ab Evangelico Miniſtro, ſecundum parentis tunc ſuperſtitiis ſacra baptizatos, ab illius obitu rebaptizavit. a) Excederem capituli limites ſi contumelias quae in Clavennae Comitatu et Volturena ex Monachorum illorum extraneorum inſtinctu Evangelicis inferebantur, narrare aſſumerem.

Audacibus adtentatis Monachorum quum connivere diutius Raeti non poſſent, cum ampliſſima poteſtate agendi quae ad Reip. conſervationem neceſſaria viderentur Menſe Novembri ejusdem Anni Syndicos ſuos miſerunt nominatim DOMINICUM BOLDETUM Diſſertinenſem, HERCULEM a SALICIBUS Praegallum, et LUCIUM GUGELBERGIUM Majaevillanum. Eorum adventu audito GAUDENTIUS Caſpanienſis Sub-Prior, ſtatim Mediolanum ſe ſubduxit. Laudati vero Syndici miſſa rigidiori inquiſitione taedio pleniſſima, quoad Monachos inter alia ſequentia ordinarunt. Primum Monachi illi Morbennienſis Monaſterii, Dominorum Decretis Anno MDLVIII. ac deinceps in illum usque diem ſancitis, in omnibus obtemperare, eaque exacte obſervare juſſi ſunt ſub poena indignationis Superiorum, quam incurſuri eſſent quicunque transgredi

b) Acta Bnyt. 22. Julii 1572.

gredi praesumerent. Deinde pronunciarunt tantum illos Monachos qui juxta Dominorum Decreta alias facta in illo Monasterio habitare possunt, quique comparendo Dominorum citationibus paruissent, facultatem habere debere Priorem ex se ipsis tantum unum quem vellent legendi, adhibito tamen in Consilium Praetore Morbennienſi tunc in Officio, a quo Prior electus confitmetur: Penes hunc Priorem stare gubernationem Monasterii, rerumque ejus administrationem: huic denique soli nec cuiquam alii extraneo Monachos secundum leges ac regulas suas obedire teneri. Postremo, HIERONYMO CASPANENSI ac DOMINICO PORTEIANO de Sacco, Monachis a Morbennienſi coenobio alienis mandatum ne Monasterii illius rebus ullo se modo interponant, verum ab omni ejus administratione discedant, atque a Sub-Prioratu, aeque ac a legatione quam usurpare tentaverunt se abdicent, sub poena eorundem Rhaetorum indignationis, quae ut exsecutioni mandarentur GAUDENTIO Sub-Priore etiam forte quandoque redeunte negotium Praetori Morbennienſi datum est. Haec ordinatio a Syndicis judicibus octavo Idus Decembr. facta postmodum undecima Kal. Febr. Curiae in publicis Comitiis per omnia approbata ac confirmata est, atque Officialibus Raetorum nomine in Volturena tunc creatis Syndicis quoque rigide exsecutioni mandanda injuncta fuit. At quam probe cuncta sint praestita, dicere nil adtinet, cum tam a parte legislatorum quam leges accipientium respondérint semper ultima primis.

Ad revisionem processuum a Tribunali populari factorum Comitia Raeticarum Communitatum ineunte Junio Curiae coacta, aliud Judicium ex primariis aliquot Viris adlectum constituerunt, cui STEPHANUS WILLIUS Praeses datus est. Comparuit coram isto etiam Capitaneus CONRADINUS PLANTA, qui antea Tribunalis popularis conspectum subire non sustinuerat: et causam dixerunt quotquot antea damnati vel mulctati fuerant. Ab isto Judicio purgatio reorum acceptata est, unde etiam primis suis honoribus illi restituti sunt omnes: cum haeredibus Domini Raetiensis transactio facta est, cujus tenore pro summa VIII. M. coronatorum bona illius fisco adjudicata liberabantur. Caeteris pecuniariae mulctae relaxari ex toto (quod sciam) non potuerunt, tum quia

quia pars exsoluta jam erat, tum quia ad difflandas impensas immanes requirebantur: relaxatio tamen quaedam facta fuit; mitigationem prudentes illi judices necessariam existimarunt ad Reip. conservationem, praeterea aequitati consentaneam. Adeo tamen gratiam populorum non iniverunt, quod revisione audita, Curiensibus post foenisecium novum tumultum ac obsessionem interminati sint Coenobiani, Castellani, Aceriani, Scanavicani, Bellfortenses, Rhenani, Sexamnini, Praegalli, Suprasaxenses, aliique. Cui promisso etiam steterunt sub sequentis Anni novi initium, ut mox dicetur.

Dum in mutua viscera Raeti saeviunt, Parisiis in Gallia famosae illae nuptiae Regiae celebratae sunt, in quibus Hugonottarum primipilis subdole ac perfide oppressis, signo ad caedem dato, Protestantium ad Sexagintamillia, (alii centum millia ponunt) inhumanum prorsus in modum interemta fuerunt: quae strages vulgo SAN BARTHOLOMAEANA a die qua initium sumsit, nempe XXIV. Aug. MDLXXII. nuncupatur; nec est mei instituti in ea enarranda operam locare, quum factum lippis ac tonsoribus notum sit. Crudelis ea caedes summo Pontifici GREGORIO XIII. atque PHILIPPO II. Hispaniarum Regi effusam laetitiam adtulit, sic ut ille ad primas novellas allatas nuntio 1000. Ducatos premii loco dari jussisserit, ac protinus ad TE DEUM cantandum ceu de insigni a hostibus Ecclesiae reportata victoria, juxta cum Cardinalium Collegio in aedes sacras se contulerit; isti vero panegyricam Orationem audire placuerit in actionem, quam bonus nemo unquam laudaverit, et quam ipse Caesar MAXIMILIANUS, imo vero SULTANUS ipse detestatus est: at tanto majori consternatione Protestantes ubicunque perculit: Unde et hi tanto adtentius rebus suis invigilare coeperunt. Iidem erant etiam in Raetia, secundum Religionis diversitatem, motus: Evangelici autem ob atrox adeo factum in Regem Galliarum, quem, ut confoederatum, hactenus multo affectu prosecuti erant, indignationem vehementem conceperunt ac testati sunt. Praeterire non debeo illustre puri in veritatem amoris exemplum, quod ea occasione dedit HERCULES SALICEUS, Procerum unus, cujus strenuam in Reformatione Clavennae aliisque factis, operam saepius

laudavimus. Is enim quanquam a Galliae Regibus nominatim a FRANCISCO I. (cui anno 1543. oppido Landresi opem ferenti copias Raeticas adduxerat, c) prout et anno subsequenti memorabili illi ad CERISOLAM pugnae strenue adfuerat) ut et a HENRICO II. cujus litterae per quam humanissimae ad HERCULEM exaratae, apud ejus Trinepotes adhuc in castro Marschlins adservantur, d) nec non a FRANCISCO II. CAROLOque IX. honoribus ac munificentiis adfectus ac cumulatus fuisset, is, inquam, tamen, quando de crudelissima illa Protestantium in Gallia Laniena nuncius in Raetiam advolavit, illico una die a SOLIO ex Praegallia Curiam se transtulit, inibique in manus PETRI de GRANDIS Regii Legati Stipendium perpetuum librarum sexcentum Turnensium, quo fruebatur, renunciavit; ratus se nolle a Rege qui in veritatis ac Evangelii cultores tam crudeliter saeviret, beneficia accipere aut stipendia mereri. e) Lanienae immanitatem pro rostris exagitarunt Ministri Evangelici, sic ut indignatio populi adhuc magis magisque in Gallum creverit, ac irritata sit. Regius Legatus, qui post tumultus nuper accesserat, conceptam populi iram sedaturus, spargi rumorem curaverat sibi a Rege litteris esse renunciatum, Rege nec sciente nec volente, ex sola Guisiorum incitatione stragem illam in Protestantes editam esse; seriaque animadversione mali reos exquirendos ac plectendos fore. Verum ea vox mox mutata fuit in alium sensum, quum vix mense exacto ab eodem spargeretur: ab Admiralio ex ira in Regem eo, quod designatum a Morevelo, pluribusque in (Admiralium) homicidium non punivisset, conspirationem cusam fuisse Regem ipsum una cum matre ac fratre ac intimis reliquis subito invadendi atque e medio tollendi. Ast offuciae ejus generis fidem reperiebant apud neminem. Unde quum idem Regis sui nomine ex confoederationis tenore a Raetis militem expeteret, quem sibi a Helvetiis quoque concessum dicebat, repulsam tulit unanimi tam Procerum

c) Sprech. Pall. Lib. V. p. 147.

d) Litterae ipsae exaratae die 9. April. 1557.

e) Commentar MSc. fol. Illustr. Domini Marescialli Ulys. de Salis de Marschlins, statim initio.

rum quam populi voce, dicentium: Multis illum minari qui uni (nedum tot insontibus) infert injuriam; neque admittendum ut Rex suorum robore adjutus in fideles suae fidei consortes, ac subditos saevire tanto inhumanius possit. Ministri Evangelici ad haec sedulo inculcabant, Gallo, ceu Persecutorum Ecclesiae diriſſimo, adeo non militem dandum, ut nec fidem tuto ac pacta ulla cum eo habere licere, siquidem factas toties cum subditis suis pacis tractationes perfide ruperit. Aegre quidem audiebat Legatus Principalis sui existimationem imminui, nec raro per amicos curabat hunc aut illum Ministrorum, qui acerbiora forte in Lanienam illam verba emiserat, moderationis admoneri: nec tamen profecit. Siquidem a Senatus Raetici consulto per Praeconem tubicine simul clangente Edictum fuit, ne quis in ullam exterorum Principum, et omnium minime in Regis Gallorum militiam ex Raetia abiret, sub indignationis supremae incurrendae poena. Id tunc temporis exacte etiam a Raetis omnibus observatum fuit, patratae Lanienae atrocitatem horrentibus, praeterquam ab uno ex Superiore Foedere, qui sanctionem susque deque habens, partim suae auctoritati in Patria fidens, partim Regis gratia fretus, conscriptam cohortem unam, una cum Helvetiorum aliis cohortibus pari modo conlectis, ac proficiscentibus, in Regis militiam abduxit. Ei quidem absenti dira Raeti sunt minitati, et ingenti quoque pecunia eum mulctaverunt: at postea transactione facta omnem contumaciam ferme impune tulit. Nonnulli enim Procerum, et ipsorum quidem Evangelicorum qui ante se infensiſſimos demonstraverant, visa Regis purgatione Helvetiis Thermopoli ostensa, et forte magis munerum aureis pollicitationibus illecti faciles fuerunt in venia danda tum illi tum aliis, qui simili culpa rei esse credi poterant. Ut sic haud temere dixerit Poëta:

Munera (crede mihi) placant hominesque, Deosque:

Placatur donis Jupiter ipse datis.

Addo Eglini ad Bullingerum verba eo ipso dum negotium istud tractabatur perscripta: f)

„ Legatus, inquit, hic unice huc nunc tendit, ut beneficia „ sua impune et dari et a regiis amiculis accipi queant. Co„ gitant impunitatem ac licentiam corruptionum, munerumque „ invehere, qualem jam diu Helvetiorum non pauci pagi maxi„ mo cum damno habuere. Cogitat efficere, ut qui tenen„ tur ab ejusmodi pensionibus, nihilominus pro bonis ac hone„ stis viris, ac qui ad publica munera evehantur, agnoscantur. „ Hinc si militia fieret in fidelium sanguinem, nobis nihil og„ ganire liceret: nam habendi sunt hi boni viri pro honestis, „ quorum opera regii conatus effectum nanciscuntur. Nobis „ ne mutire quidem contra pestes ejusmodi liceret. Pastor „ nuper ex Superiore Foedere Scampfiensis Vir facundus ac „ probus, nescio qua occasione Regem Gallorum latronem no„ minavit pro suggestu. Hoc vulnus aures Legati statim vul„ neravit, qui interpretem suum statim ad me mittens rogabat „ ut fratrem hunc admonerem, ne porro in ejusmodi convi„ cium erumperet, sed majori cum reverentia ac honore tanto „ de Principe loqueretur. Sic truculentissimi hujus latrocinii „ conscii sive consiliarii ora nobis occludere non erubescunt, „ ne scapham ac ligonem suis nominibus appellemus. Valde „ metuo, ne arcum, quem plus satis aliorum suasu intendunt, „ praeter opinionem citius frangant. - - „

Idem d. 20. Oct. 1572. in hunc modum: „ Scribitur a „ Praefecto Sondrii Gubernatorem Mediolanensem venisse cum „ 1500. militibus ad illustrandos fines: unde attentio maxime „ necessaria est. Balthasar Planta frater Raëtiensis vindictam „ cogitans crudelissime invexit in fratres Ingadinenses, sed pro„ bro affectus juramenti religione sibi ipsi grande dedecus con„ flavit, ad palinodiam adactus, ac XL. aureorum jacturam „ passus. - - - Vix autem ac ne vix quidem nobis tempe„ ramus

f) d. 19. Oct. 1573.

„ ramus, quin vocem exaltemus in confoederationem illam, quam „ noſtri cum Gallo perfidiſſimo habent. Moleſtum quidem „ hoc foret aliis regiis: Sed qua honeſtate latronem pro Socio „ habebimus? Num illorum gratia, qui omnem honeſtatem ve„ nalem habent, latronem amicitia ac favore proſequemur?

Jo. Müller Praegallus Legati Gall. Secretarius d. 27. Sept. ad Joſiam Simler. 1572. „ Hodie Herus meus Dn. Legatus „ a III. praecipuis Trium Foederum tria vexilla, ut vocant, mi„ litum petiit. Reſponderunt illi ſibi non licere inconſultis „ Communitatibus illud concedere: quibus argumentis perſua„ dere conentur ut militem impetrent ex germanico ſcripto, „ quod ad vos mitto colligere licet. Aegerrime ferunt, pii „ omnes apud nos, mei Praegallienſes praecipue, tam multos „ inſontes in Gallia trucidatos. Militem vix dabunt: Auleti „ enim Lucernati, vel illi ipſi qui nihil quam caedes ſpirant „ apud nos, ſubjici nolunt. „

Id. Eid. ex Haldenſt. 17. Oct. 1572. „ Hodie Domino „ Legato allatae ſunt litterae a Rege Lemovia ſcriptae. Rex „ ſublatis, ut ait, iis qui ſibi ſuisque (ſcilicet) inſidias ſtruxe„ rant, ſperat ſe in poſterum, alta pace potiturum, nimirum „ quia, ut ab aliis intellexi, a Papa plenam ipſi miſſo Legato „ pollicitus eſt peccatorum remiſſionem, propterea quod Hugo„ nottorum tot millia trucidari curaverit, ſperetque ipſum to„ tum in eo fore, ut in poſterum reliqui quoque e medio tollan„ tur - - - Audiveris, ut arbitror, quo modo noſtrates cave„ rint, ne quis hoc tempore Gallo militet, ni vita, bonis, pa„ triaque privari velit. Quod plebiſcitum non facile infrin„ getur, multis enim jam (ut hodie audivi) in Communitatibus „ Comitia celebrantur, de foedere, quod cum Rege Gallorum „ habemus, deferendo. „

Post peractam lanienam sesquimestre, Octobri nempe mense, lucere coepit mira ac toto orbe celeberrima Stella, quae in Cassiopes Sydere, tanto fulgore integrum ferme annum radiare, ut Stellas caeteras omnes superare ac cum Lucifero seu Venere, splendore tamen paullo in rutilum magis colorem vergente, certare videretur. Quia ejus apparitio illis temporibus facta est, quo Evangelica Ecclesia passim gravissime impetebatur, pii ac summi viri sibi persuaserant, eandem ultimum divini Salvatoris ad fideles suos liberandos adventum ad judicium portendere adeoque eam *rytoos* esse signum filii hominis, quod JESUS praedixerit appariturum. Explicationem phaenomeni istam a THEODORO BEZA Genevensium Doctore famigeratissimo, ut mihi quidem sic videtur, acceptam, in Raetia propalaverunt Mystae sacri plures, quos inter CAMPELLUS excursionem satis pro more suo susam Historiae suae inseruit: JOANNES vero PONTISELLA filius, Ecclesiae Curiens. ad D. Reg. postea Past. venae haud infelicis Poeta, in hunc modum Epigrammate lusit.

Quae jam visa diu est coelo fulgere sereno
Stella nova, at nullo crine timenda micat,
Foelicique Jovis Stellae, Stellaeque Diones
Luce sua certat, quid nisi fausta ferat?
Stella Magis lucens Persis mortalibus olim
Artubus indutum dixit adesse Deum.
Scilicet haec etiam, sed totum ut judicet orbem
Signati nati hominis dicit adesse Deum.

Ipsos

Ipsos lubet THEOD. BEZAE adponere versus, quos ille ob oculos habuisse videtur.

Iste novus nullo furiali crine cometes,
Et radians puro quod nitet igne jubar,
Ecquid portendat terris, DEUS ille deorum
Novit, et ostendent tempore fata suo.
Quod si humanae aliquid possunt praescíscere mentes
Talia scrutari, nec mihi signa nefas:
Hic ille est olim parvam Davidis in urbem,
Duxit ab Eoo qui prius urbe Magos.
Et qui nascenti praeluxit, nunciat idem
Ecce redux reducem rursus adesse Deum.
Hinc igitur foelix o turba applaude piorum.
Tu vero Herodes sanguinolente rues.

Quemadmodum undae maris in motum semel extrusae citius non tranquillantur quam desaevierint; sic plebs impotens sedibus suis semel excitata, ante quieti dare se nescit, quam prostraverit, dilaniaverit, quaecunque dictat furor obstare sibi: Rursus prout in dicto casu periti naucleri, accurrere tempestatem eminus videntes, statim, dum tempus est, de portu circumspiciunt, pari modo Raeti Proceres Raetiensis lamentabili fato viso, ab eo tempore, semper quando oborientem fensere

sere tempestatem, discrimini se subducere, dum procella transeat, prudentissimum judicaverunt: utrumque factum esse ab utroque, etiam in Tragoediae hujus actione apparuit, cujus nunc Epiphonema damus. Mense quippe Martio circa Paschatis ferias iidem Cathedralium ac Decem Jurisdictionum populi, qui Bullae negotium ad finem deduxerant, initio denuo a Praegallicensibus facto sublatis signis militaribus, armisque sumtis, Anno MDLXXIII. Curiam devolarunt, oppidumque totidem ferme diebus, quot antea, licet minime hostiliter obsederunt. Causa quam obtendebant erat, quod in Comitiis proxime praeteritis, loco confiscationis bonorum JOANNIS PLANTA Domini Raetiensis, a Tribunali judicatae, ex plerarumque Communitatum Suffragiis transactum fuerit, octo tantum coronatorum Millia, pro totius summa accipere. Ab iisdem Comitiis dicebant quosdam a praefato Tribunali exilio, aliisve mulctis damnatos, veniam praeter Communitatum conscientiam ac nutum obtinuisse, alios indulgentius aequo habitos i. e. levius mulctatos esse. Speciatim autem quosdam ad censuram vocatos volebant, qui in dictis Comitiis mense Januario habitis, ad Praeturas apud subditos promoti erant, eo quod per largitiones, corruptelas, et ambitum, contra Tabulas juratas, *Kesselbrieff* dictas, ea munia assecuti esse dicerentur. Hujus criminis incusabantur Capitaneus GALLUS a MONTE Gubernatoris, CASPARUS SCHAUENSTEIN ab Ehrenfelsa *) Vicarii, JACOBUS SCHALKETUS Bergunionsis Praeturae Morbenii, ut et quidam ex Monasterienti Valle Praeturae Tilii, elogiis inaugurati. Raetorum Viri primarii, et maxime illi in quos vulgi fremitus exaudiebatur, quamprimum de populi concursu inaudiverunt, neutiquam consultum existimantes, judicium populi exspectare, illico se ad proximos Helvetiorum fines quasi in tutum contulerunt. Ex his fere fuerunt AMBROSIUS MARTINUS Consul Curiensis pene decrepitus, JO. RÜFFIUS civis et ipse Curiensis Senatorii ordinis monetae adulterinae recens cusae suspectus vulgo habitus, Capitaneus BAPTISTA SALICEUS Eques ille Papae auratus, CONRADINUS PLANTA, Domini Rae-

*) Sprech. hujus loco ponit Jo. Florinum, Paulli Florini fratrem. Chron. Raet. pag. 217. Nos Campellum secuti sumus, tunc cum tragoedia acta est Curiae Pastorem, quem accuratius scire potuisse nobis videtur.

Raetienſis frater et ipſe Capitanei cognomine nobilis, alter quoque ejusdem frater Commiſſarius BALTHASAR PLANTA. Ex Volturenis item BECCARIAE fratres tres, nempe CAMILLUS, CASTELLINUS, et FERDINANDUS, JOANNES denique VENOSTA Groſſienſis, qui Anno quoque ſuperiore, ſorte ſibi conſcius auſugerat. Populi praeſentes, ad res complanandas congregati pro quaeſtione in jam memoratos ſimul et alios complures habenda, TRIBUNAL cenſorium ſine mora conſtituerunt: at cum hoſpites minus grati Curiae eſſent, judicii locum THOSANAM, Foederis Griſaei Oppidum transferendum fuit. Praeſes iſti Dicaſterio a cohortibus datus fuit NICOLAUS NOLLUS Thoſanenſis; et ſcriba Bondenſis quidam ex Praegallia. Tribunali tuendo, aut in officio continendo, aliquot centuriae ex more ceu cuſtodes (Gaumeri) adjunctae quoque ſunt.

Helvetii CANTONES confoederati audita nova Raetiae Seditione protinus Legatos ſuos Viros ex prudentioribus in Raetiam ire juſſerunt, agereque quod ad communem pacem, ad juſtitiae conſervationem, ad avertendam integri populi perniciem ſpectaret. Legati hi erant Tiguro HENRICUS THOMANNUS, Berna NICOL. a GRAFFENRIED, Lucerna ROCHIUS HELEMLINUS, Urania WALTHERUS ROLLUS, Svitia DIETERICUS *in der Halden*, Subſylvania HENRICUS ab URY, Tugio WOLFG. BRANDENBERGER, Glarona MELCHIOR HESSIUS, Baſilea JO. WERNERUS WOLFIUS, Friburgo ULDRICUS INDLISBERGER, Soloduro URSUS a WEILSTEIN, Scaphuſia CONR. MEYERUS, Adbatiſella JNACHIMUS MEGELINUS. Auctores hi erant cohortibus, ut ab incoepto deſiſterent, ſaltem armatarum cuſtodum centurias dimitterent, denique (ſi neceſſitas Reip. id exigat) judicium inſtituerent liberum, non quod armis horridum ſpeciem habeat rei vi, non jure gerendae. Id cordati illi Viri etiam ex ea cauſa urgebant, quod rei profugi nihil magis ſuae contumaciae, qua citati comparere renuunt, obducere ament, quam judicii trucem formam ob efferatum vulgi militum furorem, et vim armorum bonis ipſis formidoloſam: cauſam, quae vel maxime reos apud omnes, quorſumcunque deveniant, excuſet. Addebant Helvetii, ni ſanis confoederatorum obtemperarent conſiliis, Dominos ſuos tot tur-

belarum a Raetis motarum pertaesos, confoederationi renunciaturos, et aliis modis id acturos quod e re sua ad conservationem pacis in confinibus suis utile existimaverint. Seditiosi nil moti ad haec praecise: Congregatos esse ad consulendum Reipublicae suae, et sui esse officii ac utilitatis providere, ne ea quid detrimenti capiat: quare invigilaturos ut judices constituti ad legum tenorem, ex bono et aequo jus dicant, nec cuiquam injuriam faciant: Hoc vero dum fieri volunt nullius se promereri iram, siquidem non in alienam, sed in suam tantum messem falcem immittant. Sic judices in instituto perrexerunt alios exilio, alios pecuniis mulctando, alios honore privando, et quae Rhadamanteorum ejus generis Judiciorum Acta fieri solent. DIETEGANUM PARAVICINUM Trahonensem, peculatus accersitum, tormentis atrociter excarnificarunt, ac capite tandem damnarunt: ultimo precibus amicorum totiusque populi eum donaverunt. Quoad transactionem Communitatum cum Raetiensis Domini haeredibus pactam, potissimam hujus tumultus causam, judicatum fuit ut tota illius facultas, excepta dote conjugis ampla utique ac opulenta, secundum prioris Tribunalis Sententiam Reip. vendicaretur, ea tamen lege ut impensae factae ob ejus causam primum exstinguerentur, deinde remanens in publicum aerarium redigeretur. GALLUS a MONTE ob ambitum Capitaneatus Vallis Tellinae accusatus, ubi res paullo mitius quam in priore Seditione evenerat, tractari audivit, ex latibulo ubi delituerat prodiit, Tribunali se stitit, et qua valebat dexteritate obtinuit, ut juxta privationem Officii, cum quinquaginta tantum coronatorum mulcta discedere ad sua salvus potuerit. Fasces ademtae, ULRICO a CAMEOISCH Leguntino datae fuerunt. Multo majore summa ob eandem causam mulctatus fuit Vicarius designatus SCHOUVENSTEINIUS praeter deturbationem ab Officio: et huic PAULLUS FLORINUS suffectus est. SCHALKETUS et Monasterienſis ille ob similem culpam munere pariter privati et quinquaginta coronatis mulctati sunt. Adversus AMBROSIUM MARTI Consulem Curiensem prolatae sunt litterae quaedam adulterinae Sigillo Foederis confirmatae: ad has respondebat Consul, nequissimos homines sibi aetate decrepito, alias prorsus sibi praelegisse, et Sigillo corroborari postulasse, adulterinis proinde Sigillum ex errore applicatum fuisse, quum fraudulenter alias, quam praelectae erant illi, oculis

suis

ſuis ſubjecerint. At non valuit excuſatio: verum quatuor mille coronatis mulctatus fuit; licet judicium anterius eidem duorum quoque millium coronatorum ſummam paullo ante irrogaverat. JOANNES RÜFFIUS Curienſis Senator quum duorum annorum ſpatio magnas divitias corraſiſſe fama eſſet, malae monetae, quae tunc temporis per Raetiam ſparſa erat, reus actus, vix evaſit quin capite poenas daret, amicorum tamen precibus donatus, ſed infamia notatus omnique honore privatus, ſexmille coronatis damnatus, vivus dimiſſus fuit. Capitanei BAPTISTA SALICEUS et CONRADUS PLANTA nullius criminis arceſſebantur: Sed quia ille ſemel, hic vero jam altera vice profugus, malae conſcientiae ſigna proderent, et citati non comparerent ipſi, verum per patronos tantum cauſam agerent, Tribunal a populis conſtitutum declinantes, primum exſilio damnati ſunt, gravi edicto promulgato, ut ubicunque intra ditionis Raeticae limites deprehendi daretur, a quovis comprehendi, et foro conſignari debeant; praeterea Saliceus ter mille, Planta octies mille coronatis mulctati ſunt. Commiſſario BALTHASARI PLANTA pari Sententia Exſilium una cum ducentorum coronatorum mulcta irrogatum fuit, ex culpa quod in Auctores ſupplicii innoxie a Raetienſi fratre ſuo ſumti, qua laborabat effrenatiore iracundia, ut erat Vir vehemens, liberius paullo convitiatus fuerat; olim quoque inter lepidos Sodales verba quaedam ocioſa (neſcio quae) per jocum protulerat, quae licet detrimentum afferebant nemini, in ſequiorem tamen partem tracta fuere. Culpam augebat fuga ipſius, ſiquidem citatus comparere recuſaverat, ac quum ad eum comprehendendum armatorum manus miſſa fuiſſet, ſubita fuga ſe ſubduxerat. BECCARIAE et VENOSTA Voltureni, ob fugam pariter aeterno exſilio damnati fuere. Armatorum illorum judicio defendendo deſignatorum pars, quae ad eos comprehendendos in Volturenam miſſa fuerat, quum illos non inveniret, re infecta redux, ſecum vehebat tormentorum bellicorum, quae Arcobuſa vocantur, ſeptingenta, nova et affabre facta, quae inibi ſub terra abdita invenerat. Vulgaris fama ferebat arma illa a fratribus BECCARIIS comparata fuiſſe, ut ſi in cauſa decimarum, quam Epiſcopi Comenſis nomine adverſus Communitatem Sondrienſem ſuſtinebant, cauſa cecidiſſent, illis adverſus Remp. uterentur: Fabri autem, qui volebant videri religionis cauſa ex Italia exſules, dicebant a ſe

fabricata ut cuivis proſtarent. Aſt Thoſanenſes judices in mulctandis reis potius quam in eam cauſam inquirendam operae pretium eſſe judicantes, in propoſito perrexerunt, et DIETEGANUM a manu illa adductum tractarunt, ut ſupra diximus: varias quoque privatas cauſas controverſas diſceptandas, judicandasque ſumſerunt, quas referre nil attinet. Ad ultimum Statuta quaedam juſta utique et aequa atque in priori etiam Tribunali ſancita ſua, nempe POPULI RAETICI i. e. plebis auctoritate confirmarunt: quae tamen ut leviter ſancita, ſic brevi poſt interciderunt. His peractis Judicium quoque illud circa JUNII initium ſolutum fuit.

Tantum vero abeſt, ut Actis a Judicio illo populi contenti fuerint, ut potius plerique illud injuſtitiae accuſarint et improbarint: Praecaeteris Praeſes illius, atque ſcriba mala fide egiſſe, adulterinas judiciarias litteras ſcripſiſſe, peculatum commiſiſſe incuſabantur: quare ubi Julio menſe comitia Curiae celebrata ſunt, multi conquerentium confluxerunt, injurias ſibi allatas acerbe dolentes. Raetica Comitia ex communi cum Legatis Helvetiorum praeſentibus conſilio, ad audiendas adflictorum querelas, rurſus aliud judicium conſtituerunt, quod ab armatis cohortibus ſeptum non eſſet, ſed liberum, idque ex ipſis Proceribus lectum. Congregatum illud ſtatim eſt in Canonicorum-coenaculo ſive Hypocauſto, tunc ſupra portam (qua in oppidum deſcenditur), arcis ſito. b) Adque cauſam dicendam coram hoc Tribunali ultro acceſſerunt, quicunque ſubditorum gravamina habebant, exceptis Morbennienſibus Monachis, qui ob inſidias Evangelicis, ſpeciatim Miniſtro Mellenſi ſtructas, ob praevaricatum item mandatum de novitiis amplius non recipiendis, citati erant: comparuerunt etiam Thoſanae-judicatorum plerique licet non citati, ſeu bona conſcientia nixi, ſeu ſpe boni eventus concepta.

Et revera videntur iſti judices juſtritiam cum prudentia comite ſibi ſequi propoſuiſſe: Ab hoc Tribunali qui Thoſanae male damnati fuerant

b) Camp. Cap. LXXVI. pag. 1556.

rant benigne exauditi sunt, judicatique objecta crimina sufficienter purgasse evacuasseque; sic ab exsilio liberati omnes, patria reddita omnibus, pristino statui ac honori restituti omnes; uno excepto ab irrogata quoque pecuniae mulcta levati fuissent iidem, nisi ad exstinguendas impensas immodeste factas earundem partem enumerari necesse fuisset. Quare ea in distribuendis illis ratio habita est, quam aequitas, secundum opes aut alias circumstantias, suadebat; mulctae nomine prorsus omisso. Ad eum censum Judices AMBROSIO consuli coronatos termille restituerunt: ita et illi ambitus damnati, aliqua mulctae pecuniariae immodice irrogatae parte relevati sunt, caeteris ratis habitis: pari modo cum reliquis actum. BECCARIAE quoque et VENOSTA ab exsilio liberati, et omni noxa penitus exemti. Sola Sententia contra JO. RUFFIUM proclamata, ab hoc quoque Tribunali secundum omnes partes confirmata fuit. Judex vero Thosanensis NOLLUS juxta cum scriba praedicto, peculatus rei comperti, damnati sunt, ut inglorii haberentur et infames: Sigillum Judicis in corona confessus scissum in media fuit. Sed et hi quadriennio post, Anno nempe 1577. rursus a Communitatibus licet aegre obtinuerunt, ut pristino, quo erant, honori restituti sint. Hi fuere fructus quos intestina dissidia protulerunt, Magnatibus amara, populis noxia, utrique cum extremo libertatem amittendi periculo conjuncta!

Edocti suo malo istam lectionem Raeti, ex Helvetiorum confoederatorum consilio Anno secuto 1574. d. 6. Febr. Legem inter fundamentales habendam condiderunt, qua sanciebatur „dehinc con„troversias omnes non vi armorum, sed jure ventilandas ac judican„das: populos nunquam consurgere debere, nisi a Trium Foederum „Praesidibus moniti sint: qui adversus communem Patriam peccaverint „a Magistratu, sub quo vivunt, puniendos, quando is Officio suo deesset „teneri foedus ad exercendam justitiam; et hoc negligente demum „esse TRIUM Foederum in communi, cavere ne malum inultum relin„quatur„ et quae hujus commatis statuta salubria plura sunt, in tabulas relata, quae quia triplici sigillo unitim roboratae et ab omnibus populis unitim cum applausu receptae fuerunt, abinde *der drey Sigler Brieff* dictae sunt.

Harum vigor debuit esse perpetuus: at supra annos XXXIII. non duravit: tunc enim Proceres Deo sic juste dirigente ea rursus media arripuerunt, quae sibi exitium allatura esse ex anteactis melius scire poterant, et debebant, tunc autem proprio malo experti sunt, quod hac vice Deo connivente impune cessit.

Durantibus tumultibus illis, nemo virulentioribus linguarum morsibus petitus fuit, quantum Ministri Evangelici: etenim qui a calamitate obruti fuerunt, clamabant, a liberioribus Pastorum de pulpitu in gubernationis ac Procerum vitia factis invectivis evenisse, quod plebs adeo facile in tumultus insurgere, Magistratus contemnere, ac Proceres in judicium trahere ausa sit. Ad dandum isti accusationi colorem, allegabatur consociatio nescio quae a Ministris in Synodo Davosii Anno MDLXXII. facta, ex cujus tenore inter se mutuo obligaverant invigilare, ne libertas patria, ac multo magis ne Evangelica religio detrimentum caperet: hujus consociationis Apographon illi a Ministrorum uno per aliquam artem impetratum, ast male descriptum ac pejori adhuc fide interpraetatum, passim jactabant, traducebant. Juxta Religionis causam erant etiam Ministris infensissimi redditi Sacerdotes Romani, non tam ob Raetiensis supplicium, quod populi ac judices Pontificii, majori furore quam Evangelici promoverant, quam ob litem quandam famosam super decimas, ac vectigalia aliaque varii generis, quae nobiles BECCARIAE ceu Episcopi Comensis feudatarii, a Commune de Sondrio, in Valle Tellina exigere contendebant: quaeque coram Comitiis Trium Foederum disceptata, deinde ad Communitates devoluta ac ventilata, prolixa fuerat. In eo enim negotio omnem operam Ministri apud suos navaverant, ut Sondrienses ab omni gravamine, quo a Praesule Comensi, aut ejus nomine a Beccariis, premebantur, ceu a tyrannide liberarentur: quare CAMPELLUS ipse memoriale oppressorum raetico ac germanico idiomate donatum, apud quos valuit promoverat. Hinc sacrae Diis coelestibus irae; sic ut observati sunt Sacerdotes plerique de sacro suggestu, haud aliter Ministros inclamasse quam fures, latrones, haereticos, et quae hujus sunt generis elogia. Tantum (utilitas) (religio) poterat suadere (fervoris) (furoris). Praeter

ter dictos, generatim qui ad gubernacula sedebant cupivissent frenum ori Ministrorum injectum, ne de vitiis, quibus tantum non omnes obstricti, gubernationis libere adeo declamaretur; dicebant enim per eas reprehensiones Magistratus apud populum in vilipendium adduci, denique seditionibus fomenta substerni. Sacerdotes autem cum effreni adversus Evangelicos virulentia, diffidentiam inter Patriae cives serere. Quum itaque M. Junio, Anni 1572. Comitia Curiae agerentur, et nemo non infaustos tumultus populi, ac lamentabile Raetiensis fatum deploraret, fuerunt qui dicerent magnum ad concitandos populos momentum adtulisse conciones adversus Bullam incitatas, ac totas ira spumantes: sicque e re Reip. fore, si conderetur statutum, cujus vigore Ecclesiastici intra officii sui sacri munia stare, neque ullam rerum fori curam gerere juberentur. In pluribus quoque minoribus conventibus postea super idem negotium deliberatum est. Ministri audientes adversum se consiliâ cudi, statim ad Patres conscriptos pro Comitiis sedentes provolarunt, de injuria quae sibi fierent gravissime conquerentes. Raetiensem dicebant per omnia sacra, ac amicissime prius ab attentato disuasum a se fuisse, quam ulla de Bulla, aut periculo libertati imminente ulla coram populis mentio injecta sit, unde habere quod sibi imputet calamitatem praevisam, praedictam, at studio accersitam. Sondrienium causam sibi aequitati consonam esse visam, nec debuisse non promovere, quum Magistratuum sit, oppressos a tyrannide liberare; interim modum liberationis se legitimis Dominis reliquisse. Per caetera omni studio suos a seditionibus, a crapulis et malis aliis dehortatos fuisse, laborasseque ut tranquillitati, justitiae, ac religioni sua semper pax, cursus, ac certitudo constet. Quod vero intelligant statutum velle praescribi sibi, ne in vitia Procerum, aut alia detonent, protestati: Se Deo magis obtemperaturos quam hominibus: male fidos futuros se JESU Servos, si in Proceribus prensationes munerum ab exteris Principibus acceptas, judicia venalia, legum detorsiones, ambitionem, invidiam, phylargyriam, lasciviam; in plebe vero, Magistratuum nundinationes, crapulas, seditiones, ac alia mala Reip. corpus depascentia conniverent, aut obiter tantum objurgarent; quare nunquam se alium Evangelium praedicandi modum passuros praescribi, quam eum, quem ipse Christus sibi praescripserit, et exemplo praeiverit,

rit, qui summos quoque ad gubernacula sedentes cum parrhesia semper inclamaverit. Jam in Raetia eo rem adductam esse, ut si ipsi tacuerint, lapides sint locuturi, ac iram numinis provocaturi. Tantum valuit incitata, ac fervida repraesentatio apud Senatum, ut ea vice nullum eis frenum objectum sit. Dicitur JO. TRAVERSUS Senatorum unus, homonymi defuncti filius, cum facundia in eorum favorem dixisse, ac praeter alia, (quae adferre superfedeo) dixisse: in Democratico Regimine, quale in Raetia viget, dari non posse Ministris strictam ad concionandum regulam, quae simul causa turbelarum inter Auditores non evadat: his enim displicere, quae illis arrident: nisi forte eam praescribere placeat conditionem, quam Camagascenses, quum de repurgatione sanctuarii adhuc inter eos non conveniisset, a novo recepto parocho (Christoph. Chörngia) ante aliquot tempus efflagitarunt, ut nempe sibi praedicaret Evangelium ex consilio convicorum (par cussailus da cuvychs) quae apud Raetos in metrocomiis aut species magistratus est, attendens ut necessaria ad communem Societatis conservationem civilem observentur. Ad haec Senatus in risum effusus, rem in medio reliquit. At novum mox experti sunt Ministri adversarium, Regis nempe Galliae Legatum, qui eos in lanienam Parisiensem, vehementius quam ipsi placebat, detonantes aegerrime ferebat; ac is suis fautoribus auctor fuit, ut Ministrorum linguae intra quosdam limites cohiberentur. Isti, superioribus adjuncti, facile effecerunt, ut Decretum ejus tenoris stabilitum sit. g) Quod factum medio Julio mense Anni MDLXXIII. Advenerant forte ad ipsa illa Comitia novem ex Ministris, deputati ab integra Synodo, articulorum quorundam pro Eccl. disciplinae conservatione a se factorum confirmationem petituri: at repererunt bonam Senatorum partem post suum adventum discessisse, quasi nempe eos aditu indignos existimarent. Delegati hoc viso, et Decreto sancito intellecto, coram reliquis adhuc residuis comparuerunt, atque ex potestate sibi a Synodo concessa declaraverunt, quandoquidem ab Oratoribus Communitatibus deferantur, iidemque adiutricem

g) *Ist erkennt das man mit beyden Religionsgeistlichen, Predicanten und Pfaffen ernstlichen reden soll, das sie sich allein ihrer Aemtern, und keiner weltlichen Sachen, wie denn ein Zeitlang geschechen seyn möchte, beladen sollen, sondern mit ihren Reden und Predigten zimlich fahren.* Act. Bnyt. d. 15. Jul. 1573.

iutricem manum ad disciplinae conservationem recusent, et se abhinc curam conservandi boni in Ecclesia ordinis abjicere, neque velle dehinc Synodos amplius congregare, prout non sine parvis sumtibus hactenus fecerunt: protestatique non a sua culpa derivari mala, quae tum quoad doctrinae, tum quoad morum corruptionem occurrere poterunt, sed illis esse imputanda, qui a sanctis legibus primi discesserint, easque servare recusaverint. Et sic Synodis renunciatum est. Quum vero per hanc cessationem res Ecclesiae in detrimentum ruerent, Communitates Pastoribus suadebant congregationes resumere. Sed hi duri, reluctari videbantur. Itaque oratores Ilantii pro Comitiis d. 9. et seq. Decembr. 1574. congregati, primum Decretum Anno superiore cusum confirmarunt; adnexo simul mandato, ut morem Synodorum resumant, easque bis in anno celebrent, ac ad eas duos ex Senatoribus assessores admittant, adtendentes ad ea quae gerantur, et ne minus idonei ad Ecclesiarum curam promoveantur. Sic Ministri a Proceribus sollicitati, ab auditoribus vero compulsi, Anno 1575. Curiam, ubi Comitia etiam ipso illo tempore habebantur, confluxerunt, quum a duobus retro annis, Synodus nulla habita fuisset. Congregati Amplissimo Procerum consessui ipsum Synodi Actorum Archetypon, quod sinistre traductum fuerat, ob oculos posuerunt, atque ab omni impacto sibi crimine purgaverunt: quae purgatio benignis auribus acceptata est; sic ut Proceres Ecclesiarum curam illis de novo commendaverint, insupra ad omnis boni promotionem operam suam ac benevolentiam impense polliciti sint: quod etiam praeclare non negle-xerunt. Ab iisdem Comitiis Parochus Vatziensis linguam temperare jussus fuit, sub indignationis poena, aliis eodem morbo laborantibus in exemplum statuenda. h)

Inter

h) *Der Pfaff von Oberzatz, so wider die zu Ilantz aufgerichtete Ordnung die Predicanten, Ketzer, Mörder, Dieben &c. gescholten; soll unverzogentlich seinen Verdienen nach gestraft werden: wo nicht wird man Ihn und sie fürs Gericht citiren.*

Inter haec graviſſimis calamitatibus adflicta eſt civitas CURIENSIS. Superior quippe ejus pars ad D. MARTINI aedem parochialem usque, Anno 1574. decimo Kal. Sextiles: inferior vero quae ab amne molendinorum terminatur, die 21. Septembr. 1576. conflagravit, ſic ut de toto oppido fere ſuper rudera, et praeter pauca aedificia, nil niſi tavillae remanſerint. In priori incendio interiere etiam homines XIV. quos inter et JO. RUFFIUS ille, in quem ſententias de roſtris audivimus, ſumos, ſi quos vendidit, igne expiavit. Prolixam ac articulatam illius incendii deſcriptionem ad Bullingerum perſcripſit THOBIAS EGLINUS Eccleſiae Paſtor, quae *'avtographos* in Archivo Eccleſiae Tigurinae aſſervatur.

Paucos poſt incendium prius dies HULDRICUS CAMPELLUS Eccleſiae Regulanae ibid. Paſtor, bona cum Senatus ac populi venia, Curiae valedixit, ac domum ſuam Suſium ſe recepit, ac Joanni Roeſchelio Bonorano, eodem anno Coelini in infima Oengadina ſucceſſit. Quum ſupra Curienſem arcem, in via (qua per Strigaeram montem Davoſium iter eſt) inter valedicendum Tobias et Campellus effuſas lacrymas profudiſſent, conjunctiſſimis quippe animis vixerant, ad invicem praefagierunt, nunquam ſe amplius his in terris viſuros. Quod et factum. Quum enim JOANNES MULLERUS Praegallus, antea legati Gallici Secretarius, eruditus utique juvenis, at pedibus impotens ac valetudinarius, atque JO. PONTISELLA peſte alicunde contracta, Maleſanſium, Curiae ſuburbium feceſſiſſent a Senatu juſſi, atque Tobias fidelis Paſtoris officio defuncturus, contagionis periculum nil moratus, eos inviſiſſet, eadem lue et iſte correptus eſt, ac intra quatriduum ad beatas Sedes translatus, uxore cum quatuor filiis relicta, ex quibus RAPHAEL poſtea inclaruit. Tobiae praeivit Mullerus ſupradictus, et ex domo Jo. Pontiſellae filius unus, filia una, et famula una: ipſe autem Pontiſella convaluit: cui pater ejusdem nominis paucos ante menſes ex hac vita ereptus erat. In Tobiae locum a Tigurina Eccleſia ad hoc rogata ſucceſſor datus fuit CASPARUS HUBENSCHMID, Vir ab eruditione non vulgari, ac comitate commendatus: CAMPELLO ad Divae Regulae JO. PONTISELLA filius, et JO. COMANDER itidem filius, bonae ſpei adoleſcentes ac cives, ſimul ſuffecti fuerunt.

Patri

Patri defuncto post decennium Raphaël Eglinus hoc Epitaphium fecit:

CHRISTO
BEATAE IMMORTALITATIS
AUCTORI
S.
TOBIAE EGLINO
TIGURINO
CURIENSIS ECCLESIAE AD S. MARTINI
ANTISTITI,
SYNODI RHAETICAE ADMINISTRATORI
PERPETUO,
PATRI DESIDERATISS.
POSTEAQUAM VITA SIMUL ET OFFICIO
PIE FUNCTUS COELOS ADIISSET,
DECENNIO POST
RAPHAEL EGLINUS
F. ORPHANUS
TRANSGRESSURUS ALPES
MOESTISS. P.

Post duo lustra, Pater, tua filius ossa revisens
Heu, heu, Te lachrymis alloquor innumeris.
Nec mihi si non respondes, non humida tellus
Et cinis officium sentiet ipse meum.
Salve ergo, o chari pulvis mihi sancte Parentis,
Heic in spem vitae condite coelicolum.
Quum faciet reducem divini in luminis auras
Gentem hominum, vitae quem penes arbitrium est,
Alter in alterius figentes lumina vultu
Vivemus vivo semper uterque Deo.

IN COMMUNI PIORUM COEMETERIO SEPULTUS
CURIAE RHAETORUM.
OBIIT ANNO CHRISTI NATI
CIↃ. IↃ. LXXIV. XV.
NOVEMB.
PL. M. QUADRAGENARIUS.

CAP. XXIII.

CAP. XXIII.

1576 —— 1578.

Steph. Dominicus libertinismi accusatur. Ad rei inquisitionem tres delegati a Synodo constituuntur. Reperitur docere doctrinam de Praedestinatione absoluta. Legati propugnant Systema ex praevisa fide vel incredulitate. Campellus librum conscribit de Providentia, et Praedestinatione, atque a Synodo obtinet ut legatur in Ecclesiis. Susiensis et Vettonensis legere recusant. Ille defertur ad Magistratum Ardetianum, hujusque deliberatum. Synodus A. 1578. causam ventilat. Campelli labor transmittitur Tigurum ad Gualterum. Pars prior approbatur, posterior non item. Sententiae Revisorum Raetiae super libri Partem secundam. Totius controversiae compositio. Alciatus et Blandrata e Raetia pelluntur. Arianismus in Raetia cum Seculo exspirat.

Illa praeterea aetate inter Raetiae Ministros non sine exacerbatione ventilata fuit vexatissima illa de Providentia Dei circa malum, ac de Praedestinatione quaestio, quae subsecuto tempore in Ecclesiis Reformatis foederati Belgii, Schismati dolendo causam dedit. Licet vero ea tantum mali in Raetia non protruserit, aequum tamen est, ut modum, quo disceptata, denique composita sit, paullo diligentius edisseramus: tanto magis quod Rerum Raetiae Scriptores agitatae hujus

controverſiae, ob pondus ſubjecti, maximi momenti, nuspiam meminerint: HOTTINGERI autem, Pater ac filius, quidem aliquam, ſed levem admodum memoriam injecerint. a) Sumſit controverſia initium in SYNODO Miniſtrorum Anno MDLXXVI. ſolito tempore CERNETII in inferiore Oengadina habita; apud quam STEPHANUS DOMINICUS Eccleſiae Suſienſis Paſtor, aliam longe de electione ſalvandorum, ac reprobatione damnandorum, quae Praedeſtinationis una voce innui ſolent, ac vulgo recepta eſſet, doctrinam gerere, atque tantum non Libertinorum errori, qui Deum mali aeque ac boni Auctorem facere non erubuerant, patrocinari delatus eſt. Id quum DOMINICUS a ſe fieri negaret, alii contra non minus conſtanter ab eo ſaepius factum inſtarent, Synodus de re certo erudiri cupiens, tres ex claſſis Oengadinenſis fratribus, quorm in numero etiam CAMPELLUS unus erat, delegit, qui ad condictam quandam dominicam diem, qua ille ſuper memoratum Articulum ſermonem ad populum habere ſuamque, quae animo inſediſſet, opinionem exponere juſſus erat, auditores ſe ſiſterent, percepta Synodo bona fide referrent. Fecerunt tam Paſtor quam deputati ſecundum quod injunctum erat: atque in concionem habitam nil habuere iſti magnopere culpandum, praeter quam, quod intra generalia tantum ſe continuiſſet Praeco, et quod obſcurius quandoque mentem expreſſerit, quam aſſequi eam valuerint. Itaque privato Sermone, in plurium ex Paroeciae illius primariis praeſentia ſuper articulum praedictum collocuti ſunt, ſerio ac amice: poſt plures quos caeciderunt ſermones, tandem patuit diſcrepantiam Paſtorem inter ac Synodi delegatos in eo verſari, quod ille tam Praedeſtinationis electorum ad ſalutem, quam Reprobationis infidelium ad damnationem cauſam faceret ſolam liberam ac abſolutam Dei voluntatem: delegati autem alio prorſus modo rem conciperent. Dicebant enim hi, in materia adeo difficili, aliud credendum non eſſe, quam quod ſcripturae clare ac diſerte edocerent. At in ſcripturis perhiberi Deum quidem cum ſua voluntate liberum eſſe, at ſimul etiam, eundem in omnibus viis ac operibus ſuis, ſapientem, ſanctum, juſtum, ac benignum eſſe. Ex eo autem

a) Ille in Hiſt. Eccl. Part. VIII. p. 877. ſq. Hic in Diſs. cui tit. *verthädigte* Formula Conſenſus. Ao. 1723. pag. 34.

autem aliud sequi non posse dicebant, quam quod Deus ex liberae suae voluntatis bonitate ab aeterno in Christo elegerit Salvandos, eos nempe quos per omniscientiam suam ab aeterno praeviderit, ex libera, unica, ac mera suae providentiae gratia ac misericordia in Christum credituros, perque fidem salutis participes futuros: rursus, haud alios reprobasse, quam quos per eandem omniscientiam praeviderit, offerendae per JESUM CHRISTUM gratiae perfidissime, ingratissime, ac contumaciter restituros, ac in incredulitate, ad vitae usque finem perseveraturos: utrumque ex justo liberae voluntatis judicio. Utcunque vero delegati Triumviri suam Sententiam multa specie urgerent ac suaderent, nunquam tamen effecere, ut DOMINICUS eis assentiretur, licet et iste lubens fateretur Deum justum esse, nec mali ullius Auctorem. Parocciani, qui rem totam ab ovo tractari audiverant, sollicite a delegatis sciscebant num Ecclesiastam noxae eximerent, ac Orthodoxum pronunciarent: quibus illi responderunt: talem declarationem penes se non stare, qui alia potestate instructi non sint, quam audiendi, totum denique ad Venerandam Synodum deferendi. Qualiscunque tamen ea discrepantia fuerit, covenerant inter se Pastor juxta cum delegatis, rem totam sibi intra parietes proprios reservare, dum usque ab integra Synodo super eam transigeretur; cauturi nempe, ne ab importunis disputationibus scandala nascerentur, et malevolis submininistraretur ansa calumniandi, quasi Ministri inter se nec dum de fide satis certi essent. Et tamen impedire non potuerunt, quo minus plebs ex emanato Disceptationis facto rumore, inter se altercata sit, aliis Pastoris, ut fieri solet, aliis delegatorum causam tuentibus. Quid quod in defensione illius, ex inconsideratis vocibus auditae fuerint phrases, parum piae ac sobriae, tales nempe, quibus semel admissis sequebatur, Deum, absit blasphemia dicto, peccati esse Auctorem. Sed hae non Pastoris menti, verum temeritati popelli imputandae erant.

Ad praescindendas istas honori divino injurias voces, ut et ad uberiorem Articuli illius declarationem, HULDR. CAMPELLUS, ut erat Vir infatigatus, adversum Libertinos veteres ac novos, sic eos vocabat, latino idiomate, opusculum conscripsit, in duas partes divisum, quarum

rum priore de Providentia Dei in genere, in posteriore vero de Praedestinatione peculiariter agebatur. Interiit illud, (quantum mihi expiscari datum est) totum, quare nec est nostrum de ejus valore judicare: si vero Auctoris ipsius fidei stare placeat, opusculum illud, quidquid de Providentia ac Praedestinatione, cum fructu ac salva in Deum pietate credi debet, simul etiam, quod ad divinae bonitatis, misericordiae, ac justitiae gloriam commendandam, piorum item consolationem promovendam facit, id omne opusculum illud plene ac perspicue edisserebat: insupra Libertinorum tam veterum, quam novorum errores ex scripturis confutabat acriter quidem, sed gravitatis ac christianae caritatis regulis adcurate semper observatis. b) Hunc suum foetum CAMPELLUS Synodo Evangelicae, secuto Anno MDLXXVII. Curiae congregatae, approbandum proposuit, suppresso tamen nomine suo, ne quid forte gratiae daretur in ferendis suffragiis. Consumta est bona duorum dierum pars in recitanda libri *Anonymi* lectione, intra quod spatium tamen prior tantum Operis pars legendo absoluta fuit. Probabatur ea Ministris, in omnibus, et per omnia, nisi quod DOMINICUS cum asseclarum uno alterove, nescio quid privatim mussare dicerentur. Ne lectio et examinatio alterius quoque partis Synodo impensarum ac temporis nimium detereret, quatuor ex Symmystis, puta CASPARUS HUBENSCHMIDIUS, Curiensis ad S. Martini, SCIPIO LENTULUS Curiensis, JOANNES CONTIUS BISATIUS Zuziensis, denique CHRISTOPHORUS CHIOERGNIA Campovastensis Ecclesiae Pastores, denominati sunt, quibus dictae Partis posterioris censura commissa est. Dum altera quoque pars approbationem exspectaret, Auctor erat CAMPELLUS Synodo statuendi, ut Pars approbata, quae de Providentia agebat, quando dialecto Oengadina donata fuerit, per omnes inferioris Oengadinae Ecclesias alternando, diebus Dominicis post peractam S. concionem, in tot Sectionibus, quot commode ac absque auditorum taedio fieri posset, publice populo praelegeretur; atque hoc quidem tali modo, ut dum unicus loci Pastor perlegeret, deberent ex Ecclesiastis vicinioribus tres quatuorve concioni ac recitationi interesse, qui in proprium exemplar inspiciendo testes esse possent librum a Pastore bona fide perlectum esse, nec

b) Hist. Lib. II. Cap. LXXVIII. pag. 1586.

nec quidquam dolo subtractum, omissum, aut dissimultatum fuisse: hac enim ratione dicebat obturari adversum sentientibus ora, ac medelam vulneri commode applicari. Nec huic petito Synodus refragata est, ac facile admisit, ut dicta pars, si aedificationem promoveat, in Ecclesiis, modo commendato praelegatur: In hospitiis tamen ac platea obstrepebant nonnulli, ac praeprimis DOMINICUS Susiensis, et JACOCUS ANTONIUS (Jachien Thünett) patria pariter Susiensis, illius antea discipulus, juvenis Vir ante sexennium tantum in Ministrorum numerum admissus, nunc Ecclesiae VETTONIENSIS Pastor, qui ordinationem factam, novitatis, insolentiae, et ferme iniquitatis arguebant. Sed istorum voces quia publicae non erant, in censum non venerunt.

Fama interea causae, quae in Raetia ventilaretur, nescio per quem (conjicio per Huben-Schmidum) Tigurum emanaverat; quare et RUDOLPHUS GUALTERUS Ecclesiae illius Antistes, litteris eam in rem Curiam datis, prudentiam, ac veritatis studium commendaverat. Censores constituti Examinationi Partis secundae, quando viderunt, majora in illis foliis disceptari, quam ut facile subscribere possent, GUALTERI litteris illis in Raetiam missis animati, totum librum illius oculis subjicere, expedientissimum judicaverunt: itaque Exemplar unum nitide descriptum, cum ipsius Auctoris consensu, summo viro Tigurum transmittunt, cum adnexis litteris, quibus proprio ac Synodi totius nomine eum rogabant, librum legere ac judicium super contenta in illo perscribere dignaretur. Verum GUALTHERUS quum deesset otium, desiderato labori impendendum, (ut nemo non novit, qui quae adamantius ille Vir perfecerit, paullo curatius perspexit) post inspectum obiter argumentum, Opus totum LUDOVICO LAVADERO eximio utique ac famigeratissimo Theologo lustrandum tradidit: Post trimestre denique spatium in hunc sensum rescripsit. „Primo diuturnum silen„tium a concatenatis laboribus derivatum excusabat: deinde per eas„dem occupationes non licuisse sibi librum totum perlegere, declara„bat: at legisse LUDOVICUM LAVATERUM, cui illud quidquid erat tra„diderit, collegam suum, qui dicat in prima libri parte, quae de Pro-

„ videntia agit, nil inveniſſe, quod diſpliceat, et quantum inſpexerit, „ nec ſibi eam improbari. Quoad ſecundum vero, quae de Praede- „ ſtione tractat, Auctoris mentem aſſequi ſatis non potuiſſe. Quod „ ad ſe pertineat, quantum ad primam partem nec ſibi improbari: quoad „ reliquos Articulos ſe ſententiam ſuam et publicis ſcriptis, et Epiſtola „ nuper Curiam data ſic expoſuiſſe, ut quibus addat, nil habeat. „ Interim monet, ac per communem Chriſtum rogat, ut ſimpli- „ citatis ac perſpicuitatis ratio potius habeatur, quam quaeſtio- „ num quae ad aedificationem nihil faciunt, ſcandalorum autem „ ſegetem praebent ſimplicioribus ac rerum imperitis: hortatur deni- „ que ut paci ac conſenſioni utrinque ſtudeatur, et alii alios ferant, „ quatenus ſalva veritate ac conſcientia id fieri poſſit. Nam ut re- „ prehenſione digni ſint, qui in Dei arcana irreligioſius irrumpentes, „ eum peccati Auctorem faciant, ita cavendum eſſe ne propter eos, „ qui liberi neſcio cujus arbitrii fermento adhuc imbuti, quaecunque „ de hac cauſa bene dicuntur, calumniari ſolent, verbi Miniſtrorum „ exiſtimatio atque auctoritas labefactetur. Atque hanc eſſe cauſam „ cur neque huic neque illi ſcribere voluerit, ne uni plus quam alteri „ faviſſe putetur. „ Haec reſponſi Gualteriani ſumma, ex qua CAMPELLUS facile intellexit, ad ſuae Sententiae ſtabilitionem Tiguro praeſidium nullum ſibi exſpectandum eſſe; quod tamen neceſſario requirebatur, ſi antagoniſtam proſternere ex toto voluiſſet: atque Tigurinos in hoc ſibi deeſſe is aegre utique tulit.

Quia vero libri pars prior GUALTHERI aeque ac LAVATERI calculis comprobabatur, Campellus quod dederant accepit, atque eorum quoque auctoritate utebatur, ad efficiendum ut lectioni illius ſecundum Synodicum ſtatutum initium daretur. Conſilio itaque cum reliquis confratibus inito, STEPHANO DOMINICO Suſienſi Paſtori, libri exemplar transmittit, cum adnexo monito ut primus ipſe lectionem ordiatur, hocque pacto ſuſpicationem qua laboraverit, amoliatur; lectione per ipſum abſoluta JACOBO ANTHONIO, Eccleſiaſtae Vettonienſi, ipſius diſcipulo, librum conſignet, ab eodem perlegendum, dehinc ad reliquos fratres devolvendum. Eodem tempore binae a CASPARO HUBEN-

HUBENSCHMIDIO ceu Synodi Praeside, litterae ad utrumque Magistratum supra et infra Tasnanum advolarunt, quibus Patriae Patres monebantur dare operam, ut constitutio Synodica exacte in executionem mittatur. Ast institutum sub ipsa initia haerere coepit. DOMINICUS enim lectionem libri humani aperte recusare: ANTONINUS vero negativae colorem obducere. Post finitum quippe sacrum Sermonem prolato in suggestum libro, Synodi ordinationem coetui suo exposuit, atque nisi contrarium velint ipsi auditores, verum aequis auribus attendere velint, se ad lectionem paratum ostendit. Ad Pastoris propositionem, Primores in Suffragia euntes illico reposuerunt, nolle alios sibi in sacro coetu praelegi libros, praeter scripturam sacram, de qua certi essent omnem continere veritatem; atque id ipsum Synodi Legato, ibidem praesenti, laconice scriptis lineis responderunt, addentes: „ mirari se vehementer Ministrorum Synodi consilium, qui „ Evangelio quasi inhibito, libellos ab hominibus compositos, minaces „ ac contumeliis refertos sibi obtrudere conentur, haud secus ac Papi„ stis a Rom. Pontifice Decretalia, Germaniae olim liber INTERIM, „ aut Musulmannis Alcoranus vulgo obtruditur. „ Dicebatur autem tum Suffragium populi, tum responsio perscripta ex Pastoris consilio primario provenire, quod etiam veritati simillimum videtur. Acta haec sunt Januario Anni 1578. exeunte. Inobedientes Campellus cum reliquis Ardetianae Jurisdictionis Praetori tunc temporis PETRO ALEXANDRO Cernetiensi deferunt: iste Oratores vel Senatores suarum communitatum Cernetium convocat. Rogatur DOMINICUS de causis ob quas Synodi Decreto obtemperare recusaverit, denique quid adversum librum illum haberet, promere jussus est. Respondit DOMINICUS se librum illum in praesentiarum nec probare nec improbare intendere: publice vero se sua sponte illum lecturum non esse, nisi ad id faciendum ab Ecclesia sua compellatur ex causa, quia mens sua vel sensus in negotio quod libellus ille tractet superior sit, ac longissime superet eum qui in libello perscriptus est. Tunc Schedulam, Caesaris Hubenschmidi in praeterita Synodo Praesidis officio defuncti manu scriptam expromsit, qua DOMINICI doctrinam in Articulo de Providentia, qualem ipsi exposuerat, sanam esse ac orthodoxam fides fiebat. Quando haec non satisfacerent, dari sibi petebat DISPUTATIONEM, in qua para-

tum se ac promtum offerebat ad doctrinam suam secundum scripturas, et reliquarum Ecclesiarum Evangelicarum consensum veritatis comprobandam. Audita ista apologia Magistratus, DOMINICO renitentiam in tantum condonavit, ipsius vero responsum reliquis Ministris statim significavit, flagitans ut conventu Ecclesiastico inter se indicto, super totam rem deliberarent, cum DOMINICO transigerent, normam denique stabilirent, ad quam omnes se componerent: Senatus enim esse consultum, ut qui causa succubuerint, impensis mulctentur. Altum sensit hoc Magistratus consultum CAMPELLUS in eam formam datum, quod nempe videret suae Sententiae eum non dari locum quem voluisset, et ex communi cum caeteris consilio respondit: Lectionem libri constitutam fuisse a Veneranda Synodo, atque a Dominis Raetis ratihabitam; quare per se non stare ut super quicquam transigatur; ex ea causa se conventum indicere nec posse nec velle. Si sint quibus Statutum Synodi minus probetur, debuisse illos, quando statutum factum est, saltem scrupulos per quos detinerentur aperire ut amoti fuissent: et quia hoc factum non sit posse illos ad congregationem Synodi, brevi futuram querelas suas devolvere, exspectareque quid decernatur. Quoad Schedulam allatam; non vocari DOMINICUM in jus ob ea quae aliquando recte docuerit, aut se docere professus sit, sed ob negatam Statuto facto obedientiam: praeterea Schedulam esse scriptam a Pastore Curiae sed non Synodi nomine, cui tamen obedientiam ac fidem deceat probare. Addebat, ipsos Haeresiarchas, quos inter ARIUM, SAMOSATENUM, MACEDONIUM, NESTORIUM, SABELLIUM, VALENTINUM aliosque nominavit, saepe bonas formavisse confessiones, quibus etiam fucum fecerint simplicioribus: at formulam certam ab omni ambiguitate remotam, medium esse quod larvam illis detrahat. Notos sibi non esse adversarios ob quos Synodus doctrinam suam ab haereseos nota liberare deberet, praeterquam illos qui in libro notati ac damnati sint. Tales si sint duo Ministri praenominati, debere illos Synodi deliberationem praestolari, ut cujus haec sit causa, cuique media defutura non sint ad causam, quam suscipere declaravit, defendendam. Haec responsi a Ministris dati summa; qui sumto ad se Exemplari librum in suis Ecclesiis secundum ordinem supra notatum praelegerunt; licet per remoras illas, brevius fuerit tempus, quam ut

ante

ante Synodum ejusdem lectionem in omnibus Ecclesiis ad finem perducere potuerit.

Interea ultimis Maji ac primis Junii diebus An. MDLXXVIII. Synodus rursus Curiae congregatur, cui duo tergiversantes quoque interfuerunt. Eis in medium advocatis a Synodi Paeside declaratum est: quod licet propria ipsorum culpa, pro exclusis a Synodi consortio optimo jure habendi essent, ex causa quia sanctae ac necessariae Synodi ordinationi parere recusaverint, licet non tam jussi quam humaniter rogati, aliquamdiu etiam indulgenter habiti fuerint, adeoque ipsi semet a reliquo consortio segregaverint: attamen quandoquidem adsint, si causam cur id fecerint, indicaturi sint, fratres praesentes illos esse consueta clementia audituros, sin vero minus causam dicere parati sint, et nil praeter contumaciam adtulerint, debere eos, ceu qui semet excluserint, ex fratrum coetu decedere. Heic DOMINICUS subito in pedes surgens reposuit: Quandoquidem inauditus jubeatur ut exclusus decedere, se esse decessurum; sicque indignabundus abire coepit, ac videbatur lubentissime discessisse, ut nempe spargere rumorem posset se indicta causa a Synodo exclusum ac damnatum esse, ex invidia nimirum ob eximiam ipsius eruditionem et abstrusam in sacris scientiam in illum concepta. Eo viso revocatus fuit ac retentus his verbis: Quod si inauditus abire velit, id penes ipsum stare, neque enim fore ut vi retineatur: ipse tamen viderit: monitum etenim illum velle, ne ad quenquam de Synodo conqueratur quasi inauditus jussus sit discedere, aut indicta causa exclusus ac damnatus, quum id verum non sit, et ei plena stet potestas causam suam dicendi: atque Synodus ipsum benigne sit auditura, ac quod justum visum constitutura. Quod vero interim pro excluso habeatur, non debere eum nec mirari, nec moleste ferre. Siquidem sua sponte id commeritus sit. Omnes ergo suadere, ut depositio supercilio, arrogantiaque modeste simul ac pie responderet. Tunc DOMINICUS, doctrinam de Providentia qualis in eo libro perscribatur, sibi quoque ut piam ac orthodoxam probari per omnia: at recusasse se libri lectionem ob probra quaedam acerbiora, ac verba aculeata, per quae se praecipue peti, et in se di-

recta esse crediderit; hancque ob causam se libri lectionem hucdum recusare. Responsum ei est: Non posse eum aculeata illa verba sibi dicta esse existimare, si verum sit quod doctrinam de Prov. in libro illo assertam pro orthodoxa recipiat. At plane inde quia sibi illa applicat omen esse, quod errorum in eo damnatorum conscius sit. Siquidem liber nominatim perstringat neminem, verum eos duntaxat in genere, qui impie de Articulo illo sentiunt, loquuntur, ac tuentur. Quare si suspicione sinistra se liberare velit, proximam esse viam, si et ipse librum sibi probari fateatur, ei cum reliquis subscribat, et publice legendum suscipiat. Id ubi audivit, consensum testatus est, at aegre persuasus, ut illi parti subscriberet, promitteretque post reditum ad Ecclesiam, illius lectionem suscipere. Magistrum excepit discipulus JAC. ANTHONIUS Vettonienſis Eccleſiastes. Dicebat et iste Paroecianos suos a contumeliosis verbis, quibus liber esset repletus, offensos fuisse; quod ad se vero tanti illa se non existimasse, quin imo paratum esse se ad subscribendum ex animo libro a Ven. Synodo approbato. Paratum se quoque fuisse ajebat ad librum illum coram coetu suo praelegendum, ac inhibitum fuisse ab Ecclesia integra, quae noluerit librum illum sibi prius praelegi, quam ab ipsa veneranda Synodo explorata fuerit doctrina de Provid. et Praedestinatione, quam ipse ordinarius Pastor hactenus ipsis propoſuerit, orthodoxa sit nec ne. Protulit tunc confessionem a se compositam, quae Tigurum transmissa, a RUD. GUALTERO laudata erat: oravitque eam (quum brevis esset) etiam a Synodo audiri: atque si probaretur, prout Tigurino Antistiti probata fuit, litteras ad Ecclesiam suam postulabat, per quas illam suae Ecclesiae commendarent; hoc facto enim dicebat suos allici ad librum Synodi, aequioribus animis audiendum. Aderat ejusdem Ecclesiae Legatus qui idipsum rogabat, ut confessionem nunc sui Pastoris audirent, hac quippe ratione et Ecclesiam suam permotam iri ad librum Synodi vicissim audiendum suscipiendumque, quantumvis contumeliis, quibus adversa pars pungeretur, scatentem: sic dissensiones, Ministris utique indignas tolli, concordiam stabiliri, malevolis calumniandi ansam eripi. Colophonis loco Ecclesiae suae nomine Synodum rogabat ut Ecclesiastam suum commendatum haberent, nec affectibus ducti secessionem ab illo facere, aut e numero Ministrorum excludere tentarent.

tarent. Multis hae postulationes insolentes visae sunt ac importunae: Sedati tamen sunt, quando audiverunt ante hos XXXVIII. Annos, Paroecianos illos in causa FRANCISCI CALABRI Praeconis ipsorum, eundem morem tenuisse, cui insueti ac induranti esse dicantur. Posita paullisper indignatione Legato illi Synodi nomine responsum fuit: „ Dolere bonis omnibus contumaciam, quam in recusando lectionem „ libri a Synodo approbati et Pastor ipsorum et integra Ecclesia ante „ hos quatuor menses declaraverint, scriptoque satis inurbano testati „ sint; signum enim ea esse animi ferocis, spiritu Christi, qui man„ suetudinis et caritatis est spiritus, nondum deliniti: quae enim de „ contumeliis tantopere ingeminent, de nihilo esse, quum nominatim „ petatur nemo, nisi qui theses inibi positas negaverit, aut eis se op„ posuerit; in quorum tamen numero ipsi esse recusent. Frustra Pa„ storem praetexere interdictum Ecclesiae, quum heic illum antecedere „ ovibus decuisset, non earum placitum sequi; ni magis vellint, ut „ curus bovem trahat, quod vulgato dicitur proverbio: At reapse „ illum facto adimpleviſse, quod alicubi deliberatum erat edicere, „ nempe ut quivis *Pastor ex convicorum arbitrio consilioque concionare*„ *tur*. Non defuturos se ad tentanda omnia quae ad mutuam inter „ fratres concordiam stabiliendam facient; caritatis tesseram Pastori „ quoque ipsorum oblaturos: at si acceptare illam recusaverint, et „ diversam a tota Synodo viam inire perrexerint, sibi habere ut imputent, „ quando a reliquo corpore secedere jubentur, sibique vivere. „ Ad ultimum quo flagitabat ille ut sua confessio a GUALTERO approbata, etiam legeretur ac approbaretur, aliquantisper inter Ministros disceptatum est. HUBENSCHMID et CAMPELLUS gratificandum esse suadebant ad deliniendos illorum animos, ac *sklyrotrachylian* flectendam; ex pacis nempe studio: At heic insurgere omnes ac clamare, non esse Synodi quidquam cum privata cujusquam confessione habere: non esse congregatos se ad privatas insolentis cujusvis, captiosas, astuteque concinnatas confessiones probandas audiendasve. Id enim si semel admitteretur, nunquam finem confessionum futuram: Praeterea non defuturos illos spargere in vulgus, aut amiculis in aurem dicere, se Synodi quidem subscripsisse confessioni, at vicissim Synodum suae pollicem dare debuisse. Stare proinde Sententiam, ut omnes qui Synodi membra videri velint, jubean-

jubeantur uni tantum atque eidem sincerae, a tota Synodo receptae ac approbatae de Providentia doctrinae, confessioni subscribere, et qui id facere renuerint, rejiciantur, et e consortio excludantur. Atque ita vicit Sententia: nec lectus est liber in Synodo. Duo illi visa animorum concitatione, se reliquis adgregarunt, ac subscripserunt. Postquam lis finem sortita esset, CAMPELLUS se Auctorem libri esse aperte professus est, paratumque ad doctrinam, quae illo contineatur, contra quoscunque oppugnare parantes defendere. Sed hoc labore facile abstinere potuit, quum ulteriorem molestiam ei nemo facessiverit.

Quod porro posteriorem dicti libri partem adtinet, de Praedestinatione perscriptam, duo examinatorum JO. CONTIUS BISAZIUS, et CHRISTOPH. CHOERGNIA illum absolute ac per omnia approbaverunt, quod et litteris ad Auctorem datis, et diserte in ipsa Synodo palam testati sunt. Reliquis duobus paullo aliter visum. Hubenschmidius super hac re ita ad Contium c): *Dominus Gualterus ex libro Domini Campelli aliquot locos vel capita perstrinxit; non totum legit, legit autem totum Dominus Lavatherus vir doctissimus. Et quidem si judicium Domini Gualteri de hoc requiris, haec ejus, ni fallar, verba sunt: Hic minime nobis improbatur &c. Quod si jam meum judicium requiris, scias idem esse cum Domino Gualthero. De Providentia enim miris modis mihi arridet. Potiora de Praedestinatione etiam perstrinxi, nec improbo, licet aliter accipiam verba Apostoli 1. Tim. II. Deus vult omnes homines salvare, etc. quanquam sint qui ideo posteriorem libelli partem a se diligenter, ut ipsi dicunt, perlectam vituperent, suggillentque quod fidem praevisam, vel Christum mittendum, causam efficientem Praedestinationis faciat. Cui Sententiae, si id libri Author sentit, me minime assentiri, aperte ingenueque equidem profiteor.* „ Haec ille. Ad quae Campellus sequentia apposuit: „ contra ejusmodi iniquos „ operis mei lectores, censoresque, non est quod multa in mei defen- „ sionem dicam, quum ipse se libellus satis fortiter ab illorum calum- „ niis tueatur, eo quod haec omnia, quae dicunt, uni bonae ac miseri- „ cordi

c) d. 14. Jan. 1578.

„ cordi Dei voluntati ac gratiae tribuit quam disertissime planissimeque,
„ veluti quae ab aeterno in Christo et per Christum salvandos elege-
„ rit, ut eos in filios adoptaret, et per fidem in Christum salvos face-
„ ret, atque ita et Christum in servandorum salutem mittere, et illos
„ fide in Christum donare, ab aeterno decreverit: ut planius quid de
„ hoc vel optari etiam contra calumniatores nequeat. „ d) SCIPIO LENTULUS quum diu distulisset super dicta parte certi aliquid respondere, tandem litteras bene prolixas scripsit in Synodo legendas, quae tamen lectae sunt, quia ipse praesto fuit, et in ipsam Sententiam, quam litterae continebant, plura dixit. Eae post longas ambages declarabant LENTULUM, qui superiori Anno priorem saltem libri partem inter primos laudaverat commendaveratque, nunc Auctoris consilium quoad utramque operis partem improbare. Causa quam allegabat, principalis erat confessiones binae Raetica, atque Tigurina, vulgo Helvetica dicta, cui omnes subscribere teneantur, et etiam subscripserint: has autem quae de Praedestinatione ac Providentia tenenda sint, succincte quidem, interim vero sat plene tradere, quibus proinde stare oporteat, nec latum inde culmum discederet, ex ea causa totum Campelli laborem, licet ex optima mente susceptum, superfluum arguebat. Deinde dicebat Theologos suae aetatis celeberrimos post Augustinum, qui et multa hac de re scripsit, inter caeteros HEINR. BULLINGERUM, RUD. GUALTHERUM, PET. MARTYREM, JO. CALVINUM, WOLFG. MUSCULUM, ea jam super dictum caput commentatos esse, absolutissima, ac scripturis munitissima, ut ejus vel addere aliquid velle, religioni imo horrori esse debeat, quum viris illis comparati unus vel alter Raetiae Pastorem, haud aliter ac nanus erga gigantem subsistat. Insuper si vel maxime in ea re aliquid tentare necessitas juberet, suadebat ut nihil suscipere-tur, sine totius Synodi consilio prius accurate perpenso; nec enim e re Ecclesiae semper esse, ut minutissima resecentur, ac veluti cornicum oculi configantur. Haec in litteris supramemoratis. Interrogatus particulariter, quid demum in utraque libri parte corrigendum, culpandumque observarit, respondit: in prima parte nil sibi improbari, nisi

d) Hist. Lib. II. Cap. LXXIX. pag. 1606. 1607.

nisi quod definitio Providentiae sit manca. Nec enim Providentiam, talem tantum in Deo esse vim, facultatemque quae omnia dirigat, et ad fines suos perducat, (quomodo definiret Campellus) verum etiam quae omnia itidem ab aeterno decernat seu decreverit, et ad fines decretos deducat, ita ut cuncta ab aeterno ejus decreto dependeant. In secunda vero parte, ubi de Praedestinatione, se hoc semel notasse, quod Paulli Sententiam 1. Tim. II. Deus vult omnes homines salvari etc. aliter exponat, ac plerique probatissimi, speciatim antememorati Theologi explicent, imo vero eorum expositionem non modo rejiciat, sed etiam traducat, et suggillet. Placuit LENTULI judicium plerisque ob soliditatem, candorem, et *'evtazias* Studium: ordo enim videbatur turbari, si in quanvis disceptationem novus liber Symbolicus effingendus ac subscribendus esset: displicuit vero CAMPELLO honoris sui famaeque, supra quam religio permitteret, studioso, qui proinde in Lentuli judicium varia ad sui exculpationem consignavit, quorum haec est epitome.

Nunquam intendisse se per suum librum, confessionibus jam receptis seu Synodali seu Tigurinae quidpiam detrahere, aut praejudicare: verum potius eas lucidius explicarere, particulari casui adplicando, ac veritates in illis jam traditas, pro virili defendendo, inviolatam in Ecclesia doctrinam conservare, sibi animo insedisse. Venerari se ex merito BULLINGERI, CALVINI, caeterorumque summorum Virorum nomina, nec aequalem cum eis se gradum ambire; scripta quoque eorum a se in conferendo suo opere, tracta in consilium fuisse; at hoc non obesse, quo minus et alius sincerus Christi Servus quivis, eruditione licet illis inferior, in casu particulari, ubi detrimentum suae Ecclesiae jure pertimescitur, quidpiam in hoc genere tentare possit, imo debeat: siquidem omnium sit promovere aedificationem gregis sibi comissi; nec ullius deceat jurare in verba Megistri: quod nec ipsi Viri illi summi unquam admissuri essent. Quoad ad specialiora descenderit, quam in aliorum commentariis prodita sint, effeciisse heterodoxorum impudentiam, qui libertinorum veterum errores revocantes, nullum Theologiae caput intactum relinquant, adeoque hoc non sibi magis

gis culpae dandum, quam exstinguenti incendium, si omnes rimas aedium accurate perlustret. Quod definitionem Providentiae vellicet, tribuendum esse morosiori culpandi studio, secus enim hanc definitionem ipsam esse PETRI MARTYRIS, in quo culpaturus non erat, si ejus esse sciviſſet: interim et facile admittere ut quod mancum (si tamen mancum) suppleatur. Agnoscere se in explicatione loci 1. Tim. II. a reliquis Ecclesiae Reformatae Doctoribus excepto uno BULLINGERO discessisse, at ut hoc faceret inductum esse se a bonae interpraetationis regulis, a locis S. Script. aliis eundem sensum confirmantibus, ab Analogia fidei, denique et ab ipso beatae memoriae Viro Henr. Bullingero, quem hic sit secutus, ita locum illum in suis commentariis exponentem. Saepius doctissimos quoad unius loci explicationem ab invicem discordare, et tamen Christi fideles servos manere. *k. t. l.* e)

Synodus auditis censuris, quoad primam partem Decretum factum confirmavit, ut illa in Ecclesiis, (siquidem lectio in aliquibus jam peracta est) omnibus inferioris Oengadinae perducatur ad finem: secundam partem nec voluit sibi praelegi ob negotiorum, quibus dies illi obruti sunt, copiam ac varietatem; nec in Ecclesiis recitari, ne diuturna Ecclesiis etiam insolita lectio taedium creare, ac malevolis culpandi ansam possit. Ne vero super dictum de Praedestinatione Articulum, Ministri diversa doceant, placuit verba confessionis Synodalis pro doctrinae norma substerni, quam omnes sequantur, sibique describant, cum *'epitasei* sequente:

Verba confessionis, Autogr. pag. 24. 25.

„ Idem (quod nimirum de divina Providentia est dictum)
„ dicimus et de Praedestinatione, ut sobrie cauteque de ea fiant
„ verba: Hominum alios servari, alios damnari. Illos qui

c) l. c. a pag. 1608. ad 1612.

„ ferventur gratia servari per fidem JESU CHRISTI: istos autem
„ qui damnentur propria duritia et incredulitate damnari, sua
„ nimirum natura corrupta, malitiaque innata, non sic a Deo
„ creata, cum dicat Ecclesiastes: Hoc inveni quod fecerit Deus
„ hominem rectum, ipse vero infinitis se miscuit quaestionibus.
„ Deum itaque servare, peccata vero nostra nos condemnare:
„ et Salutem Dei esse opus, condemnationem autem malefa-
„ ctorum nostrorum stipendium, quemadmodum brevibus et
„ dilucidis verbis extulit Apostulus: Auctoramenta peccati mors:
„ donum autem Dei vita aeterna per Christum Jesum Domi-
„ num nostrum. Haec enim censemus vera esse, sobrie dicta,
„ et citra offensionem, quoties fuerit opus, posse proferri quoli-
„ bet in loco.

„ Decretum Synodi: Jubentur itaque fratres omnes, ubi-
„ que de Praedestinatione ac electione ad jam scriptam nor-
„ mam, ubi opus fuerit, docere, ita ut quicunque deprehendan-
„ tur alicubi, quid de dicto jam dogmate, tradere vel effutire,
„ quod cum jam dicta regula pugnet, ut et contra confessionem
„ de divina Providentia scriptam, et in libro Synodi compre-
„ hensam, pro exclusis a Synodi consortio, ab omnibus ubique
„ habeantur veluti in fide non sinceri et haereseos suspecti.
„ Item ut jam scripta de Praedestinatione brevis regula, ubi
„ opus sit, et peculiariter in Ecclesiis inferioris Ingadinae ad
„ verbum recitetur, cum aperta, ingenuaque significatione, in
„ Synodo ad supradictum modum inter omnes unanimiter con-
„ venisse, nemine contradicente aut obstrepente. „

Quamdiu inter inferioris Oengadinae Ministros viguit dissensio, varii identidem passim rumores sparsi fuere, mox in hujus mox illius partis detrimentum; interea pejus audiebant apud plebem Providentiae ac Praed. absolutae ac efficacis, circa permissionem mali propugnatores, ob voces nempe parum sobrias, quae defensoribus inconsideratis excidebant.

debant. Proceres qui ipso illo tempore Curiae coacti erant exspectatione suspensi stabant ejus quod in Synodo decerneretur; et quantum species dabat, illis qui absurda dogmata tueri annisi fuissent nihil fausti ominis exspectandum erat. Ubi ergo tota controversia composita fuit, Synodus Patriae Patres de concordi in fide consensu suo certos reddidit, laeta indicans, neminem inter suos reperiri qui absurdas ac perversas opiniones tueri anniteretur, adque ejus fidem, confessionem, in quam super utrumque articulum fratres consensissent, germanico idiomate conscriptam eis obtulerunt confirmandam. Ea latine sic habet:

„ Inter omnes ejusdem Evangelicae in Raetia Synodi
„ consortes verbi Ministros in praesenti hac congregatione, sat
„ bene per Dei gratiam, et sancto ejus Spiritu, qui consensio-
„ nis est Spiritus, duce, de omnibus Christianae ac catholicae
„ Religionis capitibus, ut et alias hactenus semper, convenit, et
„ nominatim de divina Providentia, nec non Praedestinatione
„ in hunc modum: Primum de Providentia, quod divina
„ Omnipotentis Dei providentia universa in coelo et in terra
„ regantur et gubernentur: Sed ita ut cunctorum bonorum ope-
„ rum quae cum Virtute, hominum licet opera, fiant, unicus
„ Deus ut Rector et moderator, ita et ipsissimus verus Author
„ sit: malorum autem operum, vel peccatorum et eorum quae
„ ab hominibus scelerate fiunt, omnium, adeo non sit author,
„ ut potius justus eorum sit judex, vindex, vel ultor atque pu-
„ nitor. Quorum culpa in Diabolo malo, ad malum homi-
„ nes ex propria sibi ingenita nequitia instigante, atque in ho-
„ mine Diaboli suadelis obsequente, atque ex sua item, sibi
„ Diaboli instinctu et proprio vitio ingenita corruptaque natu-
„ ra, ad malum propenso, et hinc omne genus malorum per-
„ petrante, tota resideat. Quae tamen et ipsa mala omnia,
„ Deus ita juxta suam aeternam Providentiam, Decretumque
„ dirigat ac moderetur, ut nihil culpae vitiorum in ipso haereat
„ alias sanctissimo, sed nihil ei nisi summa omnium laus debea-

„ tur, ut qui tam peritus opifex sit, ut ex malo, quod Diabo-
„ lus et homo mali agunt, ipse plurimum boni eliciat, illudque
„ in bonum ita convertat, ut mali etiam Diabolus et homines
„ impii cum malis suis, quae faciunt, operibus omnibus Deo ad
„ ipsius nominis gloriaeque illustrationem, de Omnipotentia
„ utique, sapientia, justitia, bonitate clementia et misericordia,
„ longanimitate, veritate, et caeteris ejus divinis virtutibus
„ omnibus, ad piorum item hominum salutem et utilitatis pro-
„ motionem atque ad suorum propriorum denique scelerato-
„ rum consiliorum atque conatuum internecinam destructionem
„ subversionemque, sicque ad regni ac diabolicae potestatis
„ suae, nequitiaeque sempiternam ruinam atque labefactationem,
„ ad illa, inquam, omnia a Deo servire, velint, nolint, imo quan-
„ tumvis etiam inviti divinitus cogantur. Deinde vero de
„ Praedestinatione et electione, qua homines pii ab Apostolo
„ divinitus in Christo electi dicuntur ante constitutionem Seculi,
„ ut essent sancti et irreprehensibiles coram illo per charitatem,
„ praedestinati a Deo ut adoptarentur in filios per JESUM
„ CHRISTUM in se se juxta beneplacitum voluntatis suae, ut
„ laudetur gloria gratiae suae, qua charos nos reddiderit per
„ illum dilectum, per quem habemus redemtionem, per San-
„ guinem ipsius remissionem peccatorum, juxta divitias gratiae
„ suae; de hac Praedestinatione in Synodo hoc modo omnes
„ concordes fuerunt, ut quemadmodum de Providentia dictum,
„ de Praedestinatione etiam sobrie, cauteque verba fiant. Ho-
„ minum alios servari, alios damnari, „ et reliqua quae paullo
ante jam exscripsimus.

Haec Confessio Synodi nomine Sigillo sacro munita certis ex fratrum numero destinatis commissa fuit, ad Proceres deferenda: Delegati Amplissimo confessui se sistentes, primo confessionis confirmationem sollicitarunt, tunc ut judicium ex delectis ex unoquoque Foedere Viris prudentibus constitueretur, vel jam olim constitutum confirmaretur, cujus esset 1) pro merito animadvertere in quoscunque qui contra

supra

supra allatam Confessionem, asserere, spargere, aut ogganire ausus fuisset; 2) eos praeterea severe multare qui a Synodo exclusos in Pastores ascisceren, aut post Synodi monitum retinere praefracte pergerent, semper in eorum impensis jus exercendo, qui contumaces praevaricarentur, petierunt. Proceres de *'omodozia* sibi gratulati sunt; praelecta confessio tam Romanensibus quam Evangelicis apprime placuit, unde et suprema auctoritate confirmata fuit. Quoad constitutionem seu confirmationem judicii, ad conservationem *'evtazias* necessarii, iidem Patres Patriae Synodi petitioni gratificandum censuerunt; eique STEPHANUS WILLIUS Curiensis Consul Praeses designatus fuit. Hac relatione reportata, Synodus soluta est.

Dum Ministri ad sua discedunt, JACOBUS ANTHONIUS, quum vidisset HUBENSCHMIDIUM ac CAMPELLUM facile fuisse consensuros ad approbationem confessionis ipsius propriae, a GUALTHERO antea probatae, nec non in dandas ad Ecclesiam Vettonienſem litteras tenoris supramemorati, nunc separatim eos adoritur, et ut privato nomine id faciant, rogat. Illi nolentes videri difficiles, facile Syngraphan ei gratificati sunt, qua suo nomine testabantur se libellum illum a Domino JAC. ANTHONIO de Providentia divina compositum, et Tigurum ad Dominum GUALTHERUM missum legisse, nec quidquam in eo invenisse improbandum. Istis litteris HUBENSCHMIDIUS, qui Synodi erat Praeses, etiam Sigillum Synodicum impressit, inscio CAMPELLO. At eo neutrius partis gratiam inierunt. Ministri enim, ubi rescierunt duorum illorum privatorum nomine subscriptas volitare litteras approbatorias publico Sigllo sacro munitas, indignationem in eos conceperunt, quod praeter Synodi Sententiam privati agere auderent, denique quod Sigillo Societatis abuterentur, acriter expostularunt. Ad quae CAMPELLUS se excusabat, dicendo posterius factum esse se inscio; alter admissum a se per incogitantiam. Duo autem illi DOMINICUS et ANTHONIUS reduces, librum cui satis inviti subscripserant, in Ecclesiis suis equidem legerunt, sed non testibus, ut requirebatur, adhibitis; unde suspicio erat eos illa sparta in eum modum defunctos fuisse, quem ipsi voluerint. Praeterea DOMINICUS lectionem citius orsus non est, quam

quam auditores suos monuisset, libri, cujus recitatio ipsi imponatur, Partem posteriorem a Synodo in medio relictam esse, cum declaratione ne legatur in Ecclesiis: Partem vero priorem emendatam ac correctam demum a Synodo receptam esse, sibique injunctum ut eam ita emendatam in Ecclesia legat, quod jam sit facturus, et quo pacto praeterea de Praedestinatione transactum ac conclusum fuerit indicaturus. ANTHONIUS autem eodem modo, ante quam librum legeret, Syngrapham a duobus primariae auctoritatis in Synodo Viris subscriptam sigilloque sacro roboratam, de suggestu recitavit, et postea quibusvis ostentavit. Ex quo in vulgus rumor emanavit, non tam ANTHONIUM confessioni Synodicae se adcommodasse, quam Synodum propriae ejus confessioni subscripsisse: adeoque duos illos causam contra Synodum obtinuisse, ac Sententia vicisse. Indigne quidem has voces ferebant uterque illorum qui Syngrapham dederant, et indignissime CAMPELLUS, cujus aures illi rumores saepiuscule feriebant: at justam hanc mercedem reputabant alii Symmystae benignitatis imprudentis; aequissimumque, ut exederent quod soli intriverunt. Hactenus de controversia illa.

Quoad CAMILLI asseclas, videntur illorum opiniones cum ipsis primis Auctoribus sensim defecisse et sepultae fuisse, quod sine dubio LENTULI, per eos annos Clavennae Pastoris, vigilantiae tribuendum est. ALCIATUS tamen et BLANDRATA, qui fratres confirmando circumibant, a Comitiis TRIUM FOEDERUM adhuc die XI. Jan. MDLXXIX. solum Raeticum mutare jussi sunt, expresso cum mandato, ut si pererrare deprehendantur, capti judicio ad causam dicendam sistantur. At eos huic mandato contravenisse non reperio. Anno item MDXCV. Octobri mense, coram LENTULO ac Senioribus Ecclesiae Clavennensis constitutus fuit FABRITIUS PESTALOZZA, qui per XVII. annos a Patria abfuerat; hic autem eadem dogmata profitebatur, quae a Camillo in ea Ecclesia sparsa fuisse supra narravimus. At num mutaverit mentem, an vero solum, aut num quapiam ratione toleratus fuerit, dicere non habeo. Et sic cum Seculo illo etiam Arianorum in Raetia opiniones exspirarunt.

CAP. XXIV.

CAP. XXIV.

1577 — sqq.

Reformatio parochialis Ecclesiae Bergunii ac filialium, nec non Filissurii. Mors Huldrici Campelli.

Hoc ipso aevo, religio Evangelica incrementum accepit, publicum denique exercitium obtinuit in metrocomia BERGONII, et apud filiales ejus Ecclesiolas LATIUM, et STULIUM, quas non diu post etiam FILISSURIUM secutum est, vicus milliare distans a Bergonio, cum quo eandem Jurisdictionem conficit. Siti sunt hi vici ad Albulae jugi radices, extra Adulas Alpes ad septentrionem, unamque ex XXIII. constituunt in Foedere cathedrali Jurisdictionem: ad Austrum intra Alpes sunt Oengadini Superiores, cum quibus perpetuum ob mercium, vini, aliarumque rerum transitum viguit commercium; eodem quoque labio utuntur. A multis retro annis reperiebantur in metrocomia illa plures familiae, quae doctrinam Evangelii amplexatae erant, sed omni exercitio destituebantur, licet alias ob veritatis professionem privatam a concivibus nulla molestia afficiebantur. Pacis hoc studium plantavit, ni fallar, ac fovit loci illius olim Sacerdos. CHRISTOPH. CHOERGNIA, qui Campovastum ad Missam residuis adhuc ibi Romanensibus celebrandam veniens, CAMPELLO in populi praesentia Anno 1554. fassus fuerat, nullibi in S. Scriptura Missae legi vestigium aut praeceptum; qui denique in Parochum electus aperte ad Evangelicos transiit. Unde Fabricius de Bergunianis ad Bull. perscripsit: *esse quidem Papistas, sed non malos.* a) Anno jam MDLXXI. vir quidam in ea vicinia consularis petebat a Synodo Evangelica facultatem, ut concionatoris officio, (quemadmodum id Traversio, Martinengo, aliisque in ea operariorum penuria indultum fuerat,) fungi posset

a) d. 25. Oct. 1561.

set b): at per adversarios sine dubio impeditus fuit, quo minus ille sacri officii partes perageret. Lethale tandem vulnus accepit Missa Martio fere mense Anni MDLXXVII. ab ipso Sacerdote, italo homine, et deperditae vitae, qui domi suae concubinam alebat ingenti omnium scandalo, quod scortum publicum esse diceretur: tunc quippe paroeciani malum illum operarium una cum libidinum socia dimiserunt, plebiscito sancito nunquam amplius italum in Pastorem ascisendi, verum ex Raetis indigenis sibi aliquem conducendi, ejusmodi tamen nanciscì difficillimum erat. Opportunam judicarunt Evangelio addicti hanc occasionem, ad concionatorem Evangelicum accersendum, dandumque praeconio Reformatae doctrinae initium: igitur Patres familias numero fere sexaginta consilio inter se tacite inito, nuntium cum litteris Coelinum mittunt, HULDRICUM CAMPELLUM enixe orantes, ne sibi ad sacrum institutum opera sua deesset. CAMPELLUS quo flagrabat promovendi Evangelium Zelo, a Coelinensibus suis in trimestre, aut si necessarium fuerit visum, etiam ad diutius venia impetrata statim, ne mora obstacula adferret, BERGONIUM se recepit. Vix hospitio exceptus erat CAMPELLUS, quum avitae religioni addicti sentientes quorsum Evangelici cum accerlito Ministro tenderent, conviciis omnia implere coeperunt, minis intentatis, ni adlatum Praeconem statim dimitterent. Non erant ista Campello nova, utpote qui in ea palaestra obduruerat ac miles veteranus erat, unde quasi motus animorum et linguarum virulentiam plene ignoraret, is auditoribus suis extra Templum in vicino loco primam concionem habuit: sacram namque aedem ingredi ab adversariis numero utique superioribus prohibitus erat. Hactenus sat tranquille: at postridie qui Dominicus dies erat, quum is cum auditoribus suis eundem rursus locum ad sacram concionem habendam repeteret, ecce virorum simul ac mulierum frequentia, quae in sacram aedem, solenni maxime in quadragesimali jejunio consuetudine, licet Sacerdote carerent, convenerat: ubi concionator venire conspectus est, subito quasi furore correpti, simul e templo effunduntur, et magno clamore sublato in illum cum impetu feruntur, non secus ac si dentibus eum essent discerpturi, contumeliis ac probris eum cum omni licentia pro-

b) Thobias Egl. ad Min. Tig. d. 21. Nov. 1571. in Musc. Helv. Part. XVII. pag. 136.

profcindentes. Facile vidit Campellus haec omnia eum agi in finem, ut pavore impletum ac concuſſum in malam rem, (quae illorum voces erant) profligarent; impetus namque in concionatorem ab auditoribus quibus cingebatur exceptus ac repreſſus fuit: atque nihilo territus, quum etiam a ſuis animaretur, intrepide furibundis reſpondit: ſe praeſtantiſſima lorica ac caſſide munitum evanida illa quae in ſe adtentarent non curare, innuens ſe divinae Providentiae praeſidio fretum illa contemnere, ſuosque per haec monens ut fortiter ac modeſte agentes, defendentesque contrariorum minas non reformidarent. Eas voces adverſarii ſic interpretabantur, quaſi jactaret magicas artes, quarum vi non minus tutum ſe praeſtaret, quam ſi galea, integraque armatura indutus eſſet, ut proinde, nec globulis plumbeis, nec ferro ullo, nec lapidibus in eum projectis laedi poſſit. Nova vituperiorum ſeges! Concionatorem ſuopte teſtimonio maleficis artibus pollentem, adeoque quovis fure et latrone pejorem, immaniſſimo ſupplicio dignum tolerare: hominem ob maleficia, et vitae converſationem ſcelerate geſtam Curia expulſum, et quo excurrere non audeat, in Paſtorem aſciſcere: hominem, qui ubicunque hactenus vixit, turbarum, et tragoediarum inauſpicatus Auctor exſtitit, gremio ſuo fovere; id vero clamabant ſe nunquam admiſſuros, nunquam ſane ut perverſa ſua doctrina pacatum quo fruerentur ſtatum conceſſuros. Videntes itaque Evangelici a praeſentia ſua eorum animos magis magisque irritari, furori ceſſerunt, atque in Hoſpitium reverſi ſunt, ubi in atrio bene amplo Auditorio ſatis numeroſo, cui varii ex adverſariis etiam ſe ingeſſerant, Dei Sermonem explicandum ſumſit. Vix peracta erat dimidia concio, quum ad incendium clamatur, et aufugiunt omnes, concionatore fere ſolo relicto: rumore vano comperto ad reſiduum concionis audiendum omnes reverſi ſunt, qua peracta ſinguli in aedes ſuas remearunt.

Mox a prandio Judex cum caeteris primoribus in Hoſpitium Campelli adſunt, eique communitatis ſeu populi totius nomine intimant, ut inde diſcedat, et ſtatu ſuo utique pacto, inturbato frui permittat; quia enim numero aliquantum ſuperabant Papani, communis populique nomine ſe agere praetendebant, ex lege recepta, qua Suffragiorum numerus praevalere jubetur. Reſponſit Campellus, ſe ſtatum ipſorum, ſi modo eum ferre queant, conturbare non cupere, quem nec turbarit, nec turbaturus ſit; non enim adeſſe ſe ut quenquam male,

sed potius beneficio afficiat; non ut seducat, sed ut homines veritatis doctrinam doceat, ac in vere Christiana religione instituat, non invitos ac renitentes, et quosvis ceu publicus Pastor, sed informationis tantum cupidos qui se accersiverint ut ex se audiant non in Templo, quod forte vereantur, verum in aedibus privatis Sermonem Dei, cui publica libertas secundum Reipublicae leges, constare debeat: Proinde discedere prius non posse, quam ab illis a quibus accersitus sit abire jubeatur, aut dimittatur. At illi instantes, ne in aedibus illis, in quibus Magistratus ad judicia habenda congregari soleat, et quae veluti praetorium publicum sint, amplius conciones habeantur, Praeconi interdicunt: Hospiti quoque ne (in aede licet propria) conciones fieri permitteret, sub severa mulcta mandant, graviora minantes, si contrarium egisse comperiretur. Sic discessum est.

Declinaturus itaque rabiem adversariorum Evangelicus Praeco, dato jussui paruit: at nihilo minus in aedibus Hospitio illi vicinis quae NICOLAI MULDENI erant, idque in horreo ligneo, ex quo facile in viciniae illius ambitu exaudiri poterat, bene frequenter suis concionabatur. Quo autem saepius eum concionari fama ferebat, eo magis furor adversariorum exardescebat, verentium, si Campellum diu Bergonii degere sineretur, brevi de tota sua religione actum fore. Nec deerant injuriae. Una vice Praeco ad ostiolum horrei, per quod in hortum descenditur, stans in concionando occupatus, a lapidibus studio projectis prostratus jacuisset, nisi paries providenter objectos lapides excepisset et concionatorem illaesum praestitisset. Divulgabant illi se ad parietem auscultantes ex ore Ministri audivisse verba in Sacro-Sanctam Deiparam contumeliosa, ac tantum non blasphema, quum tamen Campellus studio a tractatione rerum abstinebat, quae animos irritare aptae essent: et plures etiam ipsorum Romanensium qui ipsi illi concioni interfuerant, (ut fere semper aliqui auditorio se inmiscebant, seu ex curiositate, seu ut discerent, seu ut carpendi ansam captarent) testabantur nunquam suos Sacerdotes majoribus elogiis B. Virginem ornavisse, qualibus eam ab isto Ministro insigniri audiverint. Rursus quum alio die conspectus esset in alias quasdam aedes se contulisse ad conferendum infanti recens nato baptismum, a cunctis qui in platea aderant aut in fenestras prosilierunt, dicteriis ignominiosissime habitus est, additis quoque minis, sic ut in platea incedendi vix securitas esset, ab illis

qui

qui extrema intentaverant, et occasionem opportunam exspectabant. Vix sane potuisset CAMPELLUS Bergonii illaesus degere, nisi Oengadinensium metus adversorum ferociam cohibuisset, aut temperasset: in vulgus enim rumor sparsus erat, eos statim in Bergunianos irrupturos, si honestus concionator vel digitulo laederetur; unde et Campellus sibi sollicite cavebat, ne ex se originem traherent tumultus, ac mala alia multa, quae aperto semel fonte prorumpunt. Non quievere tamen Bergoniani prius quam Evangelicum concionatorem abegissent: Die itaque Mercurii hebdomadae sanctae, quae Pascha antecedit, congregatum totum Magistratus collegium Campellum accersivit, quaesivitque: Quidnam animo volutaret, et num paratus esset, ad mandatum datum, ad sua in pace abire? Respondit Campellus: In Magistratus simul et totius populi gratiam paratum esse nihil non quod salva in Deum pietate posset, facere: verum per conscientiam non secus se agere posse, quam semel indicasset. Postridie itaque tota communitas in unum convocatur: aderat etiam Sacerdos quem Alvonovo advocaverant, isque eo die missificaverat, Sacramentum Altaris ministraverat, et confessiones audiverat. Eligendum proponitur: Utrum major pars Missam cum vetere religione, et Sacerdote in parochum: an vero doctrinam novam cum concionatore in Pastorem, velit et eligat? Colliguntur Suffragia viritim: atque Missam eligentium numerus alteri facile longe praevaluit, nam et Evangelicorum magna pars ex metu tumultus aut pugnae domi se continuerat, quod scirent numero et viribus futuros inferiores. Eo facto, a Judicibus per Apparitorem ordinarium, duosque alios unum Communitatis, alterum Templi nomine Magistratum gerentes, concionator Evangelicus in forum accersitur, ad Sententiam juris quae a populo facta esset audiendam. CAMPELLUS praesto, contra quam plerique opinabantur, comites in forum apud populum sequitur. Ibi Judex ad Campellum: collecta esse Suffragia ab omnibus ad parochiam Berguniensem pertinentibus, et esse majoris partis voluntatem, veterem fidem cum Missa, ac Sacerdote conquirendo retinere: quare populi nomine ipsi intimari, ut ipse qui diversae esset fidei, populum hunc communitatemque cum pace et sine ulteriore conturbatione relinquat, confestim inde discedat, neque intra Bergoniensis territorii limites ullam amplius concionem habeat, sub poena decem florenorum, simul atque jacturae honoris. Campellus, ani-

mo intrepido, quae antea illis responderat et heic repetiit, addens, non se doctrinam docere turbatoriam, verum Dei verbo innixam, paratumque esse se juxta Apostoli praeceptum dare rationem fidei suae cum omni mansuetudine. Non exspectavisse se Sententiam talem, qualem perceperit, qua praedicare Evangelium, numero populi bene amplo, a quo accersitus sit, sub poena adeo gravi prohibeatur; licet eam non multum curet, ut qui veritatis ergo longe majora pati paratus sit. Paratum esse ad descendendum in arenam, si cui impugnare doctrinam suam elubescat. Praecepisse Christum: date Caesari quae Caesaris, et quae Dei Deo: si nunc judices prohibent praedicare Evangelium, quod Christus facere mandavit, rapere illos sibi quod Dei est; quare et se nil vereri dicere ipsis quod Petrus aliquando et Joannes Judaeorum Senatui in simili casu dixerint: An justum sit in conspectu Dei vos potius audire quam Deum, judicate vos. Igitur ad eorum Sententiam in se latam repetere illa: oportere magis Deo obedire, quam hominibus: ne se ante tempus auditoribus suis promissum discessurum, nisi qui accersiverint se, etiam dimittant et abire jubeant. Quod ad poenam, monuit videant quid sint facturi, nam nullius criminis se reum esse, atque posito, ut illa sibi irrogetur, non defutura media, per quae jus suum persecuturus sit. Ad responsum ita praecisum, Judicum jussu per nuncium solitum, etiam qui Campellum accersiverant, adesse jubentur, quibus Sententia lata pariter denunciata est secundum suas partes, adjudicata eisdem poena antenominata, nisi concionatorem dimiserint. Isti, furorem evitaturi verbis quam mollissimis responderunt, se obedientiae fore filios, (ipsorum verba sunt) neque latae plebisciti Sententiae contraituros, suo tamen jure in tempus suum reservato salvo: quia vero pars adversa illo die Sacramento communionis usa est, peramanter rogarunt, sibi quoque permitti ut suus quoque concionator, statim postridie post habitum Sermonem, sibi quoque sacrosanctum coenae Dominicae Sacramentum administret. Hoc vero a Judicibus ipsis indultum est, aegre licet, reclamante populo. Postquam igitur postridie Campellus concionem habuisset, et sacram Synaxim suis administrasset, statim a prandio Curiam se contulit, indeque a Consule et Senatu litteras vitae christiane gestae testes retulit. Bergonium reversus easdem Magistratui praesentavit, et palinodiam a conviciantibus obtinuit. In parasceve sub noctem multi utriusque sexus,

in

in hospitium ejus accesserunt, valedicturi; his adhuc Sermonem habuit noctu, quo praecipuos passionis, mortis ac resurrectionis fructus nec non quid de Missa Pontificia sentiendum ac tenendum sit, succincte edisserit, Xenii loco verbum exhortationis de perstando in agnita semel veritate, adjecit, eisque valedixit: mox die crastino qui Paschati sacer erat, Albula transcenso, Susam primum in aedes suas, et inde Coelinum in Ecclesiam suam, ubi et familiam habebat adventum ejus exspectantem, se retulit.

Ad hunc modum facto initio, et hoc quasi fundamento jacto Evangelica doctrina, deinceps propagata, de die in diem altiores radices egit. Identidem eo vocati JO. CONTIUS BISAZIUS, Zuziensis, CHRISTOPHORUS CHOERGNIA Campovastensis Ecclesiarum Pastores, semen plantatum irrigarunt, semel etiam JO. PLANTA Samadenensis. Coetus Evangelicus Bergonii Anno secuto a Foederis cathedralis Proceribus Curiae ad Comitia coactis petiit sibi permitti facultatem proprium habendi Ministrum; id quod eis etiam adjudicatum fuit, cum existimatum sit dominantes pejore loco esse non debere subditis in Volturena, quibus id concessum est. Fuere tamen qui isti Sententiae reluctati vehementer reclamarunt. Hoc ubi obtinuerunt Evangelici, conduxerunt illi sibi in Ministrum juvenem eruditum BALTHASAREM TOTSCHIUM Cernezienſem, qui tamen diu adhuc in privata domo concionari fuit coactus. Nam licet iidem Evangelici a Comitiis cathedralibus obtinuissent jam altera vice ut usus etiam Templi, post peractam Missam sibi concederetur, possessionem tamen adire non poterant ob adversae partis vim et contumaciam. Tertio, tandem, 150. flor. mulcta Romanensi parti, renitenti intimata fuit, ni extemplo concivibus usus Templi concedatur. Ita obtemperarunt, aegre tamen. b) In Comitiis denique d. XI. Jan. MDLXXIX. ad novas quarelas sancitum fuit, Papanos temporius paullo exercitium Missae suae, religionisve peragere debere, aestivo nempe tempore aperiendo Templum hora nona, hyberno autem octava matutina, quo sic etiam Evangelicis conveniens tempus sacris superfit exercendis: quoad Salarium item decretum, ut reditus Ecclesiae, Sacerdoti ac Pastori distribuantur secundum

b) Acta a se per illud tempus narrat prolixe ipse Campellus, ex quo nos. Cap. 9r. p. 1646 - 1656.

dum familiarum, seu domorum numerum. Hoc pede Missa paulatim obsolevit. Anno praeterea MDLXXXI. albo Ministrorum adsertus fuit THOMAS JANETUS ZEUTHIUS Burgunio ortus, qui Toutschio succedens Ecclesiae illi per Annos plures inserviit, et sub hoc repurgatio Templorum tam in Parochiali quam in filialibus STULIO ac LATIO ei imminentibus ad umbilicum perducta est.

Metrocomiam Bergonium post quatuor circiter lustra secutus est vicus FILISSURIUM, qui ad unum fere milliare versus occidentem abinde distat: Ad exterminationem crucium, tabularum, et imaginum JO. JAC. PAULLUS CASPARUS spectatus illius loci civis, praeclarum Zelum exercuisse notatus est. Erant adhuc Anno 1670. decrepiti, qui JO. LEONARDO loci tum Pastori, modum quo sacra illa ablata fuerant, cujus *'autoptai* in pueritia ac *'autykooi* exstiterant, ipsi enarrarunt, quorum unus a Sacerdote papistico baptisma acceperat; unde colligitur Templi repurgationem praeter propter circa Seculi XVI. finem potuisse esse factam. c) In adducenda paulatim ea Ecclesiola ad Evangelii veritatem operam primo posuere Ministri Berguniani, vicini proximi. Ex Pastoribus ordinaris primi fuere, ANTONIUS JENATIUS, LUCIUS PAPA, JAC. PAPA aliique, quos recensere supersedeo. In tantum Jehova piis Servorum suorum laboribus benedixit.

Praedicatio HULDRICI CAMPELLI Burgunii colophon reputari potest laborum, quos laboriosus ille Christi Servus in proplantationem Evangelii exantlavit. Quantum enim colligo, circa annum 1582. vergentem, sine dubio Coelini, ubi in extrema senecta Pastorem egit, ultima lumina clausit. Historia Raetiae, quam a primis incunabulis ad annum usque 1580. labore strenuo ac indefesso congessit, et contexuit, dum usque Raetia durat, nomen ejus perenne reddit. Reliqua viri acta scriptaque, suis locis jam memorata a nobis sunt.

c) Annot. Leonh. libro paroch. praefixae.

ANA-

ANALECTA.

Lib. I. pag. 34. adde: *Strengen, Fürsichtigen, Ersamen und Wysen, liebe Herren und gute Freund. Wir haben in unser Stadt ein würdige alte Pfarrkirchen, die in der lieben heiligen Ehre St. Felix, St. Regula, und St. Exuperantius gewychet, und bisher nit in zimlichen guten Buw gestanden, sonder merklich abgangen und buwfellig worden ist. Das angesehen hand Wir nach unserm Vermügen dasselb Gottshus, ains Theils widrum aufgricht, zu bestantlichen erlichen Buwen gebracht, und hinfüro ob Gott will noch meer und wyter thun wollen. Und so wir nun in den Altaria desselben Gottshus ersuchen und besehen lassen haben, das würdig Hailthumb so darinnen gelegen ist, würdt von den obgemeldten Personen, und lieben Heiligen khein Hailthumb erfunden. Wan wir aber dem Leben und Sterben nach, so die obgenandten lieben Heiligen, in eurer lobwürdigen Stadt Zürich geführt und gethan haben, uns billich vermessen, wil Ihrs Hailthums an deren Ende seye. So bitten Wir üwer streng, fürsichtig und Ersam Wysheit freundlich mit allem Ernst, zuvoran umb Gottes, so dann auch umb der gemeldten lieben Heiligen, und unsrer Freundschafft willen, das Ir die obgenandte unsre Kirche by disem Priester, zaiger des Briefs, und Pfarrer daselbst, mit der gerürtem hailligen Hailthumb zimlich begaben und verhelfen wöllen, by euch selbe in üwer Waserkirchen oder bey den Chorherren zu dem grosen Münster ald wo Ir dan das habt, damit wir sollich Hailthumb zu Lob und Ehr der lieben Hailigen, ouch in unser gemelten Kirchen überkommen und haben mögend. Das wollend wir zu dem Lone, der Ir dardurch von GOtt dem Allmächtigen, und den gestimpten lieben Hailigen empfangen werdent, umb*

üwer ſtreng Wysheit ganz freundlich verdienen. Datum Sontag vor Maria Magdalene. Ao. 94. (1494.)

Inſcr.

Burgermeiſter und Rath der Stadt Chur.

Den Strengen, Fürſichtigen, Ehrſamen und Wyſen Burgermeiſter und Rath der Stadt Zürch, unſeren lieben Herren und guten Freunden.

pag. 242. lin. 5. poſt Apoſtolicus, adde PAULLUS ODESCHALCHUS de quo inferius * plura.

*) Lib. II. Cap. X. pag. 253. ſq.

- - lin. 8. poſt unus notetur **)

**) Huic, PAULLO LURAGO fuiſſe nomen edoceor a Vergerio in fine libri: *delle commiſſioni del Papa a M. Paolo Odeſcalco*, quem Deo volente recuſum dabimus.

- - pag. 246. ad lin. 21.

NICOLAUS CHESELIUS patria Cellerinus et in Monte Sondrii Eccleſiaſtes, Reformationis patriae coaevus, de ea in ſuo Diario, quod in autographo poſſidemus haec verba annotavit. *Im Jahr 1577. im Meyen hat man im Engedin zu Schlarina und Sant Moritzi, das Paſtthumb abthon, und hiemit das ganz Engedin grumbt. Gott ſy glpt.* Ex quibus emenda quae Nos de tempore illius conjeceramus.

LIB. II. pag. 24. poſt lin. 12. Adde:

Hunc faciunt etiam quae in eadem cauſa de ſe VERGERIUS in Retractatione ad civit. Juſtinop. Anno 5558. edita, ubi ſic: „ Di-

„ ſtruſſi

„ ſtruſſi io quella sfacciatiſſima barraria, che quei porci ebriac-
„ chi di frati di San Gregorio avean fatto, coll' aver finto
„ certa apparizion a Santa Maria de' Campi, ond' io feci mitrar
„ e porre full' Aſino quei tre, che diſſero d'averla veduta, e
„ parlato con lei. Domanda al tuo Ceretan Todeſco s'egli
„ fece, come feci io, di quell' altre due trufferie, che fecerli
„ dopo il mio partire di due altre imagini, una nella città di
„ Capo d' Iſtria, alla Chieſa di Santa Maria nuova, l' altra in
„ Iſola, o vero s'egli le laſciò andare, (per ſua grazia) al peggio
„ che ſeppero, acconſentendo, che i poveri popoli foſſer aſſaſſi-
„ nati nell' anime, e nella roba. Or cotai truffe e poltronerie
„ de' Preti e Frati, che io mi poſi a ſcoprire e riprendere da
„ qualſi voglia che ſia carnalaccio e ballordo poſſonſi vedere e
„ sgridare, purchè egli abbia un poco d' ardire. „

Lib. II. pag. 118. ad Num. V. ex Cel. Fueſsl. Centur. Num. LXIV. p. 252.

Argumentum:

Num in baptiſmo neceſſaria ſit formula: Ego baptizo Te &c. Eccleſia Vallis Telinae in metu eſt. Variae Salutationes.

HENRICO BULLINGERO Optimo Viro S. P. D. a Domino. Quid Tu ad meas cogitaris hactenus, quas ſuperioribus diebus ad Te adoleſcenti cuidam noſtrati dederam, nihil plane ſcio. Gratiſſimum Te nobis facturum ſcribebam, ſi et Tibi adoleſcentem, quem magis ex animo quam verbis Tibi commendabamus, intelligeremus commendatum; et quidnam ad tenuem, et fortaſſis etiam (ut videri poſſet) curioſam quaeſtionem ſentires? Dubitatum enim erat inter Nos utrum neceſſe omnino videretur eſſe, cum puer vel alius quisvis in baptizando abluitur, inter abluendum ex praeſcripto Chriſti verba addere: Ego Te baptizo in nomine Patris, Filii, et Spiritus Sancti. His demtis, aut quavis ratione omiſſis, plerique (ut hactenus) baptiſmum nullum eſſe et dixerunt et ſcripſerunt. Id itane, rectene habeat, an ſecus: ſi ad nos per otium per-

scripseris, quam gratissimum fore intelliges. Nec Sententiam modo siccam requirimus; sed quo absoluta etiam sit, et minime suspensa: vel ratione, vel etiam ex scripturis testimonio confirmatam. Id Te tanto libentius commodiusque facturum scimus; quando res ipsa tenuior et disputatio facilior potest videri, neque velim arbitrere Nos Tibi gravioribus videlicet occupato aliquid, ut in aliis saepe, ita nunc in hac maxime molestiae afferre. Nostra studia et Tua facilitas, amorque erga nos spectatus jam satis in causa est. Itaque si molestiam velis effugere, ut nostris studiis frenum injicias, Te posthac difficilem praestes necesse est. Id autem quo modo possis efficere Tu ipse videris.

Caeterum quo res factumque horum temporum modo se habeat; quid sentias; quid metuendum, sperandumve sit; et si quid aliud est, quod Nos scire opus putes, pro Tua Humanitate, nostraque necessitudine facias nos quamprimum certiores. Hic nihil habemus quod litteris mandandum putemus praeter metum. A spe tamen non tam prorsus excidimus. Quod reliquum est, salutant Te AUGUSTINUS MAINARDUS, FRANCISCUS NIGER, qui ab hinc quatriduo aegrotat graviter, et omnes ad unum fratres quorum nomine salutabis, idque in Domino, Collegas Tuos, et universam Ecclesiam Tigurinam. Valete. Clavennae ad VI. Julii, 1547.

Has litteras si commodum, certumque est ad CAELIUM SECUNDUM (curionem) qui nunc Basileae commoratur, perferendas cures, etiam atque etiam rogo

Tuus

CAMILLUS RENATUS.

Lib. II. pag. 257. lin. 12. post MDLIV. notetur *)

*) Meminit Nuncii hujus in Raetiam missi Annalium BARONII continuator ODORICUS RAYNALDUS Annal. Ecclesiast. Tom. XXI. Part. II. Edit. Colon. A. 1727. f. 97. his verbis: „ Irrepserat „ apud Rhoetos eadem pestis haereticae contagio, ac seditiones in „ Ecclesiasticos concitarant turbulenti impietatis buccinatores, dum sim„ plicem gentem inanium Sophismatum laqueis irretiebant, ad quo„ rum dissolvendas artes discutiendamque caliginem a tenebrionibus „ offusam, JULIUS, Paulum Odescalcum Internuntium misit, qui nu„ tantes in fide confirmaret, pervicacesque Judiciorum ordine compri„ meret, de quo Episcopus Curiensis a Julio certiore factus est, jus„ susque cum eo omnem operam pro retinenda veteri incorrupta Re„ ligione conjungere.„

Episcopo Curiensi.

„ Venerabilis frater, salutem &c. Cum gravi dolore ani„ mum nostrum stimulat hoc temporum nostrorum inter Chri„ stianos populos, et in ista praecipue ampla Grisonum gente „ de Religione dissidium: volentes huic malo ea, quae tempo„ rum ipsorum qualitates patiuntur, remedia adhibere, mitti„ mus in isthaec loca dilectum filium Paulum Odescalcum Pro„ thonotarium et Signaturae nostrae Referendarium ad ipsam „ Grisonum Nationem, Nuntium Nostrum, qui recte de catho„ lica fide sentientes, nostro nomine confirmet, atque collau„ det, quos autem corruptos, labentesque repererit, eos vel „ cohortationibus, et rectae doctrinae commonstratione ad „ meliorem sensum revocet, vel si contumaces esse perstiterint, „ contra eos secundum Ecclesiasticas sanctiones diligenter in„ quirat: quod nostrum consilium, cum Tua fraternitate, per „ has nostras litteras communicare voluimus, eam hortantes, „ ut omne suum studium, opem, auctoritatem, ad hoc tam „ pium salutareque negotium adjuvandum conferat, sicut Tu

„ quidem, et Deo ipsi, et muneri tuo Episcopali, quae in istis
„ ipsis regionibus fidei tuae comissa est cura, inprimis es ad-
„ strictus, &c. Datum Romae apud S. Marcum, die XXII.
„ Julii, MDLIII. Anno IV. „

Lib. II. pag. 258. post lin. 10. adde:

Eodem tempore ARCIMBOLDUS Mediolanensis Archi Episcopus de mediis cogitans, per quae omnes Exsulum italorum ad promotionem Evangelii per Italiam impensas operas eluderet, frustraretque, catalogum edidit Auctorum haereticorum, in quo scripta plerorumque singulariter Italorum Evangelicorum atro calculo notabantur; haberent nempe ob oculos Romanae Ecclesiae ac dioeceseos suae Mediol. filii quos caverent. Recusum dedit VERGERIUS illum Catalogum, notis suis instructum, quibus illum arguit, castigat, iniquitatis convincit. Libelli Vergeriani hic est titulus: *CATALOGO DELL' ARCIMBOLDO Arcivescovo di Milano, ove egli condanna e diffama per eretici la maggior parte de' figliuoli di Dio, e membri di Cristo, i quali ne' loro Scritti cercano la riformazione della Chiesa Cristiana. Con una risposta fattagli in nome d'una parte di quei valenti uomini, nell' Anno MDLIV.* *)

*) En ipsum Archi-Episcopi Mandatum. Volendo il Reverendissimo ed Illustrissimo Signore il Signor Gio. Angelo Arcimboldo per Dio e della Santa Sedia Apostolica grazia Arcivescovo di Milano, e Cesareo Senatore, e il molto Reverendo Signore Bonaventura Castiglione Prevosto di S. Ambrogio di Milano Comissario Generale Apostolico contro la eretica pravità in tutto il Dominio di Milano, provedere che non seguino inconvenienti e scandali contra la Santa fede cattolica ed Apostolica nella ctità e dioceſi di Milano: anzi volendo a suo potere provedere alla salute delle anime d'ogni fidele Cristiano e levare ogni errore e inconveniente che puoteſſe occorrere: Per tenor delle presenti ancora con participazione e consenso

dell'

dell' Illustrissimo ed Eccellentissimo Senato Cesareo di Milano, ordinano, e comandono che nell avvenire, alcuno, sia di qual grado, e Religione si vogli, nè Prete, o altra Persona, Ecclesiastica o laica, non ardisca ne la Città nè Dioecesi di Milano in alcuna chiesa o luogo di qual condizione o sorte si voglia, ancora fosse nelle loro proprie chiese, o case, predicare, o leggere altrui la Sacra Scrittura senza speciale licenza in Scritto delli prefati Monsignori sotto pena di Scomunicazione latae Sententiae, ed altra pena maggiore, etiam corporale, ad arbitrio delli prelibati Monsignori, proibendo a qualunque Prepositi, Priori, Rettori, Guardiani, e Ministri delle Chiese, della Città, e Dioces di Milano, che non ammettano alcuno a predicare, nè leggere senza licenzia, come di sopra, sotto le medesime pene. Ancora non recedendo dagli altri ordini e cride fatte in questa materia dè libri proibiti ordinano, e comandano, che non sia persona alcuna di qual stato grande o condizione si voglia, la qual presuma condurre, vendere, nè far vendere, nè donare in modo alcuno libri latini, nè volgari, di qual sorte si voglia, nelli quali si tratta della Sacra Scrittura, se prima avanti siano condotti non presantano alli prefati Monsignori, o a chi sarà da loro a questo deputati, la nota sive descrizione di tali libri, sotto pena di escomunicazione latae Sententiae, e di Scudi cento, per cadauna volta e per cadauno contrafaciente, la terza parte da esser applicata all' officio de l' Inquisizione, un' altra terza parte alla Cesarea Camera, e l'altra terza parte all' Accusatore, il quale sarà tenuto secreto, e se gli darà fede con uno testimonio degno di fede, in le quali pene incorrerano, e cosi fin adesso si declara essere incorsi li conduttori scienti, o compratori di tali libri, ancora che li libri fossero ascosti in altre robe, ancora Mercanzie.

Ancora ordinano e comandano, che tutti li librari e ligatori di libri, condottieri, o venditori che fra due Mesi prossimo avvenire debbano avere fatto inventario di qualunque sorte di libri, così latini, quanto volgari, quali si ritroveranno avere presso di se, e

in

in suo potere, tanto nelle stanze, quanto nelle boteghe loro, e presentare l'Inventario sottoscritto di loro mani all' Officio delli prefati Monsignori sotto pena di Escomunicazione e scudi cento per cadauno, per la terza da essere applicata all Officio dell' Inquisizione, un' altra terza parte alla Cesarea Camera, e l'altra terza parte all' Accusatore, e nello avvenire non possino tenere in botega, nè in Casa propria, nè ad altri vendere, nè donare, nè comprare alcuni libri che non siano descritti nelle liste e inventari presentati all' Officio delli sudetti Monsignori, e se 'l si trovasse alcuno, che avesse venduto, o donato, o altramente dato alcuno libro, che non si trovasse scritto nelle dette liste e Inventario, ipso jure et facto s' intenda essere incorsi, ed incorrano nella pena di esco municazione, e di Scudi dieci per cadauno libro, e qualunque volta d' essere applicati nelli modi e forme come di sopra; si tenerà secreto l' Accusatore, al quale si crederà con uno testimonio degno di fede, acciochè per l'avarizia non si abbiano per librari o mercanti di libri, a non propalare e presentare li libri eretici e proibiti, che per l'Officio dell' Inquisizione se gli fa sapere, che presentando loro all' Officio alcuna quantità di libri novi, eretici, o proibiti che per l'Officio dell' Inquisizione se gli provederà, acciò non restino in danno, mentre la presentazione si faccia fra dieci giorni prossimi.

Ancora ordinano e comandano a tutti quelli, li quali hanno presso di se alcuni libri o Scritture, di qual sorte voglia, li quali siano eretici, o che non si ammettono dalla Santa Chiesa cattolica e Apostolica, e siano per di qua in dietro per alcun Arcivescovo, Inquisitore, sive Comissario, proibiti, e massime gli infra scritti qua di sotto annotati, che nel termine di mese uno, prossimo gli vogliano avere consegnati nelle man delli prefati Monsignori, da quali saranno assolti da tutte le censure e pene, nelle quali fossero incorsi: e passato detto termine non si ammettono più, anzi contra di loro si procederà irremissibilmente non solo alla pena, nella quale saranno incorsi, ma ancora in maggiore pena,

pena, secondo la qualità delle persone, all' arbitrio delli Monsignori, e chi accuserà sarà tenuto secreto, avrà la terza delle pene pecuniarie come di sopra.

Ancora monischono ogni e qualunque fedele dell' uno e l' altro sesso, o di qualunque stato, grado, o condizione, e dignità che sotto pena di Escomunicazione latae Sententiae, e di Scudi cinquanta d'oro da essere applicati per uno terzo all' Officio de l'Inquisizione, un altro terzo alla Cesarea Camera, e un altro terzo all' Accusatore, qual sarà tenuto secreto, infra giorni trenta dopo la publicazione delli presenti, cioè dieci per il primo, dieci per il terzo e peremtorio termine e monizione Canonica, che debbano avere deunciato, revelato, e notificato se hanno conosciuto, o udito alcuno eretico, o suspetto, o diffamato d'eresia in la Città o Diocesi di Milano, similmente avere notificato per nome e cognomi tutti quelli, li quali straparlano delli Articoli della fede, delli Sacramenti, della Chiesa, delle Ceremonie, della Autorità del sommo Pontefice, e delle altre cose pertinenti alla fede Cattolica, e Sacramanti Ecclesiastici, che in molte parti usano, o parlino senz'iscusazione, che serio, vel joco, ne parlassero, similmente quelli che dimandano o pregano li Demonj, o che loro sacrificano, o che li fanno sive prestano altri divini onori, e chi dà aiuto alli Luterani o altra sorte d'eretici o suspetti d'eresia. Rendendo sicuro caduno e qualunque che avesse impremisse cose, o alcuna di loro errato, che comparendo personalmente inanzi alli sudetti Monsignori nel termine d'uno mese prossimo, che si accetteranno a penitenza secreta, e si libereranno ed assolveranno gratis e senza spesa alcuna.

E più se alcuno Luterano, o altramente eretico spontaneamente comparesse e accettasse la penitenza, e non interrogato denunciasse alcuno complice, esso tale notificante sarà tenuto secreto, e guadagnerà il quarto delle pene pecuniarie, e beni,

che si potessero esligere e conseguire giustamente, e secondo li termini della Ragione di tali complici e delinquenti.

Declarando che se alcuno contravenisse in alcuna delle sopradette cose e da se stesso si notificasse e denunciasse li complici, che si assolverà del escomunicazione e pene, nelle quali fosse incorso e se gli darà la terza parte della pena pecuniaria, che se esligerà dalli complici.

Certificando ogni persone, che le licenzie, e altre cose, che si faranno, e si concederanno in tutti li premessi casi, si faranno e concederanno gratis, e senza pagamento alcuno: ancora inerendo alle determinazioni della Santa Madre Chiesa, la quale non immeritamente ha statuito e ordinato per la Salute di tutte le anime che ogni fidele Cristiano de l'uno e l' altro Sesso, dopo che saranno pervenuti alla età della discrezione, ogni e qualunque suo peccato, almeno una volta l'anno habbiano a confessarsi al proprio confessore, ingiuntali la penitenza, per le proprie forze studiano ad empirla, pigliando riverentemente al meno ad ogni Pasqua di Risurrezione del nostro Signore, il Santissimo Sacramento della Eucaristia, salvo se per caso di consiglio del proprio Sacerdote, per qualche giusta e ragionevole causa, si ordinasse che dovesse astenerse; altramente vivendo, non si ammetta nell' ingresso della Chiesa, e morendo non gli sia concesso la Cristiana sepoltura.

Oltra di questo esso Monsignor Reverendissimo Arcivescovo inerendo alle determinazioni della Santa Madre Chiesa ordina che tutti i fedeli Cristiani de l'uno e l'altro Sesso, vogliano in qualunque festa da Pasqua della Resurrezione del nostro Signore, o al meno per tutte l'ottave d'essa Pasqua, confessare i suoi peccati al Sacerdote e pigliare il Santissimo Sacramento della Eucaristia,

secondo

secondo la predetta determinazione della Santa Madre Chiesa, altramente non rispettando, qualità, nè grado di persona alcuna, si escomunicheranno per nomi e cognomi; e saranno cacciati fuora delle chiese con gran vitupero: e morendo in tale errore e pertinacia se sepeliranno al terraigio, e a quelli che per due anni continui non si saranno confessati, nè comunitati gli e se procederà contra, e saranno puniti nelle pene di ragione, e delli Sacri Canoni; etiam se sarà spediente con intervento del Cesareo fisco.

Ed acciochè non si possa pretendere ignoranza, nè pigliare scusa alcuna, per tenor delli presenti esso Monsignore ammonisce per il primo, secondo, terzo e peremtorio termine tutti Prepositi, Rettori, Vice Rettori, Capellani, Curati, Sacerdoti, e altri Ministri delle Chiese, della Città, e Diocesi di Milano, che in cadauna e tutte le Dominiche della Quadragesima di qualunque Anno, alle loro Messe, nelle ore, che si troverà congregato maggiore popolo, sotto pena di escomunicazione, e di Scudi vinticinque per cadauno contrafaciente, o meno osservatore della presente ordinazione da essere applicati alla Fabrica della Chiesa maggiore di Milano vogliano avvisare, ed ammonire tutti li fedeli Cristiani, che nella Solennità di Pasqua scorrente, o al meno per tutta l' ottava della Pasqua si confessano, e si comunicano come di sopra, altramente si public heranno per escommunicati. E affine che le presenti Ammonizioni e comandamenti pervenghino a comune utilità di tutti appo la publicazione fatta nel colpetto del popolo, gli sudetti Monsignori Reverendissimo et Illustrissimo et Molto Reverendo Comissario Generale comettono, e mandano, che siano affisse, inchiodate alle Porte della Chiesa Maggiore di Milano, e della Chiesa di Santo Ambrogio Maggiore, e della Scala di essa Città. Nelle altre Città del dominio manda il sudetto S. Generale Comissario siano affisse alle Chiese loro maggiori, acciochè da tutti possino essere vedute, lette, ed alla giornata pubblicate, nè rimanga iscusazione d' ignoranza di non avere inteso

quello che si è patentemente publicato. Dat. in Milano, l'Anno di 1554. Alli - - -

Lib. II. pag. 376. lin. 23. post factae, notetur *)

*) Constat libellus philyris in forma octava complicatis, octo, editusque typis Froschoverianis hoc titulo: *Der Christen Gloub. Grundliche und klare Uslegung des waren, uralten, ungezwyfleten Christenlichen Gloubens. Geprediget zu Inlantz uff offnem Pundstag den 22. und 23. Octobers des 1561. Jahrs, und volgends auch beschriben durch Johansen Schmid, Dienern der Kirchen zu Chur in Pündten. Gedrukt zu Zürich in der Froschow. A. 1562.*

Lib. II. p. 411. ad not. lin. ult. adde: Item Verg. in notis ad Catalogum Arcimboldi:

Vi è su gli occhi nel Paese de' Signori Grisoni M. FRANCESCO NEGRO il quale più di XXII. anni uscì arditamente fuor delle Vostre superstizioni e come bravo e veterano Soldato di Cristo ha scritto in latino e in voglare molte buone cose contra di voi, e non dimeno un tal uomo non ha avuto luogo nel Catalogo Vostro: nè M. AGOSTINO MAINARDO che ha scritto pur contra di Voi della grazia e dell' opere: ne' M. ANTONIO d'ADAMO, che ha fatto Anatomia, e tanti vituperj di cotesta Vostra Messa con un libro di più 30. fogli: nè M. BARTOLOMEO SILVIO, che ha scritto della Eucaristia.

Lib. II. pag. 477. lin. 8. Adde:

Sic quidem olim ex iis, quae suppetebant judicavimus. Omnem vero maledicentiae et maculam et suspicionem amoliturі fuerant

ruerant Lavizarius et Quadrius, si Auctorem Cellarii poenitentiam narrantem vel verbulo, uti quidem in re momenti ac ignota decebat, indicassent. Postea curatius investigans edoceor relationem illam de Cellarii poenitentia sive vera, sive ficta, a quibusdam tradi Auctoribus Pontificiis, singulariter a GABUTIO Vitae Pont. PII IV. scriptore sedulo, quem ni fallor, reliqui sequuntur. Notavit idipsum recentissimus Annalium BARONII Ecclesiasticorum continuator JACOBUS DE LADERCHIO Fauentinus, Congregationis Oratorii Presbyter, qui ex ipsis Vaticani Archivis, nonnulla dedit, quae CELLARII nostri, (quem perpetuo *Cellariam* appellat) fata ac supplicium ultimum illustrant. Ex eodem patet PIUM edito severissimo Edicto Inquisitorum suorum oberrantium securitati, adversus Raetorum Statuta cavere voluisse. Ipsa nunc damus LADERCHII verba. Extant Annal Ecclesiast. Tom. XXIII. fol. 198. Editionis Romanae A. 1733.

Causa, inquit, ob quam hoc tempore tam severam constitutionem edidit (PIUS IV.) ea fortasse fuit, quod Retii praemia publice proposuissent iis, qui Fr. Petrum Angelum Casanovam, ordinis Praedicatorum alumnum, ejusque fautores, vel enecassent, vel eos vivos aut mortuos in potestatem sibi tradidissent; eo quod hic in ipsorum ditione *Franciscum Cellariam*, haereticum concionatorem, jubente Pontifice cepisset, ac Romam vinctum transmisisset. Quapropter Casanovae aliorumve, quibus hujusmodi Inquisitionis munia demandata essent, incolumitati prospiciens Pius hanc constitutionem fecisse censendus est; quae ad hanc causam, ex eo etiam pertinuisse videtur, quod paucis post elapsis diebus, ultimo supplicio praefatum Cellariam Pontifex ipse interimendum dederit, ut mox dicetur.

At de his quidem audiendus est in vita PII, Gabutius, qui de Cellaria haec habet: „Catholicae fidei desertor quidam nomine „ Franciscus Cellaria Haereticus Concinator, Morbinio, quod est

„ oppidum Voluternae Vallis, Mantuam, ubi magno cum illius
„ civitatis periculo perfidiae ſuae virus effundebat, ſtatis diebus
„ clanculo proficiſci conſueverat. Ad hunc PIUS Petrum Ange-
„ lum Caſanovam, Dominicanum Coenobitam, in Volturenam,
„ Clavennamque Galliae Ciſalpinae Valles emiſit, rationemque
„ praeſcripſit, qua ille ad capiendum haereticum uteretur. Quod
„ quidem ei percommode cecidit. Nam illum ex quodam Hae-
„ reticorum conventu Curiae celebrato, Morbinium verſus redeun-
„ tem, atque per os Abduae trajecturum, ipſe Caſanova ibi prae-
„ ſtolans, octo Virorum ope ſubnixus, ſuis manibus comprehen-
„ ſum in lintrem ad id comparatum detrudit, eumque vinctum
„ inde Placentiam, uti ſibi fuerat imperatum ad Octavium Farne-
„ ſium Ducem perduxit, qui pro ſua in Sedem Apoſtolicam fide
„ ac pietate eum Romam devehendum curavit. Damnatum
„ haereticum poenam ſequi oportebat, ut igni vivus cremaretur;
„ ſceleris tamen conſortibus, qui non modo Mantuae, ſed alibi
„ etiam erant, prius enunciatis. Cui morbo, et item caeteris,
„ quae inde proficiſcebantur malis, opportuno ſubinde remedio
„ proviſum eſt. Ille vero tandem ſui pravitatem agnoſcens
„ errati, antequam igni traderetur, ſerane an ſeria poenitentia
„ duci viſus eſt, atque ita mortuus, flammis fuit abſumptus. „

„ At vero Pontificis juſſu ad Haereticum capiendum con-
„ cionatorem adminiſtros Pontificis, eo penetraviſſe, tantum Rhe-
„ tiorum animis terrorem incuſſit, ut eorum Praecones per Catho-
„ licorum oppida deinceps vagari non auderent. Extemplo
„ Rhetii ad varios Principes Viros, de ſua quam violatam eſſe
„ querebantur, vindicanda jurisdictione legationes decreverunt.
„ Dux autem Alburquercius Gabriel a Cueva ditionis Mediola-
„ nenſis Praefectus, ad quem inprimis illi confugerant, ut erat
„ Vir admodum pius atque Catholicus, id quod res erat eis re-
„ ſpondit: Pontificem abſolutam ac legitimam in omnes terrarum
„ orbis partes poteſtatem habere, quoties ipſe vellet haereticos vel
„ capi, vel meritis affici ſuppliciis. Quam ob rem cum adverſa

„ votis

„ votis responsa retulissent, praemia publica proposuerunt iis, qui „ Casanovam, ejusque fautores vel enecassent, vel eos vivos aut „ mortuos in potestatem sibi tradidissent. „

Ista ille ex quibus, ut innuimus, ratio deduci valet, ob quam praefatam contra offendentes statum rem, aut personas Officii Inquisitionis, Pius constitutionem ediderit.

Caeterum praeter ea, quae Gabutius refert, non nulla etiam addenda censuimus de eodem Cellaria ex abdito Archivo summatim depromta. Ex isto enim accepimus, illum quondam Galeatii filium, Ordinis Minorum S. Francisci, quem de observantia vocant, olim Sacerdotem postmodum Apostatam, ac alias in Tribunali Ticinensis Inquisitionis inquisitum, pluribus haeresum capitibus ejeratis die prima Maji Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi septimi, salutaribus ei impositis poenitentiis dimissum fuisse. Paullo post vero apud Tribunal idem delatus, quod Haereticorum libros ac scripta retineret, quod multas haereses sectaretur, ac aliis praedicaret, rursus in carcerem conjectus fuit, in quo examinatus, in suis quas habuerat concionibus, plures Ochini, Buceri, Corvini, aliorumque Haereticorum conciones, se dixisse palam confessus est. Dum vero sic ejus causa agitaretur, fractis ipse carceribus, ac fuga elapsus in Rhetiorum haereticorum regionem se se recepit: quapropter tanquam haereticus, transfuga impoenitens, ficte conversus, ac relapsus in jus vocatus, ac tanquam contumax damnatus die secunda Januarii Anni millesimi quingentesimi quinquagesimi octavi seculari brachio traditus est. In ea igitur Rhaetiorum regione Cellaria sedem suam fixit, ibique improbus Apostata etiam uxorem duxit, praeco haeresum ac errorum Magister factus, quibus inficere non vicina modo, sed longius etiam constituta loca pro viribus studuit. Verum eo, quem praediximus, modo comprehensus, ac Romam per-

perductus, non tantum plures errores se credidisse fassus est, sed etiam docuisse, inter quos hi praecipue recensentur:

In Eucharistiae Sacramento neque Corpus, neque Sanguinem Domini nostri Jesu Christi realiter inesse, sed spiritualiter tantum.

Matrimonium non esse Sacramentum, sed omnes et singulos, etiam Sacerdotes licite nuptias contrahere posse.

Peccatorum confessionem soli Deo faciendam esse, non vero Sacerdotibus, utpote quae a Christo instituta non fuerit.

Duo tantum esse Sacramenta Ecclesiae, nempe Baptisma ac Coenam, quam ipse Cellaria fecerat, aliisque tanquam haereticorum Minister ad haec delectus tradiderat.

Nullum esse Purgatorium.

Sacras Sanctorum Imagines non esse venerandas.

Christum nostrum Advocatum non esse &c.

Obedientiae, Paupertatis, ac Castitatis vota non esse observanda.

Petrum Apostolum Caput Ecclesiae non fuisse, nec Primatum obtinuisse.

Papam Caput Ecclesiae non esse, nec prae aliis Episcopis majorem spiritualem Auctoritatem habere, cum ipse nec Christi Vicarius, nec supra alios Episcopos sit.

Haec

Haec praecipua Haereſum quaedam Capita. Quod autem aſſerit Gabutius tandem nempe ſuam pravitatem agnoviſſe Cellariam, antequam igni traderetur, paſſim ab aliis etiam ſcriptoribus confirmatur; nam licet ex Authenticis monumentis, tanquam haereticum, relapſum, impoenitentem, obſtinatum ac pertinacem ab Eccleſiaſtico foro, et ab Eccleſia ſancta, ac immaculata depulſum, ac ſeculari Curiae puniendum Cellariam traditum fuiſſe habeatur die Veneris, ac vigeſima Maji hujus Anni: Nihilominus aſſerunt (ut audiſti) in conſpectu ignis, quo comburendus erat, conſtitutum, perterrefactum, ut tormenti ſeveritatem vitaret, errorum poenitentiam vel feciſſe, vel ſimulaſſe, ſicque tormentum ipſum evaſiſſe. Romana ſiquidem Eccleſia, quam ob cauſam fidei viventes homines nunquam comburi, ob patrata delicta ſtatuiſſe, alibi adnotavimus: ubi tamen in perfidia obſtinatos, pertinacesque deprehendit, eidem illos ſupplicio tandem adjudicare compellitur. Sic tamen invita, ut vel ob leve reſipiſcentiae indicium (uti in iſto Cellaria) vel ob aliam quamlibet honeſtam cauſam, (qualis eſſe potuit in eo, quem ſuo loco commemoravimus, Carneſecca, familiae ingenuitas) a ſententia reſiliat, ac ſalva juſtitia temperet; ut mortui videlicet tradantur igni, qui viventes eidem tradendi eſſent, levatque miſericorditer tormento, quem juſte opprobrio non poteſt.

At cum ipſum Cellariam clanculo ſtatis diebus Mantuam proficiſci conſueviſſe, ut ibi nefarios ſuos diſſeminaret errores ex eodem Gabutio ſupra dictum ſit, non praetereunda idcirco videntur, quae Bzovius ſcripſit his verbis, ſub Anno 1566. „ *Guillielmus* „ *Gonzaga, Dux Mantuae, quod nonnullos de haereſi accuſatos* „ *Romam transmittere recuſaſſet, ſerio iratum ſenſit Pontificem, qui* „ *non dubitaverit illi etiam bellum denunciare, ſi Mantuam ſineret* „ *eſſe nidum haereticorum. Ac procul dubio arma in illum ex-* „ *pediviſſet, niſi Principes Italiae interceſſiſſent, ut Guillielmo noxam* „ *deprecanti ignoſceret.* „

Et quidem ex his quae ex Gabutio audisti, quod nempe vinctum Cellariam Romam mittendum Octavio Farnesio, Duci Parmae ex Pii mandato Casanova tradiderit, rite intelligitur Mantuani Ducis, hoc in negotio se minime fidere posse credidisse Pontificem: cui si addas, quod non Mantuae, sed in Raetiorum ditione Cellaria captus fuit, commentitium prorsus deprehendes, quod Caesar Campana scribit, nempe opem suam in hoc Mantuanum Ducem Pontifici sedulo ministrasse, cum potius protectione sua tueri Apostatam Dux ipse visus fuerit; quidquid postmodum evenerit, quod noxae, nimirum, veniam a Pio sit deprecatus.

Eundem vero Pontificem (quod, jam missis ab se Inquisitionis Ministris, ad Cellariam capiendum, aliquam inferri vim seu damnum metuisset) forte commotum toties memoratam Constitutionem primum animo concepisse, postmodum hoc Anno edidisse, haud inverisimiliter censendum est; ni forte credendum sit post captum etiam Cellariam ac in urbem devectum periculum idem ministris ipsis, ab eodem Duce, ac aliis metuisse, ut supra diximus: vel tandem quod cum sceleris Cellaria consortes, qui non modo Mantuae, sed alibi etiam erant, quosve Cellaria ipse, ut audisti, priusquam ultimo supplicio traderetur, enunciavit, per Inquisitionis Ministros comprehendi vellet, praefata Constitutione illorum securitati prospiciendum duxerit. Haeresis autem fautorem ex his Principem Mantuanum exstitisse, ostendere minime audemus, sed vel privata quadam benevolentia hominem prosecutum, ejus protectionem suscepisse arbitramur, vel potius pontificiis obedire detrectasse mandatis censemus, quod suboffenso animo in eum esset, ob latam contra se in Mantuani Episcopatus causa, de qua plura supra recensuimus, a Pontifice ipso sententiam.

INDEX

INDEX RERUM.

NUMERUS PRIOR LIBRUM: POSTERIOR PAGINAM INDICAT.

A.

Adamus, Martinus, ad ſepeliendum Inſtitiae funus, ſex cruciferos expendere vult. I. 142

Anabaptiſtarum ſecta in Raetia naſcenti Reformationi obeſt: I. 81. *ſq.* *a Straffgerichto in ordinem redigitur.* I. 95

Ammanus, Jo. Jac. Tigurinus intereſt Diſp. Ilant. I. 113

Angelus, Lucius, primus docet Ref. doctrinam Senti et Coelini. I. 226. 227

Anhornius, Chriſtianus, alter Obadias, Tigurinum Miniſtrum Faliſii excipit. I. 73

Arianorum ſtrages in jugis Burmiatibus. I. 32

Ardezium reformata ſacra recipit. I. 224

Artolfus, Balthaſar, ex ſacerdote Miniſter Ev. I. 78

Alterius, Balth. apud Germanos et Helveticos opem pro Evangelicis Italiae implorat. II. 33. *ſq.*

Angelus Cremonenſis ſeditionem Tilii concitat. II. 264

Arcerium, (Schierſch) reformatur. II. 408

Apparitio B. Virg. Mariae ficta. II. 14. 21

INDEX.

Arianiſmus in Raetia expirat. II. 632

Ave-Maria, de ejus recitatione diſceptatio in Helv. et Raetia. II. 225. 229

B.

Balingius, Nic. unus ex primis Evang. Miniſtris. I. 76

Baptiſmus Mulierum. Super eo diſputatum Suſii. An iterandus variant Fabric. et Gallic. I. 222

Beda. Ejus nomine fabula S. LVCII. I. 25

Berreus, Chr. geſticulator in Diſp. Ilant. captioſe tentat Comandrum. I. 121. I. 128

Biveronius, Jac. inter primos Evangelio favet. I. 58

Blaſius, Jo. Patria Monaſterienſis Oengadinus, ex primis favet Evangelio. I. 76. *Paſtor Malanſii et accuſatus a Caſtromuro.* 143. *intereſt Diſp. Suſienſi.* 203. *Dialogos ſcribit contra Epiſcopum.* 257. *Peſte obit.* 260. II. 238

Blaurokius, Georg. Anabaptiſtarum Corypheus I. 82. *Tiguro ejectus apud Vennones comburitur.* 91

Boltius, Ulr. unus primorum Miniſtror. Faliſii. I. 80

Brunus, Petr. Paſt. Ilant. intereſt Diſp. Suſienſi I. 203. *et forte Bernenſi.* 166

Bucelinus, Raetiam a Dea Aretia inepte derivat I. 5. *plantationem Evangelii in Raetia ad ipſos Apoſtolos refert.* 20

Bürklinus. Num hoc nomine dictus fuerit, qui Evangelium primo praedicavit Faliſii. I. 80

Buolius, Paullus, favet libertati Religionis. I. 146

Burſella, Jo. Decanus Oengadinae. Gallitio infeſtus I. 124. 142. *ejus Sententia ſuper Mulierum Baptiſmo.* 220

INDEX.

Berli, Caesar, Sacerdos Clavennensis debachatur in Evangelicos, fictaque B. Virg. apparitione suos eludit, detecta impostura capite poenas luit. I. 16. *sq.*

Bergunii Ecclesiae parochialis, et filialium Reformatio. II. 633 *sq.*

Bellinketi, Bergomi capiuntur. II. 272. *ferrariae mercimoniae renunciant.* 457

Beccaria Jo. Misauei docet Evangelium. II. 344. *sq.*

Bianchini legatio ad Raetos. II. 364

Bucerus, Mart. in gratiam Italorum Lutheri Postillas edit. II. 8

Bullingerus. Heinr. urget erectionem Scholarum in Raetia I. 192. *intercedit pro Blasio.* 258. *ejus Consilium de Salutationis Angelicae recitatione.* II. 229

Boudum reformatur. II. 48

C.

Cabalzarus, Martinus, favet Religionis libertati. I. 145

Campellus, Huldr. filiam ejus Pater baptizat I. 198. *Pastorem agit Coenobii, indeque Susii* 227. *conciones habet Cernezii.* 228

- - *conscribit Librum de Providentia, et Praedestinatione* II. 615. *et sq. Moritur* II. 640

Camillus Renatus, agit Paedagogum I. 197. II. 45. *ejus Sententia de S. Coena.* II. 88. *Serra reciprocata cum Maynardo. ibid. Conf.* II. 390. 493

Campoferri imago S. Rochi destruitur. I. 247

Campovastensium Reformatio. I. 243

Capucini in Valle Tellina. II. 51. 59. 262

a Capaulis, Wolfg. favet libertati Relig. I. 145

INDEX.

Caracciolus Marchio Vici, Raetica civitate donatur. II. 329. 340

Caſacciae ejectum cadaver S. Gaudentii. I. 232. II. 47

Caſpani docetur Evangelium. II. 41

Caſtella Raetiae diruta. I. 139

Caſtelberg, Andreas, Anabaptiſta Tiguri detentus. I. 92

Caſtromur, Gub. perfidus transfuga. I. 172

Caſtelmurii Barthol. Decani Epiſcopalis oratio ad pop. horrida I. 48. *Ejus de verſionibus Biblior. verba inficeta.* 114. *declinat diſputationem.* 124. *Ejus latinitas Hegingenſi ſimilis.* 126. *Blaſium accuſat.* 143

Cathedrale Foedus. ex Monaſterio D. Nic. Gymnaſium facit, I. 194. *Conventio cum Capitulo* 250. *ejusd. litterae ad ſuas Commun.* 252

Cellarius Franc. abducitur et Romae ſupplicio afficitur. II. 436. 465. *ſq.*

Caſtaneti Reformatio. II. 48

Cellerinae Reformatio. I. 245. *vendunt imagines.* 247

Cermenatus, Jo. Petr. docet Coelini. I. 226

Cernetii Reformatio. I. 228

Clavenna. Unde dicta. I. 17. *Eccleſia vexata.* II. 87. 390. 493. 497

Conſpiratio Paulli Epiſcopi Cur. cum Medicaeo contra Raetos. I. 174

Concinnus Jo. Sacerdos favens Evangelio. I. 77

Comander, Jo. Ejus vocatio ad Eccl. Cur. I. 45. 68. *diſputat Ilantii* 98. *impetitur a Legatis Helvet.* 135. *Ejus querelae de Avaritia Evang.* 185. *declamationes adv. corruptiones Gallorum.* 253. *Salarium ei adtenuatur.* 256. *moritur.* II. 278

Coelini Reformatio. I. 226

Conradus, Jo. Sacerdos favens Evangelio. I. 77

Con-

INDEX.

Confessio Ecclesiarum Raeticarum. II. 193. *Ecclesiae Clavennensis.* II. 38. 393. *Helvetica.* 425. *sq.*

Corvantiensis Monasterii fundatio. I. 36. *Coenobitae quales.* 41. 42. 50.

Curia civitas, infestatur ab Anabaptistis. I. 87. *sq. Sigillum non extradare vult ad confirmationem petitorum a Flekensteinio.* 131. *ejicit imagines.* I. 155. 156. 157. *Gymnasium erigitur.* 192. 196

Curtisani ante Reform. I. 50

Concilii Tridentini indictio, adque illud profectio Episcopi Curienses. II. 352. *sq.*

Calandrinus Scipio, globulis scolpeti in ipso suggestu stans impetitus. II. 484

D.

Davosiensis Ecclesiae Reformatio. I. 59. *et* 162. *olim quatuor alebant Missatores.* II. 313

Dietegauus, Chr. Sacerdos Evangelio favens. I. 78

Disputationem Romanenses continuo detrectarunt. I. 108. 116. 205.

Disputatio Ilantina, I. 96. *Susiensis,* 196. *Tigurina* 59. 60. 61. *Badensis, ad quam et Raeti, et Episcopus Cur. invitati.* 152. *Bernensis cui duo ex Raetia interfunt.* 166

E.

Ecclesiasticorum in Raetia ante Ref. ignorantia et vita cyclopica. I. 50. 41. *sq.* 48. *Juramentum ab illis exactum primis Ref. annis.* 80

Eglinus, Thobias, Pastor Curiae. II. 432

Entionus, Petr. favet Lib. Rel. I. 145

Episcopus Conradus, Sacerdos favens Evangelio, I. 77. *mala morte obit.* II. 485

EPI-

INDEX.

EPISCOPATUS CURIENSIS. Ejus Dominia ante Ref. I. 147. *Jus in Vallem Telinam a Maſtino collatum.* 177. *tranſactio ea de re cum Raetis. ibid. conventio cum Foed. Cath. ſuper electione Epiſcopor.* 250. *Epiſcopatus origo et Dioeceſis.* 29

EPISCOPI CURIENS. olim conjugati. I. 35

- - *nullo tempore litteras curae habuerunt.* 35. 41. *Multi illorum allotrio Epiſcopi.* 40. *Lites eorum cum Dom. Vatienſibus, et cum Civitate Cur. ibid. Epiſcopi conſilium ſuper cauſa Imaginum rogant Tigurini.* 61. *Epiſcopus Sacerdotes Evangelium praedicantes coram Foederibus accuſat.* 97. *Poteſtas illius ſuis limitibus coercetur.* 150

Euchariſtia, de ea diſquiſitum in Diſp. Ilant. I. 128. *num domatim portanda,* 168. *Epiſtolae illius mentionem injicit Hotting. H. E. Tom. IX. P. II. pag.* 323.

Eugenius, Barth. favet Lib. Religionis. I. 146

Evander, praedicat Evang. Vettonii. I. 226

F.

Fabritius, Andreas, Paſt. Davoſ. I. 203

Fabritius, Jo. Montanus. Tiguro Curiam miſſus. II. 278. *de egeſtate conqueritur.* I. 181. *Ejus Sententia de rebaptizandis illis, qui a Mulieribus baptizati ſunt.* 222. *Ejus verſus in Acidulas Scolienſes, et Salſas Taraſpienſes.* II. 336. *moritur.* 432

Fabarienſis Monaſt. fundatio. I. 38. *Abbas Ruſſingerus Evangelio favens.* I. 164

Factiones in Raetia gliſcentes, Caeſarea, Gallica. I. 52. 252

Faliſcis praedicatur Evangelium. I. 69. *Ejus loci reformatio.* 164

Felix N. Sacerdos Evangelio favens. I. 78

Filiſſurii Reformatio. II. 540

Fle-

Fleckenſteinius, *Epiſcopi juſſu naſcentem reform. ſupprimere annititur.* I. 133

S. Florini Legenda. I. 160

Flura, Petrus, Sacerdos Evangelio favens. I. 77
adverſ. Mulierum baptiſmum concionatur. 201

Franciſcus Calaber, *Ochini diſcipulus*, *docet Vettonii.* I. 226. *Ejus dogmata.* II. 67. *ſq.*

Frickii, Sam. converſio. I. 76. 78. *Reformat Majaevillam.* 164

Fridericus Montfortius Epiſc. Cur. lapſu de feneſtra obit. I. 40

S. Fridolini, commoratio in Raetia.

Frellus, Anabaptiſta. II. 401. 500. 517. *ſq.*

Feſtorum celebratio, ab Evangelicis Vallis Telinae exacta. II. 286

G.

Gafforus, Caeſar, docet Peſclavii. II. 41

Galeatius Caracciolus, Raetica civitate donatus. II. 329

Gallitius, Philippus, alias Salutius, Sacerdos Evangelio favens. I. 77. *natus Punt-villae in Valle Monaſtica.* 79. *a Magiſtratu Superioris Oengadinae in Exilium mittitur.* 142. *intereſt Diſp. Ilantinae.* 122. *Burſellae contradicit.* 124. *propugnat transſubſtantiationem.* 167. II. 180. *in egeſtate vitam trahit* 180. *Ejus Sententia de rebapt. illis, qui a Mulieribus ſunt baptizati.* 223. *Paſtorem agit Scanavici.* 180. *Cerantii ibid. Lavinii.* 260. *ultimo Curiae apud D. Regulam.* II. 238. *Ejus valor in Diſp. contra Franc. Calabrum.* II. 72. *ſq. Clavennam deputatur in Cauſa Camilli.* 98. *conſcribit Confeſſionem Raet.* 191. *moritur* 430.

Gantnerus, Jo. Miniſter Curiae. II. 432. *favet Anab. Acta cum illo.* II. 517

Gallitius, Alexander, impetrat beneficium Basileae. I. 180. *Pastor Thosanae ac Acerii.* II. 410

Gaddius, Paullus, docet Tilii. II. 41

Gamba, Franc. supplicio afficitur. II. 258

S. Gaudentii Legenda. I. 37

Georgius. Speluc. favet libertati Rel. I. 145

Gesnerus, Conr. Acidulas Engadinenses invisit. II. 336

Gerslerus, Frid. Consul Cur. favet Lib. Relig. I. 146

Guardensis Eccl. Reformatio. I. 160

Gulerus. Joh. favet libertati Relig. I. 146

Guicciardus, Andreas, Rector Tiliensis. Contendit cum Joh. Planta Domino Raetiensi. II. 561. *sq.*

Gymnasium erigitur Curiae. I. 192. *ejus frequentia.* 196. 197

H.

Haimius, Luc. Consul Curiens. laudatus. II. 254. 256

Hartmannus, Chr. Sacerdos favens Evang. et Pastor Thosanae. I. 77. *obloquitur Vicario in Disp. Ilant.* 112. *Ejus mors.* II. 240

Hoffmeister, Seb. Scaphusianus, interest Disputationi Ilantinae. I. 113. *Ejus judicium de colloquentibus in illo.* 130

Helvetiae Pagor. molimina ad impediendam Reformationem Turicens. I. 62. 63. *invitant Raetos ad Disp. Badens.* 152

Hieronymus N. Sacerdos favens Evangelio. I. 76

Hieronymus Mediol. docet Coelini. I. 226. *et Lavinii.*

INDEX.

I.

Jacobus, Christ. *Sacerdos favens Evangelio.* I. 77

Iantium reformatur. I. 76. *Illic habetur Disputatio.* 96

Joannes, *Episcopus* Curiens. *moritur in praelio.* I. 40

Inquisitionis officium vigilat ne Evangelium in Italiam permeet. II. 251 *desaevit Mediolani.* 295. *sq. Merces variorum detinet.* 477. *Saevit truculenter.* 486

Jeklinus, Conr. *Sacerdos Evangelio.* I. 77. *Pater hujus reficit Gallitium* 181. *Conradi filii mors.* II. 240

Jeklinus, *Andreas Zacconius*, *ultimus Missator* Cellerinae. I. 246

Itali. Multi reformationem desiderant. II. 30. *Quidam Exsulum in Raetia opiniones varii generis fovent.* 62

Julius Mediolanensis, *e carceribus Venetorum elapsus.* II. 30. *docet Pesclavii*, 40. *Vico-Suprani.* 30. *Vettonii.* I. 226

K.

Katzensis, *Parochus*, *Sacerdos Evangelico favens.* I. 58

L.

Landenberg, *Hugo*, *Episcopus Const. favet Evangelio.* I. 48

Lavinium, *reformatur.* I. 160

Lemnius, *Simon*, *ob impudica Poëmata ejicitur Vitteberga.* I. 196. 197 *moritur.* II. 238

Linguarum in Raetia diversitas, *causa est paucitatis Ministrorum in Ecclesiis Raetiae.* I. 186

Ligae, *quando coaluerint.* I. 12. *Singulae Jurisdictiones Trium Foederum.* 12. 13

Lentulus, Scipio, Paſtor Clavennae. II. 495

S. LUCII Legenda examinatur. I. 23

Lutheri Reformatio, a quibus initiis. I. 55. *ſq.* 167. *aliquot ejus libelli in italicum converſi.* II. 8. 9

M.

Majaevillanae Eccl. Reformatio. I. 164

Maynardus, Aug. Clavennae Reformator. II. 37. *Ejus contentio cum Camillo de efficacia Sacramentorum.* 83. *ſq. conf.* 393. *moritur.* 410

Manz, Felix, Anabaptiſtarum corypheus in Raetia oberrat. I. 88

S. Mauritianae Eccl. Reformatio. I. 245

Maria, Jo. Sacerdos Clavenn. Evangelio favens, vocatur Samadoenum. I. 232

Marmoreus Georg. Sacerdos Igienſ. Evangelio] *faventes.* I. 77. 181
- - - *Uldricus, Sac. Cerantinus hujus mors*] II. 240

Martinus, Chriſtian. Sacerdos Evangelio favens. I. 77

Mathias, Hieron. Sacerdos Evangelio favens. I. 77

Maturus, Bart. Prior Cremonenſis ad Evang. converſus. II. 27

Mediceus, Marchio Muſſii Raetos vexat. I. 131. *Ea occaſione Epiſcopus utitur ad ſupprimendam Ref.* 132. *conſpiratio duorum contra Raetos.* 170. *cogitur ſuae Jurisdictioni valedicere.* 175

Miſaucae Vallis corruptus Status tempore Ref. I. 49. II. 344

Miracula ficta, in Eccl. Rom. I. 21. 33

Miniſtri, in Raetia Primi, ipſi fuere Sacerdotes. I. 76. *paucitas eorum.* 186. *in egeſtate vitam trahunt.* I. 178. II. 313. *ſemet intrudentes.* 188.

188. *Illorum Synodus.* I. 191. *Ministris Vallis Telinae Salarium adsignatur.* II. 286

Modestus, Inquisitor Vallis Telinae immodestus. II. 4

Mollius Jo. Bononiae et Romae profitetur Evangelium. II. 9

Monachus quidam ad impediendam Reform. Oengadinae Zuzio male depexus abit. I. 242. *duo alii Monachi cynaedi Clavennae supplicio affecti.* II. 20. *Alius ad incitas redactus.* 264. *Angelus Cremonensis Seditionem movet Tilii. ibid. Alii latrones agunt-* 484. *sq.*

Monasteria Raetiae. D. Nicolai et D. Lucii Curiae. I. 150. 192 194. 197

Desertinense. 36. *Fabarienſe.* 38. *Cazense.* 38. 150. *Scolio-Mariaemontan. ibid. Corvantianum.* 39

Morbenienses Monachi. Dyonisius illorum unus perfidiae reus suspenditur. I. 175. II. 373. *Exsecutioni Diplomatis Raetorum obstant.* II. 292. *citantur ad Tribunal censorium.* II. 588. *Speculatores ac latrones agunt.* 455. *sq.*

Moerius, Laur. Sacerdos Ev. favens. I. 59

Montatius, Sacerdos Evangelio favens. I. 77

Mulierum baptismus, de eo disputatur. I. 198. 207

Mutnerus, Casp. favet libertati Relig. I. 146

Muotti Jac. ridicula conversio. I. 247

Müller, Petr. favet libertati Relig. I. 146

Münsterus, Seb. imprudenti dicterio Oengadinos offendit. II. 241

Minus. Celsus Senensis. II. 504

INDEX.

N.

Niger. Franc. apud Nobiles Raetos Paedagogum agit. I. 197
eſt placitis Camilli addictus. II. 89. 20. paſſim.
Nuncius Apoſtolicus in Raetiam miſſus. II. 153

O.

Oengadinae Eccleſiarum Reformatio. I. 224
Oengadina gens offenſa a Miinſtero. II. 141
Ochini, Sententia de Satisfactione Chriſti. 392

P.

Pariſottus, Petrus, Bergomas, Paſtor Samadoeni et Pontreſinae. I. 231
Paullus, ultimus Sacerdos Vettonii. I. 226
Pius IV. Pontifex, Archipresbyter Mazzii, Epiſcopatum Curienſem ambit. I. 170
S. Placidi Legenda. I. 36
Planta. Parcifallus. Eo Praetore Gallicius in exſilium mittitur. I. 143
- - *Conradinus, Cernetienſis, Evangelio adverſatur. 200*
- - *Joannes, Rhaetii Dominus Evangelico infenſus. 229. pro Cellario abducto intercedit. II. 466. Bullam a Pontifice obtinet. 559 Supplicio afficitur. 580*
- - *Conradinus a Trib. Cenſorio mulctatur. II. 587 abſolvitur. 592*
- - *Balthaſar, adjuvat Reform. Cernezii. I. 229*
- - *Thomas, Epiſcopus Curienſis. II. 232. Ejus mors. 443*

Petro-

INDEX.

Petronius Bardus. Sacerdos primo Vazienſis, poſtea Zuzianus. I. 122. *intereſt Diſp. Suſianae* 201. *licet congreſſum declinans.* 205. *mala morte obit.* 219

Pontreſinae Reformatio. I. 231

à Porta. Aegidius *Comenſis, ejus litt. ad Zvingl.* II. 4

- - Caſpar Dietegan. *Parochus Scolienſis, et*

Vuolphinus, *Parochus Remuſſianus, Sacerdotes Evangelio faventes.* I. 77. 160. *Ille in Diſp. Suſienſi increpat Petronium.* 202. 218

Gaudentius, *Curienſis Canonicus.* I. 28

BEATUS. Epiſcopus Curienſis. II. 444

Pontiſella. Jo. Archidiaconus Eccl. Cath. Cur. favet Evangelio. I. 77. *Filius ipſi homonymus Tiguro vocatur ad Gymnaſium Curienſe.* 195

Praderius, Blaſius, Sacerdos favens Evangelio. I. 77
peſte moritur. II. 241

Praebendarum incorporatio ante Ref. I. 45

Praedeſtinatio. Diſceptatio de ea, ac poſitiones. II. 397. 202

Perſecutio, contra fideles in Italia. II. 14. *ſq.* *Clavennae* II. 17. 21. 31. *Mediolani* 295. *in Gallia.* 321

Purgatorium, diſquiſitio de eo in Diſp. Ilant. I. 125

Paravicini. Caſpani favent Evangelio. II. 41

- - *Bartholomaeus frangit imagines.* 42

Peſtis, in Raetia graſſatur. II. 238. 429

Praegalliae Reformatio. II. 46. *ſq.*

R.

INDEX.

R.

RAETIA. Origo, et ſitus, I. 2. *ſq. Tractus Raetiae Primae et Secundae.* 9. *Subditae Raetis terrae* 16. *Raetica lingua.* 18. *quando primum coeperit ſcribi.* 43. II. 403

Raetici Senatus Articuli licentiam clericorum coercentes. I. 63. *ſq.*

Raetorum factiones. I. 52. 252

Raguttus, Clemens, Sacerdos Evangelio favens. I. 77

Raſerius, Jodocus, ultimus Scamffii Sacerdos. I. 142

Diſputationi Suſianae intereſt, 201. *Ejus Sententia de rebaptizatione.* 215. *imprudens rebaptizat.* 221. *obit.* 244

Rogoreti docetur Evangelium. II. 346

Regula Epiſcopi Iterii concubina. I. 257

Religio Chriſtiana in Raetia plantata. I. 21

Religionis Evangelicae libertas aſſerta. I. 146
etiam in terris ſubditis. II. 52. 274

Remuſſii Eccleſiae Reformatio. I. 160

S. Rochi Sacellum Campoferri. I. 247

Rodulphus Jo. Sacerdos Evang. favens in Averſ. I. 77

Ruſſinger. Abbas Fabar. Evangelio favens. I. 167

S.

Saegeris, Mart. *favet Evangelio.* I. 57

Saliceus, Joh. Bapt. Sacerdos Zuzii Gallitio infeſtus. I. 142

- - *Dieteganus et Hercules, favent Libertati Ret.* I. 145

Salicens Fridericus, *Reformationem promovet in Oengadina Sup.* 230. *singulariter Samadoeni.* 232. *item Cellerinae.* 245. *Munus Commissarii Clavennae adit.* II. 290. *moritur.* 512

- - *Barthol. Sondrii Archipresbyter*, *contendit de Episcopatu infeliciter cum Iterio.* I. 249. *nec non cum Beato.* II. 444

- - *Baptista, Eques Pontificius.* II. 467. 472. *a Trib. censorio multatur.* 586. *ab alio Trib. absolvitur.* 592. *Mediolanum legatur.* 456. 463

- - *Hercules. Raetiensis consocer.* II. 566. *Brixiae ab Inquisitoribus quaeritur.* 490. 590. *Religionem in Praegallia promovet.* 37. 47. *apud Bulling. pro fratribus Peeris intercedit.* 480. *ad Senatum Venetum ablegatur.* 296

Stampa, Vin. Monachus Sanguinarius. II. 457

Sacramentaria controversia. Leipsana Raetica. II. 180

Samadoenum reformatur. I. 232

Salandronius, Jac. Evangelio favet. I. 58. 76

Sanctorum cultus subrepit in Ecclesiam. I. 32. *sq.*

Schekii, Suighardi, Sacerdotis Susiens. gladius ad debellandos Evangelicos. I. 203

Schenardi Andr. Memoriale, contra Exsules Italos. II. 287

Scanavicanis et Corvantiis praedicatur Evang. I. 158. *sq.*

Scamffium reformatur. I. 244

Scholasticus, Casp. Sacerdos favens Evangelio. I. 76

Schlegelii Theod. Abbatis ad D. Luc. concio de Virginitate S. Joannis. I. 48. *favet Anabaptistis contra Comandrum.* 92. *accusat Ministros haereseos.* 97. *declinat Disputationem Ilantii.* 108. 116. *captiosae ejus interrogationes.* 119. *Procax foemina vocatur.* 166. *complex est cum Mediceo.* 170. *capite truncatur.* 173

INDEX.

Sdrazzius, Lucius, Sacerdos favens Evangelio. I. 77. *interest Disp. Susianae.* 202

Seylerus. Leonh. Sacerdos favens Evangelio. I. 78

Sentum reformatur. I. 220

Sigfridus, Andr. Sacerdos, Ev. favens, Parochus Davosii. I. 59

S. Sigisberti Legenda. I. 36

Stampa, Barth. Seditionem movet adv. Pensionar. Gall. I. 254

Susium reformatur, I. 227. *Disputatio ibi habita de Mulierum baptismo.* I. 198. *Alia Disp. contra Franc. Calabrum.* II. 67

Socinus, Lelius, in Raetia commoratur. II. 87. 145. 137

Schvenkfeldio faventes in Raetia. II. 400

Stancarus, Franc. in Raetia. II. 89. 96. 121. 125

Solium reformatur. II. 47

Sprecherus, Fort. castigatur. I. 69. 97

Spreiter, Henr. Sac. Evang. in Valle S. Antonii. I. 69

- - *Jacobus, Sacerdos Davosii.* I. 76

Steph. Dominicus accusatur Libertinismi. II. 614

Stupani, Jo. Petr. liber de Magia igni adjudicatus. I. 49

Straffgerichtum, definitore Paschalio, quid? I. 15. *contra Anabaptistas.* 95. *contra Pensionarios Gallic.* 255

Synodus a Ministris instituitur. I. 190. *de loco illius disceptatio inter Ministros.* II. 433. *sq.*

Sylvius, Barth. Paedagogum agit apud Raetos. I. 198

Ejus Scriptum contra Edictum Raetor. II. 502

T.

INDEX.

T.

Taraſp. ad eos pertingit Evangelium. I. 162

Tatius M. *Cernetienſis. Profeſſor Ingolſtadii. Ejus litterae ad Traverſium.* I. 202

Thomas, Parochus Tinnetion. ejus judicium de lingua Hebr. I. 114. *conf. et p.* 120. *Ejus Argum. pro Euchariſtia.* 128

Tigurinae Eccl. Reformatio. I. 59. *ſq. Eſt mater reliquarum Eccl. reform.* 63

Tilii praedicatur Evangelium. II. 41. *Seditio ibi coorta.* 264

Traditiones, de iis quaeſitum in Diſp. Ilantina. I. 120

Traverſius, Joh. favet Religioni Evang. I. 145. *tamen politizat.* 202. *Opera ejus quoad Ref. Oeng. Superioris.* 229. *Singulariter Eccleſiae Zuzienſis.* 233. *petit facultatem concionandi et obtinet.* 240. *nomine Engadinorum proficiſcitur Baſileam.* II. 243. *favet Epiſcopatui contra Fabricium et Gallicium.* 381. *Teſtamentum et mors:* 413. *ſq.*

Traverſius, Georg. Rietbergae Gallicium refocillat. I. 181

Tſchuggius, Sacerdos Evangelio favens, Parochus Prezii. I. 78. *obloquitur Vicario in Diſp. Ilantina.* 112

Titianus Anabaptiſta. II. 76. 134

Taraſpini, a Parochianis Scolienſibus ſe ſaparant. II. 451

Trontanus docet Rogoreti. II. 346

Tuſius, Andr. an primus fuerit Vettonii Paſtor. I. 224

V.

Vallis Tellinae deſcriptio. I. 16. II. 2. *Cleri et Populi profunda ignorantia Reformationis tempore corruptioque.* I. 44. *ſq.* II. 57. *Evangelium*

gelium illi mature illatum. II. 3. *sq. quis primo in illa docuerit.* I. 158. II. 14. *Sancita Religionis libertas.* II. 52. 274

Impedimenta exsecutioni oppositа. 280

Vergerius, Petr. Paull. agit Pastorem Pontresinae. I. 231. *Ejusd. Opera quoad Ref. Eccl. Samadoen. et Casacciae.* 232. *Egressus illius ex Ecclesia Romana, genius.* II. 144

Vettorium reformatur. I. 224

Vitus, Ludimoderator Curiae. I. 197

Venetorum Edictum contra Evangelicos. II. 32

Vicosuprani Reformatio. II. 28. *et Ministri.* 30

Vulpius, Jac. Primus Vettonii Past. ordinarius. I. 225

Y.

Yterius Luc. Episcopus Cur. I. 249. *laudatur* 251. *Responsum ejus de fundatione Ecclesiae Cathedralis Curiens.* 28. *Ejus mors.* II. 231

Z.

Zacconius Jecklinus, Andr. ultimus Sacerdos Cellerinae. I. 245

Zanetus, Ant. Parochus Zernezienf. interest Disp. Susienst. I. 203. *Homo claudicans ab utroque latere, et indignans ob Imaginum ejectionem.* 228

Zanchius, Clavennae Pastor. II. 412. 421. *inde discedit.* 490

Ziegler Paullus, Episcopus Curiensis. Caesari amicus, Raetis adversus, Evangelio infestus. I. 147. *conspirat cum Medicaeo.* 169. *misera morte occumbit.* 173. 248

Zvinglii vita, et doctrina. I. 53. *sq. Ejus ad Senatum Curiensem litterae ad Evangelii vindicias.* I. 81. *Item ad Comand. et Balingium in* 1. *Joh. V.* 4. I. 93

ERRATA

ERRATA LIBRI I.

Pag.	Lin.	Pro	lege
196	8	MDEXIII.	MDL.
205	6		brabeion.

LIB. II.

Pag.	Lin.	Pro	lege
9	2	Quidem	quidam
17	16	modis	modiis.
23	20	candalis	candelis.
28	6	poſt Cremonae adde:	Simulacro.
41	10	recentenam	recentem.
49	9	metuentes	metuentibus.
51	22	dele: *fuiſſe.*	
74	27	reſpicat	reſipiſcat.
188	19	Hiſtuſa	Ex Suſa.
193	9	dele: coacti.	
—	15	poſt decet, adde:	*agas.*
251	29	officio	officii.
254	32	dele: *etſi Haimius.*	
258	7	perſcript.	perſcripſit.
264	32	Haec	Hae.
—	penult.	inſulſas	inſulſae.
265	8	acerbiores	cordatiores.
269	2	quelus, dalus,	quelg, dalg.
270	12	nimirum	nimium.
273	16	moverant	monuerant.
278	19	ſuperfuit	praefuit.
280	4	adauxerit	adauxit.
—	20	Exſtant	exſtent.
316	26	Clavenn. et dele punct interrogat.	lege Claronnenſes.
318	ult.	autographon.	Autographois.
324	27	Nam	Non.
339	3	areae	aëreae.
341	9	Syſtacas	Syſtaticas.
353	24	Helvetiis	Helvetii.
364	7	factorem	fautorem.
—	—	dele: *Septimo Idus Junias.*	

365

Pag.	Lin.	Pro	lege
365 -	25	revertentes,	revertens.
	ibid.	insisterent	insisteret.
368 -	32	mitti	mittere.
372 -	3	ea	prolata.
375 -	19	adverti	adversi.
376 -	2	satisfaceret,	satisfactum esse.
—— -	21	concilium,	consilium.
382 -	4	omni	omnia.
387 -	8	adverios	adversarios.
—— -	antep.	Gallicüis	Gallicis.
390 -	15	memoriae	memoria.
398 -	1	dele: *congregatis.*	
400 -	1	multa	multi.
472 -	6	ignarum	ignavum.
482 -	8	Rationis	Talionis.
—— -	27	lege: titulum aliquem,	honestam occasionem.
490 -	12	excuriasse	excumiasse.
505 -	antep.	ipsi	ipsa.
511 -	2	MDLXVI.	MDLXXI.
514 -	6	molestia	modestia.
—— -	14	alia	aliqua.
—— -	15	HERTZERI.	Hetzeri.
518 -	24	Tunc solum	Tu solem.
520 -	penult.	confesso	profesio.
527 -	11	anatalypsian	Makrothymias.
—— -	29		
544 -	15	exanimatus	Examinatus.
549 -	1	pressus,	pressum.
555 -	4	captum	coeptum.
556 -	22	Roeschelsum	Roeschelium.
570 -	11	post haec, adde *res.*	
582 -	antept.	lege: abutendum sua auctoritate.	
583 -	10	lege: Evangelium: item dalg.	
—— -	23	—— legatorum.	
584 -	4	—— obsto.	

Mendas leviores, nec non distinctiones subinde minus recte collocatas, ipse B. L. pro humanitate emendare ne gravetur.

Hk 30 20 A Fgk

1.2

ULB Halle 3
006 248 004



ORIA

ATIONIS

RAETICARUM,

EX

ADHUC MAXIMAM PARTEM

S SINE PARTIUM STUDIO

DUCTA,

UT

TAGMA HIST. REFORM. HELVETIAE

T CENSERI,

IN LUCEM EDITA

A

ROSIO DE PORTA,

MINISTRO, ET VENER. COLLOQUII SUP.

AE CANCELLARIO.

S PRIMUS.

RAETORUM,

ATIS TYPOGRAPHICAE,

CCLXXI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-650938-p1019-6